Ch. S. h. 4 E 3
Non ...

P

NAZIONALE
R. BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II
ROMA
8 M
47 E
3

Digitized by Google

8-47-E-3

Digitized by Google

Digitized by Google

✠

INCARNATIONIS ARCANVM

SCHOLASTICE DISPVTATIONIBVS ET QVÆSTIONIBVS RESERATVM, IVXTA ANGELICI PRÆCEPTORIS MENTEM, SÆPE Reſolutionibus ſingularibus expoſitam.

PER R. P. ANTONIVM

DE LA PARRA ET ARTEAGA,

VILLA-ROBLETANVM,

CLERIC. REGVLARIVM MINORVM IN SVIS COLLEGIJS SALMANTICENSI, COMPLVTENSI, Et Neapolitano olim Theologiæ Profeſſorem Primarium, ac ſtudiorum Regentem.

TOMVS VNICVS.

Digitized by Google

Ex Bibliotheca Clerici
S. Vincentij et traslati in Crisio
Tertiorum Seminarij Minorum

Digitized by Google

R. P. ANTONII

DE LA PARRA

ET ARTEAGA,

VILLA-ROBLETANI,

CLERIC. REGVLARIVM MINORVM

IN TERTIAM PARTEM DIVI THOMÆ A QVÆSTIONE
prima, vſque ad vigeſimam quintam incluſiuè,

DE INCARNATIONE DIVINI VERBI,
& conſequentibus ipſam.


OPVS THEOLOGIS PERVTILE

EX VOTO DICATVM, SACRATVM EX ANIMO
Nobilitate, Sapientia, & Virtute Excelſo Eccleſiæ Principi

DOMINO, AC SEMPER DOMINO SVO, ILLVSTRISSIMO, ET
Reuerendiſsimo Domino

D. FR. IOANNI DE TOLEDO, EPISCOPO LEGIONENSI.

Anno



CVM PRIVILEGIO

Matriti: Ex Officina MELCHIORIS SANCHEZ.

Digitized by Google

Digitized by Google

QVEM

NATVRA BIS

EDIDIT NOBILEM, ORIGINE, ET INGENIO.

CELSVS DIVI HIERONYMI

ORDO STVDIOSVM LVCRATVS ALVMNVM, Egregium Sacræ Theologiæ Magiſtrum. Vtraque iam Regalis Diui Laurentij, iam Salmantini Muſæi Cathedra ſubtilem Primarium. Regimen eiuſdem Salmanticenſis Collegij Rectiſsimum ter repetitum Rectorem, Prioralis dignitas in Magno Guadalupenſi conuentu, bis Superiorem prouidum, Tota Hieronymiana Religio communi ſuffragio exactiſsimum Generalem, Diœcœſis Guamianga in Peruano Regno iam electum deſiderauit Præſulem. Canariæ meritiſsimum meruerunt Antiſtitem, Prouincia ea cuncta Probatiſsimum mirauit Gubernatorem, pro mari, & terra ſtrenuum Generalem Ducem, ſicut illarum Inſularum Regia Tribunalia Equiſsimum magnificarunt Præſidentem.

PLVRA SI NOMEN.

Illuſtriſsimo, ac Reuerendiſsimo Domino, ac ſemper Domino ſuo, D. Fr. Ioanni à Toledo, Digniſsimo Legionenſi Epiſcopo à Conſilijs Catholicæ Maieſtatis.

R.P. Antonius à Parra, & Arteaga, Clericorum Regularium Minorum Principi ſacro hoc de Diuini Verbi Incarnatione Arcanum ex animo dicat, ex reuerentia conſecrat.

MYSTERIVM *Incarnationis* (aiebat D. Bernardus de paruis, ſerm. 10.) *tria in ſe conſideranda continet, ſcilicèt,*

Digitized by Google

formam humilitatis, probamentum dilectionis, Sacramentum Redemptionis. Formam humilitatis demonſtrat Vagitus paruuli; probamentum dilectionis pia mors, quia maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis; Sacramentum Redemptionis triplicem oſtendit potentiam Deitatis, ſcilicèt, de nihilo aliquid fecit, inueteratum innouauit, temporale perpetuauit. En iam Illuſtriſsime Eccleſiæ Princeps, comprehenſa tria motiua, quorum ſtimulis ad ſacras veſtræ Dominationis aras hunc de Incarnationis myſterio tractatum offerendum totis viribus properat animus. Si enim *anima* (vt inquit Ariſtoteles) *intelligendo lapidem fit lapis*, intelligendo lapidem angularem, nempè Chriſtum Dominum, Verbum mentis meæ fiet in linea intelligibili Verbum Incarnatum. Vndè ea tria, quæ Doctor Melifluus ex Incarnationis flore libauit, metaphoricè mihi intellectio attribuit. Deficientias tamen veſtra ſapientiæ, & veritatis plenitudo ſupplebit.

Primum, hoc, quod Veſtræ Illuſtriſsimæ Dominationi Opus dico: *Formam continet humilitatis* mihi conuenientis. Non ſolum, quia *formam ſerui accipiens*, Minor ſum ex inſtituto Religionis, Maximoque Doctoris Maximi alumno cedere debeo; ſed quia ad Veſtræ Celſitudinis Plantas humi prouolutus ex reuerentia gradum facio; nec amplius ex mea Planta ſubirem, vt ex meo cognomine *Parra* patet. Nam (vt propriè Cicero de Tuſculanis) *vites, & ea, quæ ſunt humiliora, neque ſe tollere à terra altius poſſunt.* Et (vt Columela, lib. 4. cap. 1) humilitate vitis plerumque iuxta terram coercetur. *Plerumque*, ait, non ſine nota; nam aliquando proceris lignis ſubleuatur adiuncta, canente Tibullo lib. 4. *Excelſos vitis didicit conſcendere ramos.* Nec diſpar à Chriſti atributo vtraque eſt ratio, nam ipſe de ſe protulit: *Ego ſum vitis vera*, eſto, quod ſicut Chriſti humilitas Crucis Arbore fuit exaltata, proclamante Gentium Apoſtolo: *Propter quod Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*: Ita me humi ex conditiore inflexum, *vitis* enim *à viendo, ſeu inflectendo deducitur*, à veſtræ Nobilitatis procera generoſa Arbore exaltandum me exhibui, vt ex humili vite ſuperioribus brachiis veſtris, Paſtoraliſque Crucis eleuata cum proprietate reddar Parilema; vt deinceps tanquam à veſtra Dominatione donatum repetam cognomen,

quod

quod eſt ſuper omne vitium nomen, nec dubitandum iri, eſt enim *Parra* ſupra vires videri.

Humilitatis formam, in Incarnatione (proſequitur Bernardus) *demonſtrat vagitus paruuli*. Si igitur Æternum Verbum, cum ſit lingua ſapientiæ Altiſsimi, Eccleſiaſtico cap. 4. num. 29. annuente *in lingua ſapientia dignoſcitur*, cum incarnatur ſolum, eructat vagitum paruuli, quid ego paruulus, & paruulo *Minor* circa Incarnationem prorumpam? Summum erit, ſi Vagiam. Ideò breui Labro explicationem conſtringam. At non ob id tam ineffabile myſterium Laudibus non efferam; imò potiùs, nam, ſi paruulus, & minor, vtpoté infans, ille eſt, qui fari ignorat, Chriſtus, vt fere ſilentij Laconiſmo plus noteſcens: *Ex ore infantium perfecit laudem.*

Secundum, quod in hoc opere continetur: *Probamentum eſt dilectionis*. Si enim eſt iſtud (vt progreditur Dulciſsimus) *pia mors, quia maiore n charitatem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, nonne mors eſt, ſi pia, quia opus pietatis, & miſericordiæ alios docere, *dura ſicut infernus æmulatio*, cenſuræ criticorum vrenti ſe exponere, famamque, quæ rationalis honoris eſt anima, inimicis lingua doloſa, oreque iniquo detrahentibus pro amicis inſtantibus ponere? Verùm fretus, dum vitalis huius honoris reparandi ſum auidus, corpori iſtius tomi veſtrum ſpiritum applicari cupiam, quoniam ſi *littera occidit*, *ſpiritus viuificat*. Hanc ergo decoris animam veſtræ conſecrando Authoritati; venarum diſcurſus ſanguine profuſo, ſuauiſsimum nomen amici requiro.

Quamuis enim inter æquales verſari exigat amicitia, & ab humilitate mea ad veſtram Illuſtriſsimam Dominationem recognoſcatur diſtantia, ſi Chriſtus, Deus cum ſit, homines amicos ſuos vocitare non dedignatur, iuxta illud *vos amici mei eſtis*, qui loco Dei Sacer exiſtit Præſul, amici appellationem non abnuet, præcipué illius, qui generoſum veſtrum animum *amore mutuo non latenti* in Salmantina Academia diu fuit expertus, contra quod nec tempus, nec terræ, vel maris intermiſſa vaſtitas præualebunt, nam *non animum mutant, qui tranſmare currunt*. Mei, inquam, qui veſtræ Dominationis Perſonam dilexi, *Ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente mea*, ea proportione ſeruata, qua ſic diligi imperat

¶ 4 Deus

Digitized by Google

Deus Matth.cap.22.num.27. Nec mirum, quod *ex tota mente* dilexerim, & diligam, licèt amor non mentis, ſed voluntatis ſit exercitium. Nam, cum *nil volitum, quin præcognitum*, id dicetur *ex tota mente* amari, quod intellectui pignora tanta, & alia cognoſcenda objicit, vt ſecundum dictamen rationis *ex tota mente* proueniens exigat diligi. O Princeps per magne, nec fuit, nec eſt in mea mente ſpecies de veſtra Dominatione ſuggerens non amare, nam de gratiſsimo Viro tanta Nobilitate, Sapientia, prudentia, & virtute ornato, nil non laudabile vidi, audiui, & experientia tetigi.

Tertium in Incarnatione à Bernardo conſideratum *Redemptionis eſt Sacramentum, quod Triplicem oſtendit potentiam Deitatis, ſcilicèt, de nihilo aliquid fecit, inueteratum innouauit, temporale perpetuauit*. Iam hæc mea mentalis functio, præſuppoſito, quod Typis mandata vexationem redimit; Primo de *nihilo aliquid facit*, non quidem quaſi circa tanti Myſterij explicationem aliquid ex me efficiam, quia *ex nihilo nihil fit ſecundum naturam*, nihil autem ſum ego, vtpotè profeſsione *Minor*, quod comparatiuum quolibet ſignate diminutionis exceſſum verſus paruitatem ſemper arguit, ſicque propoſito *minimo quod ſic*, ſeu indiuiſsibili, erit verum dicere, ego ſum minor eo, ergo Nihilum, quia indiuiſsibili minus, nihil aliud præter nihil imaginari valemus. At aliquid facio ſecundum voluntatem, ad actiones enim ſupra inferiores vires valorandum habet amor ſuum Theandricum modum. Quid eſt illud? Iterum nihil, per reductionem ad terminum à quo, aptando me, & opus meum, cum nihili exiſtimamur, vt potentia veſtra omnipotentiæ Dei imitatrix ex nihilo aliquid faciat ſecundum gratiam meram; quamuis enim non admittatur diſpoſitio, nec inſtrumentum ad phyſicè creandum, Diuo Thoma 1.part.quæſt.45.artic.5. ſic aſſerente: *Impoſsibile eſt, quod conueniat creare inſtrumentalitèr*, & ratio efficax eſt, quia creatio ſolum ſupponit nihilum præciſſum, non tamen ſic ad myſtice, ſeu policitè procreandum, eo modo, quo idem Sanct. Thomas artic.1.ad 1. quod ſic creari *dicuntur ea, quæ in meliùs reformantur, vt cum dicitur aliquis creari in Epiſcopum*, quia hoc ſolum prærequirit exiſtimatione nihilum, quod voluntate diſponitur. Veſtra igitur magnitudo ſuper diſpoſitionem efficiat, me facturam tui recognoſcor, poſt modumque à calumnijs redimat, & quæ de Incarnatione dico, in meliùs reformet.

Se-

Digitized by Google

Secundo in Sacramento Redemptionis *inueteratum innouauit*, Chriſtus, nempè, hominem veterem renouando. Quod Epitheton vtrique, veſtræ Dominationi, & mihi accommodari reperio. Mihi, quoniam opiniones quaſdam inueteratas, rugis aliquibus explicatis innouatione reddere curaui ſplendeſcentes, vt Angelici Præceptoris doctrina ſic antiquitatis authoritatem non omittens, nouitateque veritatem nudam redolens, ita formoſa appareat, vt de ſe audire queat, quod Auguſtiſsimus Aguſtinus de Deo nouitèr ſibi agnito protulerat, *ò Pulchritudo antiqua*. Veſtræ Dominationi, quia, ſicut id, quod inueteratum eſt intenebris fœditatis, & obliuionis manet, &, vt ſpeciosè in ſpiciatur, ſplendore indiget, quo innoueturſita doctrina de Incarnatione iſta diu à me iam præcogitata, ſub tenebroſa atramenti caligine latebat manuſcripta, donec manu potenti veſtra in lucem edita, ne attramens in atramento occultata maneret, iam radijs magnificæ generoſitatis veſtræ collucet; modo, quo maiorum veſtrorum inueterata nobilitas facinoribus illuſtribus veſtris innouata reſplendet. Præterita luſtra coluſtrando præſentia; ſic Caſiodorus lib. variarum 7. ſcribebat ad alium: *Vt, & antiqua in nitorem priſtinum contineas, & noua ſimili antiquitate producas*. Nec alitèr, ac dextertimus Pictor, vt picturæ in vmbris artis primores oſtendat, pellucidis coloribus imaginem illuminat. Vndè apud Incarnationis Imaginem, ſeu ſcholaſticam ideam in hac papyri lamina intellectus Penicillo delineatam, de me ſolum apponi valet, *faciebat*, quia imperfectè opus extabat, de veſtra autem Dominatione *fecit*, quia ſic inueteratum perfectè innouauit.

Tertiò, *temporale perpetuauit*. Verbum, videlicet, in hypoſtatica vnione humanitatem coniungendò Deitati. Profectò temporale ſolum ſe exhibebat hoc opus, quia meum, vtpotè breuitate tranſiens, temporiſque iniurijs expoſitum, at immortale vt Diuinum ex nomine veſtro reddetur. Quid dicam ex nomine, ex Nobilitatis cognomine, ex Religione, ex Dignitatibus, ex operibus? Ex nomine, quia cum Epiſtola dedicatoria ſit libri præambula, libri huius, qui eſt vitæ, vtpotè de Chriſto Domino. Quis Præcuſor, niſi Ioannes, qui eſt gratia, quæ ſemen eſt gloriæ? vndè tractatus hic lucrum acquiret famæ æternæ. Et ſi, vt à myſterio Incarnationis non diſcedamus, in veteri teſtamento præfiguratum fuit Incarnatum

Ver-

Verbum per quatuor animalia ab Ezechiele capit. 1. Viſa ferentia currum, ſiquidem vnum erat quadruplex, declarante textu, *quatuor facies vni*: quod adæquatur vni Chriſto, qui *faciem* veram habet *hominis, habitu inuentus, vt homo. Faciem leonis*, quia fortis eſt Rex mundi victor, ſicut leo animantium. Faciem bouis, quia, ſicut vitulus pro peccato mactabatur, ita Chriſtus pro peccatis Sacerdos, & hoſtia offert, & offertur. *Faciem Aquilæ*, quia, ſicut hæc in ſublime alijs proprijs ſe extollit, ſic Chriſtus virtutis ſuæ volatu, Diuinitatis, ſcilicet, ad Cœlos aſcendit, *nemo enim aſcendit ad Cœlum* (id eſt virtute propria) *niſi qui de Cœlo deſcendit*: Vnde Chriſtus ſimul eſt Deus, homo, Rex, & Sacerdos in æternum. Æternantur enim Symbolica animalia, cum Plauſtro gloriæ vnciuntur conformia, quamuis inter ſe ſint valdè differentia. Nec meum eſt inuentum iſta enigmatica alluſio, legatur ſuper Ezechielem veſtræ Religionis eruditiſsimus vir Hector Pinto, Laudes enim veſtras, à veſtro ordine edoctus hoc ordine iacio, perpetuitatem inde libro iſti glorioſè prædicendo. In qua viſione, ſi vt *Epiſcopus, qui ſpeculator eſt* veſtra Dominatio, è ſpecula ſubtilitatis ſuæ conſpicit, in claro Incarnationis ſpeculo ſui adumbratam Imaginem videbit.

Aquilæ iam facies ineſt Dominationi veſtræ. Primo, quia ſi hæc Iouis primi Deorum ales celſiſsima petit, ideòque Ioann inter Euangeliſtas Aquilæ quadrat nomen, cuius volatus principium, vtpotè Regiæ Diuinæ auis, Verbum eſt ſupernum iuxta illud: *In principio erat Verbum*, Veſtrum nomen, coronatam aligeram formando famam, *Ioannes* iterum eſt, vt ales regia pennis altiſsimè in Theologi Diuinum Verbum erumpat. Secundo, quia ſi non ſolum Regina, ſed imperatrix Aquila eſt, vtpotè Cæſarea, ſecundum illud Graſſ. *Famam Cæſareæ ſuſcipiunt Aquilæ*, vt Cæſaream veſtram Nobilitatem appellem, inducit Imperiale *Toledo* cognomen Cæſareis Regibus parentatum, nec ab origine deflectunt mores, cũ veſtræ ſequãtur exẽplar Nobilitatis, vt præfiguratur in Aquila Armorũ veſtrorũ illuſtri Theſera. Tertiò, quia ſi Aquila fulmine non tangitur, imò ipſa flammigera dicitur, ſic animus veſter, vt *redimitus tempora Lauro* fulminibus inuidiæ non læditur; à quorum calamitate, vt hic liber euadat, ſub tuum præſidium calamus volat. Quartò, quia ſi Aquila nidificat in petra, veſtra Dominatio in Petra Diui Hieronymi pœnitentia vulnerata, lachrimis concaua, ſacra-

Digitized by Google

crata nempè eius familia, Petræ Chriſti conformi, vt in virtutis centro, nidificauit à iuuentute ſua. Quinto, ſi Aquila non conniuentibus oculis Solem intuetur, ad cuius radios filios examinat, vt probet ſuos, ſic Dominatio veſtra ſubtiles, ſublimeſque conceptus mentis filios ad Scholarum fulgentiſsimum Solem Aquinatem examinauit, probatoſque vidit, dum primarias Sacræ Theologiæ Cathedras diutius regentaret, iam in Regali Diui Laurentij Collegio, iam in Muſæo veſtri ordinis Salmantino, vbi inter cæteras Vniuerſitatis plumas ſic ingenij veſtri acumen peruolauit, vt imperium inter velociores litterarum aues teneret. Sexto, quia ſi Aquila in Draconem pugnat, iuxta illud Claudiani, *ſtant bellatrices Aquilæ, ſæuique Dracones*. Vt contra Regem ſerpentum Regina bellet volatilium, ſic Dominatio veſtra ex Sacro ſuggeſtu, ſeu pulpitio Regia ales, vt concionator Regius contra vitia, eorumque Regem Draconem, ſeu Regulum aſpideum Diabolum victrix pugnauit, vt Principem huius mundi prædicatione, & virtute, verbo, & exemplo foras eiecerit; ſicque contra Draconem inuidiæ dimicabit, vt elucubratio iſta perpetuo micet; ſicquè etiam ad tantum ſapientię Solem, é fonte puritatis accedens doctrina: *Renouabitur vt Aquila iuuentus mea*.

Bobis facies item eſt vobis. Primò, quia ſi bos ſpontaneé, non grauatim obtemperat iugo, ſic Reuerendiſsima Veſtra Dominatio Superioribus Religionis Dignitatibus, quæ tantum oneris, quantum honoris afferunt, dociliter obedientiæ iugo collum ſubiunxit, vt quamuis humeris veſtris graue, quia cæteris vtile, poſſet enunciare, *iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue*. Rhetorica clamet memoriæ Collegij Salmanticenſis Rectoratus, quem ita recte veſtra prouidentia adminiſtrauit, vt vſque ad triennia tria veſtræ Perſonæ reelectio fieret. Reſonet vltra Eco Prioralis Dignitatis Magni Conuentus ſub aduocatione Sanctiſsimæ Dominæ Noſtræ de *Guadalupe*, cui ita ſemel miniſtratorius veſter ſpiritus inſeruiuit, vt iterum ad eandem aſſumptus plauſibilitèr reuerteret, vtpotè reſpectu veſtri, quatenus Prior, & primus, ſolus veſter animus reperiretur ſecundus. Fidem adhibeat vniuerſale teſtimonium Excelſæ Religionis veſtræ generale regimen generalitèr ſuffragij, votiſque ſingulorum approbatum, in quo Reuerendiſsima æquitas veſtra coniunxit oppoſita, ſingularitatem, videlicet,

cum

cum generalitate,quia cum omnibus ſerio præeſſet Generalis, ſic
grate ſingularis erat, ſicut dependens indiuiduum, Religioſuſque
peculiaris,actibus communitatis aſsiduò communis.Quibus per-
petuitatis fœlicitas eſt lucrata;nam vt lib. 7. variar. ſerm.26. præ-
fatur Caſiodorus: *Humanæ mentis fælix illa conditio eſt, quæ arbi-*
trium prouectionis ſuæ intra terminum moderationis includit, & ſic per
agit dignitatis breuiſsimū ſpatium, vt vniuerſis tēporibus reddatur ac-
ceptus. Secundò,quia ſi bos,nō ſibi,ſed alijs laborat,ſecūdū illud Mā
tuani: *Sic vos non vobis fertis aratra boues*, dictū eſt enim *bos* græce,
idem, ac *paſco* latine,eo quod homines paſcat laboribus ſuis; pari
formitèr veſtra officioſitas virtute exemplari cæteros paſcendo
laborabat,non ſibi, ſed Religioni. Vndè fructus durabilis vitæ, *hoc*
opus, hic labor eſt. Tertiò,quia ſi bos patientiæ eſt ſymbolum,patien-
tiaque meliorem ſapientiam denotat: *Theologicè*, vtpotè animæ
ſecuram,quæ Thomiſticè in viſione intellectiua Dei conſiſtit, poſ-
ſeſsionem,ſacro proferente vate *in patientia veſtra poſsi debitis ani-*
mas veſtras, *Phyloſophicè*, *quia intelligere* (ſecundum ſtagiritam)
eſt quoddam pati,(ſcio de paſsione, ſeu receptione ſpeciei impreſſæ
in intellectu *paſsibili*,ſic *à patiendo* vocato,ad actionem intellectio-
nis præuia loqui,ſed liceat ly *pati* ad patiendum intelligentis dolo-
rem transferri,nam,ò quanta in hoc ſæculo, qui intelligit, patitur)
ideòque rationem cogitabam,quare animal,quod cap.1.Ezechie-
lis bos erat, non aliud, in capit. 10. Cherub videretur: quoniam
Cherub ſecundum Angelum Doctorem *plenitudo ſcientiæ inter-*
pretatur,quæ in patientia bouis præintelligitur.Ideòque etiam con
gruentèr Verbum,ſapientia,ſcilicèt, Patris genita, fuit Incarna-
tum,quia *intelligere eſt quoddam pati*, & homo fiebat, vt pateretur
bos factus obediens vſque ad mortem; ad quod alludit illud Ter-
tuliani, *naturam Dei patientiam eſſe effectam*, naturam Dei,nimi-
rum, quæ in Diui Thomæ ſententia in intellectione nititur, cum
patientia conuertendo. Similitèr de patientiæ veſtræ ſymbolo al-
ta ſapientia depromitur, quaſi os veſtrum bouis in patientia dig-
noſcatur, ita tamen ruminando mortificationi deditum bouem
ſapiat. vt ſapiens Cherub videri non omittat. Per cuius Cherubi-
cam ſcientificam conſtantiam,æuo, quo Angeli metiuntur, hoc
opus contra tempus proferetur.

Hominis prætereà facies veſtro adeſt vultui, quia ſi maior viri
trium-

triumphus,ſicut,& difficilior actus, eſt ſe ipſum vincere, vt veſtra ratio de portione inferiori victoriam mereretur reportare, ſic deſideria ad honores adhuc ſacros continuit, vt veſter animus contẽtus cella maneret, ideòque Epiſcopatum de *Guamianga* in Regno Peruano non admiſsit,quia non de alio mundo,quam deCœlo cogitauit. Secundo,quia ſi homo non ſolum ſibi, ſed alijs eſſe,& prodeſſe debet,Epiſcopatum poſtea Canariarum non recuſare hominẽ adhuc ſe in priori propoſito vincentẽ, vt alijs profuturũ, fuit exhibuiſſe;quia,vt acutiſsimè Chryſologus ſerm. 110. *Secreta victoria, virtuſque latens exemplum poſteris non relinquunt*. Tertiò, quia ſi homo ratione ad omnia poteſt, ad cuncta ſe veſtra humanitas valentiorem demonſtrauit; vna cum eſſet prò pluribus ſufficiens, multorum Heroum ſimul, & ſemel munera, & officia fortunatè conſequens. In ſpiritualibus Clariſsimus Antiſtes, in re militari, pro illius maris, & terræ ſecuritate ſtrenuus Dux Generalis, in Politica illarum Inſularum Regijs Tribunalibus exactus Præſes. O quanta,& cuncta,vt ſingula, glorioſè exercita, vt homini ratione, & iuſtitia operanti adhuc in hac vita non deſit gloria: nam illa *eſt conſtans, & perpetua*. Quartò,quia ſi circa animalia plauſtri viſionis Ezechielis,ſic textum legebam, & *manus hominis ſub pennis eorum*, vbi, certè mirabar, cum quodlibet quatuor eorũ animal eſſet pennatum,vt conſtat ex verſiculo *6. quatuor pennæ vni*, & ex 8. *pennas per quatuor partes habebant*, cur manus tantum hominis ſub pennis omnium ſubeſſet, & non manus alterius ex Animalibus? Et dubitationi ſic reſpondebam,per quatuor in curru animalia, ſicut à Diuo Hieronymo quatuor intelliguntur Euangeliſtæ, quatuor etiam poſſunt Doctores Eccleſiæ repræſentari, inter quos per hominem Diuus Hieronymus aptè ſignificandus venit, quia, ſicut homo maximus eſt animalium, ſic Hieronymus maximus eſt Doctorum; vndè quamuis quilibet Doctor alas ferat, pennaſque habeat, ſola tamen manus Hieronymi plumas mouet, impulſumque ad ſcribendum eis tribuit. Perſonent Biblia ſacra,verſiones,expoſitiones,Methodus intelligendi, & exponendi Diuinas Scripturas. Paritèr manus veſtra,vtpotè hominis tanti,Diuique Hieronymi eximij filij ebibentis ſpiritum Parentis, ſub pennis meis ſubeſt, motionemque plumis ad litteras formandas confert. Vndè perpetuæ reſultabunt propoſitiones,tanquam æternæ veritatis.

Leo-

Digitized by Google

Leonis facies eſt tandem veſtræ fortitudinis. Primò, nam ſi leo inter feras diademate præcingitur, quia fortior, veſter conſtans animus infula ſacra circundatus miſticum ſe oſtendit Leonem, cum Legionenſis Diocœſis ſpirituale imperium tenet. At fortitudinem cum ſuauitate coniungit, vt viribus ſapientia non abſit: *Diſponens omnia fortiter, & ſuauiter*. Secundò, quia ſi proprium Leonis eſt, *parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos*, cui veſtra benignitas ſubiecto nō pepercit? Quem veſtra correctio ſuperbum non debellauit? Tertiò, quia ſi Leo palpebris non clauſis ſomnū ſummit, ideòque ſymbolum eſt vigilantiæ, iuxta illud Alciati, *eſt Leo, ſed cuſtos oculis, quia dormit apertis, templorum id circo ponitur ante fores*, ſic veſtra temperātia, dum alij vitam in ſomnum conuertunt, de ſomno inſomnis vitam exercet, vt ſuper gregem ſuum Paſtor attentus ſemper euigilet, vitalem contra fallax tempus prorogando halitum; nam *plus vigilare, plus viuere eſt*. Secundum Chryſologum. Quartò, quia ſi Diui Hieronymi imago cum Leone appingitur, quod cum ille iſtum ſpinæ punctione condolentem eductione leuauerit, iſte illum ex gratitudine in vita obſequentiſsimus non dimiſſerit, in morteque rugitu in gemitum verſo, decidens, ſocius etiam ſepulchri fuerit; ita à deſcriptione veſtra, ſicut, & ab vmbra Leo non debet ſeparari, Legionenſis, inquam, Prouincia vobis ſemper tenetur obſequentiſsima in ſeruire, ſiquidem non ſolum ſpinas, è corpore ærumnas, ſed culpas ex anima tribulos veſter eradicauit Paſtoralis baculus, ſicut veſtra puritas, quæ morum eſt exemplar: ſic innoteſcit in candido animali Armorum veſtrorum inſigni, ſplendorem veſtrum illo elogio efferenti, *malo mori, quam fœdari*. Quinto, quia ſi Regni Hiſpaniæ Armorum Teſſera Leo eſt, & Caſtellum, cum prudentia veſtra Caſtellum ſit vallatum, ſimul cum Leone, cuius effigie gaudet in Legione apponet ad tutamen ſigillum. Sexto, quia ſi Leo miſticè, vt retulimus, competit Chriſtò, qui aduerſarium Diabolū oppugnabit, qui *tanquam Leo rugiens circuit quærens, quem deuoret*, vt Leo contra Leonem pugnet, & de Chriſto Domino triumphus intonet, *vicit Leo de Tribu Iuda*; ita cor veſtrum contra Diabolici Leonis Legiones inuidiæ, miſticus Leo victor euadit. Ardua quidem pugna, ſed plauſibilis victoria; nam vt D. Aug. lib. Confeſſ. 8. cap. 3. num. 1. docet: *Triumphat victor Imperator, & non viciſſet, niſi pugnauiſſet, & quanto maius periculum fuit in prælio, tanto maius eſt*

gau-

gaudium in triumpho. Septimo, quia ſi in ore Leonis Sanſon inuenit fauum, in ore veſtro eſt ſapientia melle ſuauior, vt declamare queat Emphatica locutio, *de forti egreſſa eſt dulcedo.* Octauo, quia ſi Leo cæleſte eſt ſignum, in quo Sol propriam retinet domum, Ganniueto in Amico Medicorum ferente: *Leo eſt domus Solis*, è qua ſolares radij in ſublunaria influunt generosè; ita generoſitas veſtra in Legionenſi Vrbe domum veſtro Solari ſplendori præparat, vt magnificè, & proſperè in ſua inferiora influat, quorum, licet Minoris, mea perpetuetur fortuna. Quid amplius! monſtraui *ex vngue Leonem.*

Ecce iam tot titulis, Colendiſsime Princeps, cum quatuor facies veſter aſpectus habeat, non ſimulator, ſed fidelior exiſtit, eiſque Ianum bifrontem temporis fictum Deum ſuperat, vt virtutes perpetuas efficiat. Et ſi de Chriſto eſt opus, cuius imitatione veſter probatur inceſſus, homo, Rex, Sacerdos, & Deus; ac etiam ego, dum Chriſtum intelligo, intentionalis Chriſtus fio; dicere ad maleuolos ſubmurmuratores audio, *nolite tangere Chriſtos meos.* Vndè veſtra dexteritas miſticis faciebus ad tempus vtendo, ſolum vultu opportuniori inſinuato, detractorum linguas compeſcet, vt enim cum veſtro, & meo Hieronymo concludam eleganter: *Sicut ſi ſagitta mittatur contra duram materiam, nonnumquam immittentem reuertitur, illudque completur: facti ſunt mihi in arcum prauum; ita detractor, cum triſtem faciem viderit audientis, imò ne audientis quidem, ſed obturantis aures ſuas, ne audiat iudicium ſanguinis, illico conticeſcit, pallet vultus, hærent labia, ſaliua ſiccatur.* Quatuor vultibus proſpiciat Illuſtriſsimus Dominus meus, vt Summus Sacerdos valeat Eccleſiæ, vt miſticus Rex valeat Hiſpaniæ, vt Deus participatione valeat mihi, vt homo veritate valeat æternè Deo.

FA-

Digitized by Google

LVcas Ximenez, Præpoſitus Provincialis, Clericorum Regularium Minorum in hac Hiſpaniarum Provincia, facultate mihi ſpecialitèr commiſſa ab Adm. R. P. N. Ioanne Ximenez Præpoſito Generali noſtræ Religionis, licentiam concedimus Patri Antonio de la Parra eiuſdem Religionis noſtri Collegij Salmantini, nec non Complutenſis Scholaſticæ Theologiæ quondam Lectori, vt typis mandare poſsit tomum vnum de Diuini Verbi Incarnatione, à quæſtione 1. vſque ad 25. incluſiuè, tertiæ partis Sanct. Thomæ, viſis iam approbationibus, & cenſuris virorum grauium, & Doctorum noſtræ Religionis, quibus fuit commiſſum, in quorum fidem has præſentes litteras dedimus noſtro nomine ſubſcriptas, & à Secretario noſtro, ſigilloque officij noſtri munitas. In noſtris ædibus Spiritus Sancti. Matriti die 8. Ianuarij anno Domini 1667.

Lucas Ximenez Clericorum Regularium Minorum,
Præpoſitus Provincialis.

De mandato P.N. Provincialis.

Martinus del Rio, Secretarius Provincialis
Clericorum Regularium Minorum.

CENSVRA, ET IVDICIVM REVER. P. M. FR. *Clementis Aluarez, ex Sacra Prædicatorum Familia, in Curia Romana olim digniſsimi Regentis de la Minerua, nunc autem in Complutenſi Academia digniſsimi Primariæ Cathedræ S. Thom. Moderatoris.*

LIbrum iſtum, diſputationes *de Incarnatione Diuini Verbi* à quæſtione 1. vſque ad 25. tertiæ partis S. Thomę, quem in lucem præparat R. P. M. Antonius de la Parra & Arteaga ex Familia doctiſsima, & religioſiſsima Clericorum Minorum, ſiuè potiùs effulgentem lucem, quippè ad ſolem æternum, quem Theologia proprius inſpicit, intuendum, Theologiæ cupidis præſtiturum, approbandum ſuſceperam ex commiſsione D. Licent. D. Sebaſtiani Nauarrete de Bocanegra Theſaurij ſeruantiſsimi in S. Magiſtrali Eccleſia Sanctorum Iuſti, & Paſtoris Villæ Complutenſis dignitate præfecti, Vicarij Generalis in toto Archiepiſcopatu Toletano, nec non Audientiæ, & Curiæ Archiepiſcopalis in eadem Villa reſidentis. Et poſtquam attentis oculis, animoque diligenti omnes illius paginas perlegi, librum auro ditiorem, & prætioſiorem æſtimaui: *Ditior enim auro* (inquit Ambroſius) *ſapientiæ nidus eſt, & quidem ipſum amaui ditiſsimum ingenij floribus diſtinctum hortum æternitatis odorem ſpirantibus, non enim marceſcentibus vanitatibus, prophanis, ſcilicèt, litteris, non eis fucatur, ſiuè marceſcit, qui decentèr, & pulchrè maturis fructibus Sacræ Theologiæ viget.* Si autem, vt inquit Cicero 2. Tuſ-

Digitized by Google

Tuſcul. *Effectus eloquentiæ eſt audientium approbatio:* non ſolum ſanè poſſem opus hoc ingenio, & doctrina compoſitum approbare Lector, ſed, & Scolaſticæ Authoris eloquentiæ auditor, qui ipſum agnoſcens in celebrioribus orbis Vniuerſitatibus Magiſtrum digniſsimum, pluries audiui magiſterij exercitia adimplentem, Compluti ſcilicèt, vbi florida Scolaſticorum iuuentus prima ipſius ingenij fluenta ebibit; Salmanticæ, vbi Magiſtrorum exemplar in litteris omnibus ſui magiſterio dedit, ac inſuper Romę, vbi ex Hiſpaniarum Prouincia ad Capitulum Generale celebrandum vocatus, nolens eos, quos viderat, ſapientiæ ſuæ radijs orbatos relinquere, Theologici actus adſtitit Præſes, in quo omnes ſuas ſententias ingenio, & eruditione primas, quas iam in præſenti omnibus parat mirandas, non ſolum publicè doctiſsimo, nobiliſsimoque Doctorum comitatu, & omnium circunſtantiũ approbatione defendit; ſed, & Magiſtri Sacri Palatij, qui ipſas de more conſiderans approbauit: ipſe ego quoque, qui Romę in hiſce diſputationibus propoſui argumentum, certè vidi, quod nunc iterum approbo. Si autem opus iſtud Authoris nomine adeò creditum ſit, vt aliena cenſura non indigeat, quemadmodum Ouidius dixerat: *Credita res Authore ſuo eſt*, noſtrum igitur iudicare ſit, proprium ſit ne Authoris opus, quod ſic inuentum, non modo originis celſitudinem Authori debitam inueniemus, ſed & encomiorum dignitatem meritaſſe, immo & laudum verum peperiſſe honorem. Liber ergo potius arbos apparet fæcunda, tum Illuſtrium Fidei dogmatum veritatibus, tum Conciliorum viribus, tum Orthodoxorum Patrum teſtimonijs, taliquae cumulo viget litterarum, vt meritò dici valeret cum Voluſiano: *Legi de eſt, quidquid ab Authore in hoc contigerit ignorari.* Proh immane pulchrũ foliorum arboris pondus! Fructuum inuitat prodigã ingenij ſententiarum, argutiſsimarumque rationum, contrariorum argutias omnino fugãtium, ſententiarum quidem, quas ſola eruditio, & Authoris ingenium antiquas faceret æſtimari, & ſi primas ſubtilitate, & ingenio extulerit, circa quod, & ſi dicere vellem Lectoribus cum Auſonio: *Nil dubites Authore bona corrigi videbatur: Nil dubites ratione bona.* Cæterùm rectè dici valet id Auſonij; Author enim ſapientiſsimus veſtigia firma ſuæ ſacræ, grauiſsimæ, & doctiſsimæ Familiæ inſequens ſubtiliſsimum ingenij acumen melioribus rationibus, ſolidioribuſque fundaminibus veritatum Doctoris Angelici D. Thomæ Aquinatis firmauit, & confirmauit. O valde miranda natura fructuum, quæ ſi flores non neglexit, ingenij proficuam fructuum dulcedinem non fugauit. Decenter denique libet hic pietate pollet, non ſolum nil contra Fidem, & bonos mores amplexantem, ſed, & rationum lumine deturbat tenebras, impietatiſque deprimit apparientias, adeoq; modeſta in ratiocinando vehementia vtitur, vt neque aſperitas ibi tranſluceat, neque obumbret efficatiam. In hoc ergo litterarum optimè ordinato cumulo felix eius ſtudioſus Lector quidquid voluerit, ad inueniet; doctrinam Angelicam Præceptoris Angeli; dogmata quam plurima veræ Theologiæ; multorum Patrũ, & Conciliorum mentes expreſſas; ingenioſiſsimam dubiorum rationem, & ſolutionem, Patrumque demum videbit filium Theologum ipſos fœliciter imitantem; in grauitate ſtyli, quaſi fulmine rationum Athanaſium, in ipſarum vehementia Cyprianum; in profunditate Auguſtinum; in eruditione Hieronymum; in ſuauitate Nazianzenum; in verborum cura Baſilium; in pietate Chryſoſtomum; ac denique in claritate, & compendio, in ſubtilitate, veritate rationum D. Thomam Aquinatem Præceptorem Angelicum.

Hæc libri ſunt, non inuenta, harum laudum liber fœcundus erat, & aliarum, quas ſilentio prætermittere dignum eſt, ne prolixiora rependam, *Prolixa enim* (ait Ambroſius) *laudatio eſt, quæ nõ quæritur, ſed tenetur.* Proprium opus Authoris eſt liber. Hoc cenſeo. Datum Compluti die 14. Februarij anni Domini 1665.

Fr. Clemens Aluarez.

CENSVRA SAPIENTISSIMI D. DOCTORIS D. Didaci Ros, & Medrano, olim in doctiſsimo Theologorum Collegio Complutenſi Togati, & in Eccleſia Magiſtrali Sanctorum Iuſti, & Paſtoris meritiſsimi Canonici, & Vniuerſitatis Complutenſis Primarij Scoti Cathedræ digniſsimi Moderatoris, & nunc Sancti Thomæ Primæ, & in Maiori Sancti Ildephonſi digniſsimi Collegæ.

EX Commiſsione D. Licent. D. Sebaſtiani Nauarrete & Bocanegra, Magiſtralis Eccleſiæ Sanctorum Martyrum Complutenſium Iuſti, & Paſtoris pro dignitate Theſaurarij, & in toto Archiepiſcopatu Toletano Vicarij Generalis, hunc tomum diligenter legi *de Incarnatione Verbi Diuini à quæſt. 1. vſque ad* 25. in tertiam partem S. Thomæ. Neque mihi ignota fuit Authoris facies, cum ſæpè viderim, & audierim in actibus, & diſputationibus publicis docentem in Complutenſi Collegio Clericorum Regularium Minorum, vbi eodem Præſide omnes opiniones, etiam quæ magis ſingulares videntur, probabiliter, & ingenioſe ſatis, cum maximoque omnium adſtantium plauſſu defendebantur. Quis Author iſte ſit, nomen deſignat. R. P. M. Antonius de la Parra & Arteaga, ex doctiſsima, & regulariſsima Familia Clericorum Regularium Minorum. Qualis vero grauitate, & exiſtimatione, ingenio, litteris, ſubtilitate opinandi, & dicendi claritate hæc ſcripta manifeſtant; cum omnia in illis inueniantur adeò clarè dicta, & formaliter diſpoſita, vt ſine difficultate, & mora aliqua percipiantur; adeò acutè, & ſubtiliter excogitata, vt delectentur ingenia; adeò ſolidè fundata, vt aſſertis debeatur aſſenſus, & intra terminos iuſtos Catholicæ, & ſanæ doctrinæ adeò contenta, vt nec leuiter offendantur aures: Ex quibus omnibus, cum re vera ita ſint, plane conſequitur hunc librum digniſsimum eſſe, vt Typis mandetur, & conſequentia iſta ſit meus calculus, & cenſura. Datum Compluti die 20. Februarij anno Domini 1665.

Doctor D. Didacus Ros & Medrano.

Digitized by Google

LICENTIA ORDINARIJ COMPLUTENSIS, IN TOTO TOLETANO Archiepiſcopatu Vicarij Generalis.

NOs Licentiatus D. Sebaſtianus Nauarrete, & Bocanegra, Eccleſiæ Magiſtralis Sanctorum Iuſti, & Paſtoris Complutenſium pro dignitate Theſaurarius, Vicarius Generalis in toto Archiepiſcopatu Toletano, & in Academia, & Curia Archiepiſcopali Compluti Reſidens. Ex vi præſentium, & quantum ad Nos attinet, facultatem concedimus, vt poſsit Typis mandari tomum vnum *de Diuini Verbi Incarnatione à quæſtione prima, vſque ad vigeſſimam quintam incluſiue, Tractatus, Diſputationes, & Quæſtiones in tertiam partem Sancti Thomæ, reſolutionibus ſæpius ſingulariter explicatæ*, elaboratum, & compoſitum per R. P. M. Antonium de la Parra, & Arteaga, Clericorum Regularium Minorum: cum ex noſtro mandato recognitum, & approbatum ſit à doctiſsimis viris huius Vniuerſitatis Complutenſis, quibus commiſimus, & nihil in eo reperiatur contra puritatem noſtræ Fidei Catholicæ, & bonos mores. In cuius fidem præſentes litteras dedimus, Compluti die prima Martij, anno Domini 1665.

Licent. Sebaſtianus Nauarrete de Bocanegra.

Ex mandato D. Vicarij Generalis.

Mag. Franciſcus de Malagon, Notarius.

PRO SVPREMO SENATV CENSVRA, ET iudicium Reuerendiſsimi Patris Magiſtri Mathæi de Moya Societatis Ieſu, olim in ſuæ Religionis Complutenſi Collegio Digniſsimi primariæ Theologiæ Cathredæ Moderatoris.

EX commiſsione Supremi Senatus librum legi, cui titulus, *R. P. Antonij de la Parra, & Arteaga Clericorum Regularium Minorum, &c. Tractatus, Diſputationes, & quæſtiones in 3. part. D. Thomæ, & iuxta illius mentem reſolutionibus, ſæpius ſingulariter explicatæ*. Legi, inquam, non minus iucunde, quam auide, & volumine breui quæſtiones plures, maturo libratas iudicio, & non paucas proprio marte explicatas, ſolideque roboratas, & ab inuolucris expeditas inueni. Nec poteſt inuidia, quæ ſemper magna ſcripta venenato dente corroſit, vitium nouitatis huic Authori impingere: nō enim ſic noua quæ dicit, quaſi ex nouis deducta principijs, ſed potius ſic noua, vt priſcis D. Thomæ innixa ſint fundamentis. Inuenienda ergo inuentis non ob-

Digitized by Google

obſtant, & vt ait D. Thomas opuſc. 19. cap. 2. *Quanto Doctores magis multiplicantur, tanto vtilitas communis, quæ ex doctrina prouenit, magis creſcit, quia vni manifeſtatur, quod alteri non dum notum eſt.* Et ſane, vt eruditos non latet, qui præceſſerunt Angelici Præceptoris interpretes, quaſi foſsionis metallicę opifices, venas auri aperuerunt, non exhauſerunt. Supra diſcipulorum enim captum eſſe Magiſtri mentem, probant, quæ ex illa noua quotidie eruuntur, ſuperioribus ignota, & occulta. Plura eruit hic Author, qui propterea hac laude fraudandus non eſt, iuxta illud Tertuliani contra Marchionem cap. 20. *O Chriſtum, & in nouis veterem!* Cenſo tandem, hoc opus prælo eſſe dignum, vtpotè quod nil fidei, vel moribus diſſonum continet, & ſtudioſis valde vtile futurum. In hoc noſtro Collegio Imperiali Matritenſi Societatis Ieſu die 7. Aprilis anno 1668.

Matthæus de Moya.

SVMA DE LA LICENCIA, Y PRIVILEGIO.

YO Diego de Vrueña Nauamuel, Secretario de Camara de ſu Mageſtad, y vno de los que en ſu Conſejo reſiden, certifico, que por los Señores del dicho Real Conſejo ſe concediò licencia, y priuilegio al P. Antonio de la Parra, de los Clerigos Menores, para imprimir vn libro intitulado, *Tractatus, Diſputationes, & Quæſtiones in tertiam partem D. Thomæ*, el qu al ha de poder imprimir, con que no ſe imprima el principio, ni el fin, haſta que por los dichos Señores ſe aya taſſado, y ſeñalado el precio en que ſe ha de vender; y para que conſte, de pedimiento del dicho P. Antonio de la Parra, doy la preſente. En la villa de Madrid à treze dias del mes de Iulio de mil y ſeiſcientos y ſeſenta y ſeis años.

Diego de Vrueña Nauamuel.

ERRATA SIC CORRIGE.

PAg. 4. colum. 1. §. In hac re, lin. 20. concedat, lege concedant, P. 15. col. 2. §. Obſeruo quarto, lin. 5. ſuam, lege ſuam, P. 17. col. 2. §. Vlterius, lin. 15. abuſt, lege adeſt. p 33. col. 1 §. Reſpõdeo, lin. 2. conceptu, lege contemptu, p. 46. col. 2. §. Præterquã; lin. 14. deciſsionis, lege decitionis, p. 63. col. 1. §. Reſolutio ſit, lin. 14. finito, lege infinito, p. 66. col. 2. §. Verũ, lin. 3. præciſſe, lege preſiſſe, p. 68. col. 1. §. Reſolutio prima, lin. 2 morali, lege moralis, p. 85. col. 1. lin. 7. dele primum finitum, & ſecundũ finitũ, lege infinitũ; ibid §. Procuius, lin. 11. ad, lege an, p. 100. col. 1. lin. 27. relinqueat, lege relinquat, p. 114. col. 2. §. Procuius, lin. 16. vera, lege vero, p. 121. col. 1. §. Confirmatur, lin. penult. cauſalitatis, lege cauſalitates, P. 130. col. 1. §. Reſolutio, lin. 4. circunſtantia, lege circunſtantias, ibidem, lin. 5 Incarnationem, & circunſtantias, lege Incarnatione, & circunſtantijs, p. 137. col. 1. §. In hac re, lin. 3.

An-

Digitized by Google

Angeli ſ, lege Angeli pag. 141. col. 2 §. Pro quo, lin. 38. de facta, lege de facto, pag. 144. col. 1. §. Reſol. lin. 2. intellectam, lege intellectum, pagin. 159 col. 2. §. Votum, lin. 23. habitualis, lege habituali, pag. 186 col. 1. lin. 15. correſpondete, lege correſpondente, pag. 199. col. 1. lin. 2 moralitas, lege moralis, pag. 214. lin. 37. appropiretate, lege appropiatæ. pagin. 214. col. 1. lin. 7. principijs, lege principij, pagin. 219. col. 2. §. Ratio ergo, lin. 2. diſpoſitio, lege diſpoſitio, pagin. 238. col. 2. §. Reſolutio, lin. 14. quid, lege quis, p. 247. col. 1. §. Cęterum. lin. 3. creata, lege increata, p. 250. col. 2. lin. 34. in hoc, lege in homine, p. 260 col. 2. lin. 5 cogitationem leg. cogitationum, p. 283. col. 4. §. Secundo, lin. 9. principalis, lege principale, p. 284. col. 1. lin 9. eleuata, lege eleuatum, p. 291. col. 2. lin. 26. grata, lege gratia, p. 311. col. 1. lin. 16. ſt, lege ſi, p. 315. col. 1 §. Opponunt tertio, lin. 40 virtualitati, lege virtuali, p 316. col. 2 § In hac re, lin. 25. Deus, lege Deum, p. 320. col. 2 § Reſol. lin. 2. non, dele p. 327. col. 1. li. 28. do, dele, p. 328. col. 2. §. Ex quo. lin. 13. voluntatem, lege bonitate, p. 337. col. 1. lin. 5. Caryodim, lege Carybdim, p. 340. col. 2. § Quare, lin. 4 verba, lege herba.

Liber hic demptis his mendis ſuo exemplari reſpondet; Matriti decimo tertio Menſis Octobris Anno 1668.

D. Ioannes de Ayala Manrique.

TASSA.

TAſſaron los Señores del Conſejo Real eſte libro intitulado, *De la tercera parte de Santo Thomas, en que ſe trata de todo lo de Incarnatione Verbi*, compueſto por el Padre Antonio de la Parra, à ſeis marauedis cada pliego, como mas largamente conſta de ſu original, deſpachado en el oficio de Diego de Vrueña Nauamuel. En la villa de Madrid à diez y ſiete dias del mes de Octubre de 1668. años.

Diego de Vrueña Nauamuel.

Digitized by Google

TRACTATVS, QVI IN HOC Tomo continentur, à quæſt. 1. vſque ad 25. tertiæ partis S. Thomæ, de Incarnatione Verbi Diuini.

TRactatus Primus. A quæſtione 1. vſque ad 6. incluſiuè, per ſex Diſputationes de Incarnatione, quantum ad eius ſubſtantiam.

Tractatus ſecundus. A quæſtione 7. & 8. per duas diſputationes, de Gratia Chriſti, tàm ſecundum quod eſt ſingularis homo, quàm ſecundum quod eſt Caput Eccleſiæ.

Tractatus tertius. A quæſtione 9. vſque ad 25. De omnibus Chriſto conuenientibus per diuerſas diſputationes.

Prima; De Scientia Chriſti; tàm in communi, quàm in particulari.

Secunda; De Potentia animæ Chriſti.

Tertia; De Defectibus Corporis, & animæ à Verbo aſſumptis, & de veritate, & falſitate propoſitionum, quæ circa hoc myſterium fieri ſolent.

Quarta; De Pertinentibus ad vnitatem in Chriſto, quantum ad eſſe, & quantum ad velle.

Quinta; De Merito Chriſti in ordine ad ſe, & in ordine ad alios, & de eius impeccabilitate.

Sexta; De Seruitute, Oratione, & Sacerdotio Chriſti.

Septima; De Adoptione, & Prædeſtinatione Chriſti.

Octaua; De Adoratione Chriſti, B. Virginis, Sanctorum, & Reliquiarum eorum.

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM

DOCTOR D.

DIDACVS ORTIZ, & MONCAYO

Olim in Diui Clementis Martyris Magno, & Nobili Muſæo Toga inſignitus; Liberalium Artium in Complutenſi Academia Cathedrarius, Sanctæ Eccleſiæ Cathedralis Segouienſis pro Concionibus Magiſtralis, nunc Sanctæ Cathedralis Eccleſiæ Carthaginenſis pro Sacræ Scripturæ interpretatione Lectoralis Canonicus.

PRO AVTHORIS, & DOCTRINÆ commendatione.

PRÆLOQVITVR

AD Super mirabilem Verbi Diuini Incarnationem præuenit Angelus, vt annunciaret Myſterium; Ergo ad Verbum de Incarnatione mirabiliter diſſerens præeat Angelicus Doctor approbans enunciatum. Sic enim docet cap. 1. contra Gentes: *Nomen ſimpliciter ſapientis illi ſolum reſeruatur, cuius conſideratio circa finem vniuerſi verſatur, qui etiam eſt vniuerſitatis principium. Vnde ſecundum Philoſophum ſapientis eſt cauſas altiſsimas conſiderare, fi-*

nis autem vltimus vniuſcuiuſque rei eſt, qui intenditur à Primo Authore, vel motore ipſius. Primus autem Author, & motor vniuerſi eſt intellectus; oportet igitur veritatem eſſe vltimum finem totius vniuerſi, & circa eius conſiderationem principaliter ſapientiam inſiſtere. Et ideo ad veritatis manifeſtationem Diuina ſapientia carne induta ſe veniſſe in mundum, teſtatur dicens Iob 18. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati. Ergo nomen ſimpliciter ſapientis Author huius libri meretur, dum cauſam altiſſimam intellectu perſpicaci conſiderando, demonſtrationem veritatis pro vltimo fine in vniuerſo opere intendendo, de Sapientia Incarnata teſtimonium Theologicum perhibere conatur. Quòd ſi conſequitur, ex his, quæ ſapientiæ ſtudium epitecta ſecum affert, diligentiſſime rimari, *Operacutè Lector*, oportet, Diuum Thomam rurſus auſculta in 2. cap. contra Gent. proſequentem ita. *Sapientiæ ſtudium eſt perfectius, ſublimius, & vtilius, & iucundius.* Rationes, quibus aſſumptum oſtẽdit, referam poſtea. Nunc ſic, prædicta quatuor attributa huius concatenationis diſcurſus continet. Ergo hoc non ſolum ſapientiæ, ſed ſapiens ſtudium nuncupari ſuppetit. Singula perpendere libet, licet, & expedit.

Conſideratis perfectionis vijs, tam ex ſubſtantia, quam ex circunſtantijs, huic Arcano probatur conformitas. Ab exteris initium ſumam; vt ab eis expeditus ad intima valeam. Primo, quoadmodum extrinſecum temporis; quia *perficere* ex ſignificationis munere, etiam eſt *promiſſa implere*, in hac autem excuſione, ſatis celeriter apparet adimpletio promiſſi, pro quo Authoris, & meam, in tomo de Sacramentis (optimè iam cunctis accepto) fidem opignoraui.

Secundò, quoadmodum intrinſicæ incluſionis; quia *perfectum*, ſecundum Diu. Thom. 1. part. quæſt. 4. art. 1. dicitur, *cui nihil deeſt ſecundum modum ſuæ perfectionis*, exponente Caietano, *de requiſitis.* At huic operi nihil de requiſitis ad Scholaſticas Diſputationes, qui præcipuus eſt eius ſcopus, deficit, quæ de Incarnationis myſterio circumuerti ſolent. *A quæſtione enim prima Tertiæ partis, vſque ad vigeſsimam quintam protenditur*; vndè incipiendo à propoſitione Dei, vt Incarnati concludit in ipſi Chriſto debita adoratione. Cætera autem ad *Genealogiam*, *Conceptio-*

tio-

Digitized by Google

tionem, *Natiuitatem*, *Vitam*, *Mortem*, *Reſurrectionem*, *Aſcenſionem*, *ſecundumque Aduentum Domini pertinentia*, non tam ad Scholaſticam, quam ad *Hiſtoricam*, indeque *Miſticam*, *Anagogicam*, & *Moralem* doctrinam videntur expectantia; ideoque hic plerumque ab Scholaſticis Diui Thomæ expoſitoribus prætermiſſa.

Tertiò ex parte limæ Artificis ſtructura euaſit perfecta, quia cum præclarè fuiſſet inchoata, extrema acceſſit manus, vt prodiret perpolita. Et hoc poſt longum examen, in celebrioribus ſubtiliſsimis Diſputationibus, argumentorũ igne lucidiciſsimè præhabitum, è quibus peritiorum trutina virorum, elogijſque approbatio reſultauit purior; nam vt ex Prouerb. cap. 27. conſtat, *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurũ, ſic probatur homo ore laudantis.*

Quartò, eſt perfectum quoad ſubſtantiam; quia ſi iuxta Magiſtrum Angelicum, vt ſupra (en vna ex rationibus propoſitum inducentibus) *perfectius eſt ſtudium ſapientiæ, quia in quantum homo ſapientiæ dat ſe, in tantum veræ Beatitudinis, iam aliquam partem habet, vnde ſapiens dicit, Beatus vir, qui in ſapientia morabitur* Eccleſiaſtici 14. Qui huic operi operam nauauerit, fœlicitatem intellectui pro hoc ſtatu poſsibilem acquiret, non ſolum ex parte obiecti, in quo Sapientia Incarnata proponitur, ſed ex parte modi, quo diſputatur, quia fœlicitas in termino quietis nititur; in orationibus autem, & enunciationibus horum Tractatuum, vtpote perfectum ſenſum, non ſolum in animo audientis, quinimo intelligentis pro conformitate ad obiectum generantibus, intus legens quieſcit intellectus, quoniam iſte hic, vel veritatem clarè demonſtratiuè adipiſcitur, vel quia, ſi in opinione manere videtur, velut in ſtatera libratum, fideliter iudicium ad præponderantem lancem inclinatur, quietam ſic fœlicitatis ſpheram pro captu excogitabili venando.

Quintò, quia ſi perfectio adeſt circulo, *eſt enim circulus* (ſecundum Philoſophum) *omnium figurarum perfectiſsima*, hæc diſciplina eſt circularis, non quidem circulo vitioſo vtens, ſed veritatis probatorio, à primo, vſque ad vltimum, & ab vltimo, vſque ad primum, per reductionem effectuum ad ſuas cauſas, & deductarum concluſionum ad ſua principia, quatenus pro hoc veneran-

ran-

Digitized by Google

randæ Catholicæ Regulæ ſtatu fas eſt, verſando, architectonicè rationibus, & non ſubalternatim Authoritatibus præcisè procedendo, præter eas, quibus ſecurè, & gloriosè innitimur *Captiuantes intellectum in obſequium Fidei, attingit ergo*, ſapientiæ ſequens normam, *à fine, vſque ad finem*. Cumque circulus infinitudinis, ac æternitatis ſit indicium, ex eo quod, vt principio, & fine careat, principium cum fine coniungat, ideoque Deo competens, qui eſt *Alpha, & Omega, principium, & finis*, æternam etiam infinitam fœlicitatem in Incarnatione Verbum inuoluens, hominis naturam, qui in infimo gradu, ſeu intellectionis inferiori principio collocatur, cum Verbo Diuino, quod ſupra ſupremum gradum, vt ſumma ratio, intellectuumque finis eſt, aduniendo; ſimiliter Noſter Author, cum de finibus Verbi Incarnati effectibus, hoc eſt de *Sacramentis vnicum tomum elucubraſſet*, iam ad fundamentum, cauſam, principiumque horum oſtendendum, de ipſo, nempe, Chriſto, Tractatum ediſſerit. In quo, vt *conueniunt rebus nomina ſæpe ſuis*, ſi *Parra* cognominatur, *ex fructibuſque Arbor cognoſcitur*, Sacramentorum opimos fructus cum exhibuiſſet, iam horum fructuum Arborem, Chriſtum videlicet, qui de ſe inquit, *Ego ſum vitis vera*, radicitus oſtendit, vt fructus cum ſemine, & radice comparet, ſicque à fine, vſque ad initium circulum perfectionis in gyrum adæquet. Quamuis enim ordo doctrinæ prius de Incarnatione, quam de Sacramentis in publicam lucem edere exigebat quæſtiones, quod tamen in intentione primum, in executione progreſſum fuit vltimum, vt licet fortuito accidiſſe videatur, non abſque myſterio hic circulus formaretur, è cuius puncto centrico lineæ verſus circunferentiam protrahuntur æquales.

Sextò, quia ſi in Salomonis Templo duæ Columnæ in Porticu ſtatutæ culmen perfectionis fuere nactæ ea ratione, qua textus ſequentia exprimit; lib. 3. Reg. cap. 7. *Et ſuper capita columnarum opus in modum lilij poſuit, perfectumque eſt opus columnarum:* Vbi rogabam, cur de opere perfectio affirmatur, immediate poſtquam ſuper columnarum capita opus in modum lilij poneretur? Eſt ne, quia lilium pro coronide perfectionem arguit, eo quod ex proprijs, & abintùs, non ex ab alio præſtitis gloriam induit? Iuxta illud Diui Matth. 6. in cap. *Conſiderate lilia agri, quomodo*

modo creſcunt, non laborant, neque nent; dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut vnum ex iſtis: Bene quidem, ſed aliud etiam cogitaui: nam quoad hoc idem fari poterat de Roſa, Caryophilo, alio vè flore, ac de lilio. Quilibet enim flos non ex alieno fuco, ſed ex proprio innato ornatur filamento, ad cuius ſplendorem, nec Regiæ Salomonis veſtes, quibus in maiori triumpho decoratus florebat, competentiam formarũt, vtpotè de ſupertextilibus extraneis, arte, non natura confectis aduenerunt. Pro quo Diu. Chriſoſt. ſic fatur emphaticè, *quantum veritatis ad mendacium, tantum veſtimentorum, ac florum differentia*. At hoc ſpeciale inter cæteros flores lilio conuenit, quia cum candidè in Cœlum creſcat, foliorum capita, rurſus in terram inclinat (ſcio, violæ, folia etiam extremitates in tellurem, aliquantum replicare, ſed non in altum, vt lilium, efferri.) De lilio enim (ait Plinius) *flos eſt eximio candore, folijs foris ſtriatis, & ab anguſtijs in latitudinem, paulatim ſe laxantibus, reſupinis per ambitum labris*; quaſi labris plantam oſculare cõnaretur, cultum præſtando terræ, quæ coli etiam dicitur, à profunda humilitate vallium edoctus, è quibus vernat fœcundè, fragranter, eminenter productus. Cuius ſpontanea flexio humilitatis, & modeſtiæ præſefert ſymbolum.

Fateor nunc, Salomonem Sapientiſsimum, vt à Deo illuminatum, extitiſſe, verum ſcientia ex ſe inflatus, ſuimet oblitus, non vnius veri Dei cultui erectum caput ex humiliata ſui recognitione perſeuerantèr reflexit, lilio vtique difformis, indeque, *nec Salomon in omni gloria*, ſapientię, videlicèt, ſuæ *coopertus eſt*, debito ſuo Authori obſequio, *ſicut vnum ex iſtis*. Ex quo nunc conijcere licèt rationem, qua opus columnarum perfectum aſſeritur, quia, ſcilicèt, ſuper eorum capita diademata in modum lilij erant collocata, quaſi illud columnarum eleuatum opus non ex ſuperbia ſupercilia extolleret, ſed ex reuerentia Diuino Templi Oraculo caput, vt lilium, inclinaret. Vndè, tanquam ſuper Herculeas columnas, inſcribi poterat, *perfectionis non plus vltra*.

Quid iam per duas columnas in Templi Porticu intelligam ſtatutas, niſi duas naturas, Diuinam, nempè, & Humanam in vnius Chriſti Hypoſtaſi ſuppoſitatas? De quibus proferri valet, *non plus vltra Myſterij*. *Subſecuta enim ſunt extenſio Incarnationis*.

Et

Et quid per opus in modum lilij ſupra eas poſitum, niſi illud ex ore Vatis pro Domino pronunciatum, *Ego flos campi, & lilium conuallium*? En à conualium ſchola Ieſus *Nazareth*, id eſt floridus, humilitatis Magiſter prodit Chriſtus; quia, nimirum, lilij obſeruando peculiarem modum, candore lucis in cœruleum Paſſionis nubibus obſcurum colorem verſo, humiliationis vſque ad mortem nobis, altiſsimus cum ſit Rex, dereliquit exemplũ, qua *inclinato capite emiſit ſpiritum*.

Ad cuius imitationem, Noſter Opifex verſus mentalem laborem de templo viuo, Chriſto, exequendum, circa opus (inquam) de Incarnatione, duas etiam altas à fundaminibus erexit columnas, rationum vnam, authoritatum alteram, in quarum verticē pro coronide opus in modum lilij ſuperponit; non ſolum, quia ex peculiaribus, & non ab alio mutuatis, ſed proprio, iuxta tamen Angelicam mentem, elaboratis Marte, ſplendorem præmonſtrat, ſed quia, quamuis vtrinque ingenio ad Cœli culmen pertingat, imò penetret, caput perinde, ex humilitatis, & modeſtiæ candida conditione lilium imitando, ſubmittit; indeque inter cæteros florentes huius ætatis Scriptores ſplendet; quod experimento patet, cum, ſicut profeſsionis, etiam, & ſcientiæ habitu *Minorem* ſe exiſtimet, ſemper Doctori Angelico, vt Theologiæ Oraculo, venerationis ergo caput proprij ſternendo dictaminis. Pro cuius doctrina, humilitate, & mortificatione dici poteſt: *Labia eius lilia diſtillantia myrrham primam.*

Sublimius eſt præterea ſtudium iſtud. Primo, quia *ſublime, idem eſt ac illime, quaſi ſupra limum.* Vndè mirabar, cum Adamus ex limo terræ fuiſſet formatus, iuxta illud Gen. c. 2. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*, cur proferat ſacer textus, *& factus eſt homo in animam viuentem*? Quamuis enim ſpiraculo vitæ potiretur, vt in cap. 4. dicitur: *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*, homo tamen non ſolum conſtat anima, ſed corpore; imò, cum *denominatio ſequatur debiliorem partem*, potiùs videbatur dicendum: *Factus eſt homo in corpus viuens*, quod imperfectius eſt, quam in animam, quæ perfectior. Vel, vt comprehenderetur vtrumque, definitione ampliùs explicaretur phyſica, ſi diceret: *Factus eſt homo in compoſitum ex corpore, & anima rationali.* Cur ergo in *animam* viuentem, tantum? Et vrgebat propoſitum,

ſi

ſi recordarer, cum Verbum Humanitatem aſſumpſit, dictum eſſe ab Euangeliſta, cap. 1. *& Verbum caro factum eſt.* Si ergo Verbum verè fuit factus homo, cur non dicitur à Ioanne, *& Verbum factum eſt in animam viuentem*, ſicut de homine hoc affirmatur à Moyſe? Vel *Verbum factum eſt conſtans corpore, & anima intellectiua*, vt ſic propriè exprimeretur humanitas aſſumpta? Sed ſolum auditur, *& Verbum caro, &c.*

Ad quod ſic reſpondere occurrebat. Proprietas hominis eſt, ex limo cum ſit, in ſublime ſe extollere, corrupit enim caro ſuperbia viam ſuam, lata, & elata eo, quod ambitionis aure auſcultauit, *Eritis ſicut Dij.* Vndè Sacer Encomiaſtes Moſes, quaſi ſtylum hominis homini appropriando, ex duplici eius parte phyſica perfectiorem ſolum exprimēdo, protulit, *Factus eſt homo in animam viuentem*; tanquam ſi arrogantiam eius ſic ſignificans carnem ex limo in animam prædicaret gloriantem. Pro quo accipe Tertulianum apprimè proſequentem, *Perſequar* (inquit) *propoſitum, ſi tamen tantum poſſum carni vindicare, quantum contulit ille, qui eam fecit iam tunc gloriantem.* Et infra: *Oblitteratus eſt limus in carnem, cum factus eſt homo in animam viuentem.* At è conuerſo Diſcipulus dilectus, qui ex recubitu ſupra pectus Domini propriam eius conditionem ex ſinu poterat inſinuare, cuius eſt id, quod maius abſcondere, quod minus detegere (teſtificentur Arcana Sacramenta) vt humilitatem Dei, *qui ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens*, innueret, imperfectiorem hominis partem ſolum explicuit, qua denominatione ex Synedoche totū ſic verificauit, *& Verbum caro factum eſt.* Vndè cum aſſumptio humanitatis ad Verbum *humanificatio, ſeu humanatio*, ex comprehenſione vtriuſque partis hominis videretur dicenda; *Incarnatio* potiùs ex debiliori fuit appellata. Sic D. Greg. magnitudo Epiſt. 67. libr. 9. ait: *Verbum carnem dicimus factum, non immutando, quod erat, ſed ſuſcipiendo, quod non erat, Incarnationis enim ſuæ myſterio Vnigenitus Patris noſtra auxit, ſua non minuit.* Huc ſapit D. Ambroſij Ambroſia in cap. 2. Prior. ad Car. *Verbum caro factum eſt, id eſt Dei Filius Incarnatus homo factus eſt.*

Iam nunc Noſtri doctrinā Expoſitoris vere fateberis ſublimē, non eo modo, quo homo ex humo arrogantèr elatus de ſuperioritate ſe iactare ſolet, inferioritatem ſubticendo, ſed modo, quo

Deus,

Digitized by Google

Deus,ſublimis cum ſit,exinanitur,& vt propitior,humanior oſtẽditur,quod inferius eſt,æſtimando; *Minoritatem* enim Nomine, re,& opere magnifacit,vt ex ore domini audiat, *Qui autem Minor eſt, Maior eſt.*

Secundò,nam *ſublimius*, vt ait Angelus Aquinas, *Eſt ſapientiæ ſtudium,quia per ipſum homo ad diuinam ſimilitudinem præcipuè accedit, quæ omnia in ſapientia fecit, vndè, quia ſimilitudo cauſa eſt dilectionis, ſapientiæ ſtudium præcipuè Deo per amicitiam coniungit, propter quod Sapientiæ 7. dicitur, quod ſapientia eſt infinitus Theſaurus hominibus, quo, qui vſi ſunt, facti ſunt participes amicitiæ Dei.* At hoc opus non ſolum, vt ſupra indigitatum, ex parte obiecti id habet,in quo ipſiſsima ſimilitudo Dei,Verbum,ſcilicèt,Æternũ, Deitatis ſigillum per Incarnationem in vera ſpecie ſe homini aſſimilat, vt per impreſſam imaginem ſic homo Deo aſsimiletur, & in eo infinitus etiam bonorum Theſaurus reconditur, cuius particeps fit homo, vt per ſimilitudinem, & communicationem amicabilis Deo reddatur, ſed etiam ex parte modi diſquirendi hoc paritèr inuenitur.

Tùm, quia ſublimitas diuinorum conceptuum ſtyli claritate facta humanior occaſionem præbet intelligentibus tam alta eruditione ſigillatis, vt Deo in linea intelligibili, qua naturalitèr dabile eſt, fiant ſimiles; ex eademque intentionali ſimilitudine Authori amicabiles,aliàs excuſatione carebunt, à ſimili deducto argumento ex Gentium Apoſtolo in Epiſt. ad Rom. c. 1. num. 29. circa Phyloſophos peritos affirmante: *Quia quod notum eſt Dei manifeſtum eſt in illis, Deus enim in illis manifeſtauit: ita vt ſint inexcuſabiles, quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis: qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium.*

Tùm quia,ſi infinitus eſt Theſaurus ærario,ex quo,cum ſæpiùs hauriatur, numquam exhauritur, ſed ſemper exhibet aliquid de nouo hauriendum,tam profundè litterarum diuitiæ *in hoc Incarnationis reſerato Arcano* reperiuntur, vt quicumque ſemel legat, auidè depromat,ſi iterum acceſſerit,ditior exeat, tanquam, è pe-

la-

Digitized by Google

lago immenſo hydropicè bibens, ſemper hauriens, & nunquam exhauriens; vndè quæcumque eius clauſula adhuc lectura repetita admirationem nouam continuò parit, intellectum denuò fouet, amorif auet. Quod ſimile de Angelico Præceptore aſſeruit eruditiſsimus Ferrarienſis in Epiſtola dedicatoria ad Sanctiſsimum Patrem Clementem Septimum Pontificem Maximum ſupra Commentarios in Summa D. Thomæ contra Gent. *Peream* (inquit) *ſi vnquam, vel neglectam ab eo ſchedulam legerim, quæ nō me in eius admirationem pertraxerit. Nunquam enim Thomam Aquinatem conueni, quin abierim doctior, eius vè amantior.*

Tertiò, quia ſi ſublimior vox in altum acutiſsimè tendens auribus non eſt ob ſubtilitatem facilè perceptibilis, donec vox ea incorporetur, vt ſonet grauitèr, & clariùs audiatur. Itaque Verbum Diuinum ex corde Patris eructatum ſecundum illud, Pſalm. 44. *Eructauit cor meum Verbum bonum*, altiſsimè ſonabat tono ſubtiliſsimæ vocis ex ore prodeuntis, iuxta illud Eccleſiaſtici c. 24. numer. 5. *Ego ex ore Altiſsimi prodiui*, de illa etiam Ioanne prorumpente, cap. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deū, & Deus erat Verbum.* En Verbi ſonum ſublimem, quem quamuis emphaticè audierit Ezechiel 1. c. num. 24. dicens: *Et audiebam ſonum, quaſi ſonum ſublimis Dei*, ab auribus tamen intellectus noſtri non percipiebatur, donec hæc vox, ſeu verbum Altiſſimi corpus aſſumpſit, aſſerente, vt ſupra, eodem Ioanne, *Et Verbum caro factum eſt*, vt hæc vox in corda introduceretur, ſicut, *fides ex auditu*, cuius harmonia gloriam nobis attulit, ſicque *habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre.* Auguſtiſsimi Auguſtini, lib. 11. Confeſſ. c. 8. pro voce incarnata conceptum egregiè confirmatum auſculta: *Ipſum eſt Verbum tuum, quod, & principium, qui, & loquitur nobis. Sic enim in Euangelio per carnem ait, & hoc inſonuit foris auribus hominum, vt crederetur, & inueniretur in æterna veritate, vbi omnes diſcipulos bonus, & ſolus Magiſter docet.*

Sonabant ſic Authoris noſtri, fama per æthera volanti, ſubtiliſſimæ ſententiæ, acutiſsimæ opiniones, ideæ eleuatiſsimę, vox eius altiſsimè intonabat, & vix, qui eam adæquatè perciperet, erat, *præcipuè cum ipſe præambulis indicet, quod alta mente conſiderare docet*, vndè varij varia gloſſabant iuxta illud Exodi 32. audiens autem

Digitized by Google

tem Ioſue tumultum populi vociferantis dixit ad Moyſem· *Vlulatus pugnæ auditur in caſtris,qui reſpondit,non eſt clamor ad hortantium ad pugnam,neque vociferatio compellentium ad fugam ,ſed vocem cantantium ego audio.* O Bonè Deus , in quanta ſe diſtendit ex ſuſpicione circa diſtans adiuta opinio! Quod vni eſt muſica conſona,alij eſt vociferans pugna; quid mirum , hoc tam oppoſitum ex monſtruoſo vulgi tumultu exoriatur? Altum muſicæ ſapientiæ hæc armonioſa doctrina tenebat, verum apud plures ad pugnam Theologicam exhortabat, aliquibus inaudita , alijs non benè auſcultata, & quamuis manuſcripta à paucis viſa , vndè non ſatis manebat percepta; vt verò vox aliàs acutiſsima ab omnibus exaudiri, & percipi queat , corpus iam , quamuis non volumine graue,in hoc aſſumpſit vnico Tomo de Incarnatione,vt Hiſpanè poſſem vertere, *ſutil voz, tomò cuerpo, ſerà oida.*

Vtilius eſt vltra,hoc doctrinæ exercitium. Primò , quia *ſi vtile eſt, quod vſui eſt accommodatum*,quæ ſcholarum vſui , quam hæc, accommodatior doctrina? Præcipuè in Complutenſi Academia Supero Sacræ Theologiæ Emporio pro actu de Incarnationis myſterio,qui ex octo propugnandis quartus eſt ad Theologicam Doctoratus lauream merendam , & Bacchalaureatus gradum format,ſubeundo. Quia ſubtiliſsimè,& formaliſsimè,vt ibi diſcutitur,clariſsimè,& breuiſsimè,vt in Methodo apparet , quæſtionum reſolutio in ea prælucet.

Secundò, ſi vtile in qualibet linea *eſt medium conducens ad finem illius lineæ*, Chriſtus Dominus ſimul medium eſt , & finis vitæ ſpiritualis, quæ in cognitione nititur iuxta illud: *Hæc eſt vita æterna,vt cognoſcant te Deũ*, Ioan. 17. Medium eſt etenim , quia mediator,vt conſtat ex illo Pauli 1.ad Thimot. c. 2. nu. 5. *vnus, & mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus.* Finis etiam eſt ſecundum illud eiuſdem Apoſtoli ad Rom. c. 10. num. 4. *finis enim legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti.* Principium quoque æternus Filius cum ſit,per quem omnia facta ſunt,repetere,ſi vis, potes ex principio,& fine coniunctis circulum perfectionis non inutile attributo vtilitatis. Similitèr Magiſtri Noſtri diſciplina medium eſt,& finis diſcurſus. Medium , quia ex arte differendi, ſciendi præbet modum imbibitum. Finis,quia hæ illius litteræ intellectus eis deditos,ſapientes formãt, & eruditos. Vndè ab appli-

ca-

Digitized by Google

catione voluntatis dependet, vt ſic ſuum quiſque intellectum bonificet, ita interpretando textum illum: *Intellectus bonus omnibus ſacientibus eum* Pſalm. 110.

Tertiò, quia ſi vtile *eſt, quod fructuoſum, ſeu fructiferum eſt*, vt fructuoſitatem huius doctrinæ legendo carpas, proportionis fundamentum, ab ipſa Diuini Verbi Incarnatione, opus eſt, ſummas. Circa quam ait Diuus Iacobus 2. in cap. ſuæ Canonicæ Epiſtolæ. *Propter quod abijcientes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ in manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras.* Quid eſt (interrogo) *inſitum Verbum?* Huc, ſi meminiſti, ex præfatione ad Tomum de Sacramentis te vocaui. An *Verbo* inſitio etiam competit, vt Arbori? Ergo ad intelligentiam huius modum inſitionis recole, ex ſignificationis proprietate. *Inſero, de arbore dicitur, quando ſcilicet ſciſſo trunco ſurculus fœcundæ arboris inſeritur in ſterili.* Quod pulchrius probatur ex D. Clem. Alex. lib. 6. Stromat. *Inſitio enim eas, quæ erant inutiles, facit generoſas, & quæ erant ſteriles, cogit eſſe fertiles arte agriculturæ, & ſcientia, quæ eſt ex cognitione.*

En iam, quomodo Verbo Diuino rectè congruat inſeri in humana natura. Eſto, ex parte naturæ, non ex parte Verbi, fit immutatio. Erat enim natura humana ſterilis, cuius *maledicta terra in opere ſuo*, poſt culpam primæuam Adami *ſpinas, & tribulos germinabat ei*, at *in principio erat Verbum*, tanquam ſurculus, & conceptus fœcundiſsimi intellectus Patris, vtpotè *omnia portans Verbo virtutis ſuæ.* Ergo proportionate Verbum eſt, quod in natura humana inſeritur, vt fructus ferax ex hac inſitione, ſeu vnione Verbo Diuino attribuatur. Et vt ſpecialius ex natura inſitionis ad arborem, quæ Verbo proprius per translationem conuenit, deſcendamus, Chriſtũ de ſe fantem auſcultemus, Ioan. 15. *Ego ſum vitis vera.* Attende pronomen *ego* ad perſonam, ſeu ſuppoſitum Diuinum in Chriſto reſpicere, nec abſque myſterij proportione. *Vitis*, namque (inquit Col. de arboribus, cap. 8.) *inſita fructuoſior eſt, quam, quæ inſita non eſt, quamque cum ramis, radicibuſque ſeritur.* Vnde neque etiam abſque ænigmatis alluſione Chriſtum Dominum (apud Ioannem vt ſupra) videtur addidiſſe, *Et Pater meus Agricola eſt*, vt ſic oſtenderet, Patrem tanquam Agricolam peritum artem inſitionis benè noſſe, vt Verbum Di-

Digitized by Google

uinum naturæ humanæ fœliciter valuerit inſerere; vt exinde fructuoſior nobis Vitis foret Diuina, Verbum nempè æternum per inſertionem mundo datum. Hæc Diuus Ephrem in Marg. Pret. nos erudijt. *Inſeruit naturæ Diuinitatem, & tanquam in rimam quandam, & ſciſſuram ſuum incluſit Filium; vt qualitatem participans, naturam redderet communem in aſſumptione hominis.*

Hinc ad Noſtrum Præceptorem adeamus, in cuius cognomine *Parra* ſimilem proprietatem adinuenimus. Eius enim diſciplina ſurculus eſt fœcundiſsimæ intellectiuæ Vitis, ideoque ſi in intellectu alterius, quamuis ſterili, abiecta immunditia detractionis, abundantiaque malitiæ ſecata, quæ inſitioni obſunt, *in manſuetudine* inſeratur, fructuoſior à diſcentis diſcurſu percipietur.

Quarto vtilis eſt, adhuc ex metaphora palmitum Vitis, ſeu *Parilemæ* doctrina ad explicationem Incarnationis fauſto Vaticinio formandam; ad cuius aptitudinem colligendam pro Authore Præpoſito, cuiuſdam etiam Præpoſiti lege caſum, apud Gen. cap. 40. Sacrum Textum ſic habentem. *Narrauit prior, Præpoſitus pincernarum ſomnium, ſuum. Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, creſcere paulatim in gemmas, & poſt flores vbas matureſcere: calicemque Pharaonis in manu mea: tuli ergo vbas, & expreſſi in calicem, quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni. Reſpondit Ioſeph, hæc eſt interpretatio ſomnij, tres propagines, tres adhuc dies ſunt: poſt quos recordabitur Pharao miniſterij tui, & reſtituet te in gradum priſtinum, tantum memento mei, cum bene tibi fuerit.* En vbi per tres vitis propagines, tres Ioſeph intellexit dies, & per vbarum maturarum expreſsionem reductionem Præpoſiti in priſtinum gradum.

Nunc, ſi liceat, per tres propagines accommodatitiè intelligam tres huius magnæ Vitis, ſeu *Parilemæ* palmites, *tres*, inquā, *circa Incarnationis myſterium Tractatus. Primus agens de Incarnatione quoad ſubſtantiam à quæſtione prima vſque ad ſextam. Secundus eſt de gratia animæ Chriſti à quæſtione ſeptima vſque ad octauam diſquirens. Tertius eſt de Scientia Chriſti per diuerſas diſputationes à quæſtione nona vſque ad vigeſimam quintam incluſiuè pertractans.* Quæ quidem tres Tractauum propagines ingenij virtute in ſpecierum impreſſarum gemmas creſcunt vbertim, &

poſt

Digitized by Google

poſt flores intelligentiæ maturæ apparent vbæ iudicij, vt ſpeciebus earum expreſsis in calice capacitatis, fœcundum, ſalubre ſapientiæ propinetur poculum intellectui diſcentis. Poſt quos tres palmites, aut Tractatus (ò Lector) hoc ſapientiæ ſtudium reducet te in gradum Doctoris primum. Lege, ſtude, experire, & *tantum memento mei, cum bene tibi fuerit.* Et ad hunc ſenſum reduc illud. *Fœcundi calices, quem non fecere diſertum?*

Nec ſit tibi nouum ſub ſomnij ſpecie iſtius ſapientiæ ſtudij progreſſum augurari; quia velut ſomnium eſt huius maior ſapientia ſæculi. Teſtimonium præbeat maior ſapiens, Salomon ſcilicet, cui cùm à Deo infuſa fuiſſet ſapientia ſublimior, aiente Sacro Textu, lib. 3. Reg. cap. 3. à num. 11. *Quia poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendum iudicium, ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens, & intelligens, in tantum vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit*; proſequitur poſtea, num. 15. *Igitur euigilauit Salomon, & intellexit, quod eſſet ſomnium.* Et profectò Salomon dormiebat, cum Dominus ei, vt ſibi videbatur, ſecundum optionem ſuam, ſcientiam communicabat, ſiquidem in eodem cap. ſuprà, verſ. 5. ad enarrationem huius Sacræ Hiſtoriæ incipit Textus, *Apparuit autem Dominus Salomoni per ſomnium nocte dicens, poſtula, quod vis, vt dem tibi.* Si igitur Salomon ſapientior redditur dormiens, & cùm euigilat, quod ſomnium ſit eius ſapientia, cogitat, quid mirum ſub ſomnij ſpecie ſapientiam horum Tractatuum figuraſſe? Cum, quamuis hæc doctrina verè ſit ſapientia euigilatis ſenſibus, & potentijs acquiſita, ex modeſtia Authoris Salomonē hic imitantis, velut ſomnium, ſibi videntur ſuæ cogitationes. Forſam D. Greg. Magni innixus doctrina, qui in 1. Reg. cap. 3. inquit, *Dormiat, vt qui veritatis lucem inuenire deſiderat, per quietem caueat, vt ad ſe errorum tenebras non admittat.*

Quinto, nam ſi *vtilius eſt*, vt ait Diu. Thom. vt ſupra, *ſapientiæ ſtudium, quia per ipſam ſapientiam ad immortalitatis Regnum peruenitur, concupiſcentia autem ſapientiæ deducet ad Regnum Dei perpetuum, Sapientiæ 6.* Hec de Sapientia Incarnata ſtudium non ſolum ex parte doctrinæ ad Regnum Dei perpetuum conducet ſtudentem, ſed ad immortale Regnum famæ deducet Authoris gloriam, & nomen. Pro vtroque in ſequentia intende. Fabulantur

Digitized by Google

tur (apud Mithologiam Natalis Comitis lib. 5. num. 30.) Dyoniſium (hic putabatur Deus, cui Vitis Sacra) labore feſſum itineris ſe quieti ſub arborem quandam dediſſe, atque Amphisbænam (*id enim nomen Viperæ vtrinque caput habenti nomen eſt, vt ait Nicander in Theriacis*) eius tibiam momordiſſe, tunc excitatum Dyoniſium, illam palmite vitis, qui forté propinquus adiacebat, occidiſſe. Nam, vt ſenſit Demetrius Clorus, *id animal, neque ligno, neque vlla re alia; niſi ligno vitis facilè poteſt interfici*. Circa quod de ipſo Dyoniſio cecinit Ouidius lib. 4. Metamorph.

Ipſe racemiſeris frontem circumdatus vbis,
Pampineis agitat velatam frondibus haſtam,
Quæ circa Tigres, ſimulacraque inania Lyncum,
Pictarumque iacent fera corpora Pantherarum.

Quid per Amphisbænam feram duplici capite monſtruoſam nunc intelligere valeam, niſi ſerpentem Diabolum vtrinque ſuperbia elatum caput habens Viperinum? Caput enim cum eſſet Angelorũ, Deo caput ſimile etiam ambiuit, cum blatijt, Iſa. 14. *Super aſtra Dei exaltabo Solium meum. Similis ero Altiſsimo*. Cumque ad id genus ſerpentum diruendum ſolum lignum vitis ſit aptum; ideò Chriſtus Dominus, vt Diabolicam Amphisbænam armis proprijs vinceret, nomen, & proprietatem vitis metaphoricè aſſumpſit, cũ dixit, *Ego ſum vitis*. Ioa. 15. Qua glorioſa conſecuta victoria, plana ad vitam veritatis immortalem patuit via, cum etiam Chriſtus de ſe aſſerat. Ioa. 14. *Ego ſum via, veritas, & vita*. Iam pro Noſtro Authore victoriam quoque canamus, nam cum Amphisbæna etiam ſit diabolica inuidia vtrumque imaginarium ſuperbiæ caput ſupra ſuum, & cæterorum capita extollens, deſtruenda aptiſsimè venit propaginibus doctrinæ vitis, ſeu *Parilemæ*, vt viperina bis capitata inuidia de medio ſublata Nomini huius Magiſtri, & Diſcipulorum eius, fama inſit æterna. Ad tantum vtilis eſt hæc doctrina, quamuis ab Authore inutilis reputata. Diui Bern. ſententiam libans, qui in ſerm. 4. de aduentu Domini, hæc habet. *Propterea ſapiens veretur omnia opera ſua, ſcrutatur, diſcutit, & diiudicat vniuerſa, honorat quippè veritatem, qui & ſe, & ſua omnia in eo ſtatu, quo veritas habet, & cognoſcit veraciter,*

citer, & ſimiliter confitetur ſecundum illud Lucæ, cap. 17. cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſerui inutiles ſumus.

Iucundius tamen eſt hoc opus. Primo, nam ſi dicitur *iucundum* (teſte Cicerone 2. de finib.) *à iuuando, propterea, quod, quæ iucunda ſunt, mentem, & ſenſus iuuant.* Hanc doctrinam ſenſibus, & menti iuuamen inducere, ſolum, qui non legerit, audebit negare. Senſus iuuat, quia in applicatione, non difficultatem, immo diuerſionem ſentit ſenſus; cum, breuitate, varietate, claritate, & diſpoſitione in hoc opere pulcherrime vigeat ſtylus. Mentem iuuat, quia eam ſingularibus ſpeciebus confortat, & ſenſus etiam in mente habet, quibus delectet. Nam per varios genuinos ſenſus, res, & Authoritates explicat viuacius. Eſt quidem duplex delectatio, vna, quæ per ſenſus ingreditur, & ad mentem illabitur. Alia, quæ in mentem principium ſummit, poſteaq; reuertendo perfuſe ad ſenſus deſcendit. Prima in delectatione incipit, & plerumque in triſtitiam deſinit. Secunda ſecuritatem, vtpote permanentiam habet, quamuis ad eam aliqua vigilia præceſſerit, *ſed labor fit mox ſapor.*

Pingitur voluptatem deliciarum Deam ſtatua bifronte Romæ veneratam, cuius vna facies, hilaris, pulchra, placida. Alia vero ex diametro ad hanc oppoſita, triſtis, fœda, ingrata. Cupienti autem ex voto ſuo, ſeu curioſitate in imagine voluptatem videre, dabatur optio; an vellet prius vultum pulchrum, an fœdum inſpicere? Si bellitudinem prius intueri ſelegerat, ea facies ei primo monſtrabatur, ſed cum celeri motu ſtatua verteretur fœda antea à tergo facies ſtrata, poſtea oculis horride permanebat obiecta. Si vero è contra, è contra, hoc eſt, ſi fœditas ſelecta velociter anteibat, pulchritudo ſubſequens gratiſsimè permanebat.

Ecce idoneum Hyeroglyphicum mentis, ſeu ſenſus deliciarum. Placent à prima facie ſenſiles voluptates, ſed quam celeriter tranſeuntes, in amaros vertuntur fines! Diſplicent primo intuitu vigiliæ, ſtudia, labores, ſed ò quam gratam faciem oſtendunt poſtea virtutes! Vtrumque erudite monſtrauit Gentium Apoſt. ad Galat. 6. *Qui ſeminat in carne, de carne metet corruptionem, qui autem ſeminat in ſpiritu, metet vitam æternam.* Et Dauid prædixerat Pſalm. 125. *Qui ſeminant in lachrimis, in exultatione metent.*

Fateor naturaliter *nil eſſe in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu*, vnde ad intellectum ſcientia inſtruendum applicationem ſenſuum, & potentiarum conducentium prærequiri, occupatio autem hæc laborioſa ſentitur, nam vt ex Eccleſiaſte, cap. 1. numer. 18. habetur. *Qui addit ſcientiam, addit & laborem*, qui præcipuè præcedere debet ad acuendum ingenium huius diſciplinæ acumina pertacturum. Verum ex labore iſto iucunda ſequitur exultatio. Eſt enim ſpecies ſemen obiecti, vnde qui labore ſenſuum notitias in intellectu ſeminat obiectorum, in exultatione metet fructus veritatum. Bifarij aſpectus, & ſtudij labore, & conceptuũ pulchritudine eſt hæc doctrina, at non fallax, non ſimulatã, non duplex, non doloſa, nec enim hic labor, ſeu liber ingenium poterit fallere.

Præterquam quod ſic Author hoc opus elaborauit, vt parum, vel nil laboris ſtudentibus dereliquerit. Itaque legens hos flores, & fructus, erit veluti apes, quæ non ſolum poſt laborem perceptura eſt dulcedinem, ſed adhuc dum fabricat ſimul, & ſemel ſuauitatem in ſucco prægustat, fructumque cum initio, tum corporis, tum temporis, tum loci breuitate conciliat iuxta illud Eccleſiaſtici cap. 11. nu. 3. *Breuis in volatilibus eſt apes, & initium dulcoris habet fructus illius.*

Secundo, quia, ſi, vt ait Angelicus Præceptor vt ſupra, *Iucundius eſt ſtudium ſapientiæ, quia non habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam, & gaudium:* In primis nil amaritudinis in his ſcriptis inuenies, cum gratus ſit Author adhuc in Authoribus oppoſitæ ſententiæ citandis, quod præcipuè erat conueniens operi exacto de Myſterio Incarnationis. Nam non fruſtra Verbum Incarnatum iuxta Iordanis ripam vidit ſupra ſe deſcendentem columbam, vt ex ſacra luce Diui Lucæ 2. cap. Euangelicæ Hiſtoriæ conſtat: *Deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie, ſicut columba in ipſum.* Roganti autem, cur hanc potius inter cæteras Spiritus Purus elegerit auem, vt aligeram, candidam, ſuper caput Chriſti coronam imponeret? Non abſque myſterio Doctor reſpondebit Aquinas, tres inter alias proprietates columbæ ſignando, 3. part. quæſt. 39. art. 6. ad 3. vbi ſic habet. *Columba meliora grana eligit, quod pertinet ad donum ſcientiæ, qua Sancti ſententias ſanas, quibus paſcantur, eligunt:*

Digitized by Google

gunt: item columba non lacerat roſtro, quod pertinet ad donum intellectus, quo Sancti bonas ſcientias lacerando, non peruertunt hæreticorum more: item columba felle caret, quod pertinet ad donum pietatis, &c. Ergo Noſter Doctor meliora grana ex ſatis fœcundis ſatis Diui Thomæ doctrinis eligendo, nec roſtro, nec calami ſtylo opiniones alienas lacerando, tanquam columba felle carens piè contrarios refert Authores, vt conuerſatio, ſeu doctrina illius in omnibus expers ſit amaritudinis.

Nec tædium infert conuictus illius. Solet enim cibus faſtidire, vel quia non bene conditus, vel quia plurimus. Huic doctrinæ neuter eorum eſt defectus. Non primus; quia ſi vt ait Iob cap. 6. num. 6. *Numquid poterit comedi inſulſum, quod non eſt ſale conditum?* Hæc ſale ſapientiæ opipara menſa ita eſt præparata, vt ex Authoris ſapida cognita docendi conditione ſit intellectus guſtui aptiſsima. Nec ſecundus; quia præmanibus, & præoculis breuitatem huius Tomi capis. Vnde non ob nimietatem hæ epulæ erunt tibi moleſtæ, nec tædio te afficient, non ſolum, quia (vt ait Quintilian. lib. 2.) *Et ipſius lectionis ſtudium vicibus leuatur*, ſed quia ſic ſuauiter hæc lectio intellectum diſponit, vt vna enunciatiua oratio, quæ oris intellectus eſt actio, nouum ad aliam deſiderium in voluntate generet.

Nec minus alitus intellectus exibit, ex eo quod parcè in hoc conuiuio edit, non enim ex quantitate, ſed ex qualitate ad optimam ſuſtentationem metiendi ſunt cibi. Multi enim, dum plus nutriri appetunt, apoplexia decidunt, quia nec in ſtomacho, nec in ventriculo calor eſt naturalis, vt decoquatur cibus in vim effectiuam nutritionis. Sic reſpectu intellectus contingere aſſolet; eſt enim in cerebro quædam membrana, quæ *ventriculus* vocatur, intra quam ſpiritus deferentes obiectorum ſpecies introducuntur, & ſicut ciborum ſpecies Phiſicæ, ſi calorem naturalem excedant, in ventriculo ſtomachi non decoquuntur, ita obiectorum ſpecies intentionales in cerebri ventriculo ob confuſſionem intellectui agenti non aptantur, vim namque, & virtutem eius ob pluritatem excedunt, vnde, qui huic ſanæ, delicatæ ſubſtantiali, & breui doctrinæ ſtudet ex ſpeciebus benè digeſtis, plus eruditur, quam longiſsimis quæſtionibus deditus, qui potius confunditur: quia ſicut *ab obiecto, & potentia paritur notitia*; à poten-

Digitized by Google

tentia, cui non eſt ſpecierum digeſtio, paritur confuſio, quæ Doctorem dedecet, nam vt Diuus Petrus Chriſol. ſerm. 52. dicit. *Doctoris officium eſt lecta differere, & miſticis obſcurata ſenſibus, lucido adſtruere, & demonſtrare ſermone, ne minor intelligentia inde pernitiem generet auditori, vnde ſcientiam conferre debuit, & potuit ſalutarem.* Igitur ex conuictu huius doctrinæ non tædium, ſed intellectus victus generatur.

Equibus lætitia ſequitur, *Eſt enim lætitia* (vt ait Cicero 4. Tuſcul.) *opinio recens boni præſentis, in quo efferri rectum videatur*. En ergo, vt lætificeris in præſenti bono opere, recte efferuntur recentes opiniones. Recentes, inquam, ſed veroſimiles, nouæ ſententiæ, ſed profundæ, acutæ lineæ, ſed rectæ non facilitate, ſed docilitate ductæ, ex conditione Radiorum Solis ſcientiæ Aquinatis deproptæ.

Ad cuius euidentiam parum ſiſte, & hoc æſtima. Inhærebam in Salomonis petitione, 3. Reg. cap. 3. num. 9. *Dabis ergo* (inquit) *ſeruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare poſsit.* Quid eſt *cor docile*? An ne facile? Nam hoc imperfectionem, vt leuitatem animi ſonat. Sed iam ſatage facilitatem à docilitate diſtinguere. Facilé enim, & docile conueniunt, ſed differunt. Exemplo rem explicare connabor. Per quamque rimulam introit lux, & aer, verum aer, ita vt ingreditur, hinc inde tortuoſe vagatur; at lux ſubtiliter intrat, ſed ſemper lineam rectam obſeruat, vnde lucem appellito docilem, aerem vero facilem. Petens ergo Salomon à Domino *cor docile*, à luce Diuina doceri optat; vt cor habeat inclinatum ſecundum rationem, non vero animum vagum, in quo eſt facilitas ſecundum voluntatem. Iam igitur hic Author non facilis eſt in opinando, quia non flexibiliter tortuoſé, vt aer, vagatur loquendo; ſed veré eſt docilis, quia vt Radius Solis Angelici penetrat ſubtiliter, ſed ſemper in docendo progreditur directé. In hac luce diffuſe lætare, *Lætum enim ex Ethimologia eſt, quod latè diffunditur*, &, qua hilaritate tibi datur, accipe, & Doctorem ſic dantem dilige, nam *hilarem datorem diligit Deus* 2. ad Corint. 9.

Super lætitiam hoc etiam ſtudium *affert gaudium*. Et ne vtrumque confundas, differentiam inter gaudium, & lætitiam oportet percalleas. Si enim lætitia dicta fuit, *Cum ita animus mo-*

ue-

Digitized by Google

uetur, vt etiam ad exteriora egrediatur, propriè gaudium eſt ſolum, cum exhilaratur animus aliqua re, nec tamen ita ad exteriora diffunditur, vt facilè appareat, ob quod (inquit Seneca, Epiſt. 60.) *gaudium ſapientis eſt, non voluptas.* Hinc etiam dicunt Stoici, *gaudium in ſapientem cadere poſſe, lætitiam non poſſe.* En iam ex huius doctrinæ conceptu tantum gaudij percipit animus, vt quamuis exterius lætitiam diffundat, plus interius cognitio hilareſcat, nã (vt inquit Tibullus) *qui ſapit, in tacito gaudeat ille ſinu.* Et vt hæc inueniatur interior gaudij reſeruatio, ſeruatis iuuat viribus huius diſciplinæ profeſsio; ſi ſemel benè mentem Authoris capias, quamuis exterius in vocalem ſcientiam prorumpas, vel doceas, vel arguas, vel probes, vel ſoluas, vel propugnes, cunctiſque ſic audientibus ſatisfacias, adhuc plus Arcano doctrinæ ſeruabis in mente; nam tempus explicationi, non conceptus deficient ſubtilitati.

Præterea ſi gaudium, vnus eſt ex fructibus Spiritus Sancti, & vt ait Diu. Thom. in 1. 2. quæſt. 70. art. 2. in argum. 3. *Fructus habet in ſui ratione, quod ſit vltimum, & ſit delectabile*, in hiſce huius Vitis fructibus vltimis, qua delectatione non frueris, ad quod alludit, quod Auguſtiſsimus Aug. in 10. de Trinit. aſſerit. *Fruimur cognitis, in quibus voluntas ipſa delectata conquieſcit.* Et vt hæc quies Authori, & tibi ſit fœlicitatis, gaude ſuper hoc diſcurſu Angelici Præceptoris, art. 1. vt ſupra docentis. *Dicitur autem in corporalibus fructus id, quod ex planta producitur, cum ad perfectionem peruenerit, & quandam in ſe ſuauitatem habet, qui quidem fructus ad duo comparari poteſt, ſcilicet, ad arborem producentem ipſum, & ad hominem, qui fructum ex arbore adipiſcitur. Si igitur operatio hominis procedat ab homine ſecundum facultatem ſuæ rationis, ſic dicitur fructus rationis.*

Tunc ſic, Chriſtus, qui Arbor eſt vitæ, vt Vitis etiam opimos tulit fructus, vſque quo in expreſsione botri *torcular calcauit ſolus.* Vnde & ſibi fortis benedictionem virtutis, gloriam ſapientiæ, & honorem meruit Diuinitatis, iuxta illud Apoc. cap. 5. num. 12. *Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt accipere virtutem, & Diuinitatem, & Sapientiam, & Fortitudinem, & Honorem, & Gloriam, & benedictionem*, & item has fruges nobis communicauit, vt ex Arbore quoque Crucis ſuauitatem adepti, gloria eius meritis nobis ap plicatis poſsimus potiri.

Si-

Digitized by Google

Similiter Noſter Author, tanquam Vitis vitæ intellectiuæ fructus ſcientiæ producit, qui gloriam, & honorem ſibi afferunt, Lectorique ſuauitatis, & profectus plurimum. Vt pro vtriuſque ſedulo, ſtudioſo labore, cum Sapientiæ, 4. cap. proferat intellectus. *Bonorum laborum glorioſus eſt fructus.*

Hos percipe Theologiæ Scolaſticos, neque à Moralibus te deſperare permitto. Reſolutiones enim eruditiſsimas ſingulariſſima pro ſingularium caſuum deciſione Arte mirabili elaboratas recondit. Et qui ſemel vidit, vt in communem iucundam vtilitatem prodeant, ſatagit. Vt etiam in hoc genere doctrinæ cognoſcas, quod vere eſt ſapiens, cuius ſtudium *perfectum, ſublime, vtile, & iucundum* eſt nitens.

Nec, vt ſimpliciter ſapientis nomine dignus ſiſtat, operis Authori abeſſe mores aderit, qui reperiat. Nam ſi *erubeſcit* (vt ait D. Hyeron. in Epiſtol. ad Principiam) *quamuis præclara doctrina, quam propria reprehendit conſcientia.* Noſtri conſcientia Authoris talis eſt, ac ſcientia. Vt, cum ex Illuſtriſsima ſit Patrum Regularium Clericorum Minorum Sacra Familia, etiam Doctoris Maximi adaptetur eloquium, quod in Epiſtol. eſt ad Nepotianum. *Propterea Clerici vocantur, vel quia de ſorte Domini ſunt, vel quia ipſe Dominus ſors; id eſt pars Clericorum eſt*, & pro Noſtro Authore in ſuæ Regulæ adimpletione talem ſe exhibente, qualem ſubdit. *Qui vel ipſe pars Domini eſt, vel Dominum partem habet, talem ſe exhibere debet, vt & ipſe poſsideat Dominum, & poſsideatur ab eo.* Hæc aduertenter, ò Lector, dixerim, vt fœlicem ſortem in Authore, & doctrina repertam laudem.

Sed oppones, ex prædictis coniectare licere hoc de Incarnationis Arcano ſtudium eſſe perfectum, ſublime, vtile, atque iucundum; An vero præ cæteris, vt fore conſequatur *perfectius, ſublimius, vtilius, & iucundius*, quod in principio propoſitum fuit aſſumptum, hoc ſupererat comprobandum. Pro quo vt ad fœlicitatis culmen in hoc ſtudio peruenias, officioſe Lector, huic, quæſo, rogatui ſatisfacias. In quo maius homo conſequitur gaudium? In triumpho. Quali? Intellectus, vtpote Nobilioris humanæ facultatis, ad cuius Laurum maior moleſtia præſupponitur. Docente D. Auguſt. lib. 8. confeſſ. cap. 3. *Maius gaudium maiori moleſtia præceditur.* Imò ingenij triumphus eo glorioſior, quo (vt

Le-

Digitized by Google

Lepidus inquit Martialis.) *Qui velit ingenio cedere rarus erit.* Et triumphi quod pulchrius inſigne? Palma, eo quod ponderi non cedit. Vnde dixit Plutarchus. *In certaminibus Palmam ſignum placuit eſſe victoriæ; quoniam ingenij eiuſmodi lignum eſt, vt vrgentibus, opprimentibuſque non cedat.* Nunc altam quæris Palmam in hac diſciplina? Abſque dubio. Sequenti igitur idea gaudeto.

Et per cochleam aſcendebant in medium Cœnaculum, & à medio in tertium, 3. Regum cap. 6. ſcribitur. Hic rogo. Cur in Auguſto Salomonis Templo, per anguſtam *cochleam*, id eſt *aſcenſum tortuoſum*, vt in ſimili appingit Lyra; & non per amplam ſcalam directè gradatim in altum verſantem, ad ſupera perhibetur via? Reſpondebis forſam. Quia ad Cœnaculum, in quo præcipuè Chriſtus repræſentatur, ſcandit: & arcta *via eſt, quæ ducit ad vitam*. Matth. 7. Verum eſto, ad vitam Dominicam via ſit arcta; Quare futura eſt tortuoſa? Cum potius contrarium tenere congruebat; tum politicè ob decoroſam Sacri ædificij Maieſtatem. Tum vtiliter ob commodiorem graduum aſcenſum. Tum myſticè ad deſignandum, rectam, quamuis anguſtam, eſſe viam ducentem ad Dominum. Verum latere videbis myſterium. Nã gradus cochleæ, ſicut & omne pauimentum Templi, ex marmore candido erant extructi. Vt conſtat ex Gloſſa ibi. *Pauimentum pretioſiſsimo marmore erat ſtratum multo decore.* Et ex Lyra, *quod erat de pulchro marmore.* Et quidem hoc marmor erat candidum. Id ſic affirmante Beda; *Lapis, de quo facta eſt domus tanto nitore fulgebat, ac ſi eſſet candido calculo tecta.* Quod more Cryſtalli, velut ſpeculum, imaginem reddit circunſpicienti. Qui autem per cochleam aſcendit, iam ex vno, iam ex altero latere, cum in gyrum vertatur, caput, oculoſque reuertit, & priores gradus, per quos ad ſubſequentes graditur, intuetur. Cumque illi ex candore marmoreo vices ſpeculi retinuiſſent, in eis imaginem ſuam aſcendentes ſpeculabantur: vt ſic apparentium defectuum emmendatione attentius ad Cœnaculum componerentur.

Iam ex ſui ſcientia palmam conſequtus videbitur quiſque. Vis vim comprehendere? Inſiſte. In Parietibus, & tectis Templi Cherubinorum, & palmarum effigies extabant alternatim ſculptæ. Proferente Sacro Textu. *Et omnes parietes Templi per circuitum ſculpſit varijs cælaturis, & torno, & fecit in eis Cherubin, & palmas.*

Digitized by Google

mas. Quid ergo fiet, vt palmam in cacumine ſculptam aſcendens per cochleam attingat,& ferat? Rurſus ſpecula in gradibus marmoreis candidis colluſtra. Quid tibi præter te oſtendunt? Cherubini & palmæ cælatorum ex oppoſito extantium repetitas imagines. Quid *Cherub*? *Plenitudo ſcientiæ*. Ergo cum perfectius (te ſcilicet) cognoſcis, in plenitudine ſcientiæ palmam nanciſceris. Sic Interlinealis de *Cherub*, *& palma* Sup. cap. 41. Ezech. *Vt poſt ſcientiæ plenitudinem victoria præbeatur*.

Perge, ſtudio aſcende ad Incarnationis Arcanum. Huius Libri Doctrina via eſt, arcta, quia ſubtilis, ſed tuta. Eiuſque *Articuli* articulatim arcti fideliter comprobant laconicè. Deinde in formam cochleæ, id eſt ſyllogiſticam, quæ de vno ad aliud perfectè in gyrum verſatur, progreditur. Gradus verò, quaſi ex calculo candido iudicij, virtute clari intellectus vim habent ſpeculi. In quibus ſpecies expreſſæ obiectorum prælucent. Inter quas Doctoris Angeli, qui Cherub eſt ob ſcientiæ plenitudinem, illuminatam ſplendore Doctrinæ eius intueberis Imaginem. Rurſuſque, ſi *Iuſtus vt palma florebit*; Pſal. 91. vel iuxta aliam verſionem, *vt Phœnix*; in hoc Vnico, ſeu *Phœnice* Tomo, ſignum etiam iuſti Triumphi, quem inter Theologos deportat, iam gauiſus contemplaberis effigiatum. Minor eſt Author, ſed palmam in ſapientia conſequitur victor. Sicut minor digitus prius cæteris ad palmam accedit manus. Iam perfectum cum ſublimi, iucundum combinato cum vtili. Et poſt illud Horatij Tritũ ſequentia adde.

Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.
Omne tulit lucrum, qui duxit docile recto.
Omne tulit fauſtum reddens ſubtilia claro.
Luſtra ambit, qui luſtrat grata nouiſsima vero.
Victor fert palmam, qui adiungit humile docto.
Frugifera exhauſit Vitis dans fertile paruo.
Eſt Minor, aſt intus, qui tangit maxima, celſus.

Grate Lector, iam parce pro tali, & tanto, Doctrina, ac Magiſtro, quamuis tanta, parcè præloquuto. Nam iam ipſe cum D. Auguſt. lib. 11. Confeſſ. c. 6. loquitur docendo. *Ille loquitur nobis, qui docet nos, qui autem non docet nos, etiam ſi loquitur, non nobis loquitur*. Experto credas, Doctrina Valebis.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATVS PRIMVS IN TERTIAM PARTEM DIVI Thomæ, à quæſtion. prima, vſque ad ſeptimam, in quibus

DE INCARNATIONE ſermonem inſtituit.

INVOCATO Prius diuino Patris auxilio, à quo per Spiritum Sanctum cordibus noſtris gratia diffunditur, aggredimur tractationem de Filio, ſecundum quod pro noſtra ſalute factus eſt homo; per quem tanta nobis Pater promiſſa donauit: de quo etiam agunt Theologi in 3. vbi Magiſt. à diſt. 1. vſque ad 23. quo loco eius commentatores, & omnium Magiſter Angelicus Præceptor, & 3. contra gent. a cap. 29. vſque ad 49. & in diſput. quæſt. de verbo Incarnato; vberius autẽ agit in hac 3. part. à quæſt. 1. vſque ad 6. incluſiuè, nam licèt plures alias quæſtiones ad explicationem huius myſterij permiſceat, nimirum à 7. vſque ad 26. vbi de pluribus quaſi proprietatibus Verbi Incarnati, & alijs ſequentibus vſque ad 59 in quibus de vita Chriſti, & eius agit actionibus; in ſex tamen prioribus totam ſubſtantiam Incarnationis comprehendit; noſque etiam veſtigijs eius inhærentes, per totidem diſputationes illam explicare connabimur.

Præcurſoria aliqua notabilia.

DIſceptante me de nouo nouorum omnium, & mirabili myſterio, vt hoc, in quo Deus ſibi deuinxit naturam humanam, appellat Damaſc. libr 3. de fide cap. 1. etiam ſi nomen *Incarnatio* nouitatem in lingua latina aliquibus cauſauerit, & tanquàm minus aptũ ad explicandum hoc myſterium viſum fuerit, vt refert Suar. in Pæfat. ad hanc 3. part. & ibid. Lorca, numer. 4. cum Granad. diſp. 1. num. 2. non abs re per nouũ vocabulum explicari debuit, ſi Ciceronis, & Horatij doctrinam ſequamur, illius lib. 1. quæſt. academic. iſtius autem in arte Poetica, vbi pro inuentione nouarum rerum noua, dicunt, licere, ad inuenire vocabula. Prætterquam quod non tam nouum eſt hoc myſterium explicare per nomen *Incarnatio*, quod licèt varijs etiam nominibus ab alijs explicetur, vt referunt ijdem Authores,

 co

Digitized by Google

co vſi fuere Patres Concil. Nicen. in Symbolo: *Et incarnatus eſt.* Et ſumpſere ex Ioan. 2. *Verbum caro factum eſt.* Eadem voce vtuntur Patres, quoties de hoc myſterio loquuntur, vt Leo Papa, Lactant. Cyprian. Auguſt. Hieron. Damaſc. & Hilar. quos affert Suar. vbi ſupra.

Nec ex hoc vocabulo licèt inferre, nos anſam præbere errori Apollinaris, qui, vt refert Athanaſ. lib. de Incarn. & aduētu Filij Dei, ſenſit Verbum ſolam carnem, non autem animam, aſſumpſiſſe; nam præterquam quod aliæ plures congruentiæ nobis ſuppetunt ad explicandum hoc myſterium per prædictam vocem, nimirum, nobis commendari tam ſingulare beneficium, quale eſt, *Ad quæ peruehatur humilitas carnis? ad quæ inclinetur altitudo deitatis? quid ſit, quod caro ſine Verbo non agit? & quid quod Verbum ſine carne non effecit? quomodo Chriſtus inter Deum, & hominem mediator apparuit, ita vt ſolita ſublimaret in ſolitis, & inſolita ſolitis temperaret?* vt deuotè loquitur Agappitus in Epiſt. ad Antimum.

Alia etiam nobis ſuppetit congruentia, ſcilicèt, vt pateret ſimul veritas paſſionum, & defectuum, quos pro nobis Chriſtus pertulit, non dedignando aſſumere partem inferiorem humanitatis noſtræ, nimirum, carnem, quo nomine, & facto vocabulo correſpondenti conuincerentur alij hæretici negantes verum corpus humanum Verbum aſſumpſiſſe diuinum; adhuc tamen, licèt ex hac voce *Incarnatio* talia bona nobis non ſuppeterent, non ideò incongruè hanc mirabilem coniunctionem Verbi cum natura humana per illud explicaretur; ſiquidem aptatur paſsim in Scriptura hoc nomen *caro* toti compoſito ex carne & anima, Geneſ. 6. *Omnis quippe caro* (id eſt homo) *corruperat viam ſuam.* Et Luc. 3. *Et videbit omnis caro ſalutare Dei.* Et ad Rom. 3. *Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo.*

Verùm enim verò, quia circa obiectum huius vocis, & nominis non vnus Authorum eſt error, Pagani, enim, Gētiles, & Iudæi negant aduentum Chriſti, qui Meſsias dicitur, ideò aliqua præmittenda oportet ad noſtram catholicam veritatem firmandam: Ex Hæreticis autem nullus ſperat, quod ſi aliquis inſipidè venturum fore credat, conuincetur planè ex verbis Teſtamenti noui ab his admiſsi; dicitur enim Ioan. 1. *Verbum caro factum eſt, & habitabit in nobis.* Vbi eſt ſermo de præterito, & cap. 4. cum dixiſſet Samaritanæ: *Scio, quia Meſsias venit.* Reſpōdit Chriſtus: *Ego ſum, qui loquor tecum.* Hanc etiam veritatem confeſſus eſt Petrus Matth. 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.*

Sed quia Pagani, Gentiles, & Iudæi non admittunt Sacræ Scripturæ loca, illi neque ex nouo, neque ex veteri Teſtamento, iſti ex nouo; ideò non deſumitur contra iſtos aliquod argumentū ex locis citatis; quare ex alio capite conuincendi ſunt, & vt à Iudæis incipiam, apertus eſt locus contra ipſorum perfidiā Geneſ. 49. vbi dicitur ſignum eſſe euidens aduentus Meſsiæ, ſi principatus ſeparetur à gentibus Iudæorum: *Non auferetur ſceptrum de Iudà, donec veniat, qui mittendus eſt.* Id eſt Meſsias, vt explicant omnes communitèr; Atqui tempore, quo natus eſt Chriſtus incepit auferri ſceptrum de Iudà per introductionem Herodis Aſcalonitæ, quem Iudæis propoſuit Cæſar Auguſtus. Ergo inſipide Iudæi ſperant Meſſiam, qui tot ab hinc annis iā aduenit: quem locum luculentèr expendunt Expoſitores, de quo videndus eſt Suar. diſp. 1. per totam, & Granad. tract. 1. diſp. 5. ſect. 2.

Vlteriùs autem efficaciſsimum ſumitur contra Iudæos argumentum ex verbis cuiuſdam ſapientiſsimi Iudæi & apud illos magnæ æſtimationis, ſcilicèt Rabbi Samuelij in Epiſt. ad Rabbi Iſaac cap. 26. quæ ſufficeret ad conuincendam cæterorum Iudæorum inſipiētiam; poſtquam enim vidit omnia ſigna, quæ ſunt in veteri Teſtamento de Meſsia prædicta, nimirum ortum eius ex familia Dauid, & radice Ieſsè, Conceptionem ex Virgine Maria, Natiuitatem in Bethleen, deſideratum à cunctis gentibus, & à Regibus terræ adoratum, Paſsionem, Sepulturam, Aſcenſionem, & Reſurrectionem, Iudæus cū fuerit ipſe, ſic faſſus eſt: *Paueo, Domine mi, quod apoſtatauimus à Deo in primo aduentu iſtius iuſti* (Chriſti ſcilicèt, de quo loquebatur) *cui expreſſe conueniunt om-*

Digitized by Google

omnia, quæ ſcripta ſunt apud nos in libris legis, & Prophetarum; propterquam apoſtaſiam Deus ſic protendit in longitudinem dierum captiuitatem iſtam nobis; & ſi expectamus Saluatorem alium ab iſto iuſto, non prodeſt nobis. Ergo.

Contra Paganos autem, & Gentiles, ſi forte cum Iudæis conſentiunt, non eſt alio modo perſuadēdum, niſi ex eo, quod myſteria noſtræ fidei, quorũ præcipuum eſt *Incarnatio*, ſunt euidentèr credibilia; ad quam probandam plura adducit Medina hic quæſt. 3. quæ, quia non ſunt huius loci, ea Miſſa facio, ſolumque vtar contra iſtos argumento deſumpto ex præuiſione ſuarum Sibillarum, quas admittunt, in quibus multa ſunt de Chriſto prædicta, de eius Natiuitate, Paſsione, & morte, vt refert Lactant. lib. 4. cap. 15. Cyrillus lib. 8. cont. Iulian. Auguſt. lib. 18. de ciuit. cap. 23. & cont. Fauſt. cap. 25. Modo autem peculiaritèr extat ad hoc intentum prædictio Sibillæ Perſicæ, quæ his duobus carminibus de Meſsia prædicens, quam acordè de Chriſto noſtro prædixerit.

Virgine Matre ſatus pullo reſidebit à ſello
Ille Deus, caſta naſcetur Virgine Magnus.

Ex quo loco, & ex ijs, quos referunt prædicti Patres citati, non ſolum colligitur contra Paganos, Chriſtum Dominum eſſe verum Meſsiam, de quo verificatur in aſello ſediſſe, & ſic Ieroſolymam ingreſſum fuiſſe, ſed etiam eſſe verum Deum, & hominem, contra aliquos hæreticos, qui vt refert Caſtro verbo *Chriſtus*, veram humanitatem Chriſti negarunt, contra quos non nihil diximus, §. *Neque ad hoc.* Et contra aliquos Iudæos, qui licèt negare non audeant, quod ille Meſsias in lege promiſſus futurus ſit homo, quia promiſſus fuit de ſemine Abrahæ, de tribu Iudà, & familia Dauid, vt conſtat ex eorum doctrina fundata in illo Deuter. 8. *Prophetam de gēte tua, de fratribus tuis, ſicut me ipſum, ſuſcitabit tibi Dominus.* Nihilominus negant verum Deum futurum eſſe, vt referunt Auguſt. hæreſ. 6. Epiph. hær. 27. Tertul. de præſcript. hæretic. in fine, contra quos plura extant loca ex nouo, & veteri Teſtamento deſumpta, vt oſtendit Suar. diſp. 2. ſect. 3. hic tamen locus ex Pſal. 2. clarus eſt ad intentum, quem eſſe ad litteram de Meſsia, colligitur ex illis verbis: *Aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtũ eius.* Et rurſus: *Ego autem cõſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Siõ montem Sãctum eius.* Quare Galatinus lib. 3. cap. 7. dicit Iudæos prædictis verbis conuictos, etiam inuitos fateri iſtum Pſalmum eſſe de Meſsia, & tamen in illo dicitur: *Dominus dixit ad me. Filius meus es tu. Ego hodie genui te.* Quibus verbis vtitur Paulus ad Hebr. 1. vt probet Chriſti diuinitatem, & quod ſit Filius naturalis Dei. Perperam ergo Iudæi negant Chriſtum verum eſſe Deum ſimul, & hominem.

DISPVTATIO I.

Circa quæſtionem 1. tertiæ partis S. Thomæ.

De poſsibilitate, conuenientia, & neceſsitate Incarnationis.

De Conuenientia, & neceſsitate Incarnationis ad reparandum genus humanum agit D. Thom. in hac quæſt. 1. poſsibilitatem omittens, modò fuerit, quia in 3. diſt. 1. quæſt. 1. art. 1. vtpotè Commentator eam diſſeruerat, vt volunt aliqui, modò quia priùs decebat explicare naturam huius myſterij, vt poſtea probaret, illud eſſe poſſibile, nec ne, vt placet Cabr. hic diſp. 1. §. 3. aſſerenti D. Thomam agere de eius poſsibilitate infra quæſt. 3. & Lorca in annotationib. circa titulũ primæ quæſt. num. 2. Modò quia agens de conueniẽtia illius, ſuperfluum erat agere de poſſibilitate, cum id, quod conueniens eſt, poſsibile ſit, licèt nonècontra; vnde probando conuenientiam, poſsibilitatem probabat, vt placuit Caiet. in Comment. huius quæſt. art. 1. Modò denique quia, vt vult Lorca loc. cit. non erat ſpecialis difficultas de hoc myſterio, quam de alijs ſupernaturalibus, de quibus omnibus docuerat S. Thom 1. par. quæſt. 1. art. 8. vbi omnes Theologi, non poſſe probari aliquo argumento, aut demonſtratione poſsibilitatem eorum, nec eſt aliquod principium, quo de-

Digitized by Google

demonſtrari poſsit, quia omnino ſuperant rationem naturalem: ad ſummum enim poteſt Theologus probare, non eſſe impoſsibilia. Nos autem commune Authorum calculum in ſequentes, ante quam de conuenientia, & neceſsitate agamus, nonnulla breuitèr de poſsibilitate agemus, longiorem diſputationem remittentes ad Authores.

Quænam dicenda circa poſsibilitatem, & exiſtentiam Incarnationis, quoad cognoſci?

QVÆSTIO I.

IN Hac re non defuerunt Hæretici, & Infideles, qui ſicut negarunt, Chriſtum eſſe verum Deum, & hominem, negarunt etiam eſſe poſsibile hoc, vt ait Caſtro verbo *Chriſtus*. Et Auguſt hæreſ.6. Ac proinde negarunt cognoſcibile eſſe ab intellectu creato. Veritas tamen catholica eſt, quod ſicut de facto Chriſtus verus De° eſt, & homo, ex quo colligit Eccleſia Incarnationem iam eſſe factam, ita, & quod myſterium poſsibile ſit, & ab intellectu creato cognoſcibile: quoad eius autem cognoſcibilitatis modum, licèt omnes conueniant, nullam creaturam, ſiue humanam, ſiue Angelicam, poſſe propria virtute cognoſcere euidentèr intuitiue Incarnationem eſſe poſsibilem, (quamuis cognitionem euidentem abſtractiuam illi aliqui recentiores concedat, vt notat Hurtado Complutenſis diſp.1.diffic.2. num.7.) Incarnationem tamẽ factam, & exiſtentem poſſe ab Angelo propria virtute cognoſci euidẽtèr, aſſeruit Scotus in 4.diſt.10.quæſt.8.9.& 10. Suar. vero hic diſp.3.ſect.2. non ſolum poſsibilitatem, verum neque exiſtentiam Incarnationis poſſe ab Angelo propria virtute euidentèr intuitiue cognoſci; illum ſequitùr Vazq.1.part.diſput.24. cap.3.& 4. relatus à Hurtad. difficult. 4.numer.17.& communitèr Authores cum noſtro Reuerendiſ. Auerſa in hac 3. part. quæſt. 1.ſect.2.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo, quod licèt poſsibilitas Incarnationis non valeat ratione naturali demonſtrari, ſicut neque exiſtentia, cum nullum ſit principium in natura ad illud demonſtrandum; ſuppoſita tamen fide, & reuelatione poteſt probabilitèr rationibus Theologicis vtrumque ſuaderi, vt probat D. Thom.4.contra gen.à cap.27.& in 3.diſt.1. quæſt. 1.art.1. nimirum ex non repugnantia terminorum, Verbi, ſcilicèt, & humanitatis; illius, quia habet infinitam virtutem terminatiuam; iſtius, quia habet potentiam obedientialem ad hoc, vt Deus in illa faciat, quod facere voluerit, & ex facto ipſo, quod fide magiſtrâ omnes Catholici confitemur, vt ſuperius notauimus: nullum autem maius argumentum ad probandam rei poſsibilitatem, quàm quod ex eiuſdem rei exiſtentia deſumitur, cum eo modo, quo res exiſtit, poſsibilis extiterit, quare ſolum deſidium reduci videtur ad cognoſcibilitatem.

Obſeruo ſecundo, quod licèt Verbum Diuinum alitèr ſe habuerit in Incarnatione, tam poſsibili, quàm actuali, nimirum, quia incepit eſſe homo, quod antea non erat; hoc autem non fit per aliquid in eo receptum, & ſic non fuit mutatum, vt docet D. Thom. in 3.quæſt.1.art.1.ad 1. ſed eo quod no uitèr terminaret naturam, quam antea non terminabat; modò enim etiam terminat viſionem beatificam, & antea nõ terminabat, ſine eo quod in eo aliqua mutatio reperiatur, eo quod ſicut Verbum, non ſolum eſt cognoſcibile cognitione eſſentiali, & ad intra, ſed etiam cognitione accidentali, & ad extra, à creaturis ob eius infinitatem ineſſe cognoſcibilis, & ſic ab iſtis cognoſcitur quotidie nouiter ſine læſione immutabilitatis eius, ita non ſolum eſt terminatiuum ad intra, ſcilicèt naturæ Diuinæ, ſed etiam ad extra, ſcilicèt naturæ creatæ ob eius infinitatem ineſſe terminabilis, & ſic, & poſsibile eſt terminare naturam humanam, & de facto terminat, immò, & quotidiè, ſi velet, nouas na-

tu-

Digitized by Google

turas terminaret abſque aliqua in eius immutabilitate læſione. Et ratio omnium eſt, quia terminare formalitèr, vt hoc munus explicat, neque petit informare, vt in exemplo poſito de Deo patet, neque petit recipi, nec recipere, ſed ſolum eſſe extremum alterius coextremi ſibi vniti. Quibus ſic obſeruatis.

Reſolutio quæſtionis, quoad poſsibilitatem myſterij.

ARTIC. II.

RESolutio prima ſit. Non poteſt ratione naturali conuinci hoc myſterium eſſe impoſsibile. Nam quod non repugnat; & aliàs verum eſt, à quocumque proueniat huiuſmodi veritas, non poteſt ratione naturali conuinci eſſe impoſsibile, teſte Ariſt. lib. 2. de demonſtrat. Atqui hoc myſterium non repugnat, nec ex parte naturæ humanæ ob eius potentiam obedientialem, neque ex parte Verbi ob infinitatem ſimplicitèr in terminando, non ſolum ad intra, ſed ad extra, & aliàs verum eſſe, ſuppoſita fide, credimus Ergo non poteſt ratione naturali conuinci hoc myſterium eſſe impoſsibile: pro quo legendus eſt D. Thom. 1. contr gent. capit. 7.

Reſolutio ſecunda ſit. Nulla creatura, ſiue humana, ſiue Angelica poteſt lumine naturali cognoſcere euidentèr abſtractiue poſsibilitatem huius myſterij. Hanc reſolutionem probant omnia argumenta, quæ communitèr adducunt Theologi ad 1. 2. quæſt. 109. & 2. 2. quæſt. 1. vt probent, non poſſe lumine naturali myſteria ſupernaturalia euidentèr cognoſci; eam etiam expreſsit Paul. ad Epheſ. 3. dicens: *Hoc myſterium eſſe Sacramentum abſconditum.* Eam etiam expreſsè tenent Eccleſiæ Patres ab Authoribus communitèr adducti; ſufficiat nunc pro omnibus Auguſt. Epiſt. ad Voluſianum: *Fateamur* (inquiens) *Deum facere poſſe aliquid, quod nos inueſtigare non poſſumus.* Vnde Concil. Tolet. 2. *Si ratione oſtendi poſſet, non eſſet mirabile, ſi haberet exemplum, non eſſet ſingulare.*

Ratio autem deſumpta ex his locis ſic poteſt componi. Solum poteſt à creatura cognoſci aliquod eſſe poſsibile, quod continetur in virtute eius cognoſcitiua naturali, & ſuis principijs, & cauſis, vel effectibus, vel denique cum quo neceſſariam habet connexionem, propter proportionem, quam habere debet actus cum obiecto: atqui hoc myſteriũ, nec continetur in virtute aliqua naturali, aliàs ſupernaturale non eſſet; neque in aliquo effectu, aliàs non foret mirabile, vt arguit Concilium; nec connexionem habet cum cognitione naturali, aliàs cognitio non eſſet conformis obiecto, neque in tali conformitate eius eſſentia conſiſteret. Ergo nulla eſt ratio, aut medium in creatura, ex qua poſsit hoc myſterium eſſe poſsibile euidentèr cognoſcere.

Dices pro Recentioribus, quos adducit Hurtad. loc. cit. Hoc argumentum probare ſolum impoſsibilem eſſe cognitionem intuitiuam poſsibilitatis huius myſterij, non autem abſtractiuam, etiam euidentem, hanc enim poteſt Angelus habere, ex eo quod propria virtute cognoſcit extrema huius myſterij, Deum videlicèt, & humanitatem, illum abſtractiuè, iſtam intuitiuè, & comprehenſiuè, ac proinde poſſe cognoſcere potentiam in Deo ad aſſumendum, ſiquidem non eſt diſtincta ab ipſo Deo, & potentiam humanitatis, vt aſſumatur, quia non eſt diſtincta ab ipſa humanitate.

Sed contra eſt. Primo, quidquid ſit de cognitione extremorũ ſeorſim, nã licèt verum ſit ab Angelo poſſe euidentèr cognoſci, non ſequitur ex hoc, quod poſsit illa cognoſcere vt coniuncta, vel vt coniungibilia, in quo reperitur noua difficultas, & noua improportio; ſicut dicitur communitèr, vnam veritatem, & aliam poſſe ab intellectu cognoſci viribus naturæ, ſine eo quod ſequatur ex hoc, poſſe vnam cognoſcere, vt coniunctam cum alijs, propter nouam difficultatem in cognitione huius, attenta fragilitate intellectus humani, vt ad quæſt. 109. primæ ſecundæ commodius dicetur.

Secundo, quia licèt Angelus cognoſcat humanitatem euidentèr, nõ ſolum intuitiuè, ſed etiam comprehenſiuè, non tamen cognoſcit illam naturali lumine, vt potentem paſsiuè aſſumi, ſicut licèt cognoſcat Deum abſtractiuè, & quoad an eſt, non cognoſcit illum, vt

potentem actiuè aſſumere, quia nimirū hoc modo, tam humanitas, quam Deus ſunt extra ſpheram potentiæ naturalis intellectus Angelici, cum ſecundum rationem hanc, tam humanitas, quam Deus importent aliquid ſupernaturale, in quo, vel conſiſtat potentia obedientialis, vel illud neceſſariò, vt connotatum expoſcat, iuxta diuerſa Authorum ſenſa: atqui in hoc conſiſtit poſsibilitas huius myſterij, vt ex ipſis terminis liquet. Ergo cum ſic ſemper maneat improportionatum, ſemper incognoſcibile manebit ab intellectu Angelico euidentèr, adhuc abſtractiuè, ac proinde argumentum in ſua vi.

Et ſi iterum dicas, videri ex hac doctrina ſequi Angelum non comprehendere humanitatem, cum non cognoſcat id, quod cum illa identificatum eſt, nimirum potentiam obedientialem. Dic, verum eſſe, Angelum, nec quamlibet aliam creaturam poſſe aliam comprehendere comprehenſione quaſi methaphyſica, quæ conſiſtit in cognitione rei, tam abſoluta, quā reſpectiua; aliàs enim quælibet creatura cognoſcens intuitiue aliam, cognoſceret intuitiuè Trinitatem, ad quam dicit reſpectum, & relationem diuerſitatis; ſolum ergo dicitur Angelum poſſe comprehendere creaturam, & in noſtro caſu humanitatem, comprehenſione quaſi morali, quæ conſiſtit in hoc, quod cognoſcatur res ſecundum ſua prædicata eſſentialia, & intrinſeca, quæ ipſi ex principijs naturalibus conueniunt, & ſine reſpectu ad aliquid ſupernaturale. Quam doctrinam acutam ſatis defendit meus Mag. P. Frias ad mat. de grat. quæſt. 10. art. 2 §. *Vrgebis*, & ſeq.

Cæterum in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij. Ratione naturali poteſt oſtendi, hoc myſterium eſſe euidentèr credibile, vt docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 1. art. 4. ad 2. Ergo poteſt oſtendi eſſe euidentèr poſsibile, ac proinde ab Angelo cognoſci euidentèr eius poſsibilitas. Reſpondeo, negando conſequētiam: cuius ratio diſparitatis eſt, quia credibilitas paſsiua cuiuſcumque rei deſumitur ex principijs extrinſecis, ſcilicèt, ex authoritate dicentis; eo enim ipſo, quod quis mihi dicat aliquod myſterium, ſi aliàs fide dignus ſit, facit illud credibile mihi, immò multoties aliquis poteſt dicere rem aliquam impoſſibilem, & apud me tāta eſt illius authoritas, vt ſit ſufficiens, vt me moueat ad credendum illud impoſsibile, quod mihi dicit; poſsibilitas autem paſsiua rei deſumitur ex principijs intrinſecis ipſius, vnde ſi non adſint talia principia, ex quibus ego euidentèr cognoſcam illud eſſe poſsibile, nunquam vt tale cognoſcibile erit; nullum autem eſſe principium intrinſecum in myſterio Incarnationis, ex quo colligatur euidentèr eius poſsibilitas, clarè conſtat ex ratione data in reſolutione, ac proinde, neque ex quo colligatur eius cognoſcibilitas.

Opponunt ſecundo S. Thom. loquens de myſterijs ſupernaturalibus in communi 1. part. quæſt. 1. articul. 8. & quæſt. 32. art. 1. & 2. 2. quæſt. 1. art. 5. ad 2. docet, quod ratio naturalis poteſt attingere ad ſoluenda argumenta, quæ contra poſsibilitatem myſterij fiunt. Ergo poteſt attingere euidentèr eius poſſibilitatem, ac proinde in noſtro caſu Incarnationem, vt poſsibilem. Reſpondeo (relictā ſolutione Suar. diſp. 3. ſect. 1.) cum Caietano 1. part. quæſt. 1. art. 8. quod licèt ratio naturalis poſsit attingere ſolutiones argumentorum, quæ contra poſsibilitatem alicuius myſterij fiunt, quaſi negatiuè, nimirum, quia nō probatur per illa euidentèr non eſſe poſſibile, non tamen poſitiuè, ſcilicèt perſuadendo ex vi ſolutionum poſsibilitatem poſitiuè, eo quod, qui ſoluit argumenta, non indiget procedere ex veris, & euidentibus, ſed ſufficit credere, arguentem non conuincere ſuo argumento id, quod intendit in illo.

Vel ſi mauis, dic, quod licèt ratio naturalis attingat, & euidentèr cognoſcat, quod non repugnat aliquod myſterium, ac proinde poſsibilitatem Incarnationis ex vi alicuius, vel alterius argumenti, nimirum, quia cognoſcat, quod propria ſubſiſtentia diſtinguatur realitèr ab humanitate, ex hacque parte non repugnare, quod eius officium ſuppleat alia ſubſiſtentia ſuperior, & in cæteta, non tamen habet euidentiam, an ſint alia argumenta, ex quibus probetur, nō eſſe poſsibile.

Opponunt tertio. Poſsibilitas huius myſterij poteſt naturali lumine cognoſci; etenim Deus vt Author naturæ illud

lud cognoſcit vt poſsibile, cognoſcendo infinitatem ſuæ ſubſiſtentiæ in terminando non ſolùm ad intra, ſed ad extra: atqui Deus poteſt communicare creaturæ lumen participatum, quo cognoſcat id, quod ipſe cognoſcit, Ergo ſicut communicando creaturæ lumen ſupernaturale, per illud poteſt cognoſcere euidentèr obiectum ſupernaturale, quod ipſe cognoſcit; ita communicando lumen naturale intellectus, poterit creatura euidentèr cognoſcere per illud poſsibilitatem myſterij, quod Deus vt Author naturæ cognoſcit.

Reſpondeo, Deum conſideratum vt Authorem naturæ non cognoſcere euidentèr poſsibilitatem huius myſterij; nam licèt cognoſcat ſuam infinitam ſubſiſtentiam in terminando, non tamen vtcumque, ſed in terminando naturam ipſi connaturalèm, non aliam, qualis eſt terminatio naturæ humanæ; Etenim ſicut in Deo diſtinguimus duas rationes virtualitèr, vel eminentèr diſtinctas, nimirum eſſe principium *quod* rerum naturalium competens ipſi, vt eſt Author naturæ, & eſſe principium *quod* rerum ſupernaturalium, quod ipſi conuenit, vt eſt Author gratiæ, cum tali excluſione, quod verificetur, vt per id, per quod eſt principium rerum naturalium formalitèr, nõ ſit formalitèr principium rerum ſupernaturalium; ita ſimilitèr diſtinguimus duplicem ſcientiam virtualiter, vel eminentialitèr diſtinctam, per quam ſe ipſum, & ea, quæ poteſt, cognoſcat, vnam naturalem, per quam ſe ipſum, vt Authorem naturalem, & omnia alia, quæ ad hunc ordinem pertinent; ſupernaturalem alterã, per quam ſe ipſum, vt Authorem gratiæ, & omnia, quæ ad hunc ordinem ſpectant, noſcit: terminatio autem ſubſiſtentiæ Diuinæ reſpectu humanitatis ad ordinem pertinet ſupernaturalem, ac proinde ab ipſo, vt eſt Author naturæ, non poteſt cognoſci, neque à quacumque creatura habente lumen naturale participatum.

Vrgebis. Deus, vt Author naturæ, euidentèr cognoſcit ſuam ſubſiſtentiam, vt infinitam in terminando: atqui ex infinitate ſubſiſtentiæ Diuinæ prouenit eius terminabilitas actiua reſpectu humanitatis: *Diuinum enim ſuppoſitum* (inquit D. Thom. quæſt. 3. art. 1. ad 2.) *poſſe terminare naturam humanam, prouenit ex eius infinitate.* Ergo cum Deus, vt Author naturæ, euidentèr cognoſcat Diuinum Verbum, cognoſcet etiam habere infinitam virtutem terminatiuam actiuè ad extra, ac proinde, cognita illa, poſsibilitas huius myſterij cognoſcetur.

Dic, quod licèt Deus, vt Author naturæ, cognoſcat infinitatem ſubſiſtentiæ, non autem infinitatem ſimplicitèr, ſed ſolum infinitatem quaſi ſecundum quid, ſcilicèt, illam, quæ ab ordinem naturæ pertinet, & vt terminet naturam Diuinam, vt eſt principium rerum naturalium, non autem, vt terminat naturam diuinam, vt eſt principium rerum ſupernaturalium, & ex hac vltima infinitate, quæ talis ſimplicitèr eſt, prouenit, quod Verbum Diuinum poſſit naturam humanam terminare; & hoc eſt, quod voluit S. Thom. loco citato.

Reſolutio quæſtionis, quoad cognitionem myſterij exiſtentis.

ARTIC. III.

RESolutio noſtra ſit, Nulla creatura, ſiuè humana, ſiuè Angelica poteſt lumine naturali euidentèr cognoſcere exiſtentiam huius myſterij, adhuc ſuppoſito, quod ſit à parte rei. Hanc reſolutionem probant omnia loca à nobis adducta pro reſolutione præcedenti, ſimul cum ratione eiuſdem; eandem enim ſupernaturalitatem habet myſterium exiſtens, quàm vt poſsibile, ac proinde eandem improportionem, vt ab intellectu creato lumine naturali non poſsit euidentèr cognoſci.

Cæterum in fauorem Scoti opponunt primo aduerſarij, Angelus de facto cognoſcit humanitatem Chriſti ſubſiſtentem, ſed non ſubſiſtentem propria ſubſiſtentia, cum eam non habeat. Ergo aliena, & non creata, hæc autem non poteſt alienam naturam terminare defectu infinitudinis, vt ex D. Tho. art. præced. arguebamus. Ergo increata; ſed in hoc conſiſtit exiſtentia huius myſterij. Ergo naturalitèr ab Angelo cognoſcitur.

Reſpondeo, quod licèt Angelus de facto lumine naturali cognoſcat humani-

nitatem Chriſti ſubſiſtentem, & non propria ſubſiſtentia, non tamen ideò cognoſceret naturalitèr, ſubſiſtere aliena, & Diuina, eo quod hoc eſſet obiectum extra ſpheram ſuæ potentiæ naturalis; ad ſummum enim dubitaret, non videns in humanitate ſubſiſtentiam naturalem, qualitèr hoc contigiſſet? an ex negatione concurſus Dei ad illam intuendam? an ex eo, quod ſuppleretur à Deo propria ſubſiſtentia per manutenētiam ſuam? modum autem, quo hoc fieret, ignoraret, & ſi circa illum iudicaret, errori ſe exponeret.

Opponunt ſecundo. Si humanitas Chriſti propriam haberet ſubſiſtentiā, naturalitèr ab Angelo cognoſceretur, quia eſſet obiectum ſuæ potentiæ proportionatum: ſed carentia propriæ ſubſiſtentiæ, etiam eſt obiectum ſuæ potentiæ proportionatum; nullam enim maiorem proportionem, vel improportionem, habent priuationes, quam habent formæ, quibus priuant; vnde communitèr dicitur, cognoſci per illas. Ergo ſicut, ſi humanitas haberet propriam ſubſiſtentiam, illam Angelus naturalitèr cognoſceret, ita habens illius priuationem, hæc ab eodem Angelo naturalitèr cognoſceretur, ac per conſequens, cum hanc carentiam habeat per ſubſiſtentiam Verbi humanitatem terminantis, in quo conſiſtit hoc myſterium, naturalitèr ab Angelo cognoſceretur.

Hoc argumentum, licèt non ita artificiosè compoſitum, ita præſit Authores, vt propter eius difficultatem in varias diuiſi ſint ſolutiones. Relictis tamen aliquibus, quas adducit Medina hic quæſt. 2. quem optimè impugnat Cabr. diſp 4. §. 3. num. 15. communiorem adducam, quam ſequitur idem Cabr. num. 21. nimirum non poſſe Angelum naturalitèr cognoſcere carentiam propriæ ſubſiſtentiæ humanitatis; cuius ratio eius eſt, quia cum carentia propriæ ſubſiſtentiæ fiat per Verbum Diuinum, tanquam per aliquid cum propria ſubſiſtentia incompoſsibile, & non poſſit Verbum Diuinum naturalitèr ab Angelo cognoſci; ita neque carentia propriæ ſubſiſtentiæ in humanitate Chriſti.

Verum hæc ſolutio, licèt fortaſis ſoluat argumentum, prout ab ipſo ponitur, non tamen vim eius eneruat, prout à me poſitum eſt; contra quam facit primo id, quod in argumento tetigi, nimirum, eandem proportionem habere carentiam cum potentia, quam habet forma illius carentiæ. Ergo ſicut, ſi eſſet ibi forma, ſcilicèt ſubſiſtentia propria, quâ caret humanitas, naturalitèr ab Angelo cognoſceretur; ita eius carentia, quæ ibi eſt, naturalitèr cognoſceretur; ſicut ſi quis cognoſceret, aliquem habere viſum, ſi poſtea caſu eueniret, illum viſu priuari, cognoſceret hanc priuationem ex eo, quod cognouit formam.

Facit ſecundo contra ſolutionem cōmunem, quia licèt carentia propriæ ſubſiſtentiæ humanitatis fiat per Verbum, tanquam per aliquid cum propria ſubſiſtentia incompoſsibile, quaſi poſitiuè, non tollit quominus ipſa carentia propriæ ſubſiſtentiæ priuatiua, & quoad ſubſtantiam ſolum reſpiciat directè propriam ſubſiſtentiam, cum qua ſolum incompoſsibilis eſt; cum ſubſiſtentia autem Verbi non eſt incompoſsibilis carentia propriæ, cum de facto ſimul reperiantur. Ergo non tollit, quominus ipſa carentia propriæ ſubſiſtētiæ quoad ſuā ſubſtātiam (ad modū, quo poteſt dici, eſſe in illa aliqua ſubſtantia) ſit naturalis, ſicut ipſa propria ſubſiſtentia, cuius eſt carentia, ac proinde naturalitèr cognoſcibilis ab Angelo, qui vim haberet ad cognoſcendam naturalem eius formam.

Reſpondeo ergo ad argumentum, quod Angelus naturalitèr cognoſcit in humanitate carentiam propriæ ſubſiſtētiæ, quoad ſubſtantiam, non autē quoad modum; carentia enim quoad ſubſtantiam, cum directè reſpiciat ſubſiſtentiā propriam, quæ naturalis eſſet, ſi ibi eſſet, & ab Angelo cognoſceretur, id ipſum habet carentia; carentia autem quoad modum directè ſolum reſpicit modum, quo humanitas Chriſti ſpoliata fuit ſubſiſtentia propria, quam ipſa naturalitèr expoſcebat; cum autem mod⁹ iſte ſupernaturalis ſit, vtpotè impediens id, quod iuxta exigentiam cauſarum naturalitèr humanitati debebatur (modo huiuſmodi carentia fieret per meram ſuſpenſionem concurſus ad producendam propriam, vt potuit fieri; modo per ſubſtitutionem alterius ſuper excellentis, (vt fuit facturo) non po-

Digitized by Google

poterat ab Angelo cognoſci naturali lumine propter improportionem modalem ex parte obiecti, ac proinde nec exiſtentia myſterij Incarnationis, cum hoc non ſolum dicat carētiam propriæ ſubſiſtentiæ in humanitate quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad modum, & talem modum, ſcilicèt per ſubſtitutionem alicuius ſubſiſtentiæ Diuinæ, & increatæ Verbi Diuini.

Quidnam dicendum de conuenientia Incarnationis?

ARTIC. IV.

PRo cuius luce ſtatuo prius, quod conueniens dicit relationem ad id, cui eſt conueniens: vnde cum in noſtro myſterio duo ſint extrema, in ordine ad quæ poſsit aptari conuenientia, nimirum Deus aſſumens, & natura aſſumpta, de vtroque examinada eſt; nam licèt in hoc art. 1. D. Thom. conuenientiam Incarnationis ſolum probet ex parte Dei, in ſolutione tamen ad 2. aliqualitèr tetigit conuenientiam reſpectu naturæ humanæ, quando illam negauit dicens: *Quod vniri Deo in vnitate perſonæ non fuit conueniens carni humanæ, ſecundum conditionem ſuæ naturæ*. Vnde deducitur, conuenientiam in præſenti ſolū ſignificare id, quod conuenit alicui iuxta exigentiam ſuæ naturæ; eo modo, quo conueniens dicitur cauſam ſecundam agere dependentèr à prima; & diſconuenientia, quæ conuenit rei nō iuxta exigentiam ſuæ naturæ; ſicut diceretur diſconueniens naturæ creatæ agere independentèr ab increata. Primum horum probauit D. Thom. in corp. art. & ſecundum ad 2. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio prima ſit. Incarnatio non fuit conueniens humanitati, licèt inæſtimabilē ei contulerit dignitatē. Eſt certiſsima reſolutio quoad vtrãque partē; quoad primã autē probatur à D. Th. loc. cit. ad 2. ex quo ſic poteſt argui. Vnio Verbi cum humanitate non fuit iuxta conditionem, & exigentiam humanitatis, potiùs autem fuit ſupra eius exigentiam, & conditionem. Ergo talis vnio non fuit illi conueniens. Conſequentia patet, quia eo modo, quo in corp. artic. probauerat conuenientiam vnionis reſpectu Dei, & eam explicuerat in ſolutione ad 2. probauit, & explicuit diſconuenientiam reſpectu humanitatis; aliàs enim S. Doctor non recto tramite proceſsiſſet: atqui conuenientiam probauerat in corp. reſpectu Dei, ex eo quod hæc vnio, & communicatio erat iuxta exigentiam ſummi boni, qualis eſt Deus. Ergo quia huiuſmodi communicatio quaſi paſsiua non erat iuxta exigentiam naturæ humanæ, ſed potiùs ſupra, non fuit conueniens ipſi talis communicatio.

Quoad ſecundam autem partem ſic probatur reſolutio; quia humanitas per huiuſmodi vnionem eſt ſubſiſtens in perſona Verbi, & eſt natura Filij Dei, aliaſque innumeras acquiſiuit dignitates, quas elegantèr explicat D. Thom. 4. cont. gent. cap. 54. propter quod Auguſt. lib. de prædeſt. Sanct. cap. 15. affirmat: *Ad tantam dignitatem euecta eſt natura, vt ad quod attolletur altius, non haberet*. Et hanc dignitatem redundaſſe in totam naturam humanam probat libr. 13. de Trinit. capit. 17. immò, & toto vniuerſo pulchritudinem attuliſſe, cùm per illam decoretur omnibus ordinibus poſsibilibus, ſcilicèt naturali, ſupernaturali, & hypoſtatico. Ergo huiuſmodi Incarnatio inæſtimabilem contulit dignitatem, non ſolum humanitati Chriſti, ſed toti naturæ, & vniuerſo mundo.

Contra primam partem reſolutionis obijcies ex D. Thom. in hoc art. ad 1. & in quæſt. 4 art. 1. vbi dicit: *Naturam humanam habere congruitatem, vt aſſumatur à Verbo, & conuenientiam, cum ſit mutabilis, vt non ſemper eodem modo ſe habeat*. Ergo iuxta exigentiam naturalem ipſius, congruum, & conueniens eſt ille Incarnatio. Reſpondeo, D. Tho. intelligendum eſſe de conuenientia, & congruentia ſecundum potentiam obedientialem, ſecundum quam congruū, & conueniens eſt, vt aſſumatur, & mutetur ſupernaturalitèr, vt non ſemper eodem modo ſe habeat, non autem ſecundum potentiam naturalem, ſecundum quam ſolum eſt illi conueniens, & congruum, vt mutetur mutatione naturali, vt non ſemper eodem modo in hoc ordine ſe habeat; vt ipſe ſe explicat in ſolutione ad 2.

Reſolutio ſecunda ſit. Incarnatio fuit conueniens Deo. Eſt etiam certiſſi-

Digitized by Google

ſima apud omnes reſolutio; eam probat D. Thom. aliquibus rationibus, quæ, licèt aliquas patiantur difficultates, benè tamen intellectæ efficaciſsimæ ſunt. Prima eſt in argumento *Sed contra*. Quæ in hunc modum poteſt efformari. Id dicitur conueniens reſpectu Dei, medio quo eius attributa manifeſtantur, iuxta illud Apoſtoli Roman. 1. *Inuiſsibilia Dei, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Atqui media Incarnatione inuiſibilia attributa Dei intellecta conſpiciuntur, iuxta illud Damaſc. lib. 3. Fidei Orthod. cap. 1. in medio. *Per Incarnationis myſterium monſtratur ſimul bonitas, & ſapientia, & iuſtitia, vel potentia Dei, vel eius virtus; bonitas quidem, quia non deſpexit proprij plaſmatis infirmitatem; iuſtitia vero, quia homine victo, non alio, quam hoc, fecit vinci tyrannum; ſapientia, quia inuenit difficillimi pretij ſolutionem; potentia denique, ſiue virtus infinita, quia nihil eſt maius, quam Deum fieri hominem.* Ergo Incarnatio per ſe fuit conueniens reſpectu Dei.

Contra huiuſmodi reſolutionẽ obijcies. Non ſolum non manifeſtantur attributa Dei per Incarnationem, ſed magis occultantur, & abſconduntur, iuxta illud Iſai. *Deus tuus abſconditus.* Sapientia enim Dei non oſtenditur, ordinando maius bonum in minus bonum, ſicut neque iuſtitia, obligando innocentem, Chriſtum, ſcilicèt, vt pro homine peccatore ſatisfaciat. Ergo ex ratione D. Thom. non benè colligitur conuenientia Incarnationis reſpectu Dei.

Reſpondeo, negando antecedens. Iſaias autem ideo vocat Deum abſconditum, quia aſſumpſit ſimilitudinem, & imaginem peccati, cum quo tamen compatitur, vt operando Diuina manifeſtaretur eſſe Deum, qui videbatur homo; ſapientia autem etiam oſtenditur, nam licèt ordinaret maius bonum, quale eſt Incarnatio, in minus bonum, quale eſt remedium peccati, non fuit hoc contra ſapientiam, nec contra oſtenſionem eius, ſiquidem, licèt illud ordinauerit in iſtud tanquam in finem *cui*, totum hoc ordinauit vlterius in ſe ipſum tanquam in finem *vltimum qui* vel *propter quid*, iuxta illud: *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Deus.* Vt optimè explicat D. Thom. in 2. diſt. 15. quæſt. 1. art. 1. Nec contra iuſtitiam fecit Deus, obligando innocentem ad mortem pro peccatoribus, cum ipſe liberè ſe obtulerit, iuxta illud Iſa. 13. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Quo autem modo liberè ſe obtulerit cum obligatione operandi ex præcepto, ad quæſtion. 19. diſcutiam.

Secunda autem ratio, quam adducit D. Thom. in corp. art. ad probandam noſtram reſolutionem, plures inuoluit, quæ omnes ad hanc ſub hac forma poterunt reduci. Illud eſt conueniens reſpectu alicuius, quod eſt iuxta conditionem, & exigentiam propriæ naturæ, vt conueniens eſt igni calefacere, aquæ infrigidare, homini ratiocinari: Atqui iuxta conditionem propriæ naturæ Dei eſt, quod ſe alijs ſummo modo communicet; etenim cum de ratione boni, vt ſic, ſit ſe alijs communicare, & diffundere, iuxta definitionem Dioniſij cap. 4. de diuin. nomin. iuxta conditionem talis boni, ſcilicèt Diuini, cum ſit ipſa bonitatis eſſentia, vt idem Dioniſ. ait cap. 1. erit, quod alijs ſe ſummo modo communicet; nullus autem modus amplius ſe communicandi eſt, quam hypoſtaticus, per quem vna perſona ſit ex tribus, Verbo, ſcilicèt, anima, & carne, vt dicit Auguſt. lib. 13. de Trinit. cap. 17. Ergo hoc conueniens fuit Deo.

Contra iſtam etiam rationem plura obijciunt communitèr Authores ex Caietano deſumpta, quæ ad duo capita reduci poſſunt. Vnum eſt, non verificari in Incarnatione, quod per illam Deus ſummo modo ſe communicauit; Alterum, non eſſe de ratione ſummi boni ſummo modo ſe alijs cõmunicare. Primum caput, ex quo poteſt obijci contra rationem S. Thom. ſumitur ex eo, quod non videtur ſummus modus ſe communicandi Dei, quod ſit per Incarnationem Verbi; primo, quia maior modus ſe communicandi eſſet, ſi aſſumeret omnes naturas creatas vniuerſi, tam in ſpecie, quam in indiuiduo; ſecũdo, ſi non ſolùm ſecunda Trinitatis perſona, ſed omnes incarnatæ fuiſſent, cũ non eſſet exauſta omnipotentia Dei, vt poſſet vnum, vel alterum facere. Ergo ex ſumma bonitate Dei non rectè arguit S. Thom. Incarnationem Verbi fuiſſe ſummam eius communicationem.

Reſpondeo, quod ea, quæ dependent

Digitized by Google

ex voluntate Dei nullam habent rationem, niſi ipſam Dei voluntatem, quare cum potuerit Deus omnes naturas vniuerſi aſſumere, & omnes tres Diuinas perſonas incarnari, cum non fuerit exhauſta omnipotentia Dei, & nec vnum fecit, nec aliud, ſolum poteſt reddi aliqualis congruentiæ ratio; quare ideo primum non fecit; quia communicando ſe naturæ humanæ, quodummodo omnibus naturis ſe communicauit; habet enim natura humana commune aliquid cum omnibus, ideoque appellatur homo *Michochroſmos*. In quo ſcilicèt continentur quodammodo omnes naturæ; corporea, vegetatiua, ſenſitiua, & rationalis; & ideo in Scriptura appellatur homo: *Omnis caro*. Iſai. 4. *Et videbit omnis caro ſalutare Dei*. Et Marc. vlt. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*. Quòd autem non fuerint omnes tres perſonæ incarnatæ, congruentia redditur ex eo; quod nulla creſceret Deo noua perfectio, nec vniuerſo, cum nulla ſit perfectio in Patre, & Spiritu Sancto, quæ nō ſit in Filio, qui incarnatus fuit; nec nouum beneficium fieret vniuerſo, quod non fuerit factum ex ſola Filij Incarnatione. Quare autem fuerit Filius magis, quàm alia perſona explicat optimè S. Thom. hic quæſt. 3. art. 8. per plures congruentias, & communitèr Scholaſtici apud Suar. diſput. 12. ſect. 3.

Secundum autem caput, ex quo poteſt obijci contra rationem S. Thom. ſumitur ex eo, quia communicare ſe alijs, perfectionem debet dicere in bono; nihil enim ad bonum pertinere dicitur, quod non ſit illius perfectio, vt patet in calefactione reſpectu ignis, in ratiocinari reſpectu hominis: atqui in Deo hæc ſumma communicatio per Incarnationem nullam perfectionem dicit, nam licèt poſſe ſe alijs communicare, perfectionem fortaſis dicat, ſicut eſſe volitiuum, actu tamen ſe communicare, nullam videtur perfectionem importare, ſicut neque eſſe actu volentē, aliàs cum ab æterno Deus, non ſe actu communicauerit per Incarnationem, deficeret ei aliqua perfectio. Ergo non recte arguit D. Thom. ex ſumma bonitate Dei ſummam communicationem ad extra per Incarnationem.

Hoc argumentum ita præſsit communitèr Authores, vt occaſione illius valdè immorentur in confutatione cuiuſdam ſolutionis, quam hic art. 1. §. *Ad primum dubium*. Inſinuat Caiet. & latè expendit 1. part. quæſt. 19. artic. 2. §. *Ad hoc poteſt*. & art. 3. §. *Ad hoc eſt dicendum*. De quorum numero eſt Lorca in præſenti num. 5. qui quidem Authores ſi ſenſum, & verba carperent Caietani his in locis, non tam acritèr eum audaciæ notarent, vt facit Fonſeca tom. 3. Methaph. lib. 7. cap. 8. quæſt. 5. ſect. 3. & temeritatis, vt communitèr faciūt omnes: fortaſis enim, & ipſi incidunt in ſententiam Caiet. dum propriam explicant, vt contr. Fonſec. arguit ex noſtris in manuſcriptis doctiſsimus Pater, & meus Mag. Michael de Peralejos in mat. de volunt. cap. 2. ſect. 2. §. 2. & quidem ego veriſsimam iudico Caiet. ſententiam in hac re; nec argumenta ſunt contra illam, quæ non æquè militent contra cæteras explicantes Diuinam libertatem in actu ſecundo, vt quæſt. ſequenti latè explicabimus.

Quia tamen non opportet in propoſito ad hæc recurrere, vt hic inquit Caietan. Reſpondeo cum ipſo alitèr ad argumētum, quod de ratione boni ſe communicantis eſt, quod dicat perfectionem in communicante, vel in illo, cui communicatur, liberam, vel neceſſariam, iuxta modum communicationis; nam vtroque modo Deus ſe communicat, liberè ad extra, neceſſariò ad intra; Incarnatio autem, licèt non diceret perfectionem neceſſariam, ſed liberam in Deo cōmunicāte, cū ſit opus ad extra, ſufficit, quod in creatura, cui cōmunicatur, illam dicat, ad rationem autē boni pertinet ſe ipſum communicare, vel acquirendo ſibi aliquam bonitatem, vel bonificando rem, cui communicatur; & hoc eſt, quod intendit ratio D. Thom.

Nec contra hoc facit id, quod obijcit Lorca loc. cit. ſcilicèt, quod iuxta hanc ſolutionem non videtur concludi intentum litteræ D. Thom. etenim intentum eſt probare conuenientiam Incarnationis ex parte Dei, ad hoc autem requiritur, quod aliquomodo ſit bonū Dei, & perfectio eius. Ergo ſi, iuxta ſolutionem à nobis datam, Incarnatio ſo-

lum

lum eſt bonum, & perfectio creaturæ, cui communicatur, ſolum inferretur ex ratione S. Thom. conuenientia illi• ex parte creaturæ, non ex parte Dei. Non, inquam, hoc valet; nam ad concludendam conuenientiam Incarnationis ex parte Dei, non eſt neceſſarium, quod communicare ſe alijs ſit Dei perfectio, ſumpta perfectione in ſua ſtricta ſignificatione, in qua ſolum id dicitur perfectio reſpectu alicuius, quod reſpicit illud vt ſubiectum; qua ratione communitèr à Thomiſtis dicitur, relationes Diuinas, ſecundum conceptum *ad* nullam dicere perfectionem, quia ſecũdum hunc non reſpiciunt ſubiectum, ſed terminum, ſed ſufficit, quod ſit perfectio aliqualitèr, & extenſiuè, quatenus eſt aliquid bonum, & iuxta naturam, & exigentiam Dei, ſe liberè alijs communicare; neq; enim omne, quod eſt bonum Deo, perfectio eius dicitur intenſiua, ſicut adoratio, quam exhibet creatura, bona eſt Deo, non autem eius perfectio ſtricta, ſed quaſi quoddam debitum ipſi; frigefactio bona eſt aquæ frigefacienti, quia iuxta eius naturam, & exigentiam; & hoc modo eſt bona Incarnatio, & conueniens reſpectu Dei, & perfectio libera ſe ad extra alijs communicare. Vt loculentèr moſtrabimus quæſt. ſequenti.

Nec denique cõtra totum diſcurſum aliquid valet, ſi iterũ obijciatur, quod huiuſmodi communicatio bonitatis Dei pertinet ad genus cauſæ efficientis, efficientèr enim huiuſmodi bonitas diuina ſe communicauit creaturis; primo, in eſſe naturali illas producendo; ſecundo, in eſſe gratiæ illas ad ordinem ſupernaturalem eleuando, tertio, in eſſe hypoſtatico illas ad eſſe Dei euehendo: atqui multæ res creatæ bonitate præditæ non habent huiuſmodi vim effectricem ſe communicandi, vt patet in formis ſubſtantialibus, quæ non efficientèr ſuis materijs bonitatem communicant. Ergo non recte arguitur ex bonitate rei effectiua illius communicatio, ac per conſequens, neque ex ſumma bonitate ſumma communicatio.

Non, inquam, valet; nam licèt ex bonitate rei non arguatur communicatio, nec vis communicatiua per modum efficientis, arguitur tamen ex bonitate, communicatio, & vis communicatiua, & ex tali bonitate, talis communicatio, & talis vis communicatiua, iuxta diuerſa genera cauſarum bonitatum: Vnde licèt formæ ſubſtantiales non communicent materijs ſuam bonitatem efficientèr, nec talem vim habeant, ſed formalem reſpectu earum; & reſpectu aliorum habeant vim effectricem ſe communicandi, quatenus rationes ſunt agendi radicales ſuppoſito, in quo ſunt, ideo eſt, quia determinatam habent bonitatem; Deus autem, quia imbibit omne genus bonitatis, ſe communicat in omni genere cauſæ, ſecluſis imperfectionibus, & ita non ſolum in genere cauſæ efficientis, vt in tribus modis annumeratis, ſed, & finalis, quatenus media ſui cognitione allicit appetitum, vt ametur, & formalis, quatenus, licèt nõ ſit forma reſpectu creaturæ, nec reſpectu ſui, præſtat effectus formales, ac ſi forma foret; ſolum enim in genere cauſæ materialis, cum potentialitatem inuoluat, repugnat ipſi ſe communicare. Pro qua maiori intelligentia quæſtionem circa conſtitutionem actus liberi Dei operæ prætium duxi reſoluendam poſt articulum ſequentem, ne quæſtio incepta de poſsibilitate, conuenientia, & neceſsitate Incarnationis interrumpatur.

Quidnam dicendum de neceſsitate Incarnationis?

ARTIC. V.

PRo cuius lucè ſtatuo prius ex S. Th. in hac q. art. 2. Neceſſariũ eſſe duplicitèr; vno modo ſine quo aliquid eſſe nõ poteſt, vt cib⁹ dicitur neceſſarius ad conſeruandam vitam, & hoc dicitur neceſſarium ſimplicitèr, alio modo, per quod melius peruenitur ad finem, ſicut equus eſt neceſſarius ad iter agendum, & hoc vocatur neceſſarium ſecundumquid; vtrumque autem hoc genus neceſſarij poteſt dici ex ſuppoſitione, licèt primum ſignificatur ſimplicitèr cũ ordine quodam, quod neceſſarium primo modo dicatur ſimplicitèr ex ſuppoſitione vitæ conſeruandæ; ſecundum autem dicitur neceſſarium ſecundum quid, adhuc ex ſuppoſitione itineris agendi, quia licèt abſolutè poſsit fieri ſine equo, ad melius autem, & conuenientius

Digitized by Google

tius neceſſarius eſt equus. In præſenti autem quærimus, quonam ex his modis ſe habeat Incarnatio? An videlicèt, ex ſuppoſitione, quod reparandum ſit genus humanum à peccato, ſit ſimplicitèr neceſſaria, vel ſolum ſecundū quid, & ad melius? Vbi dicendum etiam erit; An ſuppoſito, quod reparandum eſſet media ſatisfactione condigna; neceſſaria fuerit ſimplicitèr Incarnatio? Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio prima ſit. Adhuc ex ſuppoſitione reparationis generis humani, non fuit ſimplicitèr neceſſaria Incarnatio. Eſt communis reſolutio apud Authores ex Patribus deſumpta, vt hic latè Gabr. Vazq. & Suar. cum noſtro Auerſa hic quæſt. 1. ſect. 4. & probatur ratione S. Thom. in corp. huius art. *Nam Deus per ſuam omnipotentem virtutem poterat humanam naturam multis alijs modis reparare.* Nimirum, vel gratis offenſam condonando, ille enim, qui offenſus eſt, gratioſè poteſt offenſam remittere; vel poterat pacari ſatisfactione imperfecta, qualem homo poterat ellicere, quod ſi aliquando Patres inſinuare videantur, non decuiſſe, aut non potuiſſe, ſuppoſito lapſu naturæ, alitèr, niſi media Incarnatione reparari, vt facit Anſel. lib. 1. cur Deus homo cap. 4. & alij, intelligendi ſunt, non de poteſtate ſimplicitèr, & abſoluta, ſed de poteſtate ad melius, & congruentius, ex eo ſcilicèt, quia non poteſt hoc per aliud medium congruentius fieri; vel intelligēdi ſunt, non ſolum ex ſuppoſitione reparationis abſolutæ, ſed ex ſuppoſitione reparationis per condignam ſatisfactionē, vt jam dicam.

Reſolutio ſecunda ſit. Suppoſito decreto reparationis generis humani, fuit neceſſaria Incarnatio ſecundum quid ad meliùs, & congruentius illud reparandum. Eſt etiam concors apud Authores ex Patribus etiam deſumpta, qui quidem vbicumque de negotio agunt Incarnationis, aſſerunt, illam eſſe congruentius medium, non autem neceſſarium. Legatur Athanaſ. ſerm. 3. contra Arrianos, Auguſt. 13. de Trini. cap. 10. & alij plures, quos communitèr citant Authores; tum hic cum noſtro Auerſa loc. cit. tum in 3. diſt. 20. & probatur à Sanct. Thom. in hoc artic. 2. ex authoritate Auguſt. lib 17. de Trinit. cap. 10. *Verū etiam oſtendamus* (inquit Auguſt.) *non alium modum poſſibilem Deo defuiſſe, cuius poteſtati omnia æqualiter ſubiacent, ſed ſanandæ miſeriæ noſtræ conuenientiorem alium modum non fuiſſe.* Et etiam ex ratione, quam latè proſequitur per corp. artic. nam per hoc medium tot vtilitates, tùm ipſi Deo, tum humanæ naturæ accreuerunt; illi quidem, quatenus per hoc magis relucet eius miſericordia, non ſolum in remittendo peccatum, ſed etiam in donando nobis Vnigenitum ſuum, vindictam ſumens in illo de peccatis noſtris, iuxta illud Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum Vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Naturæ autem humanæ, quatenus per hoc medium quintuplicitèr promouetur ad bonum, Fidei, ſcilicèt, Spei, Charitatis, operis recti, & Diuini conſortij; & quintuplicitèr etiam remouetur à malo, diabolicæ, ſcilicèt, ſeruitutis, deiectionis propriæ, præſumptionis, ſuperbiæ, ſeruitutiſque peccati; quæ omnia elegantèr probat Angelicus Doctor quam plurimis Sacræ Scripturæ, & Patruum teſtimonijs.

Reſolutio tertia ſit. Ex ſuppoſitione, quod reparandum eſſet genus humanū ſatisfactione condigna, & ad æqualitatem, fuit ſimplicitèr neceſſaria Incarnatio, ita vt illa ſecluſa, nullatenus daretur condigna ſatisfactio pro peccato. Quam etiam reſolutionem veriſſimam iudico; nam vt probat Sanct. Thom. in hoc artic. non poterat, qui non eſſet ſimul Deus, & homo, condignam pro peccato ſatisfactionem offerre, ſicut obtulit perfectam, & condignam ſatisfactionem per actum Charitatis, vel alium, qui infinitum habeat valorem in genere meriti: quæ omnia clarius ex dicendis quæſtionibus ſequentibus conſtabit.

Quanam ſententia Caietani circa conſtitutionem actus liberi Dei, & an ſit probabilis, & vera?

QVÆST. II.

IN Hac re fere omnes Authores, quos ſuppreſſo nomine refert Baſilius Legionenſis in ſuis varijs diſputationibus, quæſt. 6. ſcholaſt. & nonnulli etiam ex modernis Scriptoribus, ſententiam, quam in hoc puncto expreſsit Caietanus, tum in hac 3. part. quæſt. 1. articul. 1. §. *Ad primum dubium*, tùm etiam latè 1 part. quæſt. 19. art. 2. acritèr impugnãt tanquam parum probabilem, & tutam: Verùm, quia ego ſemper ſententiam Caietani in hac re veriſsimam reputaui, neque ex illa aliquod inconueniens ſequi, quod nõ ſequatur etiam in quacumque ſententia circa conſtitutionem diuini decreti, ideò hic examinandam propoſui (vt promiſsi quæſt. præced. art. 4. in fine) ſententiam Caietani, vt tantum Magiſtrum à calumnia, quã communitèr Authores imponunt, liberatem; quod vt faciam, prius libuit proponere Caietani ſententiam.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo, quod Caietanus loco præallegato, §. *Ad hoc poteſt.* Aſſerit, quod volitio libera Dei erga creaturas eſt perfectio quædam diuinæ voluntatis, non neceſſaria, ſed voluntaria, quæ proinde abſque aliquo inconuenienti potuit deeſſe Deo; quoniam hoc additum, ſcilicèt, *voluntaria* eſt conditio diminuens rationem perfectionis reſpectu eius, in quo eſt; quoniam per hoc ſignificatur, quod eius oppoſitum, ſcilicèt, *nolitio creaturarum*, non eſt imperfectio, quia æquè perfectus eſſet Deus nolendo creaturas, ac eas volendo: Vnde non eſt concedendum in ſententia Caietani abſolutè, quod ſi à Deo abeſſet creaturarum volitio, deeſſet illi aliqua perfectio, niſi addatur illa particula, *voluntaria*, vel *libera*. Hæc eſt tota Caietani ſententia fidelitèr relata; vnde conſtat, quam falſo aliqui imponunt Caietano, ipſum ſenſiſſe hanc perfectionem eſſe realitèr superadditam actui neceſſariò Dei, realitèrque ab ipſo diſtinctam, cum ipſe nec leuitèr hoc inſinuet, nec ſit aliquod fundamentũ, ob quod cogámur ad hoc illi tribuendum: Igitur eas ſolas propoſitiones cogimur defenſare, quæ in contextu Caietani habentur, non autem illas, quæ ipſi falſo imponuntur: docuit ergo Caietanus, actum liberum Dei eſſe perfectionem voluntariam Deo, ſicut quilibet actus liber eſt perfectio reſpectu eius, in quo eſt.

Obſeruo ſecundo; ad rationem perfectionis tantum deſiderati, quod ſit aliquid conueniẽs rei, reſpectu cuius dicitur perfectio (& sũmo hunc terminũ *conueniens*, prout opponitur diſconuenienti, aut repugnanti) probatur hoc ex communi modo concipiendi, & loquendi, quo tunc dicimus rem eſſe perfectam, quando habet omne, quod eſt ſibi conueniens excluſo omni repugnánti, aut diſconuenienti; ergo id erit perfectio, quod eſt ſibi conueniens, & conforme, ex cuius poſſeſsione res dicitur perfecta. Addo, quod duplicitèr poteſt dici aliquid conueniens alicui; primo ex neceſsitate naturæ, & exigentia, ita vt eo deficiente res omnino imperfecta eſſet, ſicut ſe habet reſpectu Dei ſapientia, v.g. ſi enim ei deeſſet, & huius oppoſitum haberet, ſcilicèt, inſipientiam, perfectus non eſſet, imò neque Deus; alio autem modo dicitur aliquid cõuenire alicui, ſcilicèt per modum cuiuſdam condecentiæ, quod ita dicitur eſſe ei conueniens, vt eius oppoſitum nõ ſit diſconueniens, nec res quoad ſuã naturã eſſet ob hoc minus perfecta ſub vno, quã ſub altero, ſic dicitur conueniens ſummo bono communicare ſe ipſum (non dico eſſe communicatiuum, quia hoc reducitur ad primum modum conueniendi) decet enim bonitatem ſummam ſe ipſam alijs communicare, vt cætera per ipſam perficiantur. Et in hoc fun-

Digitized by Google

fundat Sanct.Thomas 3.part. quæſt. 1. articul. 1. conuenientiam Incarnationis; ita tamen hoc eſt conueniens ſummo bono, vt ſi oppoſitum haberet, nihil de ſua intrinſeca perfectione,& bonitate amitteret, nec minus eſſet ſummum bonum ſic,quam alitèr; vnde, & ſi Deus incarnatus non eſſet, nihil minus haberet de intrinſeca perfectione, & bonitate ſimplicitèr,quam modò habet. Cum autem Caietanus dicit volitionem creaturarũ eſſe diuinæ voluntatis perfectionem, ſumit perfectionem in hoc ſecundo ſenſu; quod patet ex ipſo Caietano eadem quæſt. 19. art. 3. §. *Ad hoc eſt dicendum.* Vbi hunc modum amandi diuinam bonitatem, vt extendatur ad creaturas, & ab eis participetur (in quo conſiſtit volitio creaturarum) vocat perfectionem extenſiuam diuinæ voluntatis, & dicit ſtare in eo, *Quod ametur diuina bonitas ſecundum condecentiam quandam ad extra.* Ergo ſecundum Caietanum in hoc ſenſu dicitur perfectio volitio creaturarum, quatenus eſt Deo conueniens, non ſimplicitèr, & ex neceſsitate, ſed ſecundum condecentiam quamdam, in quãtum decet diuinam bonitatem ſic amari, vt ex tali amore ſit volita communicatio eius ad creaturas; & hoc idem eſt dicere, quod non pertinet ad perfectionem *intenſiuam*, ſed *extenſiuam* diuinæ voluntatis, vt ex præmiſsis conſtat, & facilè ſuadetur ratione, quia non poteſt importare maiorem neceſsitatem conueniendi Deo, volitio communicationis ad creaturas, quantum ad id præciſsè quod reſpicit talem communicationem, quàm eius obiectum, quod eſt cõmunicatio volita: atqui hoc tantum cõuenit Deo ſecundum condecentiam quandam,& non ſimplicitèr, & ex neceſsitate, vt de ſe patet. Ergo nec ipſa volitio, prout eſt huius obiecti, poteſt ſimplicitèr, & neceſſariò Deo conuenire, vt ſic cum præciſsione ſumpta, ſed ſecundum condecentiam quandam, vt explicatum eſt.

Obſeruo tertio; Caietanum tantum aſſeruiſſe, poſſe abeſſe à Deo hoc quod eſt velle creaturas, quantumuis ſit perfectio voluntaria, quia *ly voluntaria* eſt additum diminuens rationem perfectionis reſpectu eius, in quo eſt; in quo Caietani aſſerto tantum reperio ſpecialitèr dictum, quod illud velle creaturarum dicatur à Caietano diuinæ voluntatis perfectio; in quo nullam abſurditatem reperio in ſenſu à nobis iuxta Caietanum explicato, ſcilicèt, perfectio *voluntaria, extenſiua*, & ſecundum *condecentiam*: In hoc autem quod affirmat potuiſſe abeſſe à Deo, & non eſſe neceſſarium ſimplicitèr, nihil inuenio ſingulare; hoc enim ab omnibus fatendum eſt præſcindendo ab hoc, quod talis perfectio abſit hoc, vel illo modo, ſcilicèt, quoad formalitatem, virtualitatem, eminentiam, terminationem, vel denominationem, iuxta varias ſententias. Ergo cum Caietanus in hoc aſſerto non expreſſerit, quid ſit illud, quod vltimatè conſtituit volitionem liberam creaturarum in eſſe talis, nec qua ratione illud abeſſe potuerit à Deo, ſed ſolum dixerit, id (quale illud ſit) eſſe perfectionem *liberam* in ſenſu explicato, & conſequentèr, quod ſecundum id, quod liberum eſt, potuit abeſſe, præſcindendo à modo, quo abeſſe potuit, nihil abſurditatis continet eius ſententia, quæ non contineatur in quacumque; imo omnes explicationes probabiles cuiuſcumque ſententiæ admittit Caietani ſententia, ad explicandam hanc certiſsimam veritatem, ſcilicèt, *Deum potuiſſe nolle creaturas, quas de facto voluit.*

Obſeruo quarto id, in quo omnes concertantes conuenire debẽt, ſcilicèt, quod ſemper, quod Deus vult alias res à ſe, vult priùs noſtro modo intelligendi ſuam bonitatem actu neceſſario terminato circa illam, vt in ſe bonam, ex quo actu quaſi ſecundario reſultat velle ipſam diuinam bonitatem, non vt in ſe bonam, ſed vt eſt radix amandi creaturas, & de hac vltima conſideratione, ſolum eſt diſſenſio, in quonam conſiſtat, & an dicat perfectionem aliquam liberam, non de prima, quia hæc perfectionem neceſſariam importat. Quibus ſic obſeruatis.

Expenditur, quam probabilis, immò, & vera exiſtat prædicta Caietani ſententia.

ARTIC. II.

RESolutio prima ſit: Determinatio illa, qua actus diuinæ voluntatis (aliàs neceſſarius) determinatur, vt ſit volitio libera creaturarũ, potiùs quam nolitio, eſt aliquid intrinſecum Deo verè, & realitèr in ipſo exiſtens, quamuis aliquid extrinſecum connotet, ſcilicèt, exiſtentiam, aut futuritionẽ creaturarũ; hoc enim connotatum non conſtituit, ſed conſequitur ad conſtitutionem diuinæ volitionis in ratione talis. Hæc reſolutio quantum ad hoc, quod illa determinatio, qua diuina volitio conſtituitur in ratione volitionis liberæ determinatè, ſit aliquid reale, euidens mihi eſt: aliàs penderet denominatio liberè volentis Dei à noſtra fictione, quo nihil abſurdius. Quod autem ſit intrinſeca Deo, & eius voluntati, probatur; quia ſi eſſet aliquid extrinſecum, verificaretur, quod Deus ab aliquo extrinſeco determinaretur ad volendum liberè potiùs, quam ad nolendum, quia ratio talis determinationis ſtaret, ſaltèm inadæquatè, in aliquo extrinſeco: ſed hoc eſt falſum, & contra Sanct. Thomam. Quod ſit falſum probo; quia ſicut contra rationem primi mouentis eſt, quod ab alio moueatur, ita contra rationem primi determinantis eſt, quod ab alio, adhuc inadæquatè, determinetur. Ergo cum Deus ſit primum determinans, ſicut eſt primum mouens, implicat, quod, adhuc inadæquatè, ab aliquo extrinſeco determinetur, ſicut, & quod moueatur.

Quod autem ſit contra S. Thomam ſic oſtendo ex ipſo in hac quæſtion. 19. artic 3. in reſponſione ad 5. vbi ait: *voluntas diuina determinat ſe ipſam ad volitum, ad quod habet habitudinem non neceſſariam.* Ergo illa libera, & non neceſſaria determinatio non ab aliquo extrinſeco, ſed per aliquid Deo intrinſecum ſit. Præterea vrgetur hoc; nam illud extrinſecum connotatum requiſitum ad conſtitutionem liberam Diuinæ voluntatis, vel eſt effectus voluntatis liberæ Dei, vel non; hoc ſecundum dici non poteſt, cum quilibet effectus ad extra ortum habeat à voluntate libera Dei: Si autem dicatur, vt debet dici, primum; ergo cum tale connotatum non ſit effectus neceſſarius, erit effectus liber diuinæ voluntatis, in quantum liberè vult; atqui omnis effectus ſupponit ſuam cauſam efficientem adæquatè conſtitutam, ſecundum eam rationem, qua eſt cauſa talis effectus. Ergo illud connotatum creatum non poteſt pertinere, neque adæquatè, neque inadæquatè ad conſtitutionem diuinæ volitionis liberæ in eſſe talis formalitèr.

Reſolutio ſecunda ſit. Prædicta libera determinatio eſt aliquomodo perfectio diuinæ voluntatis. Hoc expreſsit Caietanus quæſtion. 19. artic. 2. & colligit ipſe ex Sanct. Thoma ex proceſſu rationis prædicti articuli; arguit enim ſic Sanct. Thomas ad probandum Deum velle alia à ſe: *Res naturalis habet inclinationem, vt bonum ſuum diffundat in alia; ergo, & voluntas, quæ eſt inclinatio rationalis hoc ipſum habebit; ergo, & voluntas diuina*, quod autem in hoc proceſſu claudatur hæc propoſitio: *Velle alia à ſe eſt perfectio voluntatis diuinæ*, probat ſic Caietanus: *Si inclinatio in bonum alterius perfectio non ſupponeretur, non valeret proceſſus Sanct. Thomæ; ergo ponenda eſt in voluntate; ergo, & in diuina; præſertim cum omnia, quæ Deo, & creaturis communia ſunt, vt voluntas, & intellectus, &c. ad ipſum omni imperfectione ſublata transferri intelligamus, quoad id, quod perfectioni eſt.* Hæc eſt Caietani ſatis efficax probatio pro perfectione libera determinationis Dei.

Sed vlteriùs eadem reſolutio probatur efficacitèr ex doctrina data art. præcedenti, §. *Obſeruo ſecundo*, id quod eſt congruum, & aliquomodo decens naturæ, aliquomodo eſt perfectio ipſius. Ergo id, quod eſt congruum, & cõforme diuinæ voluntati, & ipſi decens, erit aliquomodo perfectio ipſius. Atqui velle bonum alijs (quod habet Deus per ſuam liberam determinationem) eſt aliquomodo congruũ, conueniẽs, &

& decens diuinæ voluntati. Ergo erit aliquo modo perfectio ipſi. Totus diſcurſus ex eo patet, quia non ſolum pertinet ad perfectionem alicuius virtutis id, quod intendit ipſam, ſed id, quod ipſam etiam extendit, vt inductiuè poteſt probari in qualibet virtute actiua; virtus v.g. ſolaris non ſolum iudicatur perfectior ex maiori intenſione, quam habet ſupra alias virtutes corporeas, ſed etiam ex eo, quod habet maiorem extenſionem, quia communicat ſuam virtutem pluribus alijs rebus, quam cæteræ virtutes corporeæ: atqui prædicta determinatio libera Dei extendit diuinam voluntatem, & bonitatem ad creaturas, quibus communicatur, quod nō habet determinatio Dei, prout neceſſaria eſt, & perfectio neceſſaria ſimpliciter. Ergo talis libera determinatio, prout libera, erit aliquo modo diuinæ voluntatis perfectio, quod amplius explicabitur reſolutione ſequenti.

Reſolutio tertia ſit. Prædicta libera determinatio tantum perficit diuinam voluntatem extenſiuè, non intenſiuè, perfectione congruitatis tantum, & cō decentiæ, non perfectione ſimpliciter; hanc enim volūtas diuina habet ſecluſa prædicta determinatione libera, per hoc præciſè, quod per actum neceſſarium ſe exerceat circa ſuam bonitatem ſecundum ſe. Hanc reſolutionem tantum intendit Caietanus, quam iudico à nemine poſſe negari. Et probatur ex ipſo quæſt. 19. artic. 3. §. *Ad hoc poteſt.* Vbi, cum diſtinxiſſet duplicem modū amandi diuinam bonitatem, vnum, ſcilicèt, intenſiuum, & neceſſarium, aliū, extenſiuum, & liberum pertinentem ad amorem, quo Deus liberè amat creaturas, ſic ait: *Inter hos tantum differt, quod primus graduat perfectionem amoris, ſecundus autem non, ſed extendit ipſum & ſi quandoque inueniatur ſcriptum, quod ſecundus pertinet ad perfectionem, intelligendum eſt de perfectione extenſiua, & non ſimpliciter: vnde in propoſito diuina bonitas neceſſariò eſt perfectiſſime volita à Deo perfectione intenſiua, quia eſt infinitè amata, ſicut eſt infinitè amabilis; ſed non neceſſariò eſt perfectiſſimè volita perfectione extenſiua, ſed liberè. Amari autē ſic, ſcilicèt, ſecundū decētiā ad extra nō ad perfectionem intenſiuā, ſed extenſiuam, pertinet; & conſequentèr non cum neceſſariò, ſed cum liberè conuenientibus Deo computanda eſt.* Quæ Caietani verba ſi Authores mordicantes viderent, vel, ſi viderunt, perpenderent, neutiquam tam acritèr contra Caietanum inueherentur, cum ipſi hanc Caietani doctrinam negare nequeāt: etenim, ſiue libertatem actus liberi Dei explicent per determinationem aliquam, vel formalitatem, vel virtualitatem, vel eminentiam ſupra actum neceſſarium Dei, negare non poſſunt, illud additum (quidquid ſit) extendere formalitèr perfectionem intenſiuam diuinæ volitionis deſumptam ex ordine ad obiectum eius primarium, ſcilicèt, bonitatem diuinam ſecundum ſe., ad creaturas, quas Deus liberè vult, media ipſa bonitate diuina prius volita, vt eſt radix earum creaturarum. Ergo negare non poſſunt prædictam determinationem eſſe perfectionem extenſiuam diuinæ voluntatis, quocumque modo explicent prædictam determinationem. Ergo cum Caietanus expreſsè negauerit hanc liberam determinationem Dei eſſe perfectionem ſimpliciter, & tantum conceſſerit eſſe perfectionem extenſiuam ex non neceſſariò conuenientibus Deo, ſed liberè, nihil improbabile docuit, quinimo neceſſariò ab omnibus admitti debet.

Vlterius perfectio iſta, quam concedit Caietanus determinationi liberæ Dei volentis, ſolum eſt perfectio *ſecundum condecentiam ad extra.* Vt conſtat ex vltimis verbis prædicti loci proximè citati; atqui hanc perfectionem hoc modo ſumptā antea expreſſerat Sanct. Thomas eadē quæſt. 19. art. 2. in corp. Vbi loquitur de Deo, ſic: *Vult ſe, & alia; ſed ſe vt finem, alia vero vt ad finem, in quantum condecet diuinam bonitatem etiam alia ipſam participare.* Ergo eſſe perfectionem hoc modo prædictam liberam determinationem tantum à nouitate abuſt, quod neceſſario eſt fatendum iuxta mentem Sanct. Thomæ, imò, & iuxta rationem; ſiquidem recta ratio dictat condecere perfectioni diuinæ bonitatis communicationem eius ad extra; cum hoc ſit de ratione ſummi boni, vt probat Incarnatio Diuini Verbi, qua ratione vſus fuit S. Thomas 3. part. quæſt. 1. art. 1. ad probandam eius conuenientiam.

Digitized by Google

Reſolutio quarta ſit. Neceſſariò fatendum eſt, præfatam liberam determinationem aliquomodo potuiſſe à Deo deficere. Hæc reſolutio neceſſariò fatenda eſt ab omnibus, quocumque modo explicent actum liberum Dei formalitèr vt talem: & probatur manifeſte, nam denominatio liberè volentis creaturas non eſt Deo neceſſaria abſolutè, & ſimplicitèr, ſed ſolum ex ſuppoſitione, quod Deus libere ſe determinauit ad hoc; cum poſſet non ſe determinare; vt certo certius eſt, apud omnes ex ſententia S. Thomæ in hac quæſt. 19. artic. 3. in fine corporis, vbi ſic ait: *Cum bonitas Dei ſit perfecta, & eſſe poſsit ſine alijs, cum nihil ei perfectionis ex alijs accreſcat; ſequitur, quod alia à ſe eum velle non ſit neceſſarium abſolutè, eſt tamen neceſſarium eſt ex ſuppoſitione.* Ergo abſolutè, & ſimplicitèr poſsibile fuit talem denominationem libere volentis creaturas potuiſſe à Deo deficere. Patet conſequentia, quia *non neceſſarium* abſolutè, & *poſsibile non* æquipolent, vt docent Dialectici. tunc ſic. Sed non potuit abeſſe à Deo talis denominatio, quin aliquomodo abeſſet forma denominans, quæ eſt prædicta determinatio, quocũque modo explicetur. Ergo talis determinatio libera Dei potuit aliquomodo à Deo deficere.

Nec valet, ſi dicas, ſufficere ad hoc, quod deficiat talis denominatio, vt deficiat connotatum formæ, etiam non deficiente forma; ſicut in probabiliſsima ſententia non diſtinguente relationem à fundamento, aſſeritur poſſe deficere denominationem relatiuam per hoc præciſsè, quod deficiat terminus connotatus ab illa. Nam contra eſt, quia vt ſupra oſtendimus, illud connotatum prædictæ liberæ determinationis Dei iam ſupponit, ſaltẽ noſtro modo intelligendi, conſtitutam liberam volitionem eius formalitèr in ratione talis, prius natura, quam intelligatur tale connotatum; quia volitio prout libera eſt cauſa eius, vnde hæc cauſalis eſt vera: *Quia Deus liberè vult mundum exiſtere, ideò exiſtit.* Ergo etiam negatio exiſtentiæ talis connotati præſupponet noſtro modo concipiendi negationem talis determinationis; quia, ſicut affirmatio eſt cauſa affirmationis, ita negatio eſt cauſa negationis. Vnde conſtat diſparitas ad exemplum de relatione adductum, quia terminus relationis non ſupponit fundamentum conſtitutum in ratione relatiui, nec terminus eſt poſterius natura fundamento ſecundum prædictam rationem, cum relatiua ſint ſimul tempore, natura, & cognitione, vt docent Phyloſophi. Præterquam quod non poteſt negari, quod, licèt fundamentum relationis non deficiat entitatiuè per deficientiam ſui termini, deficit tamen in ratione denominantis relatiuè, talitèr, vt ita ſe habeat, quantum ad hoc, ac ſi entitatiue deficeret: ſed hoc ſufficit ad verificandam noſtram reſolutionem, in qua aſſerimus, poſſe aliquomodo prædictam determinationem abeſſe à Deo; ergo exemplum potius eſt pro nobis, quam contra nos.

Reſolutio quinta ſit. Eo ipſo quod verificetur hæc propoſitio: *Libera determinatio conſtitutiua volitionis liberæ Dei potuit aliquo modo abeſſe à Deo.* Poteſt abſolutè in eodem ſenſu affirmari, quod velle liberum, ſeu volitio libera Dei potuit abeſſe à Deo, etiam ſi aliæ rationes, vel formalitates in tali volitione repertæ ſint ſimplicitèr neceſſariæ, & abeſſe non poſsint à Deo. Probatur reſolutio ſic; nam aliæ formalitates, vel rationes in volitione Dei libera repertæ, & idẽtificatæ de materialitèr ſe habent, & præſuppoſitiuè ad denominationem volitionis liberæ, quatenus talis; & hæc determinatio eſt ſola ratio formaliſsima talis denominationis liberæ, vt liberæ; ergo ſicut ſi in re, ipſa ſola deficiente, & remanentibus alijs, prædicta denominatio libera deficeret, quia abſente ratione formali alicuius denominationis nequit non talis denominatio abeſſe; ita etiam ex hoc, quod verificetur potuiſſe hanc denominationem, & determinationem abeſſe aliquo modo, verificabitur abſolutè potuiſſe deficere velle liberum Dei erga creaturas.

Reſolutio ſexta ſit. Verificatis his quinque præcedentibus concluſionibus, abſque aliquo inconuenienti ſpeciali poteſt defendi probabilitèr ſententia Caietani, immò & vera eſt tanta veritate, quanta poſſunt gaudere reliquæ ſententiæ. Patet, quia his concluſionibus comprehenduntur omnes Caietani pro-

propoſitiones; ac perconſequens, cum in illis nulla appareat abſurditas, quin potius verè omnes ſint ab omnibus recipiendæ, probabilis erit, imò, & vera, ſententia Caietani, niſi aliàs quæſtio fiat de no mine: an, ſcilicèt, illud, quod præciſsè habet condecentiam, & congruitatem, debeat dici perfectio eius, in quo eſt, quod planè non multum eſſet de re, aut fiat res in eo, quod dixerat Caietanus; perfectionem voluntariam eſſe perfectionem cum addito diminuente; quod etiam in ſenſu, quo ab ipſo dictum eſt, neceſſario ab omnibus eſt admittendum.

Reſolutio ſeptima, & vltima ſit. Illa determinatio conſtitutiua volitionis liberæ Dei, in ratione talis, potuit abeſſe à Deo logicè conſiderata, hoc eſt, præciſsè ſecundum quod ex ſe habet ex ſuis eſſentialibus abſtractè conſideratis; non autem potuit abeſſe à Deo phyſicè conſiderata, hoc eſt, ſecundum quod exiſtit à parte rei, attentis omnibus, quæ de facto realitèr idemtificata habet. In hac concluſione iudico, omnes debere conuenire; ob quod ſententia Caietani re ipſa eſt eadem cum qualibet ex ſententijs communitèr probabilibus, & in ſola voce ab omnibus differo, in hoc, ſcilicèt, quod ego aſſero conſtitutiuum libertatis formalitèr vt tale potuiſſe, logicè conſideratum, à Deo deficere; alij autem aſſerũt, potuiſſe deficere, quoad denominationem liberi; alij, quoad determinationem actiuam ad creaturas; alij, quoad virtualitatem diſtinctam à virtualitate actus neceſſarij; alij, quoad eminentiam, aut equiualentiam. In hoc autem, quod phyſicè non potuerit deficere, omnes conueniunt. Et probatur hac vnica ratione. Prædictæ determinationi eſt neceſſariò concedẽdum quidquid eſt de ratione libertatis, ſublato omni illo, quod importat imperfectionem, & nihil adſtruendo, quod deſtruat libertatem; ſed quod poſsit abeſſe logicè cõſiderata (quod ab alijs dicitur denominatiuè, terminatiuè, æquiualentèr, aut virtualitèr) eſt de ratione liberæ determinationis, quod abſolute poſsit abeſſe, aliàs neceſsitatem haberet abſolutam, & non ex ſuppoſitione tantum; quod tantum petit conceptus liberæ determinationis. Si autem prout eſt in re, & phyſicè conſiderata poſſet abeſſe, ſequeretur, quod talis determinatio phyſicè conſiderata non eſſet æterna, & realitèr non idemtificaretur cum Deo, quod repugnat. Ergo concedenda eſt illi logica poſsibilitas deficiendi, & negãda phyſica.

Aliquibus argumentis occuritur.

ARTIC. III.

Cæterum in ſui fauorem poteſt opponi primò ex S. Thom. quæſt. 19. art. 3. vbi docet: *Quod ex aliorum volitione nihil perfectionis diuinæ bonitati accreſcit.* Ergo illa determinatio, quâ diuina voluntas determinatur ad volẽda alia à ſe, nihil perfectionis importat, quia ſi importaret, hoc accreſceret diuinæ bonitati ex aliorum volitione. Nec valet ſi dicas, S. Thomam tantum aſſerere diuinæ bonitati nihil perfectionis accreſcere ex alijs, ſcilicèt creaturis; non tamen aſſerit, quod nihil perfectionis ei accreſcat ex volitione aliorum; ait enim S. Thomas: *Cum bonitas Dei ſit perfecta, & eſſe poſsit ſine alijs, cũ nihil ei perfectionis ex alijs accreſcat; ſequitur, quod alia à ſe eum velle non ſit neceſſarium abſolutè.* Nam contra eſt, quia intentum S. Thomæ erat concludere, quod volitio aliorum non erat diuinæ voluntati neceſſaria. Ergo non ſolum intendebat, quod ex creaturis nulla ei perfectio accreſceret; verum etiam nec ex ipſa volitione creaturæ. Confirmatur primo hoc argumentum ex Caietano in commentario prædicti articuli, §. *Ad hoc eſt dicendum*, prope finem, vbi ait: *Propriè loquendo, neque ex alijs, neque ex aliorum volitione aliquid perfectionis, etiam extenſiue, diuinæ bonitati accreſcit.* Ergo prædicta determinatio, qua libera, nihil perfectionis importat etiam extenſiuæ. Confirmatur ſecundo, quia illud, quod tantum importat perfectionem per modum conuenientiæ, aut condecentiæ reſpectu agentis; non ponit perfectionem in agente, ſed in paſſo, vt videtur docere Caietanus 3. part quæſt. 1. art. 1 §. *Ad primum dubiũ.* Et patet etiam in agente operante per actum tranſeuntem. Ergo ſi illa determinatio tantum importat conuenientiam, aut congruentiam quandam, vt diximus in 3. reſolut. reſpectu diuinæ vo-

Digitized by Google

voluntatis, non ponet perfectionem in illa, ſed in creaturis, quæ ſunt effectus illius & quaſi paſſium.

Reſpondeo ad argumentum ex Caietano loco citato ex quæſt. 19. 1. partis, quod S. Thomas ideo dixit, quod nihil perfectionis accreſcit diuinæ bonitati ex creaturis, aut ex volitione creaturarum, quia cum hæc extenſio volitionis diuinæ per prius reſpiciat ipſam diuinam bonitatem vt perfecte amatã extrinſicè, quam ipſas creaturas; ita vt hæc cauſalis ſit vera: *Quia Deus perfectè amat ſuam bonitatem extenſiuè, ideo amat creaturas, & non è contra*; ſit inde, vt illam perfectionem extenſiuam non habeat ex creaturis, tanquam ex radice, ſed ex ſua bonitate, vt ratione aptiori talis perfectionis extenſiuæ, & ita verificatur, quod ex creaturis, neque ex earũ volitione præciſè, quantum ad illas præciſè terminata, excludendo diuinam bonitatem, per quam tranſit ad illas, aliquid ei perfectionis accreſcit, id quod tiam dicit Caietanus in verbis pro prima confirmatione adductis, qua doctrina etiam prima confirmatio ſoluitur. Ad ſecundam autem dicendum, quod licèt non ſit neceſſarium ad rationem perfectionis per modum condecentiæ, quod ponat aliquid intrinſecum in eo, cui eſt concedens; aſt tamen hoc non excludit; vnde in vtroque poteſt ſaluari: per quod patet ad inſtantiã de agente tranſeunte. Caietanus autem loco citato tantum intendit, quod non ſequitur ex hoc, quod communicare ſe non ponat perfectionem in agẽte, quod abſolutè non importet perfectionem; nam: *Datu* (ait ille) *quod nullam addat perfectionem bono communicãti ſeipſum, neceſſariò tamen perf- onem ponit in illis alijs, quibus ſeipſum communicat*. Vbi non excludit, quin poſſit perfectionem ponere in agente, ſed quod, etiam ſi non poneret, poneret tamen in paſſo, quod etiam ipſum naturæ boni eſſet cõueniens.

Opponi poteſt ſecundo: prædicta determinatio tantum importat reſpectũ *ad* creaturas. Ergo nõ poteſt dicere perfectionem, quæ neceſſariò debet dicere reſpectum *in*. Reſpondeo, quod licèt id, quod dicit reſpectum *ad*, non poſſit dicere perfectionem intenſiuam eius, in quo eſt, benè tamen perfectionem extenſiuam, quæ petit ex ſua ratione extenſionem ad aliud: Verum tamen eſt, quod prout explicatur ſub munere perfectionis, ſemper eſt ad ipſum habens, licèt de materiali importet reſpectum ad aliud extrinſecum tanquam fundamentum illius habitudinis conuenientiæ, & congruitatis reſpectu habentis.

Opponi poteſt tertio: prædicta determinatio libera eſt exercitium, & quaſi actus ſecundus diuinæ libertatis; ſed exercitium, & actus ſecundus alicuius virtutis eſt perfectio intenſiua eius, ſine qua manet in ſtatu potentialitatis. Ergo vel perfectionem dicit intenſiuã, vel nullam. Reſpondeo, quod illa determinatio formalitèr explicitè non eſt exercitium, ſed determinatio exercitij iam noſtro modo intelligendi præhabiti actus neceſſarij, qua ratione dicit perfectionem intenſiuam ſimplicitèr indeffectibilem non tamen dicit perfectionem intenſiuam prout eſt determinatio exercitij iam præhabiti; noſtro modo intelligendi.

Opponi poteſt quarto: nulla perfectio potuit abeſſe à Deo. Ergo ſi prædicta determinatio potuit abeſſe, nullam dicit perfectionem. Reſpondeo, quod nulla perfectio neceſſaria potuit abeſſe à Deo, ſecus autem perfectio voluntaria, & libera, quæ tantum abeſt, quod non poſſit abeſſe? quinimo ſi abeſſe nõ poſſet, non eſſet perfectio voluntaria, & libera. Vrgebis; hoc eſſe manifeſtè eludere vim argumenti; nam ex eo intenditur probari, quod nulla perfectio poſſit eſſe voluntaria Deo; quia ex quo capite eſſet perfectio, peteret neceſſariò eſſe in Deo, & ex quo capite eſſet voluntaria, peteret poſſe abeſſe, quæ ſunt repugnantia inter ſe. Reſpondeo, quod cum perfectio voluntaria Deo tantum ſit perfectio per modum condecentiæ, talitèr quod eius oppoſitum non ſit imperfectio (quia æquè perfectus eſſet Deus per nolitionem liberam, ac per volitionem) non exigit neceſſitatem eſſendi, quæ non eſt de ratione omnis perfectionis, ſed tantum perfectionis naturalis, quam exigit integritas naturæ, & cuius oppoſitum eſt imperfectio.

Opponi poteſt quinto: id quod eſt Deus, non potuit nõ eſſe Deus; ſed prædi-

dicta determinatio eſt Deus. Ergo non potuit non eſſe Deus, ac perconſequēs, nec abeſſe à Deo, quia ſi abeſſet, non eſſet Deus. Hoc argumentum militat in quacumque ſententia, in qua terminatio actiua ad creaturas, virtualis, eminentia, vel æquiualentia ſupra actum neceſſarium etiam eſt Deus, & potuit abeſſe à Deo. Reſpondeo ergo quod id, quod eſt Deus, non poteſt non eſſe De* phyſicè conſideratum, ſecus autem logicè attentum; prædicta autem determinatio phyſicè conſiderata eſt Deus, & ſic non potuit non eſſe Deus, nec abeſſe à Deo; logicè autem conſiderata ſecundum conceptum explicitum, ſicut non eſt Deus, ita poteſt ab eo abeſſe; neque enim neceſſarium eſt, quod quidquid eſt in Deo, ſit Deus ſecundū quacumque conſiderationem, etiam facta quacumque præciſsione, & conſideratione, ſed ſufficit, quod ſaltèm per identitatem ſit Deus.

Vrgebis contra hanc ſolutionem primo, quia etiam ſapientia, v.g. ſecundum conceptum explicitum, & logicè conſiderata non eſt Deus, & nihilominus abſolutè non potuit nō eſſe in Deo. Ergo quod prædicta libera determinatio, vt præciſſa ſecundum explicitum conceptum, & logicè conſiderata non ſit Deus, non ſufficit ad hoc, quod poſſit abſolutè abeſſe à Deo. Secundo, nā logicè conſiderata, vel eſt creata, vel non. ſi primum, ergo nullo modo eſt Deus etiam phyſicè, quia id quod creatum aliquo modo eſt, nullo modo poteſt eſſe Deus. Si ſecundum, ergo eſt Deus, quia nihil mediat, ac perconſequens adhuc logicè conſiderata non poterit abeſſe à Deo. Tertio, quia quæ ſunt idem formalitèr non poſſunt ita conſiderari, vt vnum non ſit aliud; ſed prædicta determinatio eſt idem formalitèr cum Deo. Ergo nullo modo poteſt ita conſiderari, vt non ſit Deus. Reſpondeo ad primum, quod licèt ſapientia ſecundum conceptum explicitum, & logicè conſiderata non ſit Deus; habet tamen neceſsitatem abſolutam cōueniendi Deo, quatenus eſſentialitèr exigitur à Deo, ita quod, ſi haberet oppoſitum eius, ſcilicèt inſipientiam, per locum intrinſecum deſtrueret Deum: aſt prædicta libera determinatio ſecundum conceptum explicitum, & logicè conſiderata non ſolum non eſt Deus, ſed neque eſſentialitèr exigitur à Deo, quia non eſt perfectio neceſſaria, & per modum naturæ, ſed voluntaria, & per modum libertatis, cum cuius oppoſito, ſcilicèt nolitione æquè perfectus maneret Deus, ac cum ipſa. Ad ſecundum reſpondeo, quod prædicta determinatio logicè conſiderata, nec eſt creata, nec non creata, ſed ab vtroque præſcindit, quia licèt inter Deum, & creaturam non detur medium phyſicè, & à parte rei, benè tamen ſecundum logicam præciſsionem. Ad tertium reſpondeo, quod licèt ea, quæ ſunt idem formalitèr ex ſe, & ex vi propriarum rationum formalium, non poſsint ita præſcindi, (de quo nilmodo) at tamen quæ ſunt idem formalitèr nō ex ſe, ſed propter aliquam rationem, aut modificationem ipſis aduenientem, poſſunt aliquo modo præſcindi: ea autem quæ ſunt in Deo; non ſunt idem formalitèr ex vi propriorum conceptuum, & rationum formalium, ſed ex vi infinitatis in genere entis qua modificantur, quæ proinde ſolum facit ea idem formalitèr phyſicè, non autem logicè.

Vtrum peccatum mortale habeat aliquam infinitatem?

QVÆSTIO III.

IN Hac re, vt conſtet apertiùs, quan- 1
tum ſit neceſſaria Incarnatio ad generis humani lapſum reparandum, videndum decreui in primis exagitare, quantum damnificauerit, & damnificet lapſus in ratione mali moralis, vt exinde conſtet, quantum bonitatis moralis neceſſarium ſit, vt bonum mali grauitatem adæquet: quam difficultatem, communitèr exagitant Authores ſolum de peccato mortali, quidam affirmantes infinitum eſſe ſolum ſecundum quid in ratione mali moralis de quorum numero ſunt Scotus in 3 diſt. 20. quæſt. 1. & in 4 quæſt. etiam 1. Sotus in 4. diſt. 19. quæſt. 1. artic. 2. Suar. in præſenti, Vazq. hic diſp. 2. cap. 2. & diſput. 4 cap 4 Lorca, diſput. 4. Lugo tract. de Incarnat. diſp. 5. ſect. 3. & alij quam plures. Quidam verò affirmantes non ſolum infinitum eſſe ſecundum quid, ſed ſimplicitèr, de quorum nume

Digitized by Google

ro ſunt Alexan.3.part.quæſt.1.memb. 6.Capreol.in4.diſt.1.quæſt.1.ad 2. Caiet.hic §. *Ad primam obiectionem* Medina codice de Pœnit. quæſt. 1. de ſatisfact.Cornejo tom.2.tract.1.diſput.2. dub.2.Ægid.tom.2.de Sacra.diſp.10. dub.2.Bañez 1.part.quæſt.21.artic.4. Alvarez in præſenti quæſt.3. & communitèr Thomiſtæ, quos nouitèr ſequitur Illuſtriſsimus, & doctiſsimus Magiſter Godoy,tom.1.in tertiam partem tract.1.diſp.1.§.1.M.autem Ioan. à S.Thom.vtrumque docet eſſe probabile hic quæſt.2.diſp.1.art.2.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo, quod in quolibet peccato, præter entitatem materialem, quæ bona eſt, reperitur ratio malitiæ moralis, quæ conſiſtit in tendentia ad obiectum diſſonum rationi, vel in priuatione rectitudinis debitæ, iuxta diuerſa Authorum ſenſa ad mat.de peccatis, & ratio maculæ, quæ eſt terminus relictus ex peccato actuali,a quo maculata dicitur anima,ſiuè per priuationem decoris ſpiritualis gratiæ, quæ competit peccato mortali,ſiuè per inclinationem affectus inordinatam ad aliquod temporale, quod conuenit peccato veniali, vt docet S. Thom.3.part.quæſt.77.art.2.ad 3. & denique reperitur ratio offenſæ cõtra Deum, prout quolibet peccato, & offenditur Deus, & creatura illum offendit, faciendo contra eius voluntatem, & præceptum,ſiuè huiuſmodi rationes formales ſolum diſtinguantur penes diuerſa connotata,ita vt eadem formalitas dicatur malitia in ordine ad obiectum, & macula in ordine ad animam, quam maculat, & offenſa in ordine ad Deum,quem offendit, vt volunt plures, ſiuè ſint tres rationes formales formalitèr,vel realitèr diuerſæ,vna aliam conſequens, ita vt ex malitia formalitèr oriri dicatur macula, & ex vtraque offenſa, vt magis conſonum iuxta doctrinam Sanct. Thom.iudico in 3.part. quæſt.76.art.2.dum inquit: *Offenſa peccati procedit ex hoc, quod voluntas hominis eſt auerſa à Deo per conuerſionem ad aliquod bonum commutabile.*

Obſeruo ſecundo, quod offenſa poteſt duplicitèr ſummi, actiuè, ſcilicèt, quatenus oritur à principio voluntario hominis, per quam habet rationem offenſoris; & paſsiuè quatenus reſpicit ſubiectum,quod offendit, in quo moralitèr recipitur, à qua habet eſſe offenſum,& hoc modo etiam malitia;& macula poſſunt actiuè ſummi,quatenus oriuntur ab eodem principio voluntario,per quas rationes conſtituitur in eſſe maculatoris, & malefactoris in actu ſecundo; & paſsiuè, quatenus ſubiectum conſtituunt malificum,&maculatum.

Obſeruo tertiò. Duplex eſſe genus infiniti moralis, ſcilicèt, ſimplicitèr, quod quidem licèt ſecundum quid dicatur comparatione ad infinitum in omni genere,qualis eſt Deus,in ſuo tamen genere morali infinitum ſimplicitèr dicitur, eo quod in illo ordine non poteſt eſſe maius,& ſecundumquid, quod quidem, licèt aliquam infinitudinem habeat, quam aliæ res creatæ nequeunt attingere, nunquam tamen pertingit ad infinitatem priorem: Quod vtrumque exemplo lineæ, ſi daretur infinita, poteſt explicari;nã diceretur infinita quãtitas ſimplicitèr, eo quod in ratione lineæ termino careret, licèt ſecundum quid infinita diceretur,ſi ſumatur quantitas ſecundum genus quantitatis, quia ſic terminum haberet verſus latitudinem & profunditatem; ita ſimilitèr in moralibus poteſt fieri graduatio, nam cum diuerſi gradus ſint moralitatis, nimirum, ex perſona,ex obiecto, ex fine, ex circumſtantiis,ex quibus omnibus poteſt ſummi moralitas actus, poteſt contingere, quod ſit exceſſus in vno gradu moralitatis reſpectu alteriùs talitèr, vt pertingat vſque ad infinitatem, relinquendo cæteros gradus in eſſe finiti moralitèr, vt de ſatisfactione Chriſti omnes concedunt, quemlibet eius actum eſſe infinitum moralitèr ex parte perſonæ,ſaltim ſecundum quid,&non quemlibet ex obiecto,v g.eſſe infinitum, adhuc ſecundum quid, vt conſtat in actu temperantiæ. Quibus ſic obſeruatis.

Digitized by Google

Vno ex capite reſoluitur quæſtio.

ARTIC. II.

RESolutio noſtra ſit. Quodlibet peccatum actiuè ſumptum, ſecundũ quod eſt à principio voluntario malefaciente, maculante, & iniuriante, habet infinitatem ſimplicitèr in linea ſpecifica moralitatis. Hanc reſolutionem ſemper, vt veram tenui, licèt à nullo ſub his terminis decidatur; cuius ratio mihi efficax eſt. Nam, quodlibet peccatum actiuè ſumptum ſolum directè reſpicit, ſecundum omnes iſtas rationes, principium voluntarium, à quo egreditur, vt eius exercitium in actu ſecundo, & quaſi cauſalitas, ſicut quælibet alia actio, ſecundum conceptum actionis, ſuum agens, à quo vt eius exercitium, & cauſalitas egreditur: atqui principium, quod reſpicit ſecundum omnes iſtas rationes peccatum, eſt infinitum ſimplicitèr in linea principij moralis defectibilis, & illius eſt exercitium, & quaſi cauſalitas in actu ſecundo. Ergo quodlibet peccatum ſumptum actiuè, ſecundum omnes prædictas rationes, eſt in actu ſecundo in ratione mali moralis ſimplicitèr infinitum.

Minor autem, in qua videtur eſſe difficultas, ſic oſtenditur. Illud eſt principium infinitum ſimplicitèr in aliqua linea, in qua nullam habet ſubordinationem ad aliud principium infinitum; ſicut ideò Deus in omni linea eſt infinitum ſimplicitèr, quia in omni eſt primũ nulli alteri ſubordinatum, & creatura eſt in linea phyſica finita, quia in ea ſubordinata eſt alteri principio phyſico infinito; non enim alia ratione probant communitèr Theologi, creaturam nõ poſſe eſſe primum agens in operando phyſicè, niſi quia in hoc genere talitèr Deo ſubordinatur, vt nullam operationem poſſit ellicere phyſicam ſine dependentia à concurſu Dei, vel præuio, vt volunt Thomiſtæ, vel ſimultaneo, vt cæteri extra ſcholam Sanct. Thom. Atqui voluntas, prout eſt principium deficiens (quam vt ſic ſolum reſpicit formalitèr peccatum ſecundum omnes rationes aſsignatas) nullam ſubordinationem habet ad aliud principium infinitum; etenim ipſa eſt primum mouẽs in ordine ad deficiendum, ſicut Deus eſt primum mouens in ordine ad agendum. Ergo ſicut ob hanc rationem Deus eſt primum agens, & infinitum ſimplicitèr in omni genere, ita voluntas creata in ratione defectibilis erit primum agens, & in hac linea ſimplicitèr infinitum, quia nulli ſubordinatur, ac perconſequens quodlibet peccatum ab illa, vt ſic, procedens, eãdem participabit infinitatem, cum ſit quaſi cauſalitas eius, ſicut eãdem infinitatem participat actio Dei, quæ eſt eius cauſalitas, ac ipſe Deus.

Obijcies primo. Huiuſmodi peccatum, quodcumque ſit, reſpicit voluntatem, ſecundum quod libera eſt, aliàs enim non eſſet demeritorium. Ergo reſpicit illam vt ſubordinatam; nam quælibet libertas creata ſubordinata eſt increatæ libertati, ac perconſequẽs nõ reſpicit illam vt agens primum, & non ſubordinatum. Reſpondeo, quod peccatum formalitèr vt malum ſolum reſpicit voluntatem, ſecundum quod formalitèr defectibilis eſt, ſecũdum quam rationem, non tam vt libera intelligitur, quàm à libertate deficere, libertas enim præſuppoſitiuè, & de materiali ſe habet ad peccandum; nam licèt requiratur, vt actus demeritorius euadat, nõ tamen illa eſt, quæ illum formalitèr demeritorium facit; Deus enim ſummè liber eſt, & nihilominus deficere nequit, nec demereri; vnde quamuis vt libera formalitèr ſubordinetur libertati ſuperiori, non tamen vt deficiens formalitèr alteri deficienti ſubordinatur.

Quod ſi inſtes, neceſſarium eſſe ad hoc, vt deficiat, decretum Dei permiſsiuum, ac perconſequens, in ratione deficientis, etiam Deo ſubordinari, ſaltẽ vt permittenti. Dic hoc nõ tollere, quominus ſit ipſa prima cauſa defectibilitatis; Deus enim per decretum permiſsiuum neutiquam eſt cauſa prima, à qua moueatur voluntas ad deficiendum; aliàs cauſa eſſet Deus peccati formalitèr vt talis; nec voluntas vt defectibilis cauſa ſecunda dicitur, ſed prima in ordine hoc, a qua peccatum infinitatem participat.

Obijcies ſecundo. Etiam ſi voluntas in ordine defectibili ſit prima cauſa, & infinita ſimplicitèr, non ex hoc, peccatum, quod illam vt ſic ſumptam reſ-

reſpicit, debet infinitari; etenim cũ peccatum effectus ſit à voluntate ortus, nõ ideò infinitus debet eſſe ſicut principiũ, ſicut neque ex eo, quod Deus ſit cauſa prima, & infinita, effectus ab illo productus infinitus eſt. Ergo optimè ſtabit eſſe primam cauſam voluntatem, & infinitam in linea defectibili, & ſimul peccatum non habere huiuſmodi infinitatem.

Reſpondeo, negando antecedẽs. Tùm, quia peccatum non eſt tam effectus à voluntate, quam defectus ab ipſa ortus. Tùm & præcipuè, quia licèt effectus à cauſa infinita ortus non ideo infinitus dicatur, vt optimè de Deo probat argumentum, tamen quando non tam eſt effectus cauſæ infinitæ, quàm cauſalitas eius in ipſa manens, tantum abeſt, quod non infinitetur, quinimo impoſſibile ſit non infinitari eadem infinitate cauſæ, vt cernitur in cauſalitate Dei: malefactio autem, maculatio, & iniuriatio, non tam effectus voluntatis ſunt, quam cauſalitates ab ipſa voluntate egreſſæ, & in ipſa vt in prima cauſa defectibili manentes: ad ſummum autem argumentum probat, maculam habitualem, quæ ſe habet per modum termini actionis defectibilis, finitam eſſe.

Pro quo alta mente conſiderandum eſt, quod ſicut in voluntate eſt actio vitalis, & ſecundum hunc conceptum reſpicit voluntatem, à qua egreditur, vt à principio vitali, & in qua ſecundum eãdem rationem recipitur, & in ordine ad quam ſic ſumptam habet eſſe vitalis in actu ſecundo, quia ipſa habet vitalitatẽ in actu primo, quam actioni communicat conſtituens illam vitalem in actu ſecundo, non ſolum vitalem vt ſic, ſed talem, ſcilicèt voluntatis per indiuiduum genericum vitalitatis vt ſic; & eſt etiã conceptus actionis liberæ, ſecundum quem reſpicit directè, & formalitèr voluntatem vt liberam, à qua egreditur, & in qua ſecundum eandem rationem recipitur, & in ordine ad quã ſic ſumptam habet eſſe libera in actu ſecundo conſtituens illam non ſolum in actu primo, ſed etiam in actu ſecundo, non quacumque libertate, ſed tali talitate generica contrahente illam rationem libertatis vt ſic, & ſecundum hunc conceptum, licèt reſpiciat voluntatem vitalẽ de materiali, de formali autẽ ſolũ reſpicit illã vt liberã: & quia ipſa voluntas non ſolũ eſt libera in ordine ad agẽdũ, ſed etiã ad non agendum, & vtrumque hoc benè, vel malè moralitèr; benè, ſi operetur conformitèr ad regulas moris, ſecundum quam operatur vt cauſa ſecunda efficiens ſubordinata primæ; & malè, ſi operetur difformitèr ad regulas moris, ſecundum quam rationem operatur vt cauſa prima, non efficiens, ſed deficiens, nulli alteri cauſæ ſubordinata. Ideò alios duos conceptus, vel rationes formales diſtinguere neceſſum eſt in actione libera, vnum ad alterum præſuppoſitum, qui quidem conceptus correſpondet voluntati ſecundum diuerſas ſui conſiderationes, libertatis vnus, deformitatis alter; primus dicens ordinem ad voluntatem vt libera eſt, à qua vt talis egreditur, & in ipſa manet formalitèr, vt libera; ſecundus ad ipſam vt defectibilis eſt, à qua vt talis formalitèr egreditur, & in ipſa vt tali formalitèr manet; & ſicut omnes iſti conceptus à primo vſque ad vltimum excluſiuè finiti ſunt ex ordine ad ipſam, vt principium *à quo*, & *in quo*, eo quod ſecundum omnes iſtos operatur, & recipit, vt agens ſecundum ſubordinatũ primo; ita vltimus conceptus infinitus eſt ex ordine ad ipſam, vt principium *à quo*, & *in quo*, eo quod ſecundum iſtum operatur vt agens primum in hoc ordine defectibili nulli alteri ſubordinatum & vt tale etiam illum recipit, vnde cum malefactio, maculatio, iniuriatio in quocumque peccato formalitèr, & directè reſpondeant voluntati ſecundum vltimum conceptum, à qua ſecundum illum oriuntur, & in qua vt defectibili recipiuntur, eandem infinitatem ab ipſa participabunt.

Alio ex capite deciditur quæſtio.

ARTIC. III.

RESolutio noſtra ſit. Licèt malitia, macula, & iniuria actiuè ſumptæ infinitatem habeant ſimplicitèr ex ordine ad principium à quo oriuntur, nihilominus macula, & malitia quaſi paſſiuè ſumptæ ex ordine ad ſubiectũ, & obiectum, quod reſpiciunt, nullam ha-

Digitized by Google

habent infinitatem. Primo, quia eſt expreſſa mens S. Thom. pluribus in locis docentis: *Ex qua parte peccatum eſt conuerſio ad bonum commutabile* (per quod explicatur ratio malitiæ) *finitum eſt, & ex hoc deberi ipſi pœnam finitam.* Legatur 3.part.quæſt 86.art.4.& quæſt.87. ar. 2.ad 3.vbi dicit: *Quodlibet peccatum in ratione maculæ reſpicere animam, vt ſubiectum, quam maculat magis, & minus, iuxta priuationẽ decoris maioris, vel minoris.*

Secundo. Nam ex eo offenſa iuxta cõmunem ſententiam eſt infinita ex ordine ad Deum offenſum, & finita ex perſona offendente, quia ex vna parte reſpicit directè Deum infinitum, quẽ offendit, & ex alia principium finitum, à quo oritur offenſio, & iuxta noſtram ſententiam ex vtraque parte infinitatẽ habet, quia vtrumque, quod reſpicit directe, infinitum eſt: atqui macula, & malitia, licèt infinita ſint ex ordine ad principium, à quo oriuntur, ex ordine tamen ad ſubiectum, & obiectum nequeunt infinitatem habere, cum anima, & bonũ commutabile, quod vt ſubiectum, & obiectum reſpectiuè reſpiciunt, finita ſint. Ergo licèt ex alio capite infinitatẽ habeat, ex hoc tamẽ eã habere repugnat

Obijcies. Nequit eadem formalitas ſimul eſſe finita, & infinita; aliàs enim mereretur puniri pœna æterna, & non puniri pœna æterna, ſed temporali. Ergo, ſi malitia, & macula ex ordine ad principium habent infinitatẽ, nequeũt ex ordine ad ſubiectum, & obiectum finitatem deſumere, vel ſi ab his finitatem habeant, nequeunt ab illo infinitatẽ habere.

Inſto argumentum in omni ſentẽtia. Eadẽ formalitas actus Charitatis, ſecũdũ quod reſpicit obiectum, infinitatem aliquam habet, & ſecundum quod reſpicit principium, finitatem. Reſpõdeo ergo, quod cum diuerſi ſint gradus moralitatis ex diuerſis orti principiis, non mirũ, quod iuxta diuerſitatem principiorum, diuerſitas in ipſis gradibus reſplendeat: vnũquodq; enim ſolum vim habet ſibi proportionatam adtribuendam denominationem actib⁹; vnde nõ mirum quod malitia, & macula ex ordine ad principium infinitatem habeant, & ex ordine ad obiectum, & ſubiectum finitatem.

Pro quo non abs re erit, quædã doctrina S.Th 1.p.q.20.ar.3.vbi docet Deũ omnia æqualitèr diligere, ſi dilectio cõſideretur ex parte ipſius, quia eſt ipſiuſmet eſſentia, per quam omnia diligit, quæ non ſuſcipit magis, & minus; ſi autẽ conſideretur ex parte obiectorũ, non omnia æqualitèr diligere, ſed iuxta bonitatem eorum inæqualitèr; vnde ſemper dilectio eſt infinita in ordine ad principium, licèt non ſemper poſsit ſic denominari in ordine ad obiectum.

In calcè articuli ſubiungo, perperam quemdam per doctum ſatis ex noſtris volentem peculiaritèr explicare infinitatem offenſæ actiuæ, de qua, vt ipſe loquitur, eſt præcipuè difficultas, ex ordine ad principium, à quo habet propriũ eſſe, aſſeruiſſe eſſe *voluntatem peccatoris* (verba ſunt ipſius in hac materia diſp 3. ſect.4. n.26.) *quæ ſanè, licèt ſecundum ſuã naturã ſit finita, & prout eſt principiũ efficiens vim habeat finitam; tamen ſecundum quod eſt principium deficiens, vim habet deficiendi infinitam.* Et ex alia parte ſupponit n.1.huius diſp.non eſſe ſermonem de malitia, nec de macula peccati: *Quia conueniunt omnes* (inquit ipſe) *prædictas rationes in peccato finitas eſſe, & limitatas.* Contra quem ex ſuis verbis ſic inſurgo Ratio, ob quã recurrit dict⁹ Author ad voluntatem vt deficientem, vt explicet rationem infinitatis offenſæ actiuæ eſt, quia voluntas in ratione deficientis vim habet deficiendi infinitam, eo quod ſub hac ratione eſt primũ principium nulli alteri ſubordinatum: atqui huiuſmodi ratio æquè conuincit de malitia, & macula actiuè etiam conſiderata, cum ad malefactionẽ, & maculationẽ vim habeat volũtas deficiendi infinitam, vtpotè ad iſtas rationes concurrit etiã vt primũ deficiẽs, & ſub hac ratione nulli alteri ſubordinatur. Ergo incõſequentèr ſatis phyloſophatur.

Omni ex capite quæſtio deciſſa.

ARTIC. IV.

RESolutio noſtra ſit. Non ſolum à principio, ſed etiam ab obiecto, ſcilicèt, Deo offenſo ſe habente per modum ſubiecti habet offenſa peccati infinitatem ſimplicitèr. Explicant communitèr hanc reſolutionem Thomiſtæ doctrina quadam S.Thom. hic art. 2.

Digitized by Google

ad 2. vbi probant neceſsitatem Incarnationis ad condignam, & adæquatam ſatisfactionem: *Quia peccatum contra Deũ commiſſum quandam habet infinitatem ex infinitate Diuinæ maieſtatis*. Quam infinitatem etiam explicat Doctor Angelicus per particulam *quandam* pluribus in locis, præcipuè in 4. diſt. 15. q. 2. ar. 2. ad 1. ex quo ſic probant Thomiſtæ concluſionem, connantes illam particulã *quãdam* debere intelligi de infinitate ſimpliciter in genere moris, & non ſolum de infinitate ſecundum quid, eo quod ſi illa particula *quandam* non intelligeretur de infinitate ſimpliciter in genere moris, ſed ſecundum quid, nulla eſſet conſequentia S. Thom. nam abſque Incarnatione Verbi poſſet eſſe condigna ſatisfactio per actum contritionis, qui infinitatem habet etiam ſecundũ quid, ex parte, ſcilicèt, obiecti. Ergo ſi S. Th. probat ex infinitate peccati neceſsitatẽ Incarnationis ad condignam, & adæquatam ſatisfactionem, illa particula *quandam* non de infinitate ſolum ſecundum quid intelligenda eſt, ſed de infinitate ſimpliciter.

Verum licèt prædicti Authores pie poſsint intelligi, quatenus docẽt ex affectu ad doctrinam S. Th. intelligi illã particulã *quandam* de infinitate ſimpliciter; neſcio tamen quo iure fundent hanc infinitatem ex loco S. Thom. contra quos ſic argumentor (relicto quod poſsit ſaluari ſentẽtia S. Th. ex eo quod, licèt particula *quandam* intelligeretur de infinitate ſecundum quid; quia licèt actus Charitatis, vel contritionis infinitatem haberet ſecundum quid, eſſet tamen in inferiori quodam ordine non attingens infinitatem ſecundum quid peccati, ac proinde eſſet vera conſequentia Sanct. Tho. de neceſsitate Incarnationis) ſic cõtra infinitatem ſimpliciter ponentes in peccato peculiariter inſurgo. Poteſt ſtare conſequentia S. Thom. de neceſsitate Incarnationis, abſque eo quod illa particula *quandam* intelligatur de infinitate ſimpliciter. Ergo, &c. Antecedens probatur ex communi modo loquendi Thomiſtarum deſumpto ex eodem S. Thom. pluribus in locis, & præcipuè in 4. diſt. 15. q. 1. art. 2. nimirum, quod ſicut offenſa accipit infinitatẽ ex perſona offenſa, ita ſatisfactio ex perſona ſatisfaciente: atqui ex hoc capite, etiam ſi illa particula intelligatur de infinitate ſecundum quid, neceſſaria eſſet Incarnatio ad condignam ſatisfactionem, etenim cum ſatisfactio accipiat rationẽ talis, vel talis à perſona ſatisfaciente, cum nulla creatura haberet infinitatẽ ex parte ſui, null⁹ eius act⁹ in ratione ſatisfactionis formaliter poſſet æquare grauitatẽ offenſæ, etiã ſecundũ quid, licèt aliàs in ratione actus boni moralis ſupernaturalis Theologici adæquaret. Ergo ad hoc quod in ratione ſatisfactionis æquaretur peccatũ in ratione offenſæ, neceſſaria eſſet Incarnatio Verbi, media qua elliceretur actus infinitè ſatisfactorius ex parte perſonæ, & non ſolum infinitus ex parte obiecti, quod de materiali dicit actus ſatisfactorius, vt talis.

Probant deinde huiuſmodi infinitatẽ ſimpliciter offenſæ peccati mortalis cõmuniter Thomiſtæ, ex eo quod per quodlibet offenditur Deus, quatenus offendibilis eſt, auferẽdo ab eo rationẽ vltimi finis, contemnendo eius maieſtatẽ per antelationem creaturæ: ſed eo ipſo quod offendatur Deus, quatenus offendibilis eſt hoc modo, non poteſt offenſa non eſſe ſimpliciter infinita in genere moris; ſicut eo ipſo, quod ametur De⁹, quatenus amabilis eſt, non poteſt ei⁹ actus non eſſe ſimpliciter infinitus, defectu cuius actus Beatorum, licèt ament Deũ, qui eſt obiectum infinitũ, manent finiti ſimpliciter, & ſolũ cũ infinitate ſecundum quid. Ergo ſi Deus offenditur per peccatum mortale, nõ ſolum vt eſt obiectum infinitum, ſed in quantum hoc obiectum offendibile eſt, non ſolũ in rationi offenſæ habebit infinitatem ſecundũ quid, ſed etiã ſimpliciter. Hæc eorum efficaciſsima ratio, & doctrina.

Verùm ſalua pace tantorũ virorũ, hæc ratio mihi non probatur cõformiter ad ſua principia; & (dato in primis, quod per quodlibet peccatũ mortale offendatur Deus, quantũ offendibilis eſt, cuius contrarium defendunt graues Theologi, dicentes, magis offendi Deũ per peccatum blaſphemiæ, quam per furti peccatũ) contra illã ſic argumentor. Offendibilitas paſſiua Dei non poteſt eſſe maior, quã offendibilitas actiua creaturæ; tãtũ enim De⁹ poteſt ſe offenſum paſſiuè reputare, quantũ actiuè poteſt illũ offendere creatura, propter relationẽ of-

fen-

fendibilitatis paſsiuæ ad actiuā offendibilitatē, ſicut nec amabilitas paſsiua Dei à creatura poteſt eſſe maior, quā actiua amabilitas ipſius creaturæ: ac qui ofendibilitas actiua creaturæ non eſt ſimpliciter infinita, iuxta horū Authorū principia; aliàs enim ofenſæ infinitas ex alio capite, quam ex Deo ofenſo, ſumeretur, quod ipſi tantum renuunt concedere; ſicut nec amabilitas actiua creaturæ infinita eſt ſimpliciter, licèt vtraque Deum infinitum reſpiciat. Ergo ſi ofendibilitas actiua non eſt ſimpliciter infinita in eorum principijs, nec paſsiua ofenſibilitas Dei hanc infinitatem habebit, cum paſsiua ofenſibilitas non ſit aliud ab actiua moralitèr refundenda in Deum; ac perconſequens, quamuis per quodlibet peccatum mortale ofendatur Deus quatenus ofendibilis eſt à creatura, non ideò ofenſa erit ſimpliciter infinita; quarè argumentum de amore Dei circa ſe ipſum, quo ſuam confirmāt rationem, nullius roboris eſt.

Quod verò ratio infinitatis ofenſæ mortalis non deſumatur per reſpectum ad Deum, quem vt ſubiectum morale reſpicit, (quæ eſt altera eorum ratio) ſatis perſpicuè probatur à prædicto Patre ex noſtris in manuſcriptis ad hanc mater. diſput. cit. numer. 17. etenim ſi non accipit infinitatem à principio, à quo oritur, vt ipſi ſupponunt, neque à ſubiecto poteſt illam accipere; nam ſubiectum cuiuſcumque formæ, adhuc moralis, ſolum ſe habet reſpectu illius per modum ſubſtentantis, non actiuè conferentis aliquod eſſe, quod forma aliàs non haberet ex ſuo principio, ſicut ex eo quod dignitas moralis operationum Chriſti orta à perſona ſit ſubiectiuè in ipſa entitate phyſica, & finita earundem operationum, ab ea non finitatur illorum moralis valor, ſed cum eodem perſeuerant, quem à ſuo principio participauerant. Ergo licèt ofenſa ſit in Deo tanquam in ſubiecto, non accipiet ab eo aliquid, quod à ſuo principio non acceperat, ac perconſequens, ſi ab iſto non accipit infinitatem, vt ipſi dicunt, nec à ſubiecto eam accipiet.

Confirmatur; quia ſi à Deo vt ſubiecto acciperet hanc infinitatem ſimpliciter, difficulter redderetur ratio in eorum ſententia, quare ab eodem non accipiat illam veniale peccatum in ratione ofenſæ, quod etiam reſpicit Deum, vt ſubiectum, & ipſi tantum renuunt concedere; dicere autem veniale peccatum eſſe leuem ofenſam, dicere tantum eſt; nam ſemel poſito, quod ſubiectum morale, ſcilicèt Deus, vim habeat refundendi infinitatem in forma morali, quam ſuſcipit, non apparet ratio, quare illam non refundat in ofenſam etiam leuem, ſicut quia dignitas perſonæ Chriſti habet vim ad refundendam infinitatem moralem ſuis actibus phyſicè finitis, illam non ſolum refundit in ſupernaturalibus, ſed in naturalibus actibus, quantumuis minimis, & leuibus in eſſe bonitatis naturalis phyſicæ; ſed de hoc longior alibi erit nobis ſermo.

Objicies primo pro communi modo defendendi infinitatem ofenſæ. Non videtur poſſe negari in moralibus, ſubiectum formæ moralis refundere dignitatem in forma, quam ſuſcipit, vel grauitatem, iuxta diuerſitatem formarum, quæ ſuſcipiuntur; vnde videmus eandem iniuriam, & ofenſam contra Regem commiſſam maioris grauitatis eſſe, quam ſi contra plebeium committeretur, vnde dicitur ex S. Tho. in hac q. art. 1. ad 2. tanto maiorē eſſe ofenſam, quanto maior eſt perſona, contra quam committitur, quæ maior grauitas non videtur poſſe deſumi, niſi ex dignitate maiori perſonæ, quam vt ſubiectum reſpicit. Ergo in noſtro caſu, etiam ſi infinitas ofenſæ non proueniat à principio, hoc ipſo, quod ſubiectetur per modum formæ moralis in Deo infinito, in illam refundet infinitatem.

Sed præterquam quod hæc contrariorum doctrina non ſoluit inſtantiam de ofenſa veniali, nec inſtantiam de infinitate operum Chriſti Domini, quæ infinitas ſubiectatur in phyſica earum entitate finita, ſine eo quod finitetur, ſed potiùs perſeuerat cum eodem valore, quem à ſuo principio participauerat. Reſpondeo, quod adhuc illa ofenſa cōtra Regem commiſſa non eſſet maioris grauitatis in ſe, quam ſi contra plebeium committeretur, ex præciſſa ratione ſubiecti Regij, ſi aliàs non proueniret à principio ofendente.

Pro quo ſic diſcurre; quod ſicut in principio infinito in eſſe agentis, ſcilicèt, Deo Omnipotente, vnum cum ſit indiuiſibile, per quod omnia producibi-

bilia continet, ſunt plures continentiæ, & æquiualentiæ, ſecundum quas diuerſa producibilia in perfectione ſe excedentia continet, & per illam æquiualentiam, vel continentiam, per quam producit vnum; non verificatur formalitèr producere aliud, eo quod continentia vnius actiua perfectior eſt, quam cõtinentia actiua alterius, iuxta perfectionem contenti producendi; ſed ad ſummum materialitèr eſt vnum principiũ, non verò formalitèr, ſaltèm quoad nos & quoad noſtram expreſsionem; ita in principio infinito in eſſe defectibili offendente, vnum cum ſit indiuiſsibile, per quod offendere poteſt plebeium, Regem, Deum, ſunt plures æquiualentiæ, & continentiæ, ſecundum quas diuerſas offenſas circa diuerſas perſonas exercendas continet in perfectione perſonæ, quæ offẽditur; ita vt offenſio actiua, qua ſe exercet circa plebeium, non ſit ita grauis, & nobilis in hac linea, ac illa, qua ſe exercet circa Regem, licèt, vt nobis conſtet, vnam actiuam offenſionem maiorem eſſe alia, neceſſarium ſit cognoſcere, exercitam eſſe circa nobilius connotatum; ſicut, vt nobis conſtet, vnam continentiam omnipotentiæ perfectionem maiorem exprimere, neceſſarium eſt, vt perfectius connotatum cognoſcamus, circa quod exercetur, nõ tamen ideò accipit à connotato aliquid vltra id, quod à ſuo principio acceperat; quando autem S. Thom. docet, eo maiorem eſſe offenſam, quo maior eſt perſona, quæ offenditur, intelligendus eſt quoad nos, non verò quoad intrinſecum offenſæ.

Obijcies ſecũdo, id, quod pro impugnatione modi cõmunis defendendi infinitatẽ ex ſubiecto diximus; etenim ſubiectũ cuiuſcũque formæ moralis ſolum ſe habet reſpectu illius per modum ſubſtentantis, non actiuè conferentis aliquod eſſe, quod aliàs forma nõ haberet. Ergo cum Deus ſolũ ſe habeat vt ſubiectum per modũ ſuſtentantis offenſam, non poterit ab illo aliquam infinitatem accipere, ſaltim intrinſecam, & percõſequens, non benè in concluſione aſſerimus infinitatem offenſæ, non ſolum à principio ſed etiam ab obiecto, ſcilicèt Deo, ſumendam eſſe.

Reſpondeo, quod quando dicimus, offenſam accipere infinitatem à Deo, quem vt ſubiectum reſpicit, non eſt ſenſus, illũ actiuè influere in offenſam aliquam infinitatem; & in hoc ſenſu verum eſt, ſolum ſe habere Deum per modum ſuſtentãtis; actiuè enim totã accepit à principio infinito in eſſe defectibili, ſed quia huiuſmodi principiũ poterat ſe indifferenter habere, offendendo perſonã finitam, vel infinitam, & in noſtro caſu ſe exercuit circa perſonam infinitam; ideò illa iniuria, vel offenſa, quæ medium quoddam tenet inter principium offendens, & perſonã offenſam, de vtroq; participat extremo, nõ quod vtrumque extremum eã actiuè producat, ſed quod ab vtroque denominationem accipiat, iuxta illud: *Supremum infimi attingit infimum ſupremi*, id eſt offenſio infinita, quæ eſt ſuprema offenſio agentis infimi, vtpotè ex nihilo facti, attingit infimum Dei, quod eſt infinitas eius moralis, licèt non attingat ſupremum Dei, quod eſt infinitas phyſica; in ſententia autem communi nullatenus recurritur ad principium ad infinitatem offenſæ, contra quos ibi diximus, nullatenus, ſi à principio non participat illam peccatum, poſſe à Deo præciſsè participare.

Adducitur verum caput infinitatis offenſæ.

ARTIC. V.

Reſolutio noſtra, quæ hucuſque nulla firma authoritate poſitiuè, nec ratione fulcita eſt, iam iam firmiori doctrina ſtabilitur, tum ex authoritate, tũ ex ratione deſumpta. Authoritas ſit S. Thom. in 4. diſt 46. q. 1. ar. 2. Vbi in toto art. docet peccato deberi pœnã æternam, & infinitam, & in argumento *Sed contra*, aſsignans rationẽ, ex pluribus, quas ponit, vna eſt: *Quare* (inquit) *pœna peccatis mortalis ſit æterna? quia per eam* (reſpondet) *contra Deum, qui eſt infinitus, peccatur.* Eadem ferè verba pluries repetit in ſolutione argumẽtorum. Ad 1. enim, cũ in corp. dixiſſet: *Creaturã nõ puniri pœna infinita ſecundum intenſionẽ, quia non erat capax alicuius qualitatis infinitæ, ſed puniri pœna infinita ſecundum durationem*, ait. *Quod peccatorũ mortalium inæqualium, erunt pœnæ inæquales in intenſione, æq... autem in duratio-*

tione. Aſsignans autem in ſolutione ad 6. rationem, quare, cum peccata inæqualia ſint, puniantur pœnis æqualibus, ſaltèm duratione, ait: *Quod ideò æqualitas poteſt eſſe in pœnis peccatis inæqualibus, quia pœna non reſpondet culpæ, propriè loquendo, ſecundum dignitatem eius, in quem peccatur, quia ſic cuilibet peccato redderetur pœna infinita in intenſione, ſed correſpondet culpæ ſecundum inordinationem, quæ inuenitur in ipſa.* Ac ſi diceret, cum in peccato ſit inordinatio quædã, quæ eſt ratio malitiæ, & ſecundum hãc magis, ac magis inhæreat homo bono commutabili, iuxta diuerſitatem peccatorum, quæ patrat, non mirum, quod debeatur illis pœnæ inæqualis iuxta diuerſitatem inordinationis, & iuxta hanc rationem verificatur illud Apocal. 18. *Quantũ glorificauit ſe, & in delitijs fuit, tantũ date ei tormentum, & luctum.*

Ex quibus locis ſic efformo argumẽtum. Illud eſt infinitum ſimplicitèr in ratione mali, cui debetur pœna ſimplicitèr infinita, ſicut illud eſt ſimplicitèr finitum in ratione mali, cui debetur pœna ſimplicitèr finita, vt his in locis docet Sanct. Thom. Atqui cuilibet peccato mortali debetur pœna æqualis, & ſimplicitèr infinita, ſecundum quod eſt contra Deum, licèt ſecundum inordinationem aſsignatam non debeatur pœna æqualis, & infinita, ſed inæqualis, iuxta diuerſitatem deordinationis, vt docet idem S. Thom. Ergo quodlibet mortale peccatum in ratione offenſæ, qua ſolum immediatè reſpicit Deum, eſt infinitum ſimplicitèr, licèt ex alio capite finitatem habeat.

Ratione autem ſic efficacitèr probatur noſtra reſolutio, quam aliquomodo ſupra tetigimus. Illud eſt infinitum ſimplicitèr in ratione mali, quod attingit obiectum infinitum infinito modo; ſicut illud eſt ſimplicitèr infinitum in ratione boni, quod attingit obiectum infinitum modo infinito; & à contrario, illud eſt finitum ſimplicitèr, quod licèt attingat obiectum infinitum ſimplicitèr, non attingit illud infinito, & illimitato modo, ſed finito, & limitato; cuius exemplum vtriuſque ſit actus amoris, quo Deus ſe ipſum amat, & actus quo creatura eum diligit: atqui quodlibet peccatum mortale in ratione offenſæ, non ſolum attingit obiectum infinitum, ſcilicèt Deum, quem offendit, ſed illum infinito, & illimitato modo in eſſe defectibili offenſiuo; etenim ideò Deus ſe ipſum attingit modo infinito, & illimitato in eſſe phyſico per actum amoris, v. g quia ex ſe ipſo in ratione primæ cauſæ habet vim ſe ipſum amandi, & attingendi modo infinito in hoc genere; & ideò hoc habet, quia in iſto genere, nec in alio alteri ſubordinatur; ſicut ideò creatura eum diligit modo finito, quia illum attingit per modũ cauſæ ſecundæ non habentis vim illum attingendi modo infinito propter dependẽtiam, & ſubordinationẽ ad aliud agens primum, & infinitum; in ratione autem deficientis moralitèr offendendo creatura habet vim offendendi Deũ, & attingendi illum deficientèr offendibilitèr modo infinito; ſiquidem ſecundum hanc rationem, ſicut Deus eſt primum agens in eſſe phyſico non ſubordinatum, ſed à ſe vim habens attingendi bonum infinito modo attingibilitatis; ita voluntas creata eſt primum agens in eſſe defectibili non ſubordinatũ alteri, ſed à ſe vim habens attingendi defectibilitèr infinito modo Deum infinitum, illum grauitèr offendendo. Ergo offenſa mortalis peccati in ratione mali moralis eſt ſimplicitèr infinita.

Confirmatur, nam ideò in ratione amabilitatis non attingitur infinito modo à creatura De*, quia in ratione amabilitatis eſt magis, ac magis attingibilis à ſe ipſo, qui infinito modo ſe poteſt amare: atqui in ratione ofẽdibilitatis nõ eſt magis, ac magis ofendibilis, quàm à creatura ofenditur, quæ in ratione ofendentis actiuè omnia agẽtia ſupperat, & quæ omnes modos ofendibilitatis actiuæ in ſe continet, & præhabet, ſine eo quod alteri, nec ipſi Deo competat; ſi enim Deus ſe poſſet ofendere, magis, ac magis eſſet ofendibilis, quam à creatura ofenditur, ſicut magis eſt amabilis, quam à creatura amatur. Ergo cũ Deus non poſsit ſe ofendere, cũ non ſit agens morale defectibile, reſtat, quod vltimũ quod ſic ofendibilitatis à creatura proueniat, quæ in ratione ofendẽtis actiuæ totam imaginabilem vim, & efficaciã à ſe ipſa habet, ac percõſequẽs, infinitã.

Pro quo, & totiùs noſtræ difficultatis penetratione, hanc quæſo ingenioſam,

ſam, vt opinor, perpendite doctrinã, & diuerſitatem inter amabilitatem Dei, & illius offendibilitatem; quod Deus, eo quod eſt infinitè bonus habet omnẽ amabilitatem paſsiuam intrinſecam ipſi, quæ eſt quædam capacitas orta ex ſua infinita bonitate, vel identificata cum illa, vt poſsit amari eo modo, quo quod libet obiectum habet capacitatem, vt poſsit attingi à potentia, & cum hæc amabilitas paſsiua ad actiuam relatè dicatur, ſicut illa eſt ita ſumma, ita ſummo modo poteſt attingi, nimirum intrinſicè à ſe ipſo, & extrinſicè à creatura, & à quolibet dupliciter, ſcilicet in actu primo, & in actu ſecundo; Deus enim intrinſicè eſt amabilis in actu primo à ſe ipſo, & per ſuam intrinſecam, & infinitam voluntatem in actu primo conſideratam; & in actu ſecundo eſt intrinſicè amabilis (qua ratione non tam amabilis, quam amatus dicitur intrinſicè) ab ipſamet voluntate ipſius, non cõſiderata per modum potentiæ, ſed puriſsimi actus; & vlteriùs eſt amabilis à creatura extrinſicè in actu primo per voluntatem extrinſecam, & finitam creaturæ in actu primo etiam conſiderata, & in actu ſecundo extrinſecè etiã per voluntatem extrinſecam ipſi, & creatam, non vt conſideratur per modum potentiæ, ſed per modũ actus ſecũdi, amationis, ſcilicèt (vt rudi vocabulorem clarius explicem) & ideò hoc contingit, quia eius bonitas, non ſolum habet proportionem in eſſe obiecti cũ ſua voluntate, ſed cum creata.

Quia tamen offendibilitas paſsiua dicit ordinem ad offendibilitatẽ actiuã, per quam poteſt expleri in actu primo, & in actu ſecundo, & in Deo non reperiatur offendibilitas actiua, nec in actu primo, nec in actu ſecundo, quia non ſolum non offendet, ſed nec poterit ſe ipſum, nec aliquem offendere, eo quod potentia offenſiua ſubterfugit libertatis perfectionem, quæ in ſummo gradu reperiri in Deo neceſſum eſt, nec poteſt reperiri offendibilitas paſsiua intrinſeca, & ad intra, ſicut amabilitas reperitur, ſed ad ſummum reperitur offendibilitas paſsiua extrinſeca penes ordinẽ ad offendibilitatem actiuam creaturæ, quam ex ſuis prædicatis intrinſecis, eo quod ſit ex nihilo, habet in actu primo, quatenus reſpicit voluntatem creatam potentem illum offendere, & in actu ſecundo, quatenus reſpicit eandem voluntatem, non ſolum vt potentem, ſed actu offendentem; quæ quidem denominationes in Deo offendibilis, & offenſi in nullo conueniunt cum denominationibus amabilis, & amati in ſe ipſo, eo quod illas non habet à ſua intrinſecã entitate, ſed ab extrinſeca creaturæ, ſecus autem iſtas: cum denominationibus autem amabilis, & amati à creatura, partim conueniunt, & partim differunt; conueniunt quidem in eo, quod tã iſtæ, quam illæ ſunt ab extrinſeca potentia, & non ab intrinſeca ipſius Dei; differũt autem in eo, quod licèt omnes extrinſecè ſint phyſicè, moralitèr autem denominationes offendibilis, & offenſi intrinſecæ ſunt Deo, eo quod offenſa moralitèr intrinſecè eſt in perſona offenſa; denominationes autẽ amabilis, & amati à creatura, adhuc moralitèr, non ſunt intrinſecæ Deo, ſed creaturæ, eo quod honor non eſt in honorato moralitèr, ſed in honorante; vnde quando offendit creatura Deum, expletur tota eius offendibilitas paſsiua, refundendo in paſſum totã ſuam offendibilitatem actiuam creaturæ, quæ prout à voluntate, actiua dicitur, & prout refuſſa moralitèr in Deum, paſsiua nominatur: eo modo, quo peccatum originale dicitur originans in Adamo, transfuſſum autẽ in poſteris, originatum: ac proinde, cũ tota expleatur offendibilitas, offenditur in quantũ offendibilis eſt, ac perconſequens, modo infinito.

Soluuntur argumenta vndequaque infinitatem offenſæ oppugnantia.

ARTIC. VI.

CÆterum in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij plura S. Thom. teſtimonia ex varijs locis deſumpta, ex quæſt. 2. de malo, vbi docet, non eſſe neceſſarium dari aliquod ſimplicitèr malum, quamuis detur aliquid ſimplicitèr bonum: Ex 4. diſt. 17. quæſt. 1. artic. 3. quæſtiunc. 1. ibi: *Sicut autem beatitudo futura infinitatem habet ex obiecto, ita offenſa in Deum commiſſa habet quandam infinitatem ex eo, in quem committitur.* Eadem verba habet in hac 3. par. quæſt.

Digitized by Google

1.art.2.ad 2. Ergo peccatum nullam habet infinitatem ſimplicitèr; alias enim eſſet neceſſarium dari aliquod ſimplicitèr malũ, ſicut datur ſimplicitèr bonum, ſed quandam, & ſecundum quid; vt arguit Angelicus Doctor.

Reſpondeo, quod ex locis S. Thom. nil contra noſtram ſententiam, potiùs enim ex illo 3.part. colligunt deffendentes infinitatem peccati ſimplicitèr ſuã ſententiam; verùm, licèt non colligatur, non tamen contra iſtam faciunt; quia nos concedimus, non eſſe neceſſarium, dari aliquid ſimplicitèr malum, ſicut datur aliquid ſimplicitèr bonum; hoc eſt, quod ſicut datur aliquid ſimplicitèr bonum in omni genere, in omni etiam genere detur aliquid ſimplicitèr malum; hoc tamen non tollit, quominus detur aliquid ſimplicitèr malum in aliquo genere, ſcilicet morali; & propter hanc rationem dicitur à Sanct. Th. peccatum habere quandam infinitatem relatè, ſcilicèt ad infinitatem in omni genere; imò addo, quod etiam dicitur habere quandam infinitatẽ in linea morali, quia non ſolum finitatem habet in eſſe phyſico, ſed etiam in eſſe morali deſumpto ab obiecto, & circumſtantijs; quare vt denotaret Sanct. Thom. peccatum non eſſe ſecundum omnes gradus moralitatis infinitum, dixit, quandam infinitatem habere, nimirum in ratione offenſæ contra Deum, & hanc intrinſecam deſumptam in ordine ad principium deficiens, iuxta modum à nobis pluries explicatum, in quo differt à beatitudine futura, quæ ſolam habet infinitatem extrinſecam ex obiecto deſumptam.

2 Vrgebis argumento ſingulari contra noſtrum modum diſcurrendi ex ſingulari etiam loco Sanct. Thom. in diſput. quæſt. de peccatis art. 9. ad 5. vbi hæc habet: *Quod à bono infinito aliquis auertitur actu finito, & ideò peccatum eſſentialitèr finitum eſt. licèt habeat aliquam habitudinem ad bonum infinitum.* Ergo licèt peccatum ex habitudine ad bonum infinitũ infinitatem aliquam habeat; quia tamẽ huiuſmodi habitudo actu finito fit, eſſentialitèr finita erit.

Reſpondeo, quod quando Sanct. Thom dicit, actu finito auerti nos à bono infinito, nil contra nos, qui etiam dicimus, actum finitum eſſe materialitèr ſumptum; cum quo tamen ſtat, quod formalitèr ſumptus actus, prout ſcilicèt exprimit munus offenſionis, infinitus ſit formalitèr ex ordine ad principiũ, à quo formalitèr oritur, tanquam à primo deficiente, ſicut in ſententia communi ex ordine ad obiectum, quod offendit. Quando autem proſequitur, peccatum eſſentialitèr finitum eſſe, ſumit peccatum ſecundum ſuum cõſtitutiuũ formale, quod eſt in ordine ad obiectũ diſſonum rationi, ſecundum quam rationem formaliſsimè, & eſſentialitèr finitum eſt, ſicut ipſum obiectum, à quo eſſentialitèr ſpeciem ſumit; ſicut ergo in ſententia communi hoc non tollit, quod habeat aliquam habitudinem ad bonũ infinitum, vt proſequitur S. Tho. ex quo infinitatem accipiat, non tollet etiam, quod ex habitudine, quam dicit ad principium formalitèr vt deficiens in ratione cauſæ primæ infinitum, habeat ſuam infinitatem ſimplicitèr in noſtra ſententia.

Opponunt ſecundo. Infinitum ſimplicitèr in aliquo genere illud eſt. quod in illo genere non eſt maius aliud ex cogitabile, ſiquidem in illo ita terminis debet claudi, vt inuoluat omnem poſsibilem perfectionem, ſicut infinitum ſimplicitèr in omni genere in omni illo totum hoc habet: Atqui peccatum mortale non eſt ita ex cogitabile maius, quod terminis claudatur, & omnem poſsibilẽ perfectionẽ in genere mali inuoluat; alias enim nullum eſſet peccatũ, quod non inuolueret malitiam omnium peccatorum, ac perconſequens, nullum grauius eſſet alio, quod falſiſsimum videtur, cum grauius peccatum ſit blaſphemia, v.g. quam furtum, & magis offendatur Deus per illud, quã per iſtud, ob quod maiori pœna punitur à Deo, iuxta illud Apoc. 18. *Quantum glorificauit ſe, &c.* Ergo ex nullo capite infinitatem habere poteſt ſimplicitèr.

Hoc argumentum, quod plura inuoluit, eſt Achilles contrarioſum. Verum antequam ſolutionem adhibeam, non poſſum non mirari, teneri ipſos ad illud reſpondere, eo ipſo, quod peccato concedant infinitatem aliquam, ſaltim ſecundum quid, & extrinſecam, vel intrinſecam iuxta alios, in qua ſua infinitate ex Deo offenſo non poſſunt agnoſcere magis, nec minus, cum idem ſit

Deus vltimus finis, à quo æqualitèr omnia mortalia auertunt, vt docent communitèr ipſi ex S. Thom. 3. par. quæſt. 88. art. 1. dicente: *Quidquid eſt ex parte auerſionis in peccato mortali ſecundum ſe conſiderato, eſt commune omnibus peccatis mortalibus, quia per quodlibet peccatum mortale homo auertitur à Deo.* Ergo in ratione auerſionis, iuxta ſuam ſententiam, non eſt magis, & minus in peccatis mortalibus; & nihilominus non ex hoc infertur in ſua ſententia, quodlibet peccatum mortale inuoluere malitiam omnium peccatorum, nec vnum non eſſe grauius alio, ob quod maiori pœna puniatur à Deo. Ergo nec iuxta noſtram infinitatem id inferretur; reſpondeant ipſi etiam ad argumentum, qualitèr, videlicèt, ſtet cum illa æqualitate in ſua infinitate ex Deo ofenſo, inæqualitas inter peccata quoad grauitatem, & quoad debitum pœnæ?

Reſpondeo ergo pro omnibus, quod licèt quodlibet peccatum mortale habeat eandem infinitatem in ratione offenſæ, vltra quam non eſt maior excogitabilis, ſecundum id, quod reſpicit ex parte perſonæ, quam ofendit, & ex parte perſonæ ofendentis, nihilominus vnum mortale ſit grauius alio, & quod non contineat malitiam omnium, neq; eadem pœna puniatur, ac omnia, eo quod cum in peccato ſint aliæ rationes, imò, & principalitèr pertinentes ad rationem formalem ſui cōſtitutiuā, nimirum tendentia moralis ad obiectū diſſonum rationi, & ad varias circumſtantias, iam ſpeciem mutantes, iam intra eandem ſpeciem permanentes, & in his rationibus ſit maior, vel minor grauitas, iuxta diuerſitatem obiectorum, quæ prohibentur; ſit inde, quod vnum grauius dicatur, quam alterū, & quod ofendatur Deus magis vno, quàm alio, ob quod non æquali pœna puniantur, ita vt maior ofendibilitas, quam patitur Deus per vnum peccatum, quā per aliud, propter quam punit vnum maiori pœna, quā aliud, orta ſit ex eo, quod videat Deus hominem tranſgreſſum eſſe præceptum obligans ſub ſacrilegio, v.g. per tendentiam moralem ad obiectum, non ſolum diſſonum, vtcumque rationi, ſed diſſonum ſacratum, vel in loco ſacro trāſgreſſum, quæ eſt propria ratio eſſentialitèr conſtitutiua ſacrilegij in eſſe talis formalitèr, vt à quolibet alio peccato diſtinguitur; non autē ex eo, quod formalitèr ſit quodlibet contra Deum, in quo potiùs æqualitas ſumma reperitur in omnibus in grauitate, & ofenſione, iuxta quam æqualitatem potiùs debetur illis æqualitas pœnæ: Cuius diuerſitatis rationem egregiè tradidit Sanct. Thom. in 4. diſt. 46. quæſtion. 1. art. 2. ad 6. dicens: *Quod pœna reſpondet culpæ propriè loquendo ſecundum inordinationem, quæ inuenitur in ipſa, & non ſecundum dignitatem eius, in quem peccatur, quia ſic cuilibet peccato redderetur pœna infinita in intenſione.* Quia nimirum perſona, in quem peccatur, non ſuſcipit magis, nec minus: inordinatio autem ad obiectum magis, & minus ſuſcipit, vt etiam contrarij dicere tenentur; iuxta quam tantum inordinationem intelligitur illud Apoc. *Quantum glorificauit ſe, &c.*

Opponunt tertio. Si peccatum eſſet infinitum ſimplicitèr in genere mali, ſatisfactio Chriſti non eſſet ſuperabundans, contra illud Apoſt. *Vbi abūdauit delictum, ſuperabundauit, & gratia.* Etenim cum ſatisfactio Chriſti ſolam habuerit infinitatem moralem ſimplicitèr, non autem entitatiuam, & phyſicam, ad ſummum potuit æquari ofenſæ peccati, imò forſis non æquaretur, cum iuxta noſtram ſententiam, ex duplici capite habuit infinitatē ofenſa peccati, nimirum ex perſona ofendente, & ex perſona ofenſa; ſatisfactio autem Chriſti, licèt habuerit infinitatem moralem intrinſecam ex parte perſonæ ſatisfacientis, nullam aliam potuit habere in ratione ſatisfactionis ex alio capite; nam ratio ſatisfactionis formalitèr vt talis, tota ſumitur ex perſona ſatisfaciente, & ſi quam aliam infinitatē eius act⁹ habuere potuerit, ſolū fuit extrinſeca in ratione actus moralis, ſicut eam habet quilibet actus virtutis Theologicæ. Ergo potiùs ſuperabundaret delictū gratiæ, & ſatisfactioni, quam ſatisfactio, & gratia delicto.

Reſpondeo, quod licèt attentis omnibus, quæ in argumento referuntur, potiùs ſuperabundantia ſtaret ex parte peccati, quàm ex parte ſatisfactionis Chriſti; tamen cum non ſolum ſatisfactio ex parte oblationis fuerit infinita in genere moris, ſed etiam ex parte rei oblatæ,

Digitized by Google

& hæc habuerit non ſolum moralem infinitatem, ſed phyſicam; ſiquidem Chriſtus erat, qui offerebatur in quolibet actu ſatisfactionis eius; ideò ſuper exceſſus, qui reperitur in infinitate phyſica reſpectu moralis, fuit in ſatisfactione Chriſti comparatione ad infinitatem peccati.

Opponunt quarto. Ratio offenſæ formaliter conſiſtit in ſummo Dei contemptu, quo anteponitur creatura ipſi: ſed in contemptu Dei eſt magis, & minus, nam vt inquit Sanct. Thom. in diſput. quæſt. de peccatis art. 9. ad 11. *Nil prohibet, quin per vnum peccatum contemnatur magis Deus, quam per aliud.* Ergo offenſa peccati nō eſt ſimplicitèr infinita.

Confirmatur, quia vt docet idem S. Thom. pluribus in locis, malum eſt priuatio boni: atqui bonum, quo priuat quodlibet peccatum, finitum eſt, nempè gratia. Ergo, cum priuationes ex ordine ad formas, quibus priuant, colligātur, dicendum erit, peccatum eſſe ſimplicitèr finitum.

Reſpondeo, quod offenſa conſiſtit formalitèr in concemptu formali Dei, quo præfertur voluntas propria Diuinæ voluntati præcipienti, & legiſlanti; non autem in cōtemptu materiali, quo voluntas propria præfertur Dei voluntati in materia præcepta, quæ quidem materia, ſicut ſuſcipit magis, & minus, ita contemptus materialis Dei ſuſcipit magis, & minus, ſecundum quam rationem nil prohibet, quin per vnum peccatum contemnatur Deus magis, quam per aliud, vt docet Sanct. Thom. non autem ſecundum rationem contemptus formalis voluntatis Dei legiſlantis, in quo, ſicut neq; in ipſa voluntate Dei, eſt magis, & minus.

Ad confirmationem dico, quod illud argumentum ſolum probat, peccatum quodlibet mortale ex ordine ad gratiam, qua priuat, eſſe ſimplicitèr finitum, ſicut ipſa gratia; quod non tollit, quominus ex alio capite infinitatem habeat; imò potius hoc argumentum iuuat ad firmandam noſtram infinitatē, nam ſicut quia priuat gratia, quæ finita eſt, finitum dicitur; ita quia priuat Deo, qui infinitus eſt, infinitatem habebit.

Opponunt quinto. Id, quod tollitur per aliquid ſimplicitèr finitum, non eſt ſimplicitèr infinitum; licèt enim id, quod finitum eſt, per aliquid infinitum auferri poſsit, vt de facto tollitur per peccatum mortale gratia, non tamenècontra, propter exceſſum ex parte illius, quod auferri debet: atqui quodlibet peccatum, vt eſt offenſa Dei, per gratiam, quæ ſimplicitèr finita eſt, tollitur. Ergo peccatum mortale, adhuc ſecundum rationem offenſæ, non eſt ſimplicitèr infinitum.

Reſpondeo, quod licèt verum ſit, infinitum non poſſe tolli per aliquid finitum, quando auferendum eſt per modum compenſationis, ſecus autem quādo ablatio eſt per modum formæ incompoſsibilis, ſecundum quam rationem non attenditur maior, vel minor quantitas virtutis formæ, vt patet in forma equi, quæ, licèt imperfectior ſit anima rationali, ſi tamen applicaretur materiæ, illam auferret.

Vel ingenioſiùs dic; quod licèt gratia phyſicè ſimplicitèr finita ſit, ſicut ipſum peccatum hoc modo ſumptum finitum eſt, tamen gratia moralitèr ſumpta, id eſt, prout includit virtualitèr condonationem Dei remittentis, moralem habet infinitatem ſimplicitèr, & ſecundum primam rationem tollit peccatum ſecundum quod maculat animam, ſecundum quam finitum eſt, ſicut obiectum, quod reſpicit maculandum; ſecundum alteram autem rationem, tollit ipſum ſecundum quod offenſa eſt Dei, ſecundum quam rationem infinitum eſt, ſicut ipſe Deus, quem offendit; vnde nuquam id, quod eſt finitum ſecundum eam rationem, ſecundū quam finitatem habet, tollit id, quod infinitum eſt, ſecundum eam rationem, qua infinitum eſt.

Vtrum offenſa peccati venialis ſit ſimplicitèr infinita?

QVÆST. IV.

IN Hac re ſingularis fuit ſententia Gabrielis in 4. diſt. 16. not. 3. qui ex mēte Gerſonis de vita animæ lect. 1. defendit offenſam venialis peccati eſſe ſimplicitèr infinitam; idem inſinuare videtur Petrus de Soto lib. de inſtit. Sacerdotū, lect. 18, de Pœnitentia, & Monteſinos in-

Digitized by Google

in manuſcriptis ad materiam de Incarnatione, diſp. 4. quæſt. 5. Eam etiam aliquando audiui à Doctiſsimo quoddam ex noſtris meo Magiſtro P. Thoma Hurtado, & eam typis mandauit, & defenſa bit Præſes in publicis diſputationibus habitis in Vniuerſitate Hiſpalenſi, quas ſuſtentauit quidam Diſcipulus meus, P. Franciſcus Tordeſillas anno 1639. dum prædictus P. Hurtado regeret veſpertinam Cathedram illius Vniuerſitatis, vbi in quarta concluſione ex his, quæ defenſatæ fuerunt, hæc propoſuit, & impreſsit verba. *Vtrique enim, ſcilicèt, mortali, & veniali infinitatem ſimplicitèr, non ſolum ex obiecto Deo ſcilicèt offenſo, ſed à principio etiam malefaciente ortam non inficior.*

Aſt communior apud omnes Theologos iam diu firmata eſt oppoſita ſententia, vt ferè nullus vltra prædictos opponatur communiori, quæ negat infinitatem ſimplicitèr ofenſæ venialis peccati, licèt illam concedant ofenſæ mortalis ferè omnes Thomiſtæ, contra quos ſolum poterat vim habere infinitas ofenſæ venialis peccati à paritate rationis, quæ ſemper videtur efficax ex eiſdem principijs, ex quibus communitèr probant Thomiſtæ infinitatem ſimplicitèr ofenſæ mortalis peccati.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo prius; hanc difficultatem ſolũ procedere ſuppoſitis principijs communibus apud Thomiſtas de infinitate ſimplicitèr ofenſæ peccati mortalis, & ſuppoſitis etiam principijs communibus, quibus infinitas mortalis ofenſæ probatur, quæ ad tria capita reducuntur iuxta à nobis dicta quæſt. præcedenti. Primũ eſt, & magis commune apud Thomiſtas deſumptum ex Deo ofenſo ſe habẽte vt ſubiectum morale recipiens talem ofenſam. Secundum caput deſumitur, licèt non ita communitèr, ex pœna debita mortali peccato, quæ infinita eſt. Tertium deſumitur ex principio ofendente, à quo quaſi effectiuè, oritur ofenſa tanquam à prima cauſa in eſſe deficiẽtis nulli alteri cauſæ ſubordinata vt docet quidam ex noſtris citatus quæſt. præcedenti in manuſcriptis ad hanc materiam. Neque difficultatem procedere de ratione malitiæ penes oppoſitionẽ ad virtutem moralem, nec de ratione conuerſionis ad obiectum diſſonum rationi, quia ſecundum has rationes, vt communitèr explicantur, ſuſcipiunt magis, & minus omnia peccata, tam mortalia, quam venialia. Imò neque in ratione auerſionis poteſt difficultas procedere, quia auerſio formalitèr, vt dicit ordinem ad Deum, à quo auertit, cum illum ſolum reſpiciat vt finem, ſolum poteſt ex hoc capite peccatum habere infinitatem extrinſecam, & ſecundum quid, ſicut habet actus charitatis in ratione conuerſionis ad Deum, quẽ tanquam finem reſpicit. Solum ergo eſt præſens difficultas de ratione ofenſæ formalitèr vt tali, vt ab alijs rationibus repertis in peccatis diſtinguitur, ſiuè ſit diſtinctio penes diuerſa munera, ſiuè penes diuerſas rationes formales, vt magis conſonum iudico menti Sanct. Thomæ 3. part. quæſt. 76. art. 2. dum dicit: *Ofenſa peccati procedit ex hoc, quod voluntas hominis eſt auerſa à Deo per conuerſionem.* Vbi S. Doctor clarè docet vnã rationem ex his, quæ reperiuntur in peccatis, ex alia procedere, quod maiorem diſtinctionem innuit, quam penes diuerſa munera. Quo ſic obſeruato.

Reſoluitur quæſtio iuxta communem ſententiam.

ARTIC. II.

REſolutio noſtra ſit, ofenſa venialis peccati non eſt ſimplicitèr infinita: poteſt ſuaderi prædicta reſolutio primo, ex eo, quod per peccatum veniale non ofenditur Deus, quantum ofendibilis eſt, etenim nullam aliam ofendibilitatem paſsiuam poteſt Deus ſuſcipere, niſi quam accipit ab ofendibilitate actiua creaturæ per volũtatem ipſum vt Legislatorem ſupremum contemnentẽ, iuxta noſtrum modum ſumendi infinitatem ofenſæ peccati mortalis, quæſt. præcedenti, atqui ofendibilitas actiua voluntatis creatæ, vt Deum ſupremum Legislatorem contemnentis per peccatum veniale infinita non eſt, nam hæc actiua ofendibilitas poteſt eſſe intenſior, & remiſsior, iuxta intenſionem actus,

Digitized by Google

vel remiſsionem, quo Deus contemnitur, ex qua parte ſumitur maior, vel minor contemptus, vt docet S. Thomas in diſputatis quæſt. de peccatis art. 9. ad 15. quis enim dubitet intenſiori affectu offendere Deum, qui mortalitèr peccat, quam, qui venialitèr deficit.? Ergo cum inter infinita ſimplicitèr non detur maius in illa linea, in qua ſunt infinita, cõſequens eſt, quod licèt peccatum mortale habeat infinitatem ſimplicitèr in ratione offenſæ, non ideò illam poterit habere veniale peccatum.

Verùm hæc ratio mihi non probat, etenim intenſiori affectu offendit Deũ, qui de ipſo blaſphemat, quam, qui furatur aliquam rem ſub mortali obligantem, & nihilominus Authores Thomiſtæ, qui infinitatem ſimplicitèr tribuũt offenſæ peccati mortalis, dicunt, quod hoc non prouenit ex ratione offenſæ contra Deum formalitèr vt tali, quia eodem modo ſe habet indiuiſibilitèr in ratione ſubiecti recipientis quamlibet offenſam mortalis peccati, ſed dicunt prouenire ex ratione malitiæ ab obiecto deſumptæ, circa quod eſt magis, & minus in quolibet peccato, ergo licèt nullam habeat infinitatem paſsiuam Deus, niſi quam accipit à voluntate actiuè offendente, poterit intelligi, quod qui venialitèr peccat, offendat Deum, quantum offendibilis eſt paſsiuæ, licèt actus, quo offenditur per peccatum veniale, ſit affectiuè remiſior ex ordine ad obiectum, à quo ſumitur malitia, & non offenſa, quam actus, quo offenditur Deus per mortale peccatum; non enim videtur ratio, quare hic exceſus inter peccata mortalia in intenſione actus debeat attendi ex parte illius, quod de materiali dicit offenſa, ſcilicèt, ex ratione malitiæ, ſeu conuerſionis ad obiectum diſſonum rationi, & non ex ipſa formali offenſa, & exceſſus inter peccata mortalia ex vna parte, & venialia ex alia circa intenſionem actus non debeat attendi ex parte illius, quod de materiali importat quælibet eorum offenſa, ſcilicèt, malitiæ, vel conuerſionis ad obiectum diſſonum rationi, & non ex ipſa formali eorum offenſa.

Dicere autem, quod audiui à quodã Doctiſsimo ex noſtris in me diſputante. voluntatem, cum liberè ſe applicet, non applicare totam ſuam libertatem, quando venialitèr peccat, ſicut cum mortalitèr deficit; dicere tantum eſt. Tum quia voluntas formalitèr, vt deficit offendendo Deum, non exprimit formalitèr libertatem, licèt materialitèr libera ſit, nec poteſt non applicare totam ſuam infinitatem (à qua etiam ſumit ipſe infinitatem mortalis peccati) in ratione offendentis actiuè, vt patet in peccatis mortalibus, in quibus, licèt libere ſe applicet ad hoc, vel illud, furtum, v.g. aut ſacrilegium, non tamen libere ſe applicat ad rationem offenſæ vtriuſque, ſed neceſſario æqualis reſultat in vtroque peccato, iuxta eius, & communem ſententiam Thomiſtarum. Tum etiam, quia ſicut ipſe vult liberè ſe applicare voluntatem, quando venialitèr offendit comparatiue ad peccatum mortale ab ipſa patratum, quare non libere ſe applicabit, quando mortalitèr offendit comparatiue ad aliud, grauius peccatum, quod quotidie committit.

Confirmatur totum hoc exemplo operũ Chriſti Domini, quæ quidẽ, licèt libere exercerentur ab ipſo, quatenus poterat vnam, vel alteram elicere, naturalem, vel ſupernaturalem, intenſiorẽ, vel minus intenſam pro ſua libertate, non tamen poterat ſe cohibere ad tribuẽdum omnibus cuiuſcumque generis, vel intenſionis eandem infinitatem moralem ex perſona deſumptam: vel ſi liberè ſe applicat circa moralitatem hãc, quomodo leuioribus operibus tantam contulit dignitatem moralem perſonalem quantam grauioribus, & excellentioribus, in eius enim ſententia tam infinita eſt voluntas creata in eſſe morali defectibili, ac eſt ſuppoſitum Chriſti in eſſe morali perſonali.

Secundo poteſt ſuaderi prædicta noſtra reſolutio ex eo, quod ſi offenſa venialis peccati eſſet ſimplicitèr infinita, ſicut, & mortalis, æqualitèr conueniret cum offenſa mortalis, quæ infinita ſimplicitèr eſt ſecundum ſententiam Thomiſtarum, ergo vel hæc conueniẽtia eſſet in genere, vel in ſpecie? vtrumque autem eſt contra S. Thomam 1. 2. quæſt. 88 art. 1. in corp. & ad 1. vbi dicit, *Quod diuiſio peccati in veniale, & mortale non eſt diuiſio generis in ſpecies, quæ æqualitèr participant rationem generis, ſed analogi in ea, de quibus prædicatur ſe-*

cun-

Digitized by Google

cundum prius, & poſterius, & ideò perfecta ratio peccati conuenit mortali, peccatum autem veniale dicitur peccatum ſecundum rationem imperfectam. Ergo nullo modo peccatum veniale habet infinitatem ſimplicitèr in oratione offenſæ aliàs æqualitèr conueniret cum mortali, quod expreſsè negat S. Th.

Verum neque hæc ratio mihi probat, etenim plures Authores concedũt, quod peccatum mortale, & veniale cõueniunt genericè in ratione eſſentiali peccati, ſcilicèt, in ratione tendentiæ ad obiectum diſſonum rationi, vel in ratione priuationis rectitudinis debitæ actui, de quorum numero eſt Monteſinos 1.2.quæſt.88.diſp.8. quæſt. 4. numer.63. & nihilominus cum hac vniuocatione ſaluant analogiam, quam dicit S. Thom. in prædicto loco inueniri inter peccatum mortale, & veniale, eo quod ſolum peccatum mortale, & non veniale affert mortem animæ ſpiritualem per ablationem gratiæ, quæ eſt vita ſpiritualis animæ, & ſecundum iſtam rationem peccatum veniale dicitur: *Peccatum ſecundum rationem imperfectã*, vt inquit Sanct. Thom. & hoc modo explicant iſti Authores Angelicum Doctorem loco citato, vt videre eſt apud eundem Monteſinos vbi ſupra numer. 65. & benè quidem, quia S. Doct. in toto articulo prædicto ſolũ intendit prædictam analogiam, quam expreſsit in corp. art. *Sic, quod ſi mortale accipiatur, prout refertur ad mortem animæ, non videtur oppoſitionem habere cum veniali, neque ad idem genus pertinere.* Ergo ſicut iſti Authores cum prædicta analogia explicata inter peccatum mortale, & veniale, quam ſolum intendit Sanct. Th. ſaluant vniuocationem inter peccatum mortale, & veniale in ratione eſſentiali peccati, poterit etiam cum prædicta analogia ſaluari vniuocatio inter mortale, & veniale in ratione offenſæ, quæ non eſt ratio eſſentialis peccati, ſed accidens quodam omnibus peccatis commune.

Tertiò poteſt ſuaderi prædicta noſtra reſolutio ex eo, quod, ſi offenſa peccati venialis eſſet ſimplicitèr infinita, ſicut offenſa mortalis, æqualis pœna deberetur vtrique ſecundum iſtam rationem, ſiquidem pœna debet eſſe proportionata culpæ; hoc autem eſt contra Sanct. Thomam pluries docentem, *Peccatis venialibus non deberi pœnam æternam, ſed temporalem*, vt inquit 3. part. q. 86. artic. 4. Vlteriùs ſi eadem pœna deberetur vtrique ſecundum rationem offenſæ, non eſſet, vnde diſtinguerentur mortale, & veniale ex natura rei, ſed ex ſolo beneplacito Dei, hoc autẽ apud aliquos Authores, quos ſuppreſſo nomine refert, Curiel 1.2. quæſt. 88. art. 1. dub. 2. §. 2. plus quam temerarium eſt, ergo, vt vitentur hæc inconuenientia, aſſerendum eſt offenſam venialis peccati non eſſe ſimplicitèr infinitam.

Verùm neque hæc ratio ita efficax eſt, vt non poſsit inſtari; tum primò, quia ſtat optimè, quod peccatis mortalibus ſecundum aliquam rationem debeatur æqualitas pœnæ æternæ, ſcilicèt, ſecundum rationem offenſæ, & priuationis gratiæ, & inæqualitas pœnæ temporalis, ſcilicèt, ſecundum rationem conuerſionis ab bonum commutabile, *Eo quod, cum bonum commutabile, ad quod conuertunt, finitum ſit, non habet peccatum ex hac parte* (inquit Sanct. Th. loco citato in argumento) *quod debeatur ei pœna æterna, ſed temporalis, ſicut venialibus.* Et ſecundum hanc maiorem, vel minorem conuerſionem ab bonum cõmutabile explicat illud Apocalipſ. 18. *Quantum glorificauit ſe, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum;* ergo poterit ſtare, quod, licèt peccato veniali deberetur ſecundum rationem offenſæ æqualis pœna, ac peccato mortali ſecundum eandem etiam rationem offenſæ, quod debeatur ei inæqualitas pœnæ temporalis ſecundum rationem conuerſionis ad bonum commutabile, ad quod veniale conuertit.

Tùm ſecundo, quia etiam ſi æqualis infinitas, & pœna deberetur mortali, & veniali ſecundum rationem offenſæ, adhuc maneret locus, vt inter ſe diſtinguerentur ex natura rei, & non ex ſolo Dei beneplacito, ergo ex hoc capite non benè probatur, quod offenſa venialis peccati non ſit ſimplicitèr infinita, ſicut eſt offenſa mortalis; antecedẽs probatur ſic, nam in omnium ſententia peccata mortalia habent aliquam infinitatem in ratione offenſæ, vel ſimplicitèr, vt communitèr volunt Thomiſtæ, vel ſecundum quid, vt dicunt alii, & in hoc æqualia ſunt, ſicut, & in priuatione

ne

ne gratiæ, ex quibus capitibus omnib⁹ mortalibus debetur æqualis pœna, & nihilominus omnes Authores ſaluant, quod ex natura rei vnum peccatū mortale ab alio diſtinguatur, & non ex ſolo diuino beneplacito, eo quod ſecundum rationem diſformitatis ad legem, (quæ eſt propria natura peccatorum) habent magis, & minus iuxta obiecta, vel circumſtantias diuerſas, & quod non debeatur ipſis æqualis pœna ſecundum hanc rationem, ergo, licèt peccatum veniale haberet infinitatem ſimplicitèr in ratione offenſæ, pro qua poſſet à Deo puniri æterna pœna, nihilominus ſtabit diſtinctio ex natura rei, & non ex ſolo diuino beneplacito inter peccata venialia, & mortalia, tum ex diuerſis deformitatibus ad legem, tùm ex eo quod mortalia reſcindunt Dei amicitiam, ſecus venialia; tùm denique, quia ſecundum rationem diſformitatis maior deberetur pœna mortali, quam veniali.

Hinc, licèt ſententia illa, quam impugnat Curiel loco citato, ſit pluſquam temeraria; non tamen illa, quæ doceret offenſam venialis peccati eſſe ſimplicitèr infinitam, & obid deberi infinitam pœnam, quia ſententia, quam pluſquā temerariam iudicat, eſt illa, quæ diſtinctionem peccati mortalis à veniali ex diuina miſericordia ſumit, & hoc eſt, quod inquirit in titulo illius dubij, vt videri eſt apud ipſum, & ſententia illa, quæ doceret æqualem pœnam deberi peccatis mortalibus, & venialibus ſecundum rationē deformitatis ad legē, digna eſſet tali cenſura, ſicut quæ doceret pœnam debitam peccato mortali furti, ſecundum quod eſt diſformitas ad legem, æqualē eſſe cū pœna debita peccato mortali ſacrilegij, v.g. ſecundum rationem etiam diſformitatis ad legē: ſententia autem, quæ doceret, quod in ratione offenſæ ſolum omnia peccata æqualia ſunt, & ſecundum hanc rationem æquale habeant debitum ad pœnam non eſſet digna aliqua cenſura.

Pro qua doctrina poteſt videri Monteſinos 1.2. quæſt. 88 art. 1. diſput. 18. quæſt. 2 qui licèt num. 30. neget peccato veniali deberi pœnam æternam, addit tamen, § Ad 2. *Quod etiam ſi pœna ignis æterna eſſet debita pro peccato veniali, nihilominus ſaluaretur diſtinctio ex natura rei inter peccatum mortale, & veniale, eo quod veniale non tolleret amicitiam cum Deo, ſicut tollit mortale.* Huculque Monteſinos. Neque ex hoc inferretur non deberi maiorem pœnam ex ſe peccato mortali, quā veniali, nam licèt attenta perſona, in quam peccatur, æqualis deberetur pœna; qua poſſent à Deo puniri, attenta tamen ratione diſformitatis ad legem, quæ eſt propria natura peccati, maior pœna debita eſſet peccato mortali, quā veniali iuxta maiorē diſformitatē, de qua ſolum verificatur illud Apocalip. 18. *Quantum glorificauit ſe, &c.*

Adducitur verum caput, quo probatur offenſam venialis peccati non eſſe ſimplicitèr infinitam.

ARTIC. III.

Reſolutio noſtra, quæ hucuſque nulla forma ratione fulcita eſt, iam iā denuo non inefficacitèr fulcitur, Authoritate, & ratione. Primo enim probatur ſingulari quoddam loco Tridentini, ſeſſione 6. cap. 11. in fine, vbi docere videtur, non poſſe ſalua fide affirmari peccatum veniale pœnas æternas mereri, ſic enim ait: *Vnde conſtat eos Orthodoxæ Religionis Doctrinæ aduerſari, qui dicunt iuſtum in omni bono opere ſaltē venialitèr peccare, aut, quod intolerabilius eſt, pœnas æternas mereri,* vbi Tridētinum duo hic dicit eſſe contra fidem, vnum, *hominem iuſtum in omni bono opere ſaltèm venialitèr peccare.* Alterum, (quod vocat intolerabilius) *pœnas æternas mereri.* Atqui has pœnas æternas iuſtum mereri, non alio poſſet, niſi ratione venialis peccati, cū non ſupponatur in homine iuſto mortale peccatū, aliàs non eſſet iuſtus, neq; illas pœnas æternas mereri poſſet ratione gratiæ iuſtificantis, ergo contra definitionē Tridentini videtur aſſerere, qui dixerit peccato veniali deberi pœnam æternā aliqua ratione, ac perconſequens non erit in ratione offenſæ ſimplicitèr infinitū, nam pœnas æternas mereri nō poſſet, niſi ratione infinitudinis ſaltem in ratione offenſæ.

Dices, hoc argumento ex Tridentino deducto videtur dānatā eſſe propoſitionem aſſerentem veniale peccatum habere infinitatem ſimplicitèr in ratione offenſæ, quia ſic pœnas æternas meretur, quæ nimis rigida cenſura videtur,

D tur,

Digitized by Google

tur, ſiquidem talem infinitatem offenſæ venialis peccati defendit Gerſon Cãcellarius Pariſienſis eruditione, & ſanctitate ſingulari, & Gabriel, & noſter Thomas Hurtado citati in principio quæſt. imò, & ego multoties defenſatus ſum; verùm licèt ex loco Tridentini, ſatis probabilitèr fulciatur reſolutio noſtra, & damnet primam propoſitionem, ſcilicèt, qui dicunt, *Iuſtum in omni bono opere ſaltèm venialitèr peccare*, cum plura opera bona fiant à iuſto ſine peccato veniali, imò cum merito ad vitam æternam, non tamen damnat ſecundã propoſitionem, ſcilicèt, *pœnas æternas mereri*, etenim licèt Tridentinũ dicat, *Quod intolerabilius eſt pœnas æternas mereri*, non loquitur Tridentinum de peccato veniali, vt peccatum veniale eſt, ſed, vt patet ex contextu, loquitur de opere illo bono hominis iuſti, quod apud hæreticos erat peccatum veniale, quod hoc opus mereatur pœnas æternas, ac ſi diceret Concilium, tantum abeſt, quod homo iuſtus in omni opere bono venialitèr peccet, quod intolerabile, imò intolerabilius ſit, quod tale opꝰ bonum, apud illos veniale peccatum, pœnas æternas mereatur, ergo non dãnatur ſententia, quæ diceret offenſam venialis peccati pœnas æternas mereri, licèt falſa ſit.

Secundo probatur noſtra reſolutio argumento quoddã quod mihi obiecit Doctiſsimus quidam Doctor Complutenſis primariꝰ, (Doctor Zafrilla) dum infinitas ſimplicitèr offẽſæ venialis peccati defenſaretur in noſtro Complutenſi Collegio in generalibus diſputationibꝰ quibus ego præerã; argumentabatur ergo ſic: Veſtra doctrina videtur dãnata à Pio V. & Gregorio XIII. inter 79. propoſitiones Michaelis Baij Doctoris Lobaniẽſis, Catholici, & eruditi, vt eũ appellat Suarez tom. 1. de gratia Prologomen. 6. cap. 2. in princip. inter quas propoſitiones 21. hæc eſt, *Nullum eſt peccatũ ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.* Atqui iuxta veſtram ſententiã, omne peccatum, adhuc veniale, quantũ eſt ex ſe, meretur pœnam æternã, ſaltèm vt eſt offenſa contra Deum, ergo videtur talis ſententia vna ex propoſitionibus Michaelis Baij damnatis à prædictis Pontificibus, ac proinde defendi non poteſt, ſiquidem prædicti Pontifices omnes 79. propoſitiones damnant: *Tanquam hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionẽ immittentes reſpectiue*, vt inquit Bulla prædictorum Pontificum, quam adducit Suarez loco proximè citato.

Verùm, licèt hoc argumentum ſufficientèr Theologicè probet noſtrã reſolutionem poſitam, non tamẽ probat, quod intendebat prædictus D. Cõplutenſis, ſcilicèt, quod ſit damnabilis, aut dãnata propoſitio, quæ aſſereret: *Quod peccatum veniale in ratione offenſæ mereatur pœnam æternam.* Neque hæc propoſitio eſt 21. Michaelis Baij, ſed longè diuerſa, nam ille dicebat: *Quod nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam*, quæ propoſitio Baij habet duas partes, quas negat ſententia tribuens infinitatem offenſæ venialis peccati, nam iſta ſententia nũquam ſomniauit dicere: *Quod nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale*, cum doceat, *aliquod peccatum, imò omne peccatũ ex natura ſua eſt veniale, aut mortale*: Quæ propoſitio contrariè, & contradictoriè opponitur propoſitioni Michaelis Baij. Nec dicit, quod omne peccatum ex natura ſua mereatur pœnam æternam, ſicut dicebat Baius in ſecunda parte propoſitionis; nã cũ peccatum ex natura ſua ſolum dicat id, quod eſſentialitèr habet, quæ eſt propria natura peccati, ſiuè explicetur per tendentiam ad obiectum diſſonum rationi, ſiuè per priuationẽ rectitudinis debitæ actui, & ſecundum iſtam tendentiam, ſeu priuationem non mereatur peccatum veniale pœnam æternã in illa ſententia, ſed ſolũ illã mereatur in ratione offenſæ contra Deũ, quæ offenſa nõ eſt eſſentia, nec natura peccati, ſed accidens omnibus peccatis cõmune, totalitèr opponitur ſententia illa propoſitioni Michaelis Baij quoad vtrãq; partẽ illius, quia ille dicebat, *Quod nullũ eſt peccatũ ex natura ſua veniale, ſed omne peccatũ ex natura ſua meretur pœnã æternã*, & nec vnũ, nec alterum ſomniauit dicere illa ſententia.

Tertiò denique probatur noſtra reſolutio ratione non inefficaci, nam ſi homo iuſtus peccet venialitèr (ſepties enim in die cadit iuſtꝰ) ſequeretur, ſi veniale peccatũ eſſet in ratione offenſæ, infinitũ ſimplicitèr, & deberetur ei pœ-

Digitized by Google

æterna, quod eſſet dignꝰ pœna æterna ſēſꝰ, & dãni in inferno, & Diabolus haberet in illud Ius, vt torqueret, ſicut habet in alios damnatos propter peccata mortalia; quod autem hoc ſequatur ex tali ſentẽtia eſt certum, atqui talis ſequella, quam falſa ſit, ex eo conſtat, quia hominem iuſtum odio proſequeretur Deus volens illi malum æternum, ac perconſequens ſimul eſſet amicus, & inimicꝰ, amicus, quia vult illi bonum æternum beatitudinis ratione gratiæ, quam habet, inimicus, quia vult illi malum æternum priuationis eiuſdem beatitudinis ratione venialis peccati, quod habet, & conſequentèr deberetur ei pœna æterna ratione offenſæ venialis, & non deberetur pœna æterna ratione gratiæ, quæ ſunt contradictoria; hoc autem ſecundum præſentem prouidentiam videtur dici non poſſe, etenim iuxta Sacram Scripturam, & PP. homines exiſtentes in gratia dilecti, & amati dicuntur à Deo, è contra illi, qui pœnam æternam merentur, dicuntur exoſi, & abominabiles iuxta ea, quæ dilexerunt, ergo offenſa venialis peccati, nec eſt ſimplicitèr infinita, nec ex ſe meretur pœnam æternam.

Confirmatur primo, quia de fide eſt, quod adultus, qui Sacramento Pœnitentiæ iuſtificatur ex vi infuſionis gratiæ, non eſt dignus pœna æterna, ſed iſta mutatur in temporalem, atqui poteſt aliquis exiſtens in peccato mortali, & veniali iuſtificari per Sacramentum pœnitentiæ à mortali, & non à veniali, quia poteſt manere cum cõplacentia in iſto, ergo tunc pœna æterna non mutaretur in temporalem, patet conſequentia, quia tunc maneret veniale non remiſſum, quod meretur pœnam æternam in contraria ſententia, quod nimis durum videtur aſſerere, ac perconſequẽs offenſa venialis peccati non eſt ſimplicitèr infinita. Confirmatur ſecundo, nam ratio infinitatis offenſæ fundatur in auerſione à Deo, quæ fit per ablationem gratiæ, nam, vt inquit Sanct. Thom. 3. par. quæſt. 86. art. 2. *In tantum aliquis dicitur alteri offenſus, in quantum repellit eum à gratia ſua*, atqui peccatum veniale non repellit hominem à gratia Dei, vt de ſe liquet, ergo nequit habere infinitam offenſam, nam ablato fundamento aufertur, quod fundatur in ipſo.

Vna via arguitur pro infinitate ſimplicitèr venialis offenſæ.

ARTIC. IV.

CÆterum, licèt præfata argumenta ſatis videantur probare offenſam venialis peccati non eſſe ſimplicitèr infinitam, nihilominus multa argumenta mihi occurrunt pro infinitate ſimpliciter offenſæ venialis. Primum ſic, etenim ideò communitèr Authores inquiunt ex Sanct. Thom. offenſam mortalis peccati eſſe infinitam ſimplicitèr, quia eſt contra diuinam maieſtatem, quæ infinita ſimplicitèr eſt, *Tanto enim offenſa eſt grauior, quanto maior eſt ille, in quem delinquitur*, dicunt ex S. Th hic ar. 2. ad 2. & in 3. diſtinct. 15. q. 1. art. 2. ad 1. atqui peccatum veniale vere, & propriè eſt contra diuinam maieſtatẽ, quæ infinita eſt, & non ſolum *præter*, ſiquidem non ſolum præter diuinã voluntatẽ, & præceptum eſt, ſed contra præceptum, & voluntatem eius, de quo reddẽda eſt nobis ratio in die iudicij, nec ſolũ eſt circa media, ſed circa finem, & contra Deum; etenim ſicut mortale peccatum poteſt reperiri, & verſari non ſolũ circa Deum, ſed etiam circa res alias exteriores, vel circa media, vt peccatum furti, v.g. ita peccatum veniale poteſt reperiri, & verſari immediatè, non ſolum circa res exteriores, & circa media, ſed circa finem, & circa perſonam Dei, vt patet de peccato blaſphemiæ, infidelitatis, & odij Dei, ex imperfecta deliberatione, ergo ſi ideò in cõmuni ſentẽtia peccatũ mortale habet infinitatẽ, quia contra Deum immediatè eſt illum offendens, ita peccatum veniale propter eandem rationem habebit eandẽ infinitatem in ratione offenſæ.

Opponi poteſt ſecundo, ex ſecunda ratione, qua probauimus peccatũ mortale habere infinitam offenſam ex principio defectibili; etenim offendibilitas paſsiua tanta eſt in Deo, quanta offendibilitas actiua in creatura, non enim à ſe ipſo poteſt Deus offendi, atqui offendibilitas actiua creaturæ æquè eſt infinita quãdo venialitèr offẽdit, ac quãdo mortalitèr, cũ quæuis offenſa ab ipſa oriatur vt primũ agens defectiuum, potens of-

fendere Deum per potentiam peccandi formalitèr conſideratam, quæ prout ſic non eſt à Deo, vt docet Sanct. Thom. in 3. diſtinct. 12. quæſt. 2. art. 2. ad 6. nec vt ſic Deo ipſi ſubordinatur, ſed à ſe eſt in hac linea, & vtraque offendibilitas actiua in actu ſecundo ſit cauſalitas ipſius cauſæ infinitæ ſimplicitèr ineſſe defectibili, & à ſe in hac linea, ob eandem rationem vtraque infinita ſimplicitèr dicitur in actu ſecundo, ſicut cauſa, à qua oritur, infinita in hoc genere dicitur in actu primo; eo enim cauſalitas quælibet primæ cauſæ infinitæ in eſſe entis infinita eſt in actu ſecundo, quia talis cauſa infinitatẽ habet in actu primo, ergo cum quæuis offenſa actiuè conſiderata ſit cauſalitas primæ cauſæ infinitæ in eſſe deficientis, erit in actu ſecundo cum eadem infinitate, ac perconſequens nulla videtur diſparitatis ratio inter offenſam venialis, ac mortalis peccati.

Dices ex doctrina contrariorũ, quod licèt hæc argumenta probent infinitatem reſpectu offenſæ mortalis peccati, nõ tamen reſpectu offenſæ venialis, eo quod iſta leuis eſt, nec per illã antefertur creatura Deo, nec contẽnitur eius maieſtas, eo quod per illam non poſtponit creatorẽ creaturæ, ſicut facit, qui mortalitèr peccat, quæ ſolutio communis eſt apud Authores, & eã ferè eiſdẽ verbis adducit quidam per doctus ſatis ex noſtris in manuſcriptis ad hanc materiã in hac diſp. ſect. 4. num. 21. Verum contra ſolutionem communem ſic peculiaritèr inſurgo, & vt ab hoc vltimo incipiã, neſcio, quo iure prædictus Pater diuerſitatẽ reddere poſsit inter offenſam venialis peccati, & mortalis, ſi iuxta ſua principia loquendum ſit; ipſe enim ex vna parte hanc diuerſitatem poſitam inuenit, reducens illã ad principium deficiens leuitèr, vel grauitèr actiue offendens; ex alia parte impugnans modum cõmunem Thomiſtarũ deſumendi infinitatem mortalis offenſæ ex Deo offenſo, arguit contra ipſos ſect. 3. num. 19. & 20. ideò non poſſe deſumi à Deo offenſo infinitatẽ offenſæ, quia aliàs peccatum veniale eſſet infinitũ in ratione offenſæ: *Siquidem offenſa venialis*, (inquit ipſe nu. 20.) *quãuis ex ſe, & ex prædicatis intrinſecis ſit leuis, & grauitatis finitæ, poteſt eſſe capax infinitæ grauitatis ex Deo offenſo, vt morali illiꝰ ſubiecto*, quod confirmat exemplo operationũ Chriſti Domini, quæ licet minimæ entitatis ſint ex obiecto, & circunſtantijs, capaces ſunt infinitatis moralis à ſuppoſito infinito prouenientis, vt aſſerit n. 19.

Contra quã diuerſitatem, & ſolutionẽ ſic efficacitèr argumentor primo; quia non minus Deus poteſt grauitèr, vel leuitèr offendi, quam creatura poteſt illum grauitèr, vel leuitèr offendere, atqui ex eo quod quælibet offenſa, etiam minima, ſit contra Deum, quem vt ſubiectum reſpicit, colligit ipſe cõtra Thomiſtas communitèr a Deo deberi infinitari iuxta illorum principia, iuxta quæ deſumunt infinitatem ex Deo, vt ſubiecto, hoc confirmans exemplo operationis, quamtũuis minimæ Chriſti Domini, ergo ex eo quod, quælibet offenſa quantumuis minima oriatur iuxta eius principia à voluntate, vt primo agente in ordine defectibili, ab illa accipiet infinitatẽ, vel ſi iuxta eius doctrinã poteſt eſſe magis, & minus in offendibilitate actiua à voluntate orta, quare non poterit eſſe magis, & minꝰ in offendibilitate paſsiua à Deo, vt ſubiecto orta ex ſententia communi Thomiſtarum.

Secundo ſic efficacius iuxta eius principia eius impugno ſolutionem; & exẽplo ab ipſo adducto intendo eam iugulare. Nam etiam ſi omnes operationes Chriſti Domini inter ſe inæquales ſint, ſecũdum perfectionem deſumptam ab obiecto, & circunſtantijs, imò quamuis ſint diuerſi ordinis, nimirum aliæ naturales, aliæ ſupernaturales, eo præciſsè, quod efficientèr procedant à ſuppoſito infinitè digno, habent ab eodẽ infinitã dignitatem meriti, & ſatisfactionis, ergo parimodo omnes offenſæ cõtra Deũ, eo quod oriãtur à principio infinitè indigno in ratione deficiẽtis, participabũt ab ipſo infinitatem, quamuis aliàs tales offenſæ ſint inter ſe inæqualitèr malæ per ordinem ad propria obiecta, & circunſtantias, imò licèt pertineant ad diuerſum ordinẽ, eo quod aliæ graues ſint & mortiferæ aliæ verò veniales, & leues. Antecedens autem ſunt verba ipſiꝰ dicto n. 19. conſequentia autem etiam ſunt verba ipſius terminis mutatis de ſubiecto offenſæ in principium illius.

Concludit autem cum magna admiratione contra ponentes offenſam infinitam ex Deo offenſo ſic; non enim

vi-

Digitized by Google

viuetur aſsignabilis ratio, cur verbum poſſit communicare infinitum valorem omnibus ſuis operationibus ſine diſcrimine, quãuis aliàs vel ſint inæquales in valore morali, vel omni valore careant reſpectu præmiſſupernaturalis, & Deus per modum ſubiecti non communicet infinitatem omnibus offenſis, quas patitur à peccatore ſine diſcrimine grauis, vel leuis, mortalis, vel venialis; non attendens non ſolum æqualem vim habere argumentum cõtra ſuam ſententiam, ſed maiorem, & magis tenere paritatem in omnibus; ſiquidem iuxta ſuam ſententiam, ſicut ſuppoſitum Verbi eſt infinite dignum ita ſuppoſitum offendens eſt infinitæ in dignitatis, ſecus autem in contrariorũ ſententia; vnde ſi exemplum de operationibus Chriſti vim habet contra Authores explicantes infinitatem offenſæ mortalis ex Deo offenſo, vt probet optimè contra illos prædictus Pater offenſam venialem etiam infinitam prodire ſimplicitèr, maiorem iudico vim habere contra ipſum explicantem infinitatem offenſæ mortalis ex perſona offendente; argumentum enim commune æquè conuincit de qualibet offenſa, vt optimè Salas 1.2. quæſt. 87. diſp. 15. ſect. 6. num. 36.

Vlteriùs autem contra ſolutionem datam cõmunem ſic contra omnes Authores illius peculiaritèr inſurgo; etenim, quia conuerſio ad bonum commutabile de materiali, & præſuppoſitiuè ſe habet ad rationem auerſionis à Deo tanquam ab vltimo fine, optimè intelligitur in ſententia communi omnia peccata mortalia, quantumcumque ſe excedant in grauitate conuerſionis, æqualia eſſe in ratione auerſionis, atqui ratio auerſionis de materiali. & præſuppoſitiuè ſe habet ad rationẽ offenſæ; *offenſa enim* (inquit Sanct. Thom. 3. part. quæſt. 76. art. 2.) *peccati procedit ex eo, quod voluntas hominis eſt auerſa à Deo.* Ergo licèt peccatum mortale, & veniale inæqualitèr ſe habeant in ratione auerſionis, auertendo vnum ab amicitia diuina, aliud à feruore amicitiæ; in ratione tamen offenſæ contra eandem perſonam infinitam æqualia erunt; non enim videtur ratio, quare inter peccata mortalia, ratio auerſionis ab vltimo fine non ſuſcipiat magis, & minus, cum plura eorum grauiſsima ſint præ alijs, & inter peccata venialia ex vna parte, & mortalia ex alia, ratio offenſæ contra eandem perſonam infinitam, magis, & minus ſuſcipiat, etiam ſi mortalia præ venialibus grauiſsima ſint, ſicut enim in primo caſu grauitatis exceſſus penſatur ex illo, quod de materiali, & præſuppoſitiuè importat ratio auerſionis, ita in ſecundo caſu exceſſus grauitatis offenſæ penſabitur ex illo, quod de materiali, & præſuppoſitiuè importat ratio offenſæ.

Confirmatur primo. Ideò ratio auerſionis indiuiſibilitèr ſe habet in omnibus peccatis mortalibus (licèt inter ipſa ſit maxima ex alio capite inæqualitas) quia, quod directè reſpicit auerſio formalitèr, vt talis, eſt ipſemet Deus, vt habet rationem vltimi finis; atqui quod directè reſpicit quælibet offenſa, ſiuè mortalis, ſiuè venialis eſt eadem perſona Dei, vt habet rationem maieſtatis ſupremæ, cui æqualitèr tenetur homo in omnibus obedire, & non contradicere, ſubijciendo ſe eius voluntati, ergo licèt ex alio capite, videlicèt, ex materia præcepti, vel ex alio, ex quo habet voluntas Diuina vim grauitèr, vel leuitèr obligandi, ſit inæqualitas, ex illo tamen, quod directè reſpicit offenſa, indiuiſibilitèr ſe habebit in omnibus peccatis, tam mortalibus, quam venialibus. Confirmatur ſecundo: ideò ratio conuerſionis in ordine ad bonum commutabile finita eſt ſimplicitèr, quia bonum commutabile, quod directè reſpicit quælibet conuerſio, eſt ſimplicitèr finitum. ergo à contrario, quælibet ratio offenſæ ex ordine ad Deum infinita erit ſimplicitèr, quia quælibet offenſa ipſam Dei perſonam directè, & formalitèr vt ſubiectum reſpicit. Has duas cõfirmationes deſumpſi ex S. Thom. 1.2. quæſt. 87. art. 4 in corpore.

Opponi poteſt tertio quidam ſingularis locus Sanct. Thom. ex quæſt. 5. de malo art. 2. ad 8. vbi ait, *Quod ſi eſſet poſſibile, quod aliquis cum peccato originali, & veniali decederet, dico, quod puniretur pœna ſenſus æterna*; ferè eadem verba habet in additionibus ad 3. part. quæſtion. 69 art. 7. ad 6. ibi: *Si aliquis decederet cũ peccato originali, & veniali tantũ* (quod impoſsibile iudicat Sanct. Tho. & poſſibile putant infiniti Theologi, à quo modo me abſtineo, quia adhuc data im-

Digitized by Google

poſsibilitate caſus non deſtruit quæſtionem, & reſpondens Sanct. Thom. proſequens ſic) *talis homo in inferno puniretur in æternum, quod enim veniale peccatum in Purgatorio temporalitèr puniatur accidit ei, in quantum gratiam habet adiūctam.*

Quæ verba ſic pondero: Sanct. Tho. ait, *Quod ſi aliquis decederet cum originali, & veniali tantum, puniretur in inferno pœna ſenſus æterna.* Ergo, quia huic homini ſic decedenti talis pœna debebatur, nam ab actu ad potentiam benè valet conſequentia, atqui non puniretur in inferno pœna ſenſus æterna ratione originalis, cùm huic peccato non debeatur pœna ſenſus, niſi damni; ergo ratione tantum venialis eſſet talis punitio; ac perconſequens, quantum eſt de ſe attenta eius offenſa perſonali, non eſt ſupra eius naturam ſic puniri, ſed debitum iuxta eius offenſæ grauitatem. Quare Sotus in 4. diſt. 45. quæſt. 1. art. 2. §. *Ad primum autem*, & Curiel 1. 2. quæſt 87. ar. 5. dubio vnico, §. *Ex his ſequitur*, qui citat etiam Caietanum, non pro quocūque ex illis peccatis, dicunt, illum hominem tali pœna in tali caſu puniri, ſed inquiunt (verba ſunt ipſorum) *quod pro illo peccato veniali eſſet talis punitio.*

Dicere autem talem pœnam eſſe per accidens in tali caſu, vt inſinuare videtur Curiel loco citato, §. *Sequenti*; neſcio, qua ratione poſsit ſaluari iuxta verba Sanct. Thom. citata. Nam poſtquā determinauit, quod in tali caſu ille homo puniretur pœna ſenſus æterna, reddi rationem ex eo, *Quia, quod veniale peccatum in Purgatorio temporalitèr puniatur, accidit ei, in quantum gratiam habet adiūctam*, ergo pœna, quæ accidit peccato veniali, & peraccidens illi conuenit, potiùs eſt temporalis punitio in Purgatorio, vt inquit Sanct. Thom. quam æterna in inferno; vel ſi iſta eſt peraccidens veniali peccato, quia peraccidens eſt ei, quod coniungatur cum priuatione gratiæ ratione originalis, ita, & illa, ſcilicèt, temporalis in Purgatorio erit ipſi conueniens peraccidens, quia peraccidens coniungitur cum gratia; vel ſi non obſtante, quod ſit peraccidens, quod coniungatur veniale cum gratia, conuenit illi per ſe pœna temporalis in Purgatorio iuxta Authores communitèr, non obſtante etiam, quod peraccidens ſit coniunctio venialis peccati cū priuatione gratiæ, per ſe conueniet illi, ſuppoſito tali caſu, pœna ſenſus æterna.

Confirmatur primo; nam licèt talis punitio ſenſus æterna peraccidens eſſet, ex ſuppoſitione talis caſus peraccidens contingentis, non tollit, quominus attenta grauitate offenſæ venialis peccati, ſuppoſito tali caſu, per ſe debeatur talis punitio ſenſus æterna, ſicut licèt peraccidens ſit, quod homo ſit albus, & peraccidens conueniat ipſi diſgregare viſum, quia peraccidens conuenit ipſi albedo, poſito tamen hoc peraccidens, *album*, v.g. per ſe conuenit huic concreto diſgregatio viſus, & non quomodocumque, ſed præciſsè ratione albedinis tanquam tota ratio diſgregandi, ergo licèt peraccidēs ſit huic homini in hoc caſu decedenti pœna ſenſus æterna, quia peraccidens eſt talis coniunctio venialis cum priuatione gratiæ ratione originalis, poſito tamen illo peraccidens, per ſe conueniet huic concreto talis æterna ſenſus punitio, & non quomodocumque, ſed ratione præciſsè venialis peccati tanquam tota ratio demerendi pœnam ſenſus æternam, ſicut enim ſubiectum albedinis nullo modo concurrit, nec partialitèr tanquam ratio diſgregandi viſum, quia ſubiectum ex ſe non magis aptum eſt ad cōgregandum, quam ad diſgregandum viſum, ita nec priuatio gratiæ in tali caſu concurſum habebit adhuc partialem, tanquam ratio demerendi pœnam ſenſus æternam, quia priuatio gratiæ, quatenus eſt ex ſe, non magis apta eſt ad demerendam pœnam ſenſus, quam pœnam damni; cùm in peccatis mortalibus perſonalibus priuatio gratiæ ſit ratio demærendi pœna ſenſus, & in peccato originali priuatio talis gratiæ non ſit ratio demærendi pœnam ſenſus, ſed præciſsè damni, ac perconſequens, cùm in tali caſu non quæcūque priuatio gratiæ eſſet, ſed priuatio gratiæ orta ex peccato originali, videtur impoſsibile talem priuationem inducere in iſto caſu aliquam æternitatē in pœna ſenſus, licèt inducat in pœna damni.

Confirmatur ſecundo; quia etiam ſi peraccidens puniantur plura peccata mortalia pœna temporali in Purgatorio, vt patet de peccatis à prædeſtinatis

com-

Digitized by Google

commiſſis in gratia decedentibus, hoc non tollit, quominus pœna ipſis debita, quatenus fuerunt contra Deum, in quem peccatur, æterna ſit, vt docet Sanct. Thom. in 4 diſt. 46. quæſt. 1. art. 3. ad 6. Ergo licèt de facto plura peccata venialia pœna tantum temporali puniantur peraccidẽs in Purgatorio propter coniunctionem, ſcilicèt, cum gratia, non tollet, quominus pœna ipſis debita, quatenus ſunt offenſa contra Deũ, æterna ſit, licèt enim punitio de facto æterna, vel temporalis peccatorum dependeat ex ſtatu, in quo homo decedit, nimirum ſi decedat in gratia, vel ſine gratia, debitum tamen ad pœnam, quæ conſequitur rationem offenſæ, vel malitiæ peccatorum, ex ſe ipſis habent ſecundum ſuas rationes eo ipſo, quod cõmittuntur. independentèr à deceſſu in gratia; vel ſine illa.

Confirmatur tertio; nam cum in peccato mortali ſint plures rationes, ob quas debeatur ipſi pœna æterna, nimirum ex priuatione gratiæ per auerſionẽ à Deo conuerſiuam ad bonum commutabile, & ex offenſa contra ipſum Deũ, licèt ſecundum primam rationem non debeatur veniali pœna æterna, quia nõ priuat gratia, non tollit, quominus attenta perſona, in quam peccat, qui venialitèr delinquit, ſcilicèt, ratio offenſæ contra Deum, debeatur pœna æterna peccato veniali, ſicut, & mortalia ſecundum rationem etiam offenſæ conſiderato. Ergo poteſt eſſe pœna debita per ſe, ſecundum quod habet rationem offenſæ, licèt non ſit debita per ſe talis pœna veniali peccato, ſecundum quod habet rationem conuerſionis ad bonum commutabile, & in hoc decepti ſunt Authores communitèr aſſerentes non deberi per ſe pœnam æternam peccato veniali; non conſiderantes, quod licèt nõ debeatur per ſe talis pœna, ſecundum quod veniale peccatum habet rationem malitiæ, per oppoſitionem ad virtutẽ, aut conuerſionem ad obiectum rationi diſſonum, remanet in ipſo alia ratio, ſcilicèt offenſa contra Deum, ratione cuius æternitas pœnæ ipſi ſecundum hanc rationem debita ſit, imò, & ipſe Curiel cum loco citato dicit, *Pœna peccati venialis in caſu poſito peraccidens ſit æterna.* Loquitur de pœna relatè ad pœnam debitam peccato mortali, ſecundum quod priuat gratia, cum recurrat ad cõditionem ſubiecti repugnantem remiſſioni propter peccatum mortale, in quo ille homo decedit, & cum natura peccati venialis, ſicut, & cuiuſcumque alteri peccati, non penſetur ex ratione offenſæ, quia hæc ratio communis eſt omnibus peccatis, ſed ex ratione tendentiæ ad obiectum rationi diſſonum, vel ex priuatione debita actui, ideo optimè dicunt communitèr Authores, quod peccato veniali ex natura ſua, quæ eſt tendentia ad obiectum diſſonum rationi, non debetur pœna æterna, quod libentèr fatentur, qui pœnam æternam debitam eſſe aſſerunt peccato veniali ſecundum rationem offenſæ eſt quod iſta ſimplicitèr ſit infinita.

Alia via arguitur pro infinitate ſimplicitèr venialis offenſæ.

ARTIC. V.

PRo cuius lucè ſtatuo priùs ex Sanct. Thom. in 4. diſt. 46. quæſt. 1. art. 3. in corp. duplicem eſſe quantitatem pœnæ correſpondentem culpæ, ſcilicèt, ſecundum intenſionem acerbitatis; & ſecundum durationem temporis; nam cum in culpa etiam reperiatur duplex quantitas, ſcilicèt, ſecundum inordinationem, quæ inuenitur in ipſa, & ſecundum dignitatem eius, in quem peccatur, duplex etiam quantitas ipſi correſpondens ex parte pœnæ neceſſaria eſt, & ſecũdum quod quis grauius peccauit inordinando ſe grauius à regula rationis, grauior pœna infligitur ei ſecundũ acerbitatem, iuxta illud Apocalip. 18. *Quantum glorificauit ſe*, &c. Secundum dignitatem autem eius, in quem peccatur, ſcilicèt Deum, ſic nec eſt magis, nec minus in grauitate pœnæ huic rationi correſpondenti, ſicut non eſt magis, nec minus in dignitate Dei, quia, vt idem Sanct. Thom. loco citato ad 6. ait, *Attenta dignitate eius, in quem peccatur, cuilibet peccato redderetur pœna infinita in intẽſione, ſed quia* (vt inquit in fine corporis) *creatura non eſt capax alicuius qualitatis infinitæ, requiritur, quod ſit ſaltèm duratione infinita.* Quo ſic ſtatuto.

Opponi poteſt alia via primo pro infinitate ſimplicitèr venialis offenſæ ex Sanct.

Digitized by Google

Sanct. Thom. loco proxime citato in argumento *ſed contra*, vbi ait, *Quod ſicut merito temporali debetur præmium æternum, ita culpæ temporali debetur pœna æterna*; ergo peccato veniali, quod culpa eſt tẽporalis, pœna debetur æterna. Si autem dicatur Sanct. Thom. loqui de culpa mortali, fateor; tamen ratio, quare affirmat peccato mortali deberi pœnam æternam, eodem modo probat de peccato veniali. Ex pluribus enim rationibus, quas ponit in toto articulo, licèt probent ſolum de peccato mortali, vna tamen eſt in fine corporis, quæ probat etiam de veniali, inquit enim, *Quare pœna peccati mortalis ſit æterna? Quia per eam contra Deum, qui eſt infinitus, peccatur.* Vnde dixit ad 6. *cuilibet peccato ſecundum dignitatem eius, in quē peccatur, correſpondet pœna infinita in intenſione.* Atqui huiuſmodi ratio æquè probat de peccato veniali, ergo vel nihil probat, vel de vtroque probat.

Dicere autem quod peccatum veniale non eſt contra Deum, ſed citra Deum, ſicut nec contra legem, ſed præter legem, vt docere videtur idem S. Thom. 1. 2. quæſt. 88. art. 1. ad 1. non videtur ſatisfacere; nam licèt peccatũ veniale non ſit contra Deum, nec contra legem, in quantum non auertit à Deo, nec reſcindit eius amicitiam, non tamen poteſt negari eſſe contra Deum, & contra legem, in quantum eſt contra eius voluntatem, & præceptum, quo nobis præcipit, v. g. non furari, ſiuè in magna, ſiuè in parua quantitate, & quatenus auertit, & reſcindit non ab amicitia Dei, ſed à feruore amicitiæ, vt docet idem Sanct. Thom. 3. part. quæſt. 87. artic. 2.

Pro quo notandum venit, aliud eſſe peccato veniali, eo ipſo quod ſit contra Deum in ſenſu dicto, deberi ex ſe pœnam æternam, & infinitam, & aliud tali pœna de facto puniri: optimè enim compatitur, quod ipſi, vt eſt contra Deum, debeatur talis pœna æterna, & infinita, & quod ex miſericordia, & diſpoſitione Dei non punientis de condigno, ſed citra cõdignum peccata, tali pœna nõ puniatur de facto, ſicut enim Deus diſpoſuit, quod opus ſupernaturale temporale ab homine iuſto elicitum, quod ex ſe non habebat condignitatem ad præmium æternum æternalitèr conferendum, tali præmio præmiaretur (poſſet enim Deus de condigno præmiare illum actum, vel opus temporali viſione beatifica, vt optimè aduertit Ægidius tom. de Sacrament. diſp. 10. de ſatisfactione dub. 2. num. 12.) eo quod Deus præmiat vltra condignum, & Deus etiã diſpoſuit, quod peccatum mortale ab homine prædeſtinato commiſſum, quod ex ſe, & ex ſuæ malitiæ, & offenſæ natura merebatur pœnam æternam, tali pœna non puniretur, ſed temporali ex gratia ſuæ prædeſtinationis; ita ſimilitèr, licèt peccato veniali debeatur pœna æterna, & infinita, qua poſſet abſolutè condignè puniri attenta ſua grauitate offenſæ contra Deum, ex diſpoſitione, & miſericordia Dei habuit, vt non puniretur tali pœna, ſed temporali: & ratio omnium eſt, quia ſicut diſpoſitio Dei circa bona opera præmianda non contulit aliquem maiorem valorẽ, vel dignitatem meriti operibus bonis, ita diſpoſitio Dei circa punitionem venialis offenſæ non ademit aliquid indignitatis, & condignitatis ad pœnam illius. Vnde quando aliqui Patres, imò communitèr dicitur peccato veniali non deberi pœnam æternam; intelligẽdi ſunt ſuppoſita ordinatione, & miſericordia Dei punientis circa condignum, & hoc modo etiam intelligendus eſt S. Tho. pluribus in locis, vbi docere videtur, non deberi pœnam æternam peccato veniali, & præcipuè 3. par. quæſt. 86. ar. 4. Quo poſito.

Opponi poteſt ſecundo pro infinitate ſimplicitèr venialis offenſæ ſic: illud eſt malum ſimplicitèr infinitum in ratione mali, & culpæ, cui ex ſe debetur pœna ſimplicitèr infinita, licèt aliàs ex alio capite tali pœna non puniatur, atqui peccato veniali debetur ex ſe pœna ſimplicitèr infinita, ergo, licèt alias tali pœna nõ puniatur, erit infinitum ſimplicitèr in ratione mali. Minor probatur, illi culpæ debetur pœna ſimplicitèr infinita, quæ, niſi ei remitteretur ex miſericordia, repelleret à gloria Dei perpetuò, atqui peccatum veniale, niſi ex miſericordia Dei remitteretur, repelleret à gloria Dei perpetuò, aliàs enim, ſi ſecluſſa miſericordia Dei remittentis illius offenſam, non repelleret à gloria, ſed homo in gratia decedens, & cũ peccato veniali non remiſſo illam conſe-

Digitized by Google

quæretur, maneret in gloria cum de decore culpæ, & ſine decore iuſtitiæ, ergo peccato veniali ex ſe debetur pœna ſimpliciter infinita.

Confirmatur, quia offenſa venialis eſt infinitæ fugibilitatis. Tùm quia nulla eſt pœna, quæcumque ſit, ita fugibilis, quãtum eſt quælibet leuis Dei offenſa, vtpotè nulla affert tantum malum homini, quantum affert quælibet offenſa Deo ob eius maieſtatem infinitam, quin potiùs quæuis pœna tolleranda foret, antequam commitere quamlibet minimam contra Deum offenſam. Tũ etiam quia, quantum eſt de ſe, abijcit à Deo tanta elongatione, quod nunquã poterit, niſi per ſolam, & meram gratiã Dei remittentis, & non amplius punientis illi aproximari per vitam gloriæ, vt arguit Cancellarius Pariſienſis Gerſon adductus à Gabriele loco citato in principio huius quæſtionis. Tùm denique, quia cum peccatum veniale ex ſe verè, & propriè ſit macula animæ (imò forſis proprius quam peccatum mortale, eo quod mortale non propriè maculat, ſed fœdat animam auferendo totam eius pulchritudinem, veniale verò non illam auferendo, ſed ſe habendo inordinè ad illam per modum cuiuſdam luti, aut pulueris, vt docet S. Thom. 3. par. q. 87. art. 3. ad 3.) ex ſe etiam habebit vim à gloria repellendi, cum illi ſtatui ita pulcherrimo quælibet macula opponatur, ergo, quantum ex ſe eſt, vim habet puniendi pœna infinita, niſi ex alio capite miſericordia Dei eſſet illud remittens, & non amplius puniens.

Contra hunc diſcurſum poteſt obijci primo ſic: quod non habet vim ex ſe repellendi à gratia, non habet ex ſe vim à gloria repellendi, gratia enim ſemen eſt, & ius ad gloriã, atqui peccatum veniale, quantumuis ſit offenſa Dei, non habet vim ex ſe à gratia repellendi; præcipua autem differentia, quam aſsignãt communitèr Theologi inter peccatum mortale, & veniale eſt, quod veniale nõ habet vim ex ſe reſcindendi amicitiam cum Deo, quæ fit per gratiam, & charitatem, ſed ſolum feruorem eius; peccatum mortale non ſolum vim habet, ſed illam ex ſe reſcindit, quam differentiã deſumpſere ex Sanct. Thom. loco citato. §. Antecedenti, & 1. 2. quæſt. 88. articul. 1. ergo peccatum veniale non habet vim à gloria repellendi, ac perconſequens nec vim habebit, vt pœna æterna puniatur.

Huic obiectioni reſponderi poſſet, iuxta ſententiam infinitatis ſimplicitèr venialis offenſæ, maiorem propoſitionem prædicti argumenti abſolutè eſſe falſam, nam licèt ex naturæ rerum diſpoſitione ſit medium adipiſcendi gloriam adeptio gratiæ, & deperdendi illam perditio huius; tamen cum gloria non ſolum petat quamlibet animæ pulchritudinem, ſed omnimodam, quæ fit per remiſsionem omnium peccatorũ, etiam venialium, & horum remiſsio talitèr fiat, vt niſi adeſſet miſericordia Dei illa remittens, & non amplius puniens, poteſt priuare vita æterna, ideo licèt peccatum veniale non habeat vim repellendi à gratia, quia tamen habet vim repellendi à feruore illius media ſua macula, quæ aliquem indecorem inducit in Anima, ſufficit ad hoc, vt dicatur habere vim ex ſe repellendi a gloria, quæ dicit omnium bonorum perfectionem, licèt de facto non repellat ob miſericordiam Dei punientis citra condignum.

Secundo obijci poteſt ſic ſingulari, & efficaci quoddam argumento; nam eatenus dicitur veniale peccatum eſſe infinitum in ratione offenſæ, quatenus, quantum eſt de ſe, niſi miſericordia Dei adeſſet illud remittens, & ampliùs non puniens, repelleret à gloria Dei perpetuò, atqui huiuſmodi ratio non probat offenſam venialem eſſe infinitam ſimpliciter, & intrinſicè, neque ex parte obiecti, neque ex parte durationis, ergo ad ſummum ex hoc capite poteſt concedi infinitas ſecundum quid veniali peccato in ratione offenſæ. Minor autem ſic efficacitèr oſtendi poteſt, nam priuatio à gloria Dei perpetuo, quæ debetur veniali peccato ſecundum modum diſcurrendi in illa ſententia, non poteſt habere maiorem quantitatem in ratione mali, quam habet forma, qua priuat in ratione boni, quantitatem enim priuationum per quantitatem formarum, quibus priuant, colligunt communitèr omnes Authores, atqui forma, qua priuaret peccatum veniale in illa ſententia, ſi non remitteretur miſericorditèr à Deo, non eſt infinita ſimplicitèr, & intrinſicè, ſed ſolum ſecundum quid, & ex-

extrinſecè, cum forma, qua priuaret, eſſet viſio perpetua Dei, quæ finita eſt intrinſice, & ſimpliciter, licèt ex parte obiecti, quod reſpicit viſio, & ex parte durationis, quæ extrinſicæ ſunt, infinitatem aliquam haberet, vt ex ſe patet, ergo pœna, quæ ex ſe deberetur peccato veniali, extrinſicè ſolum infinita eſt, ac perconſequens eius offenſa ſolum infinitatem extrinſecam habebit.

Verùm hoc argumentum, & ſi efficacißimum, ſi quam habet vim cõtra infinitatem offenſæ venialis peccati, eam etiam habet contra offenſam infinitam peccati mortalis, cui in ſententia communi debetur iſta pœna infinita priuationis perpetuæ viſionis Dei, quæ extrinſicè ſolum infinita eſt, ſcilicèt ex obiecto, & ex duratione, & nihilominus aſſerunt offenſam peccati mortalis, non ſolum extrinſicè, & ſecundum quid infinitam eſſe, ſed etiam intrinſicè, & ſimpliciter, ergo eodem modo tenentur illi ad prædictum argumentum reſpondere.

Reſponderi ergo poteſt pro omnibus in illa ſententia Gerſonis, quod cuilibet peccato, ſiuè mortali, ſiue veniali prout eſt contra Deum illum offendendo, non ſolum debetur pœna infinita, & æterna extrinſicè, qualis eſt priuatio viſionis Dei in perpetuum, ſed etiam debetur pœna infinita in intenſione intrinſicè æternalitèr duratura, ſcilicèt, qualitas aliqua in intenſione infinita, qua æternalitèr cruciaretur anima peccantis contra Deum, ſed *quia* (vt dicit S. Thom. loco citato in hoc art. 5. *Pro cuius loco*) *creatura non eſt capax alicuius qualitatis infinitæ in intenſione, requiritur, quod pœna ſit ſaltèm duratione infinita.* Vt nimirum æquiualeat hæc infinitas in duratione infinitati qualitatis in intenſione, vt ſic verificetur, quod etiã ſi Deus puniret quodlibet peccatũ hac pœna duratione, & obiectiue tantum infinita, adhuc puniret citra condignũ; ſiquidem merebatur peccatum quodlibet, vt eſt contra Deum, vt redderetur pœna infinita in intenſione, ſi capax eſſet creatura tali qualitate in intenſione infinita, vt ibidem docet Sanct. Thom. Vndè optimè compatitur quodlibet peccatum, ſiuè mortale, ſiuè veniale habere infinitatem ſimplicitèr, & intrinſecam in ratione offenſæ, licèt pœna, qua puniretur, ſolum haberet infinitatem extrinſecam, & ſecundum quid, quàm priuatio viſionis Dei perpetuo ſolum habere poteſt.

Præterquam quod poterat dici, quod licèt priuatio viſionis Dei perpetuò formalitèr ſumpta ſolum habeat infinitatem extrinſecam, & ſecundum quid, habet tamen æquiualentèr infinitatẽ ſimplicitèr, & intrinſecam, quatenus talis priuatio viſionis Dei æquiualet qualitati illi, quam dicit Sanct. Thom. deberi cuilibet peccato, eo ipſo quod eſt contra Deum; ſicut in probabiliſsima ſententia aliquorum Thomiſtarum, quos ſequimur tract. de Euchariſt. diſput. 4. quæſt. 2. per totam, in vltimo inſtanti deciſionis ſpecierum Sacramentalium non creari, neque aduenire nouam materiam, ſed ex ipſa quantitate, quæ accidens formalitèr eſt, educitur forma ſubſtantialis generanda, ſecundum quod ipſa quantitas eſt virtus, & æquiualentèr materia prima, vnde idem munus, quod aliàs exerceret materia prima, ſi ibi eſſet, exercet quantitas, prout æquiualet ipſi.

Hinc iuxta prædictam ſententiam Gerſonis duo ſubiungi poſſunt ex Doctrina data contra P. Vazquez 1. 2. diſp. 142. cap. 2. num. 7. Primum non benè dixiſſe non deberi graue, vel leue iudicari peccatum, quia ad grauem, vel leuem pœnam ſit deſtinatum, ſed à contrario. Nam licèt à priori à contrario debeat fieri argumentatio, nimirum, ideò ad grauem, vel leuem pœnam deſtinatur peccatum, quia grauitèr, vel leuitèr eſt contra naturam rationalem, vel conuertit ad bonum commutabile; à poſteriori tamen optimum etiam eſt argumentum, ideò peccatum iudicatur graue, vel leue, quia ad grauem vel leuem pœnam deſtinatur.

Secundum minus etiam benè num. 8. eiuſdem loci erroris ſtimulaſſe Gerſonem, eo quod aſſeruerit omnia peccata in ratione offenſæ eſſe infinita, reputãs Vazquez hunc eſſe errorem Sthoicorum, qui dicebant omnia peccata eſſe paria. Etenim, licèt in ratione offenſæ omnia eſſent infinita, & ſecundum hãc rationem paria, non ideò inciditur in errorem Sthoicorum, aliàs enim omnes Theologi concedentes omnibus peccatis mortalibus in ratione offenſæ infinita-

Digitized by Google

tatem, vel ſimplicitèr, vt generalitèr omnes Thomiſtæ, vel ſecundum quid, vt communitèr Patres Societatis cum ipſo 3. part. diſp. 2. ca. 2. in errorem inciderent Sthoicorum; ſiquidem in ratione offenſæ omnia peccata mortalia ſunt paria, ſicut ergo omnes Authores cum ipſo tenentur euitare hoc inconueniens dicendo, quod error Sthoicorum non fuit, quod in aliqua ratione non eſſent paria peccata mortalia, ſed quod in ſuo conſtitutiuo formali paria eſſent; eo quod ipſi dicebant, in tantum aliquid ſolummodo eſſe peccatū, in quātum eſt præter rectitudinem rationis; parum autem refert ſint magis, vel minus in hoc, vt refert Sanct. Thom prædictum errorem Sthoicorum in diſputatis, quæſt. *de peccatis* art. 9. in corp. ita ſimilitèr poterit Gerſon & omnes eius ſequaces ab errore purgari Sthoicorū, eo quod, licèt ſecundum rationem offenſæ omnia peccata tam mortalia, quam venialia paria ſint, ſecundum rationem autem malitiæ deſumptæ ex ordine ad obiectum, & maculæ ex ordine ad animam, valdè diſparia ſunt, & ſecundum hanc diſparitatem pœna diſpar ipſis tribuitur, & non æqualis, quod erat altera pars erroris Sthoicorum, vt refert idem Sanct. Thom. loco citato.

Hæc omnia diſcuſi pro infinitate ſimplicitèr venialis offenſæ ex principijs communibus, quibus probatur infinitas offenſæ mortalis, quæ non leuia mihi viſa fuerunt, & ob hoc pluries hanc infinitatem tutatus ſum in publicis diſputationibus Compluti, & Salmāticæ in noſtris Collegijs, Matriti in noſtra Domo Spiritus Sancti pro Capitulis Prouincialibus, & Romæ pro Capitulo generali habito anno 1651. prima die Menſis Maij in noſtra Domo S. Laurentij in Lucina, vbi ex tota Theologia omnes opiniones meas, quamtūuis ſingulares, approbauit, & firmauit Magiſter Sacri Palatij, ſine cuius ſubſcriptione nullæ poſſunt Typis mandari, quas quidem defendit ex noſtris P. Genarus Vinas, cui ego præfui, inter quas defenſauit infinitatem ſimplicitèr venialis offenſa, quæ etiam ſuppoſui in tom. de Sacramentis, tract. 5. de pœnitentia, diſput. 3. quæſt. vnica art. Appendix. §. Tertia probatio, licèt modo oppoſitum teneam; neque vnquam Sanctum Inquiſitionis Tribunal aliquod verbum ſuper hoc, nec ſuper aliud mihi locutum fuit; quod ideo notauerim, quia dum hanc infinitatem præſiderem Compluti hac vltima vice anno præterito 1660. in publicis diſputationibus, quæ iuxta morem fiunt quotannis in noſtro Collegio, ſicut in alijs cæterarum Religionum, inſurrexit quædam vox me vocatum fuiſſe à Sancto Tribunali ſine alio fundamento, quam quod die ſequenti ad prædictas diſputationes ex Compluto veni Matritum, & ob talem vocem ſtatim iterum in Complutum reddi, vt omnibus pateſieret, quā ſine fundamento rumor iſte ſparſus fuerit.

Quanam poſsit purus homo pro peccato ſatisfactionem offerre?

QVÆST. V.

IN Hac re iuxta diuerſitatem ſatisfactionum, & peccatorum, quæ ab Authoribus aſsignantur, varij varia dixere: in primis enim non defuerunt, qui aſſererent, poſſe purum hominem, ſaltèm de potentia abſoluta, pro ſuis omnibus, & alienis peccatis perfectè, & de rigore iuſtitiæ ſatisfacere: ita Scotus in 3. diſtinct. 20. quæſt. 1. & in 4. diſtinct. 15. quæſt. 2. & alij, quos refert Cabrera hic diſput. 11. § 1. num. 10. Alij autem, licèt non tantam ſatisfactionem conceſſerint puræ creaturæ, ad æqualitatem tamen offerendo, ſcilicèt, opus tanti valoris, & dignitatis cum grauitate culpæ, non abnuunt concedere; imò addunt, non ſolum poſſe, ſed de facto hāc ſatisfactionem offerre: de quorum numero eſt Vazquez hic diſput. 2. cap. 4. & 6. & ſuus Alumnus Complutenſis Hurtado, diſput. 1. difficult. 10. §. 2. quos etiam quam plures PP. eius ſocietatis ſecuti ſunt.

Verum certior, & ſecurior Scholaſticorum ſententia, non ſolum negat ſatisfactionem ex rigore iuſtitiæ puræ creaturæ pro peccato, ſiuè proprio, ſiuè alieno, verum nec quod poſsit offerre pro illo ſatisfactionem æqualem. Ita Cabrer. loco citato num. 11. cum alijs quam plurimis, quos ipſe citat: & diſput. ſequenti, num. 18. aſſerit, eſſe receptum

tum ab omnibus Theologis, & verum eſt, vt docet Suarez, diſp. 4. ſect. 9. & ſequitur Lorca, hic diſput. 4. num. 8. Alvarez, & Araujo in hoc articulo S. Th. & noſter Auerſa hic quæſt. 19. ſect. 15. & communitèr omnes Thomiſtæ, qui quidem addunt, quod licèt nequeat purus homo ſatisfactionem æqualem pro peccato mortali offerre, pro veniali tamen non renuunt illam concedere, ſicut. & pro mortali imperfectam, & inæqualem; ita quoad vtramq; partem, R. P. M. Fr. Ioannes à Sancto Thoma, hic quæſt. 2. art. 3. & 4. quem ſequitur Reuerend. & Illuſtriſ. Dominus Magiſter Godoy, tom. 1. in 3. partem diſput. 2. §. 2. & § 6. quoad ſatisfactionem pro peccato mortali; pro veniali autem, ibidē collorario. 4.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo. Satisfactionem, prout ad præſens pertinet, definiri à Sanct. Tho. in 4. diſt. 15. quæſt. 1. quod ſit: *Illatæ iniuriæ recompenſatio.* Id eſt, actio voluntaria, qua pro offenſa cumpenſationem offerimus, vt explicant communitèr Expoſitores: huiuſmodi autem ſatisfactionem diuiſit idem S. Thom. hic art. 2. ad 2. dicens: *Poſſe ſumi duplicitèr, vno modo, perfectè, quia eſt condigna per quandam adæquationem, & recompenſationem culpæ commiſſæ; alio modo, imperfectè, ſi licèt, ſecundum acceptationem eius, qui eſt ea contentus, licèt non ſit condigna, & æqualis culpæ commiſſæ.* Vlteriùs autem Authores perfectam ſatisfactionē ſubdiuidunt in aliud membrum, ſcillicèt ex toto rigore iuſtitiæ, quæ eſt, quando vltra condignitatem in recompenſando, ſeruat alias cōditiones proprias rigoroſæ iuſtitiæ, de quibus poſtea, cum de ſatisfactione Chriſti ſermonem inſtituamus.

Obſeruo ſecundo: quod quando inquiritur de puro homine, intelligitur de puro, talitèr, quod nō ſit ſimul Deus, etiam ſi gratia creata quacumque ornetur, nam ipſe, ſi ſecundum ſua naturalia relinquatur, certum eſt, non ſolum perfectam, & æqualem ſatisfactionem poſſe pro peccato proprio, vel alieno, verum neque imperfectam, & inæqualem, quod colligitur ex 2. ad Corinth. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis.* Etiam ſi ſolum fuiſſet commiſſum contra Deum Authorem naturæ; etenim quomodocumque conſideretur, haberet ſuam infinitatem in ratione offenſæ contra Deum; vel finem ſupernaturalem, & ſic planum eſt, actum à libero arbitrio præciſsè ellicitum nullam recompenſationem æqualem, nec inæqualem eſſe in illo ordine ſupernaturali cum offenſa; vel eſſet contra Deū finem naturalem (ſi fortè poteſt ſic cōmitti, quin ſit etiam contra Deum, vt finem ſupernaturalem) & ſic etiam non poteſt purus homo ſe ad priſtinum ſtatum reducere ſine aliquo auxilio ſaltèm eiuſdē ordinis naturalis, ac proindè iam non conſideratur ſecundum ſua naturalia præciſsè; ſolum ergo eſt ſermo in præſenti de puro homine quacūque gratia ornato, dummodo non ſit Deus, quamnam ſatisfactionem offerre poſsit pro peccato proprio, vel alieno, mortali, & veniali? Quibus ſic obſeruatis.

Quidnam dicendum circa ſatisfactionem pro mortali peccato?

ARTIC. II.

REſolutio noſtra ſit. Purus homo, non ſolum ſatisfactionem de rigore iuſtitiæ pro ſuo, vel alterius peccato mortali offerre poteſt, adhuc de potentia abſoluta, verùm neque æqualem, & condignam. Primo, quia eſt expreſſa mens Sanct. Thom. hic art. 2. ad 2. vbi omnes eius Expoſitores, quos ad longū refert Cabr. Tùm etiam, quia id probant paſsim plura Patrum teſtimonia, quæ videri poſſunt apud eundem; Baſil. hom. 13. in illud Pſal. 48. *Frater non redimit, redimet homo*, ait: *Non homo nudus, ſed homo Deus, quia nullus alius poterat condignum offerre pretium pro peccato.* Cyril. Epiſt. 1. ad Valerian. quæ approbata eſt in Concil. Epheſ. cap. 17. vt ait Cabr. loc. cit. num. 19. cuius verba refert, cum alijs quam plurimis aliorū Patrum.

Relictis ergo plurimis Patrum teſtimonijs, & Authorum rationibus, ea mihi ſemper arriſit ad firmandam conclu-

cluſionem, quæ ſumitur ex infinitate peccati contra Deum, quam affert hic Sanct. Thom. & ſecuntur eius Expoſitores, quam ſic in forma compono. Satisfactio ad æqualitatem pro peccato illa dicitur, quando offertur æqualis cõpenſatio pro iniuria, & culpa commiſſa, vt conſtat ex Sanct. Thom. loc. cit. art. 1. huius quæſt. atqui nullus purus homo, quantacumque gratia ornatus, poteſt offerre æqualem pro iniuria illata per peccatum compenſationem; eo quod peccatum in ratione iniuriæ, & offenſæ habeat infinitatem, non quamcumque, ſed ſimplicitèr in genere moris infinitã, iuxta à nobis dicta tota q. præcedenti; ſatisfactio autem puri hominis quãtacumque gratia ornati, ſemper eſſet finita, non ſolum in genere entis, ſed in genere ſatisfactionis; etenim ſicut iniuria, & offenſa creſcit ex perſona iniuriata, & offenſa, ita ſatisfactio ex perſona ſatisfaciente; vnde ſicut maior iniuria ſit, ſi alapa percutiatur aliquis Iudex, quam ſi eadẽ alapa percutiatur plebeius (iuxta modum à nobis pluries explicatum ſupra) ita maior erit ſatisfactio, ſi offeratur à Iudice, quam ſi à plebeio offeratur: purus autem homo in ratione ſatisfacientis, ita plebeius eſt, vt ſit ſummè vilis comparatione ad Deum offenſum, qui in ratione offendibilis paſſiuè, ita Iudex, & ſupremus eſt, vt in omni genere infinitus ſit. Ergo nullam poteſt pro peccato, ſiuè proprio, ſiuè alieno, adhuc attẽta Dei virtute ſatisfactionẽ perfectã, & ad æqualitatẽ offerre.

Dices ex doctrina Suar. hic diſp. 4. ſect. 2 concl. 1. quod licèt hoc argumẽtum probet, de facto nullum purum hominem poſſe æqualem ſatisfactionem pro mortali peccato offerre, non tamẽ probat de potentia abſoluta; eo quod poteſt Deᵘ hominem purum ita ſanctũ conſtituere per cumulatiſsimam gratiã habitualem; imò, & pactum cũ illo inire, talitèr, vt conſtituat illum caput cæterorum, vt per illam gratiam condignè, & ad æqualitatẽ ſatisfaciat pro peccatis, ſaltim aliorum, merendo illis gratiam habitualem per modum capitis, eo modo, quo nobis illam Chriſtus meruit. Quam doctrinam tenere etiam videtur Medina q. 1. ar. 2. 3. part. & Soto in 4. diſt. 1. quæſt. 5. ar. 4.

Sed cuiuſcumque ſit, contra illam ſic argumentor. Primò, nam dato quod eſſet poſsibilis cõmunicatio infinitæ gratiæ habitualis puræ creaturæ, adhuc tamen operationes ab illa ellicitæ non eſſent in ratione ſatisfactionis æquales grauitati offenſæ. Quia adhuc ſi orirentur à principio infinitè dignificato, non ideò eandem infinitatem participarẽt, cum enim habitibus vtamur, cum volumus, & quomodo volumus, adhuc non refunderet totam ſuam infinitatem gratia in operationes, vtpotè limitaretur, & coarctaretur à volũtate volẽte, cui ſubordinatur habitᵘ in ſuis operationibᵘ.

Quod autem Deus ineat pactum cũ illa creatura de acceptando ſatisfactionem eius, non arguit maiorem valorem in ſatisfactione, pactũ enim Dei nec admit, nec ponit aliquid valoris in opere, vt ad 1. 2. q. 114. docent Theologi um S. Th. ſicut neque ex eo, quod conſtitueretur caput aliorum, poſſet ad tantam dignitatem eueni, in quanta erat Deus offenſus; nec ipſi poterat ſatisfacere per modum capitis, ſicut ſatisfecit Chriſtᵘ; etenim ratio, propter quam ſatisfactio Chriſti fuit ad æqualitatẽ, non eſt, quia eius operationes oriebantur à gratia habituali, etiam infinita in eſſe gratiæ, licèt enim hoc requireretur, non tamen fuit ratio adæquata ſatisfactionis, niſi perſona infinita, à qua infinito modo morali dignificabantur, qua ratione æqualitatem habebat cum perſona offenſa; quantumcũque autem creſceret purus homo, perſona finita maneret. Ergo numquam haberet, vnde poſſe ad æqualitatem ſatisfacere pro peccato, adhuc attenta diuina virtute.

Cæterũ in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij. Purus homo, ſuppoſita gratia, poteſt reddere Deo totum, quod per peccatũ abſtulerat; etenim quod abſtulerat, fuit, ratio vltimi finis, ex cuius ablatione reſultauit ablatio honoris, & reuerentiæ debitæ Deo, vt ſupremo Domino, totum autem hoc redditur a puro homine per contritionis actum, per hunc enim ad Deum, vt vltimum finẽ, ſe conuertit, ex qua conuerſione, & redditione vltimi finis reſultat redditio honoris, & reuerẽtiæ ablatæ: cũ ergo hæc, & alia, quæ peccatum abſtulerat, reddat Deo actus contritionis, & charitatis, erit æqualis pro illo compenſatio.

Reſpondeo, quod actᵘ contritionis à pu-

puro homine ellicitus ſolũ reddit æquale Deo, quantum ad rationem vltimi finis, & malitiæ paſſiuè deſumptæ ex obiecto, & culpæ ex circunſtantijs; quia nimirum tota rectitudo moralis, quæ ablata erat per peccatum, tota redditur per actum contritionis, & quantum ad hoc, tantum bonitatis moralis habet actus contritionis, quantum malitiæ peccatum; quia tamen nõ ſolum habet peccatum hãc moralem malitiam, ſed aliã etiam, ſcilicèt, rationem offenſæ cõtra Deum, quæ vt ſic formalitèr ipſum immediatè reſpicit, ex quo grauitatem ſumit, vt in ratione mali infinitatem habeat ſimplicitèr, vt docui tota q. præc. & hic docet Cab. diſp. 12. §. 5. n. 30. ſui immemor ſiquidẽ, diſp. 4. § 5. n. 81. negat peccato malitiã ſimplicitèr infinitã, ideò ex hac parte, quãtũcũq; creſcat actꝰ cõtritionis in valore morali ſatisfactorio, nunquã poteſt æquare grauitatẽ offenſæ, propter inæqualitatẽ perſonæ ſatisfacientis cũ perſona ſatisfacienda.

Opponunt ſecundo. Ille ſatisfacit de condigno, qui reddit offenſo id, quod æquè, vel magis diligit, quam oderit offenſa contra ſe commiſſa, vt docet S. Tho. hic q. 48. ar. 2. Atqui purꝰ homo gratia ornatus reddit Deo per actum cõtritionis, & charitatis id, quod æquè, vel magis diligit Deus, quam oderit offenſa, quia etiam actus contritionis habet infinitatem (ratione cuius tantum Deo placet, quantum diſplicuit malitia peccati) tũ ex principio, tum ex obiecto, à quo ſpecificatur, propter quod dixit S. Th. in 4. diſt. 15. q. 1. ar. 2. ad 1. *Quod ſicut offenſa habet infinitatem ex infinita Dei Maieſtate, quæ offenditur, ita ſatiſfactio habet infinitatem ex infinitate diuinæ miſericordiæ, prout informatur gratia.* Ergo tantam infinitatem habet contritio in ratione boni, quantam habet peccatum in ratione mali, ac proinde erit pro illo æqualis compenſatio.

Reſpondeo, quod licèt in ratione bonitatis ſpecificæ tantum reddat contritio, quãtum ſufficiat Deo, vt diligat æquè bonitatem eius, ac diſplicebat malitia ſpecifica peccati; non tamen reddit tãtum in ratione ſatisfactionis, quæ attenditur ex parte ſatisfacientis, quantũ petebat ratio offenſæ, quæ attendebatur ex parte perſonæ offenſæ; vnde quãdo S. Th. comparauit infinitatem ſatiſfactionis, prout informatæ gratia, cum infinitate offenſæ, ſic explicandus eſt, quod vtraque habet aliquam infinitatem, & in hoc æquiparari, non tamẽ in modo infinitatis, nam vna erat ſimplicitèr, altera autem ſecundum quid.

Vel ſecundo reſpondeo, quod adhuc ſi peccatũ non haberet niſi infinitatẽ ſecundũ quid, & extrinſecã in ratione offenſæ, quã omnes Theologi concedũt, adhuc tamen actus charitatis licèt eſſet infinitus ſecundum quid, non redderet Deo id, quod æquè ipſi placet, ac diſpliceret offenſa. Tũ quia, licèt vtrobiq; eſſet quædã infinitas obiectiua, ex parte autẽ principij eſſet exceſſus in offenſa, vtpotè procedens à voluntate, vt à primo mouente nõ ſubordinato, quod non haberet charitas, vel actꝰ cõtritionis. Tũ, & præcipuè, quia licèt peccatũ ſolã infinitatem extrinſecam ex obiecto offenſo haberet, adhuc ipſa dilectio nequiret adæquare illã infinitatẽ in ratione ſatiſfactionis; nã quãuis haberet infinitatẽ extrinſecam in ratione bonitatis moralis ſpecificæ ab obiecto deſumptæ, in ratione autem ſatisfactionis formalitèr, quæ penſatur ex ratione perſonæ ſatiſfaciẽtis, nullam infinitatem haberet, ac proinde nec illam æquè diligeret Deus in ratione ſatisfactionis, ac odio habet in ratione offenſæ peccatum.

Vndè in congruè ſatis P. Vazq. diſp. 2. cap. 3. aſſerit rationem pro noſtra cõcluſione adductam videri primo aſpectu ſpecioſè compoſitam, & ad popularem ſenſum valdè acommodatam; ſi tamen benè expendatur (inquit ipſe) nil momenti habere, eo quod licèt aliquãdo grauitas iniuriæ deſumatur ex grauitate perſonæ iniuriatæ, & valor ſatiſfactionis ex dignitate ſatisfacientis, non tamen ex hoc ſolo capite iſtud negotiũ penſandum eſt, ſed poſſe occurrere tales circunſtantias, vt viliſsima perſona poſsit ſufficientèr ſatisfacere pro iniuria illata perſonæ nobiliſsimæ; vt ſi aliquis inferior denigrauit famam ſuperioris, imponendo ei aliquod falſum crimen, ſufficientèr ſatisfaceret, ſi diceret, ſe mentitum eſſe; ac per conſequens, licèt peccatum ſit à viliſsima creatura commiſſum contra Deũ, illũ inhonorãdo, poſſet talia obſequia creatura offerre, vt in prudentũ æſtimatione ſatiſfeciſſe videretur pro culpa contra

Deum

Digitized by Google

Deum commiſſa; vt ſi aliquis iuſtus per multas orbis partes Euangelium magnis evulgaret laboribus, & acerbiſsimam mortē pro Dei gloria pateretur, videtur certè per hæc opera magis Deũ honorari, quã in honoratus fuit per aliquod furtum, v.g. viginti aureorum.

Etenim (omiſſo quod hæc ſua argumenta magis accommodata videantur ad popularem ſenſum, quam ratio pro noſtra concluſione adducta) vt optimè vidit Gran. controu. de Incar. tract. 2. diſp. 1. ſect. 3. n. 29. & 30. licèt in creatis poſsint tanta obſequia cumulari, vt non ſolum adæquent grauitatem offenſæ perſonæ nobiliſsimæ, ſed etiam ex ſuperent, etiam ſi exhibita ſint à perſona viliori; tamen reſpectu iniuriæ Dei, & offenſæ contra Deum commiſſæ, quantumcumque multiplicentur, nunquam æquare poſſunt illi⁹ grauitatē; eo quod offenſa ſemper remanet in altiori ordine præ obſequiis quibuſcũque, quod nõ contingit in offenſis, & obſequijs creatis, quæ in eodem ſunt ordine finito.

Præterquam quod, cum ipſe Vazq. noſtram rationē reijcit, aliã ponit, quæ non ſolum non firmam reddit ſuam cõcluſionem, verùm ex illa cõtra illam efficaciſsimè argui poteſt. Sua enim concluſio eſt, quam ponit diſp. 2. cap. 2. tãquam veram, & communem; vt ipſe loquitur. Neminem, quantumuis auxilio gratiæ munitum poſſe pro ſuo peccato perfectè, & omnino ſatisfacere. Ad quã probandam, poſtquam varias Authorũ rationes refellit cap. 2. 3. & 4. tãquã minus aptas, cap. 5. nu. 53. ſuam tanquam firmam hoc modo proponit.

Satisfactio illa, quæ non cõpenſat totum debitũ, ſed partem, altera gratiosè condonata, non eſt perfecta, & æqualis, quis hoc neget? (inquit ipſe) huiuſmodi autem eſt ſatisfactio noſtra pro peccato proprio, ſiuè originis, ſiuè actionis; etenim licèt contritio ſufficientèr deleat omnē maculã peccati, & pro ea ſatisfaciat, quia tamen ad habendam contritionem, gratis conceditur auxilium, cuius carentiam contraxit per peccatũ, (vt antecedenti numero ſupponit) videtur non poſſe purum hominem ſatisfacere pro toto debito ſui peccati mortalis, cũ non ſatisfaciat pro debito carẽdi auxilio. Hæc eius ratio, quã ſic cõpono contra ſuã propoſitã concluſionem.

Debitũ carendi auxilio contractum per peccatũ non habet rationē culpæ, nec offenſæ; potiùs enim eſt pœna homini illata propter culpã, & offenſam: atqui contritio; iuxta ſuam rationem, ſatisfacit pro tota macula, & offenſa. Ergo quantumuis non ſit ſatisfactio pro illo debito, erit perfecta ſatisfactio pro toto peccato, de quo ſolum eſt quæſtio; ac per conſequens, tantum abeſt, vt ſua ratio ſola firma ſit pro communi concluſione; quin potiùs ipſa ſola eſt firma ad firmandum oppoſitũ concluſionis.

Reſolutio quæſtionis circa imperfectam ſatisfactionem pro mortali peccato.

ARTIC. III.

PRo cuius lucè ſtatuo priùs, quod cũ ſatisfactio hæc imperfecta frequentèr fieri intelligatur per noſtros act⁹ perfectiores in eſſe ſupernaturali, videlicèt, charitatis, & contritionis, & de his poſsimus loqui, prout antecedunt gratiam iuſtificantem, vel iuſtificationem & prout ſubſecuntur illam; de ipſis vtroque modo ſumptis in præſenti nobis examinandum eſt, & non ſolum circa proprium peccatum, ſed etiam circa alienum. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio prima ſit contra Medin. in præſ. & 1.2 q. 114. art. 5. Homo exiſtēs in peccato, ſi elliciat actum cõtritionis, ſatisfacit imperfectè pro illius offenſa. Primo, quia eſt expreſſa mens S. Th. hic ar. 2. ad 2. & q. 85. ar. 3. vbi ait: *Dũ homo iuſtificatur per pænitẽtiã à peccato, ipſam contritionē eſſe actũ iuſtitiæ ſpecialis, quæ continetur ſub iuſtitia, tanquã pars potentialis, & non ſicut ſpecies perfecta.* Nõ poterat autem dici à S. Th. contritionē à peccatore ellicitam eſſe partē iuſtitiæ, niſi redderet aliquod debitum Deo pro peccato, quod iuſtitiæ eſt proprium, & quia non totum debitum reddit ſatisfaciendo, addit, non eſſe ſpeciem perfectam iuſtitiæ. Eandem doctrinã habet in 4. diſt. 14. q. 1. ar. 1. & q. 2. ar. 1. Ergo iuxta mentem S. Th. licèt actus contritionis à peccatore ellicitus non ſit pro peccato perfecta ſatisfactio, ſecus tamen imperfecta.

Secundò, ratio cõcluſionis deſumitur ex definitione ſatisfactionis imperfectæ allatæ art. 1. huius quæſt. ex doctrina S. Th. quæ in hanc modum efformari poteſt. Vt actus ſit ſatisfactorius imperfe-

Digitized by Google

ſectè, ſufficit, quod habeat aliquam proportionē cū debito, pro quo ſatisfacit, & quod Deus illum acceptet pro ſatisfactione, abſque eo quod æqualitatem habeat cū tali debito inducens obligationē debitori ad ſoluendum, quod proprium eſt ſatisfactionis perfectæ, & æqualis: atqui totū hoc habet contritio à peccatore ellicita, ſiquidē eſt actus, vt potè ſupernaturalis, proportionat⁹ cū offenſa, & à Deo acceptatur pro ſatisfactione iuxta illud Ezec 18. & 36. *Si impius egerit pœnitentiam à peccato ſuo, vita viuet.* Ergo eſt ſatisfactio, ſaltèm imperfecta.

Obijcies. Si contritio eſſet aliqualitèr ſatisfactio pro peccato, non eſſet gratis iuſtificatio noſtra, cōtra illud Apoſt. ad Rom 8. *Iuſtificati gratis per gratiā ipſi⁹.* Quod autē fit medio aliquo tanquā ſatisfactorio, nō dicitur fieri gratis, cum aliquo modo debeatur ſatisfactioni. Tū etiam, quia Conc. Trid. ſeſſ. 3. cap. 14. aſsignans rationem, qualitèr noſtra opera poſsint eſſe ſatisfactoria pro peccatis, inquit: *Poſſe quidem ſatisfacere pro pœna temporali, non pro æterna, quæ ſimul cum culpa dimiſſa eſt per Sacramentum, aut votum Sacramenti.* Ergo nullo modo contritio poteſt eſſe ſatisfactio, adhuc imperfecta, pro peccatis.

Reſpondeo. Iuſtificationē fieri gratis, nō excludere ſatisfactionem aliquā imperfectā, quia hæc nō inducit obligationē in Deo ad illā tribuendā, ſolū enim ly *gratis* in ſatisfactione excludit cōdignitatem, vel fieri iuſtificationem interuentu alicui⁹ act⁹ ordinis naturalis. Cōcilium autē loquitur de operibus pœnalibus poſt confeſsionē factis, quæ quidē ſatisfactoria ſunt ſolū pro pœna temporali, & nō æterna, quæ dimiſſa eſt ſimul cum culpa per Sacramentum, &c.

Reſolutio ſecunda ſit. Nō ſolū contritio, prout antecedit gratiā iuſtificantē, eſt ſatisfactio pro proprio peccato, ſed etiā prout ſubſequitur illam, & ab ea formatur, habet rationē ſatisfactionis imperfectæ. Eſt contra plures Authores, quibus ſubſcribit quidā ex noſtris diſp. 6. ſect. 1. n. 5. Ratio autem concluſionis noſtræ ſumitur à deſtructione ſui fundamenti. Nam licèt, vbi intelligitur debitum remiſſum, non detur locus ſatiſfactioni (quæ eſt ratio ipſius pro ſua concluſione) ſi tamen non intelligatur debitum remiſſum, locus ſatisfactioni dabitur, atqui adhuc poſita contritione, vt ſubſequitur gratiām iuſtificantē, & ab ea formatur, poteſt intelligi debitū non remiſſum Ergo manet locus ſatisfactioni per contritionem. Minor ſic oſtenditur. Debitū, quod remittendum eſt, ratio eſt iniuriæ contra Deū, quā propriè reſpicit ſatisfactio; ſed adhuc poſita gratia iuſtificante, à qua oriatur contritio, & à qua formatur formatione quaſi phyſica vitali in eſſe ſupernaturali, poteſt nō intelligi remiſſa iniuria, quinimo nō poteſt intelligi pro illo ſigno remiſſa; nam cum pro illo ſigno ſolum debeat intelligi gratia, prout eſt principiū effectiuum contritionis, & forma phyſica ſecundū ſuam entitatem, non debet intelligi ſecundum quod eſt remiſsiua, & virtualis condonatio formalitèr peccati, ſecundū quam rationem, nec ad contritionē concurrit, ſed potiùs ad ipſam, cuius eſt diſpoſitio, cōſequitur & ſecūdum illam eſt beneficiū ita eleuatum ſupra ſuam naturā, vt iuxta huius Authoris principia diſp. 3. ſect. 4. n. 30. dicat, quod licèt gratia ſecundū ſuam entitatē phyſicā, finita ſit, ſecundum moralē autem dignitatem, vt coniungitur cum remiſsione peccati, ſimplicitèr infinitā eſſe; quapropter diſp. 5. ſect. 3. n. 13. docuit non repugnare cadere ſub merito de condigno ſecundum primam rationem, licèt repugnet ſecūdum alteram; iuxta quam etiam doctrinam, ſaltē virtualitèr, vel eminētialitèr, debet diſtingui ratio phyſica gratiæ iuſtificantis & ratio dignitatis eius remiſsiuæ peccati. Ergo poteſt intelligi, quod ad ipſam ſecundū primam rationē ſubſequatur cōtritio, & ab ea formetur formatione vitali phyſica ſupernaturali, & nihilominus non intelligi remiſſum peccatū, ſiquidem non eſt remiſsiua illius formalitèr, & adæquatè quoad totam rationē culpæ, & mali, niſi ſecundū poſteriorē eius rationem, ſecundum quam æquiualet infinitati offenſæ; ſicut enim illæ virtualitates gratiæ ſufficiūt ad hoc, quod ſecundum vnam finita ſit ſimplicitèr, & poſsit ſub merito de condigno cadere, & ſecundū alteram infinita ſit moralitèr ſimplicitèr, qua ratione ſubterfugit meritum de condigno, iuxta eius doctrinam, quare eædē virtualitates nō erunt ſufficientes ad hoc, quod ſecundū priorē ſupponatur in anima pellens ma-

Digitized by Google

maculam, ad quam ſubſequatur contritio per modum ſatisfactionis pro iniuria, ac proinde quod vt formalitèr condonans illam, ſubſequatur contritionē.

Confirmatur argumento quodam Theologico (mitto alia plura Phyloſophica, quæ poterant fieri ex mutua poſterioritate cauſarum) quo in materia de Trinitate omnes communitèr vtuntur, quod hic commodè pro concluſione aptari poteſt. Non implicat formā aliquam indiuiſibilem præſtare ſuum effectum formalem ſecundum vnam virtualitatem, & vt præſtet alium, quē virtualitèr continet, exigere, quod mediet aliqua operatio, vt patet in relatione Paternitatis, quæ conſtituit Patrem in eſſe perſonæ; & vt conſtituat illū ad Filium relatū, neceſſariò indiget, quod inter hæc quaſi extrema mediet operatio Diuinæ generationis. Ergo non repugnabit, quod gratia tribuat ſuum effectum formalem mundandi maculam, quæ eſt malū hominis, & ad hoc, quod præſtet effectum formalem ablationis offenſæ, quod eſt malum Dei, mediet aliqua operatio, quæ ſatisfactoria ſit formalitèr pro offenſa.

Ex qua ratione, non ſolum manet roborata reſolutio noſtra, ſed ſoluta ratio à prædicto Patre adducta pro ſua cōcluſione; nā licèt, quando ſubſequitur cōtritio gratiam iuſtificantem, ſupponat debitum peccati remiſſum, quatenus eſt malum hominis, & macula ipſius, non tamen ſupponit illud, vt eſt malū, & offenſa Dei, vt optimè aduertit Alvarez in præſ. diſp. 7. num. 17. pro qua ſolum offenſa contritio ſatisfactio dicitur. Nec contra hoc eſt alicuius roboris id, quod prædictus Author obiicit, nimirum, implicare contradictionem, peccatum remitti in quantum eſt malū peccatoris, & macula in ipſo exiſtens, & non quatenus eſt malum, & offenſa Dei; ſiquidem, vt ipſe ait, peccatum, vt eſt malum hominis, habet eſſe offenſiuum Dei, vel eſt ipſa actiua Dei offenſio, vel ſaltē neceſſariò cū illa connexa.

Non, inquam, alicuius eſt roboris hæc obiectio, nam cum huiuſmodi rationes maculæ, & offenſæ directè reſpiciant gratiā per modum termini, vel formæ ſibi oppoſitæ, ſecundum illam duplicem virtualitatem ab ipſo poſitā, & vna virtualitas in munus, & officiū alterius intromitti nequeat, benè capitur, gratiam ſecundum ſuam entitatem phyſicam pellere peccatum, vt eſt macula, quæ, vt docet Sanct. Thom. eſt priuatio nitoris, & gratiæ, cum qua habet directam oppoſitionem, & incōpoſſibilitatem, & ab Homine ſic mundato elliciatur contritio, media qua, tanquā ſatisfactione imperfecta, exerceat gratia alteram virtualitatem infinitam remiſſiuam peccati, vt erat malum, & offenſa Dei, cum qua habet directam oppoſitionem, & incompoſſibilitatem; connexio autem inter offenſam, & maculam non officit, quominus quoad ſuam expulſionem correſpondeant diuerſis cauſalitatibus, & cauſis, ſaltèm virtualitèr diſtinctis, vt patet in connexione inter malitiam peccati, & eius materiale, quæ nō obeſt, quominus correſpondeant diuerſis cauſis, & cauſalitatibus, etiam realitèr diſtinctis, illas directè cauſantibus.

Nec maioris etiam eſt roboris, quod ſecundò obijcit, ſcilicèt, ſi contritio, vt in formata gratia, non ſupponit remiſſum peccatum ſecundum omnem ſuā rationem. Ergo iam gratia ex natura rei ſimul maneret cum peccato. Vlteriùs in ſui fauorem vrgeo argumentum. Vel pro priori, quo intelligitur cōtritio gratia formata, & ad iſtam conſecuta, intelligitur homo iuſtus, vel non; ſi primum. Ergo iam intelligitur totum debitum peccati remiſſum; non enim manere poteſt homo iuſtus, & ſimul cum debito offenſionis Dei, ſi ſecundum. Ergo optimè infert prædictus Author manſionem gratiæ ex natura rei cū peccato.

Non, inquam, alicuius eſt roboris; nam re ipſa ſemper, quod confertur gratia ad habendam contritionem de peccato, confertur etiam vt remiſſiua, & condonatiua eſt illius; vnde re ipſa nunquam ſupponitur remiſſum peccatum, ſecundum quod eſt malum hominis, & non ſecundum quod eſt malum Dei; cum quo tamen ſtat, quod in priori intelligentiæ intelligatur remiſſum, ſecundum quod eſt malum hominis, & non ſecundum quod eſt malum Dei; nō dico negatiuè, ſed præciſiuè, quatenus pro illo priori præſcindit gratia ab hoc, quod ſit remiſſiua peccati, vt eſt malū Dei, eo quod ſicut poteſt intelligi gratia, in eius ſententia, vt eſt quædam enti-

Digitized by Google

titas phyſica finita, præſcindendo ab hoc, quod eſt, vel ſit infinita in ratione beneſitij remiſsionis peccati; ita poteſt intelligi ex parte effectus eius formalis remiſsio peccati, vt eſt malum hominis, quod correſpondet gratiæ primo modo ſũptæ, quin intelligatur remiſſum, vt eſt malum, & offenſa Dei, quod correſpondet ipſi gratiæ ſecundo modo conſideratæ; inter quæ extrema mediũ tenet contritio de vtroque participãs, ſiquidem vt eſt ſupernaturalis phyſicè, correſpondet principio phyſico ſupernaturali, & vt eſt ſatisfactoria, reſpicit directè offenſam, pro qua ſatisfacit; vnde pro illo priori, quo intelligitur contritio ad gratiã ſubſecuta, & ab ea formata, ſolum intelligitur homo iuſtus inchoatiuè, & imperfectè, quia non intelligitur contritio formata formatione meritoria, quæ ſupponit omne exercitium gratiæ ſed formatione ſatisfactoria, quæ ſolum requirit ſupponere exercitium gratiæ, vt eſt quid phyſicè ſupernaturale, ipſam cõtritionem, vt ſic cauſantis, & informantis, cum qua gratia vt ſic non eſt incompoſsibile peccatũ; ſiquidem, vt ſic, ſolum exprimit munus vitæ phyſicæ ſupernaturalis, non autem vitæ meritoriæ, cum qua ſolum peccatum incompoſsibilitatem habet, vt ad quæſt 7 Sanct. Thom. diſp. 1. q. 3. art. 1. 2. & 3 legendus ſum. Per quod patet ad confirmationem.

Reſolutio quæſtionis, quoad ſatisfactionem pro alterius peccato.

ARTIC. IV.

RESolutio noſtra ſit. Pro peccato alterius poteſt quis ſatisfacere imperfectè, & inæqualitèr per actum contritionis, non ſolum vt ſupponit hominem formalitèr adæquatè iuſtum, ſed etiam vt eſt diſpoſitio ad iuſtificationẽ, pro quo priori non intelligitur homo adæquatè iuſtus Eſt communis reſolutio, quoad primam partem, apud Theologos quos ſequitur Alvarez in præſ. diſp. 1. num. 9. & Raguſa diſp. 8. §. *Octaua propoſitio.* Quorum ratio eſt. Nam opus ab homine iuſto ellicitum habet valorem ſupernaturalem eiuſdem ordinis cum iniuria peccati. Ergo habet aliquã proportionem, vt ſi pro alteriùs peccato offeratur, à Deo acceptetur in ſatiſfactionem imperfectam; non enim alia ratione non acceptatur ab ipſo ad perfectam ſatisfactionem, niſi quia non habet æqualitatem in ratione ſatisfactionis cum offenſa, quam æqualitatem petit ſatisfactio perfecta, imperfecta autem hanc æqualitatem non exigit, ſed aliqualem proportionem. Ergo cum hanc non poſsimus negare actui contritionis ab homine iuſto ellicito. Sufficiẽtem habebit valorẽ, vt in ſatisfactionem, ſaltèm imperfectam, pro aliorum peccatis accepetur à Deo.

Quoad poſteriorem eius partem ſtatuo illam contra Raguſ. eodem loco, §. *Quinta propoſitio*, quem ſequitur P. Ioannes de los, diſp. 6 ſect. 1. num. 9. aſsignans diſcrimẽ inter ſatisfactionem pro peccato proprio, & pro alieno, aſſerens, per actum contritionis, qui eſt diſpoſitio ad gratiam, poſſe hominem ſatisfacere imperfectè pro peccato proprio, ſecus pro alieno, eo quod (inquit ipſe) ſatisfactio pro alieno debet ſupponere ſatisfacientem amicum illius, cui fit ſatiſfactio, pro proprio autem, tãtum abeſt, quod debeat ſupponere ſatisfacientem amicum, quin potiùs, ſi illum ſic ſupponat, non erit aliquomodo ſatisfactio.

Probatur quoad iſtam partem reſolutio ex ſuis principijs; nã nõ alia ratione probat ipſe, contritionẽ, qua ſe quis diſponit ad iuſtificationem, eſſe aliqualẽ ſatisfactionem pro peccato proprio, niſi quia habet aliqualem proportionem cũ offenſa, & eſt in eodem ordine ſupernaturali cum illa, ratione cuius ſupernaturalitatis poteſt creditor, ſi velit; illam ad ſatisfaciendum acceptare: atqui totum hoc ſaluatur, etiam ſi illam offerat in ſatisfactionem pro peccato alterius, nihil enim proportionis, vel ſupernaturalitatis deperdit ex eo, quod pro alteriùs peccato offeratur. Ergo ſicut ob hanc rationem, eſt ſatiſfactio imperfecta pro peccato proprio, ob eãdem erit pro alieno imperfecta ſatisfactio.

Neque ex eo, quod huiuſmodi contritio pro illo priori non ſupponat hominem iuſtum, officit, quominus non ſit, ſicut pro peccato proprio, ita pro alieno ſatisfactio; nam, vt ipſe docet loco citat. num. 16. aſsignans diſcrimen ex doctrina Loreæ inter ſatisfactionẽ,

&

Digitized by Google

& meritum, licèt non concedatur meritum adhuc cōgruum reſpectu noſtræ iuſtificationis, poteſt admitti aliqua imperfecta ſatisfactio; cuius diſcriminis ratio (inquit ipſe) eſt, quia ſatisfactio ex propria natura ſolum habet, quod ſit compenſatio pro iniuria, & nullum eſt inconueniēs, peccatorem proprijs actibus (intellige ſupernaturalibus) aliquomodo compenſare pro iniuria contra Deum; cum ergo conceptus formalis ſatisfactionis imperfectæ reperiatur in contritione vltimò diſponente ad iuſtificationem reſpectu proprij peccati, licèt excludatur in ea ratio meriti, adhuc congrui, quia non ſupponit hominem iuſtum, non erit ratio, quare, licèt non reperiatur in ea ratio meriti reſpectu iuſtificationis alteriùs, eo quod non ſupponat hominem iuſtum, quod ratio meriti expoſcit, quod reperiatur in illa ratio ſatisfactionis reſpectu peccati alteriùs, eo quod ſatisfactionis ratio ex ſua natura non requirit ex parte ſatisfacientis, quod ſupponatur iuſtitia, & ſanctitas, licèt per accidēs cum ſanctitate perſonæ ſatisfacientis poſsit coniungi; vel ſi poteſt ſtare in contritione, quæ eſt diſpoſitio, ratio meriti, ſaltèm congrui, reſpectu iuſtificationis, non ſolum propriæ, ſed alienæ, eo quod per actum cōtritionis poteſt quis impetrare iuſtificationem alterius, ſicut, & propriam; & illam deſiderare, cui deſiderio Deus attendens poteſt moueri ex quadam congruentia ad conferendam gratiam iuſtificationis, vt ipſe num. ſeq. & pluribus locis cum maiori parte admittit Theologorum; quare non poterit in ipſa ſtare ratio ſatisfactionis imperfectæ, non ſolum reſpectu proprij peccati, ſed alterius, eo quod illam poteſt offerre Deo peccator in ſatisfactionem, & compenſationem non ſolum propriæ culpæ, ſed alterius iniuriæ; ratione cuius oblationis poſsit Deus moueri ad condonandam, non ſolùm offenſam ab ipſo elliciente commiſſam, ſed ab altero patratam.

Quod vt intelligatur, aduertenda eſt doctrina quædam Sanct. Thom. in qua ponit differentiam inter ſatisfactionem ex vna parte, & meritum ex alia; docentis, meritum reſpicere præmium vt bonum proprium ab ipſo merente recipiē dum per actum à ſe ellicitum per modum diſpoſitionis: ſic in 4. diſtinct. 45. quæſt. 2. artic. 1. quæſt. 1. in corp. cuius hæc ſunt verba: *Opus vnius nullo modo poteſt alteri valere ad ſtatum conſequendum per viam meriti; vt ſcilicèt, ex his, quæ ego facio, aliquis mereatur vitam æternam, quia ſors gloriæ reddit menſuram accipientis; vnuſquiſque autem ſuo actu diſponitur, non alieno.* Satisfactio autem reſpicit bonum alterius, qui offenſus eſt, & ideò poteſt ſatisfacere vnus pro peccato alterius, vt docet Sanct. Thom. in 4. diſtinct. 20. quæſt. 1. art. 2. quæſt. 3. in corp. cuius hæc ſunt verba: *Quantum ad ſatisfactionem debiti, vnus pro altero ſatisfacere poteſt.* Quod reperit artic. 4. quæſtiunc. 1. dicens: *Opera ſatisfactoria vnius alteri computantur, non ſolum ex vi charitatis, ſed ex intentione operantis aliquomodo directa ad ipſum.* Vtrumque autem extremum comprehendit, & diſtinxit diſtinct. citata 45. quæſt. 1. artic. 2. quæſt. 3. ad 1. per hæc verba. *Præmium eſſentiale redditur ſecundum diſpoſitionem hominis, quia ſecundum capacitatem videntium erit plenitudo viſionis Diuinæ, & ideò ſicut vnus non diſponitur per actum alterius, ita vnus alteri non meretur præmium eſſentiale; ſed pœna temporalis pro peccato debita* (quam ſatisfactio reſpicit) *non taxatur ſecundum diſpoſitionem eius.* Ergo meliori titulo iuxta doctrinam Sanct. Thom. poteſt concedi illi actui contritionis ſatisfactionis ratio, ſaltèm imperfectæ, reſpectu peccati alterius, cum ſatisfactio ex ſuo conceptu ad bonum alterius tēdat, quam ratio meriti, adhuc imperfecti, & congrui, cum hoc non reſpiciat alterius bonum, ſed proprium.

Quidnam dicendum de ſatisfactione pro offenſa venialis peccati?

ARTIC. V.

PRo cuius lucè ſtatuo priùs, quod præſens difficultas ſolum procedit de homine iuſto habente aliquod peccatum veniale, nam cum ab homine exiſtente in peccato mortali, non remittātur venialia ſine mortali, eadem eſt quæſtio de ſatisfactione pro venialibus, quātum ad hoc, & de ſatisfactione pro mortali: actum ergo moralitèr bonum ordi-

dinis naturalis, etiam ab homine iuſto ellicitum, certum eſt, non eſſe ſatisfactorium pro venialibus, vt docuit Durand. in 4. diſt. 21. quæſt. 1. ſicut eſt certum, non remitti venialia quoad rationem offenſæ per tolerantiam ſolum pœnæ temporalis, vt voluit Scotus, & Gabr. in 4. ille diſt. 21. q. 1. iſte diſt. 16. q. 5. ar. 1. nã vt actus aliquomodo ſatisfactorius dicatur, debet eſſe ex gratia Dei, iuxta illud 1. Ioan. 15. *Sanguis Christi mundat nos ab omni peccato.* Quem modum loquendi imitati ſunt Patres, & Concilia ab Authoribus communitèr adducta, quatenus explicant illud de Oratione Dominica, in qua petimus: *Dimitte nobis debita noſtra.* Aſſerentes nos petere gratiam ad remiſsionem venialium. Cuius ratio à priori eſt; quia remiſsio venialium actiua ad conſecutionem vitæ æternæ conducit; quidquid autem ad hoc conducit, non poteſt fieri viribus naturæ, vt latè ex Paulo ad Rom. ad materiam de gratia probant Theologi. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio noſtra ſit. Nullus actus, ſiuè attritionis, ſiuè contritionis ab homine iuſto ellicitus poteſt eſſe adæquata, & condigna compenſatio pro offenſa venialis peccati, ac proinde homo, quãtumuis iuſtus, dummodo purus ſit, non poteſt adæquatam, & perfectam ſatisfactionem pro illo ellicere, ſed ſolam aliqualem, & imperfectam. Hanc reſolutionem ſtatuo contra commune Theologorum; eam defendit Petrus de Soto lib. de inſtitut. Sacerd. lect. 18. eam etiam vidi tenere Ludouicum Monteſinos in manuſcriptis ad materiam de Incarnat. diſp. 4. quæſt. 5. imò eam defendere teneri iudico omnes Authores, qui negant ſatisfactionem æqualem pro peccato mortali ob grauitatem offenſæ contra Deum, quos omnes erudite ſatis, & perſpicuè inconſequentiæ arguit P. Vazq. hic diſp. 5. cap. 2. per totum; eo quod ex vna parte aſſerant, peccatum veniale eſſe offenſam contra Deum infinitum (ſiuè ſit infinita, ſiuè non) & ex alia deſumunt valorem ſatisfactorium ex perſona ſatisfaciente, ex qua, ſicut ex perſona offenſa, creſcit offenſa, valorem ſatisfactionis creſcere dicunt; ex quo principio, vtpotè à nobis tradito, ſic poteſt eformari ratio pro concluſione.

Illa eſt perfecta, & æqualis ſatisfactio pro offenſa, quæ ad æqualitatem recompenſat damnum illatum, ſicut illa remanet in ratione imperfectæ, & inæqualis ſatisfactionis, quæ non ad æqualitatem, ſed per aliqualem proportionẽ recompenſat illatum damnum: atqui quicumque actus ſupernaturalis ab homine iuſto ellicitus in ratione ſatisfactionis non recompenſat ad æqualitatem damnum Deo illatum per veniale peccatum; etenim vel hoc habet infinitatem ſimplicitèr in ratione offenſæ, vt pluries tutatus ſui, licèt modo cõmunẽ ſententiã teneam, vel habet ſolum infinitatem ſecundum quid, vt communitèr aſſerunt Authores, eo ipſo quod dicunt, grauitatem offenſæ creſcere ex perſona offenſa: quomodocumque autem ſit, nullus actus ab homine iuſto ellicitus æqualitatem habet cum tali offenſa in ratione ſatisfactionis; nam cum ſatisfactionis valor ex perſona ſatisfaciente deſumatur, & hæc ſemper, quacumque gratia ornata, ſit finita, non poteſt æquare offenſam venialis peccati, quæ, vtpotè contra perſonam infinitã, aliquam ſaltèm infinitatem habet. Ergo licèt aliàs in ratione bonitatis moralis, & ſpecificè deſumptæ ab obiecto, infinitatem aliquam, ſaltèm ſecundum quid, & extrinſecam, participet, In ratione tamen ſatisfactionis nullatenus aliquid infinitatis habebit, ac proinde nec adæquatè compenſabit pro iniuria venialis peccati, ſed ſolum imperfectè, & inæqualitèr.

Cõfirmatur; nam, adhuc dato, quod contritio haberet aliquam infinitatem, non ſolũ in ratione actus moralis Theologici, ſed in ratione ſatisfactionis, non ex hoc eſſet æqualis pro offenſa venialis ſatisfactio, etiam ſi talis offenſa ſolum infinitatem ſecundum quid habeat, ſed ad ſummum inæqualis, & imperfecta; quod ſic oſtendo. Etiam in communi ſentẽtia tribuẽte infinitatẽ ſolũ ſecũdũ quid offenſæ mortalis peccati, conceditur infinitas, ſecũdũ quid actui cõtritionis, & nihilominus hæc infinitas cõtritionis non cõpenſat æqualitèr, & perfectè infinitatem ſecundum quid mortalis peccati, quia hæc eſt in altiori ordine præ illa, ſed ad ſummum compenſat inæqualitèr, & imperfectè. Ergo etiam ſi peccatum veniale ſolum habeat infini-

ni-

Digitized by Google

nitatem ſecundum quid, & contritio in ratione ſatisfactionis eandem etiam infinitatem haberet, quia tamen eſſet in inferiori quodam ordine præ infinitate venialis peccati, non eſſet pro illius offenſa æqualis, & perfecta ſatisfactio, ſed tantum inæqualis, & imperfecta.

Argumenta contraria ſoluta.

ARTIC. VI.

CÆterum in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij ex Sanct. Th. 3.part.quæſt.87.art. 2. ad 3. vbi dicit: *Venialia remitti virtute alicuius ſatisfactionis.* Ergo, &c. Verùm hic locus, vt benè notauit Lorca hic diſp.5. num.3. non vrget contra noſtram ſententiam, nam eodem modo loquitur Sanct. Th. de peccato mortali pluribus in locis, & docet, remitti virtute alicuius ſatisfactionis, & non ex hoc infertur ſatisfactionem pro mortali adæquatã, & perfectam eſſe, ſed aliqualem, & imperfectam. Ergo quamuis S. Thom. dicat, venialia remitti virtute alicuius ſatisfactionis, non ideò cogimur aſſerere, hãc ad æqualitatem eſſe. Per quod patet ſolutio ad argumentum.

Opponunt ſecundo eundem Sanct. Thom. 1.2.quæſtion. 72.art. 5. dicentem: *Peccatum veniale eſſe reparabile ab intrinſeco, nõ autem mortale.* Atqui ſi peccatum veniale non eſſe ſatisfactibile ad æqualitatem ab homine iuſto, ſed vlterius requireretur noua Dei miſericordia, non eſſet diſcrimen, quod ponit Sanct. Thom. inter veniale, & mortale, quia etiam mortale requirit, vltra ſatisfactionem noſtram, nouam Dei miſericordiam remittentem. Ergo homo iuſtus poteſt ad æqualitatem ſatisfacere pro offenſa veniali. Reſpondeo, quod ratio, propter quam peccatum veniale dicitur à Sanct. Thom. reparabile ab intrinſeco, non eſt alia, vt ex ipſius verbis conſtat, niſi: *Quia non aufert principium vitæ, quod eſt gratia, ſicut aufert mortale.* Cum quo tamen ſtat, quod in ordine ad reparabilitatem per ſatisfactionem adæquatam, tam vnum, quam aliud irreparabile ſit, propter rationem datam pro concluſione.

Quod ſi inſtes: in ordine ad reparabilitatem aliquod diſcrimen affert Sanct. Thom. inter vnum peccatum, & aliud. Dic, quod diſcrimen, quod ponit, ſtat in hoc, quod in homine iuſto peccante venialitèr manet gratia intrinſicè, ratione cuius in genere cauſæ formalis, poſita ſatisfactione per aliquam diſplicentiam formalem, vel virtualem venialis peccati, remittatur eius offenſa, ita vt, teſte Sanct. Thoma, *Abſque infuſione nouæ gratiæ remittatur, poſito actu, quo homo iuſtus deteſtetur peccatum, vel explicitè, vel ſaltèm implicitè* 3.part.quæſt.87 art.3.in corp. Homo autem iuſtus peccans mortalitèr, non ſolum requirit actum nouum, quo deteſtetur peccatũ: *Sine quo impoſsibile eſt remitti.* Vt idem Sanct. Thom. docet eodem loco quæſt. 86.art 2. ſed requirit etiam nouam gratiæ infuſionem, eo quod eam mortale peccatum penitus expulerat, vt quæſt. 87.artic.2.ad 3.docet idem Angelicus Præceptor.

Opponunt tertiò. Perfectus dolor de peccatis propter Deum ſumme dilectum eſt ſatisfactio ex natura rei incompoſsibilis cum veniali peccato, cũ perfectè retractet actum oppoſitum, quo fuit commiſſa venialis culpa, & ex natura rei excludat complacentiam actualem, vel virtualem ad obiectum venialis peccati. Ergo eſt pro illo æqualis ſatisfactio, & ad æqualitatem. Reſpondeo, quod hoc argumentum, non ſolũ probat (ſi aliquid probat) eſſe æqualem ſatisfactionem pro veniali, ſed etiam pro mortali, quod Authores oppoſitæ ſententiæ non concedunt; ſicut ergo ipſi tenentur dicere, quod etiam ſi iſte actus ſit ex natura rei incompoſsibilis cum mortali, & retractet actum oppoſitum, quo fuit commiſſa mortalis culpa, excludendo complacentiam actualem, & virtualem ad obiectum peccati mortalis, ſine eo quod attingat æqualitatem offenſæ mortalis peccati propter exceſſum in grauitate offenſæ contra Deum ſupra valorem actus prædicti in ratione ſatisfactionis; ita ſimilitèr nos dicimus, non attingere ad æqualitatem grauitatem offenſæ venialis, propter eũdem exceſſum, licèt habeat ea prædicata, quæ in argumento numerantur: Ex qua doctrina manet ſolutum aliud argumentum magni ponderis apud Autho-

thores oppoſitæ ſententiæ; nimirum, tantum eſſe boni, imò maioris bonitatis moralis in prædicto actu, quam fuerit mali in veniali peccato; nam licèt attēta bonitate, & malitia ſpecifica vtriuſque, fortaſsis hoc verum ſit, non tamen attenta ratione offenſæ ex vna parte, & ex alia, ratione ſatisfactionis, propter exceſſum in perſona offenſa, præſatiſfaciente.

Opponunt quarto, argumento deſumpto ex Suar. hic ſect. 11. pro prima concluſione. Homo iuſtus ratione gratiæ habitualis habet ius ad vitam æternam, vtpotè gratia tribuit ius ad gloriam. Ergo habet ius etiam ad auxiliū, quod datur, vt pro veniali ſatisfaciat, ſine cuius ſatisfactione vitam non conſequetur æternam, ac perconſequens, talis ſatisfactio erit adæquata pro veniali. Patet vltima conſequentia, quia ſi non eſſet adæquata, non haberet ius ad auxilium, nec deberetur remiſsio venialis peccati, ſed poſſet Deus, adhuc poſito auxilio ad remiſsionem, non remittere. Verùm nō capio, qua ratione hoc argumento probetur æqualitas ſatisfactionis pro veniali offenſa.

Reſpondeo ergo in primis; falſum eſſe quod homini iuſto, eo ipſo quod habeat ius ad gloriam, debeatur auxilium, quo veniale peccatum remittatur, cum quo nequit in illam introire; nam etiā non poteſt in gloriam intrare ſine perſeuerantiæ dono, & nihilominus non ex hoc, quod habeat ius ad gloriam ratione gratiæ habitualis, debetur ipſi hoc excellentiſsimum donum, vt probat Sanct. Thom. 1.2. quæſt. 114. art 9. dicens: *Nullus homo iuſtus meretur ſaltèm de condigno donum perſeuerantiæ.* Et cum eo omnes Theologi.

Dato temen caſu, quod ipſi deberetur tale auxilium debito proportionis, connaturalitatis, ſicut iuxta ſententiam ipſius Suar. 1.2. lib. 10. cap. 2. & aliorum, debitum eſt homini iuſto, ratione proportionis cum fine ſupernaturali, aliquod auxilium, quo benè moralitèr ſupernaturalitèr operetur, vt illa potentia ſupernaturalis à gratia orta aliquando exerceatur; imò, & in aliorum opinione, ipſum perſeuerantiæ donum, ſaltèm pro breui tempore, debitum ſit homini iuſtificato, ratione eiuſdem proportionis cum fine ſupernaturali, vt aliquando tutatus ſum ex doctrina cuiuſdam doctiſsimi Magiſtri ad materiam de gratia quæſt. 13. art. 1. & 3. Non capio iterum, qua ratione actus iſte ortus ab homine iuſto per hoc auxilium illi debitum ſit adæquata pro offenſa veniali ſatisfactio; ſiquidem quantumcumque creſcat, vel iuſtitia, vel auxilium, ſemper actus ab eo ellicitus, in ratione ſatisfactionis, quæ ſumitur ex perſona ſatisfaciēte, tam parui ſit valoris, vt nequeat attingere adæquatè grauitatem offenſæ cuiuſcumque venialis peccati, vtpotè contra Deum, ex quo creſcit offenſæ grauitas.

Pro quo ſic diſcurro. Aliud enim eſt, quod Deus tribuendo auxilium, vel per modum beneficij ſpecialis, vel per modum benefitij generalis, debitum ex fauorabiliori prouidentia gratiæ iuſtificati ad ellicientiam actus contritionis, remittat offenſam venialis peccati. Aliud, quod poſito hoc auxilio in homine iuſto, elliciat homo iuſtus, medio illo, aliquem actum ſupernaturalē adæquatè compenſatiuum pro offenſa venialis peccati; licèt enim Deus remittat offenſam venialem poſito tali actu à gratia, & auxilio orto, non tamen ex eo, quod videat ex parte hominis actū habere æqualitatem in ratione valoris ſatisfactorij cum grauitate offenſæ veniali; potiùs enim videt, hoc impoſsibile eſſe, propter rationem à nobis ſepiùs datam; ſed ideò remittit, quia ex ſua miſericordia pepigit pactum de *remiſsione peccatorum, & de mundatione ab omni iniquitate, ſi confiteamur peccata noſtra.* Vt habetur in 1. Ioan. 1. non enim fecit pactum de remiſsione per adæquatam ſatisfactionem noſtrā; aliàs enim, non ſolum pro veniali, ſed pro mortali ſatisfactionem adæquatam Deo tribueremus, confitendo illa, ſiquidem: *Ab omni iniquitate* (inquit Ioānes) *nos mundari à Deo, ſi omnes illas confiteamur.* Quod nec contrarij concedunt; ſed ſolum fecit pactum de remiſsione per aliqualem, & imperfectam ſatisfactionē, quæ à nobis exhiberi poteſt, ad quam elliciendam, nobis confert Deus huiuſmodi auxilia, quæ ſunt media neceſſaria ad poſitionem illius extra cauſas; eo quod, ſicut per actum peccati, ad bonū commutabile affecti eramus, per actū alium contrarium illum deteſtemur: ef-

fe-

fectum, eo modo, quo poſſumus per gratiæ vires, quæ, cum ſemper ſint inæquales comparatione ad offenſam, ita ſemper inæqualem ſatisfactionem pro cuiuſcumque generis peccatis tribuimus Deo noſtro.

Vrgebis primo. Ergo poterit Deus non acceptare huiuſmodi ſatisfactionem pro veniali offenſa; ſiquidem non habet æqualitatem cum illius grauitate, quod ſi potuit abſolutè, poteſt etiam in perpetuum priuare vita æterna hominem iuſtum cum veniali decedentem. Dic, quod ſuppoſita eius miſericordia, & lege de non puniendo in perpetuum hominem decedentem in gratia, & veniali maculatum peccato, non poteſt non acceptare ſatisfactionem illã, non quia ipſa ex ſe adæquet in ratione valoris grauitatem offenſæ venialis, quæ obliget ipſum ad acceptationem, ſed quia aliqualiter attingit, ſcilicèt imperfectè, ipſam, qua poſita, & præuiſſa à Deo, fecit pactum de non puniendo in æternum hominem cum ſolo veniali decedentem; abſolutè tamen potuit, illam non acceptare, & in æternum tali pœna hominem punire, ſicut potuit abſolutè non acceptare opera iuſtorum ad gloriam, quæ quidem opera, ſuppoſita lege, & promiſsione, non poteſt illa non acceptare ad talem gloriam; hoc autem pactum non tollit, quominus ex ſe ſatisfactio prædicta non ſit perfecta; nam pactum de non puniendo in perpetuum veniale peccatum, ſuppoſita illa ſatisfactione, non ponit valorem aliquem in illa, præter illum, quem à ſuis participauerat principijs, nec adimit ab offenſa aliquid grauitatis, quã à ſuis etiam principijs habebat; ſicut nec pactum de retributione gloriæ operibus iuſtorum, in communi ſententia, confert aliquem maiorem valorem ipſis operibus, per quem adæquent æternitatem præmij, nec ab hoc præmio adimit aliquid æternitatis, vt remaneat adæquabile per merita.

Vrgebis ſecundo ex Vazq. diſp. 3. cap. 2. Si poſſet Deus ſaltèm abſolutè non acceptare ſatisfactionem hominis pro offenſa veniali. Ergo, vel talis homo maneret dignus, vt in æternum puniretur, & haberet aliquid, quod Deo diſpliceret, aut non. Si primum. Ergo Deus, non ſolum abſolutè, ſed etiam ſuppoſita lege, & pacto, poſſet in æternum illum punire; nam dum homo manet pœna dignus, poteſt Deus, quacumque lege ſuppoſita, vt iuſtus Iudex procedendo, illum punire. Si ſecundum. Ergo eius ſatisfactio nullo alio indiget, vt adæquet totã offenſam venialis culpæ, ſeu peccati. Dic in primis, caſum eſſe impoſsibilem, ſuppoſita lege; tamen ſi per poſsibile, vel impoſsibile, Deus ſatisfactionem pro veniali non acceptaret, ſuppoſita lege, ille homo haberet aliquid, quod diſpliceret Deo, non diſplicentia ſimpliciter, quo poſſet in æternum puniri pro peccato veniali, ſcilicèt ratio offenſæ, quam nulla ſatisfactio à creatura ellicita adæquare valet; vndè Deus, ſiſtendo intra limites Iudicis, poſſet, vtens ſuo dominio, atendens offenſæ grauitati, in perpetuum punire, eo quod hæc pœna ſuper excedere non poſſet offenſæ grauitatem.

Vrgebis. Ergo ſimul haberet Deus complacentiam illius hominis, & diſplicentiam de eodem; diſplicentiam, vt ſupponimus ratione offenſæ, ob quam poſſet punire; complacentiam, ratione gratiæ, & actus ſatisfactorij, quibus homo iuſtus veniali detentus ornatus eſt. Dic: hoc non eſſe inconueniens, omnes enim tenentur concedere illud. Tùm in homine prædeſtinato, in quo complacet Deus, vt tali, & ſimul detento aliquo peccato, in illo diſplicet, vt tali. Tùm in homine in peccato exiſtente, & actum aliquem ſupernaturalem ellicientе. Quorum omnium eſt ratio; quia non eſt complacentia, & diſplicẽtia eiuſdem rationis, nec reſpectu eiuſdem hominis eodem modo ſumpti.

Opponunt quinto. Homo iuſtus per peccatum veniale non lædit perſonam Dei, & ſi aliquam affert læſionem, ſolum eſt in honore extrinſeco ipſi debito, conuertendo ſe ad bonum commutabile; hanc autem conuerſionem retractat meliori modo per actum contritionis; ſiquidem illa conuerſio ad bonum commutabile talis fuit, quod per illam non ſe auertit ab incommutabili; per iſtam verò, non ſolum non ſe auertit, ſed vlteriùs actualitèr ad bonum incommutabile ſe conuertit efficacitèr. Ergo adæquat offenſam venialis peccati, imo ſuperat illam in valore.

Verùm hoc argumentum omnes tenen-

nētur ſoluere in peccato mortali, quod quidem non lædit perſonam Dei, niſi in honore extrinſeco ipſi debito, & nihilo minus actus contritionis cuiuſcumque creaturæ non adæquat læſionem, & iniuriam per illum Deo illatam. Reſpondeo ergo pro omnibus, quod licèt non lædat homo iuſtus peccato ſuo veniali perſonam Dei in aliquo intrinſeco, lædit tamen illam in aliquo extrinſeco, eo quod homo iuſtus venialitèr peccās ſumit creaturam, tanquam vltimam finem, licèt non ſit poſitiuè, (à quo modò me abſtineo) ponit tamē in illa rationem vltimi finis negatiuè; Deus autem non ſolum inhonoratur, quando ab eo aufertur ratio vltimi finis poſitiuè, & in creatura ponitur poſitiuè, ſed etiam quando in illa ponitur negatiuè; non enim ſolum poſtulat Deus, quod omnia fiant propter ipſum poſitiuè, ſed etiam quod nihil fiat, quod non ſit ordinabile ad ipſum, & ex vtroque modo reſultat læſio honoris, qui debetur ipſi, ratione cuius læſionis talitèr manet offenſus, quod nulla creatura poſſit adæquatè offenſam illius reſarcire; homo autem iuſtus venialitèr peccans, licèt non præferat poſitiuè creaturam Deo, vult tamen aliquid in ordinabile ad ipſum, ratione cuius contrahit offenſam ad æqualitatem irreparabilem.

Opponunt ſexto, & vltimo. Homo iuſtus per actum contritionis meretur de condigno augmentum gratiæ, quæ poſtea in genere cauſæ formalis expellentis, & virtualitèr condonantis expellit maculam, & offenſam venialis peccati, quibus talis poſſidebatur homo. Ergo ſatisfacit ad æqualitatem pro veniali offenſa; nam qui meretur de condigno id, quod adæquat grauitatem offenſæ per modum formæ expellentis, & illam condonantis, meretur ipſam expulſionem, & condonationem de cōdigno. Reſpondeo in primis, falſum eſſe hominem iuſtum de condigno mereri argumentum gratiæ, ſecundum illā conſiderationem condonantis in genere cauſæ formalis offenſam, quia ſic eſt quoddam beneficium infinitum ſimplicitèr non cadens ſub merito de condigno à creatura; ſed ſolum meretur illud augmentum gratiæ, ſecundum conſiderationem ſuæ phyſicæ entitatis, & prout dicit ordinem ad expulſionem maculæ, ſecundum quam conſiderationem, vtpotè finita, ſicut, & ipſa macula, poteſt ſub merito cadere.

Dato tamen caſu, quod illam vtroque modo mereretur de condigno, non ex hoc ſequitur, eſſe ſatisfactionem perfectè ad æqualitatem pro offenſa veniali, ſicut in omnium ſententia non eſt pro mortali, licèt aliàs ſit meritoria de condigno augmenti gratiæ: cuius ratio diſparitatis eſt, quia ad meritum de cōdigno non requiritur omnimoda æqualitas inter perſonam merentem, & præmiantem, ſed quædam proportionalitas orta ex gratia habituali ſecundum ſe conſiderata; hæc enim eſt ſolū, quæ tribuit valorem, & condignitatem ad meritum; ad ſatisfactionem autem adæquatā requiritur omnimoda æqualitas inter perſonam ſatisfacientem, & perſonam offenſam; non enim ſatisfacit plebeius ad æqualitatem pro iniuria facta Regi per actum, per quem alteri plebeio ſatisfaceret, & eadem iniuria iniuriaret, cum enim non ſit æqualitas inter hominem iuſtum, & Deum offenſum, quantocumque multiplicet actus, per quos aliàs mereri poſſet apud ipſum Deum de condigno, non tamen ſatisfacere poteſt ad æqualitatem pro minima offenſa.

Vtrum Chriſti Domini ſatisfactio ſit ſimpliciter infinita?

QVÆST. VI.

IN Hac re primo ſe offert ſententia Scoti, Durandi, & Almaini, locis citatis à Vazq. diſp. 6. cap. 1. quæ omnem infinitatem negat ſatisfactioni Chriſti, aſſerens vndequaque finitam, & limitatam eſſe. Secundo ſe offert quorundam Recentiorum opinio, qui licèt in eſſe phyſico finitam eſſe aſſerant, ſicut quælibet alia operatio Chriſti Domini; in eſſe tamen morali ſatisfactorio aliquam infinitatem concedunt, quam vocant ipſi ſecundum quid. Commune tamen Theologorum aſſertum, non quancūque infinitatem tribuunt ſatisfactioni Chriſti, ſed infinitam ſimplicitèr, in genere ſatisfactionis. Sic communitèr Thomiſtæ, Capræol. in 3. diſt. 20. q. vnica art. 2. conc. 2. Palud. quæſt. 2. art.

2.

Digitized by Google

2. Caiet. & Medin. in hoc art. Ferrar. 4. cont. gent. cap. 55. Granad. diſp. 2. ſect. 1. & alij plurimi, quos citat Cabr. hic diſput. 5. §. 3. quos ſequitur, §. 4. & nouiſsimè R. & Illuſt. D. M. Godoy, diſp. 3. de ſatisfact. §. 1. cum R. P. M. Fr. Ioanne à Sancto Thoma hic quæſt. 2. diſp. 2. art. 1. ad primam difficultatem, extra Scholam Sanct. Thom. eam etiam tenent Suar. & frequentèr omnis Theologorum caterua, cum noſtro Auerſa hic quæſt. 19. ſect. 13. licèt aliqualem diſenſionem habeant in modo explicandi huiuſmodi infinitatem ſimplicitèr, de quo non nihil dicam art. vlt. & penult. huius quæſtionis.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo, quod licèt ſatisfactio petat, & habeat aliquas conditiones, quas meritum, nec petit, nec habet, quantum tamen ad hoc, quod infinitatem participent, vel non, eodem modo de vtroque diſcurrendum eſt; & quia duplicitèr poteſt intelligi bonitas ſatisfactionis, (& idem eſt de merito) vt docet S. Thom. & cum eo omnes Theologi 1. 2. q. 73. art. 3. nimirum, vel ex parte obiecti, & circunſtantiarum, quæ ſpecifica, & eſſentialis dicitur, vel ex parte perſonæ ſatisfacientis, quæ accidentalis eſt, niſi perſona ſatisfaciens intret in rationem obiecti; actus enim ſupernaturalis ex obiecto poteſt iam meritorius, & ſatisfactorius dici, & tali prædicato ſpoliari, iuxta diuerſitatem principij, & cōditionum eius, & perconſequens poteſt vna bonitas, ſcilicèt, prima, eadem permanente; minui, & altera; eo modo quo in offenſa ex parte ſubiecti offenſi poteſt eadem permanere, & augeri, aut minui ex parte perſonæ offendentis, iuxta maiorem, vel minorem vilitatem ipſius: ex quo etiam intelliges rationem ſatisfactionis, & bonitatis ad hanc lineam pertinentis (& idem eſt de merito) diſtingui realitèr à bonitate actus; de ſpecifica, patet, quia actus virtutum ab anima ſeparata eliciti bonitatē habēt ſpecificam ex obiecto, & nec ſatisfactorij, nec meritorij ſunt; & actus bonus ex obiecto, ſi aliàs habeat aliquam malam circunſtantiam, non eſt meritorius, nec è ſatisfactorius: de bonitate perſonæ non minus clarè conſtat, ſiquidem actus Chriſti Domini modo retinent ſuā bonitatem perſonalem, & non ſunt modo ſatisfactorij, nec meritorij. Quorū omnium ratio eſt, quia ratio meriti, & ſatiſfactionis, præter bonitatem actus ex obiecto, & circunſtantijs, petunt alias conditiones, quæ in exemplis poſitis nullatenus inueniuntur, aut reperiuntur.

Obſeruo ſecundo; quod bonitas moralis actus meritorij, & ſatisfactorij, quæ deſumitur ab obiecto, ſemper eſt finita ſimplicitèr, maior, vel minor, iuxta maiorem, vel minorem bonitatem obiecti diuerſarum virtutū; & ſi aliqui actus infinitatem habeant ex ordine ad obiectum, ſolum erit ſecundum quid, & extrinſeca. Quorum exemplum ſit actus dilectionis Chriſti Domini erga Deum, eo quod maiorem bonitatē ex parte obiecti reſpicit, quam miſericordiæ actus, v. g. & ſic de alijs, maiorē habet bonitatem moralem ex obiecto deſumptam, quam miſericordiæ actus, & quia obiectum, quod ille actus reſpiciebat, erat Deus, vt in ſe bonus, qui eſt obiectum infinitum, infinitatem extrinſecam ab illo participabit; ſicut quia obiectum, quod actus miſericordiæ reſpicit, finitū eſt, non accipit ab eo aliquā rationem infinitatis. Vnde ſolum reducitur controuerſia ad bonitatē deſumptam ex principio ſatisfactorio, an ab iſtò habeant infinitatem ſimplicitèr? & quia ex parte principii plura concurrūt, quibus poterat infinitas reſpondere, ideò in fine quæſtionis videndum eſt, ex quonam illorum propriè talis infinitas ſit deſumenda. Quibus ſic obſeruatis.

Vno ex capite oſtenditur infinitas ſatisfactionis Chriſti.

ARTIC. II.

REſolutio noſtra ſit. Satisfactio Chriſti Domini in eſſe ſatisfactionis fuit ſimplicitèr infinita, licèt in eſſe entitatis phyſicæ, imò, & moralis deſūptæ ab obiecto, & alijs circūſtātijs, finita ſimplicitèr māſerit. Primo, quia id paſſim aſſeritur in Sacris litteris: *Vbi abundauit delictum, ibi ſuperabundauit, & gratia.* Inquit Paulus ad Roman. 5. & Regius Pſaltes Pſal. 129. *Copioſa apud Deum*

Digitized by Google

Deum redemptio, & alijs quam plurimis locis, quos adducit Cabr. hic diſp. 4. §. 3. n. 27. fauet etiam pro hac parte authoritas Clementis VI. in Extrauag. *Vnigenitus*, de pœnit. & remiſsionib. quam adducit idem Cabr diſp. 5. §. 4. nu. 47. vbi ſic habetur: *Licèt vna gutta ſanguinis Chriſti pro redemptione omnium hominum ſuffeciſſet, maximam tamen copiam, & profluuium ſanguinis Chriſtus fudit, vt infinitum theſaurum ſuæ Eccleſiæ militanti relinqueret, de cuius diminutione non eſt aliqualitèr formidandum.* Si autē hic theſaurus, quem nobis reliquit Chriſtus per ſuam ſatisfactionem, non eſſet infinitꝰ ſimplicitèr in ratione valoris ſatisfactorij pro omnibus peccatis, ſed actu eſſet finitus ſimplicitèr, poſſet vtiq; diminui, & de eius conſumptione poſſemus aliqualitèr formidare, tot viſis, ac tantis grauibus peccatis ab hominibus commiſsis, & committēdis, vt optimè dicit Cabr. & infert loc. cit. deincepſq; expendit contra Scotum, & Medin. qui hunc locum explicarunt propter acceptationem Dei; nam ſi ſufficientia eſſet propter ſolam Dei acceptationem, etiā ſuffeciſſet vna gutta ſanguinis puri hominis, cum poſſet Deus eam acceptare. Præterquam quod prædictus Pontifex tam longè abeſt, quod reccurrat ad acceptationem Diuinam, quin potiùs totam ſufficientiam, & infinitatem colligit ex coniunctione Verbi cum humanitate, inquit enim: *Quia Chriſtus Deus erat, potuit genus humanum redimimere, & pro eo ſatisfacere, & mereri.*

Fauet etiam Baſil. in illud Pſal. 48. *Frater non redimit, redimet homo*: Vbi ſic ait: *Opera Chriſti habuerunt valorem ad ſatisfaciendum pro omnibus.* Et Ambr. in Præfat. ad Pſal. 35. *Optimum aurum ſanguis Chriſti, diues ad pretium, profluēs ad lauandum.* Et omnium clariùs Sanct. Thom. hic art. 2. ad 2. & in 2. diſt. 9. q. 1. ar. 8. ad 2. & in 4. diſt. 14. quæſt 14. ar. 1. q. 2. ad 4 & diſt. 15. q. 1. art. 2. ad 1. & quæſt. 29. de verit. art. 3. ad 4. & ad 8. & ar. 5 ad 4. & Quodlibet. 3. ar. 3. ad 2. & alibi ſæpè, quibus in locis, licèt infinitatem, quam confert operibus Chriſti appellat *quandam*, vel *quodammodo* nō excludit per iſtas particulas eſſe ſimplicitèr in eſſe ſatisfactionis, ſed tantū in eſſe phyſico, vel ſi in eſſe moris eam appellat *quandam*, vel *quodammodo*, co eſt, quia adhuc in eſſe moris non habet ex omnibus capitibus infinitatem ſimplicitèr, ſiquidem ex obiecto, & circunſtantijs eſt finita ſimplicitèr, adhuc moralitèr, quæ eſt altera pars noſtræ reſolutionis; non autem eam *quandam*, vel *quodammodo* appellaret, ſi valorem ſatisfactionis ex ordine ad principium ſatisfaciēs, ſicut deſumi debet, deſumeret; nam commune eſt apud Sanct. Thom. valorem ſatisfactorium à perſona ſatisfaciente deſumi, & eſſe maiorem, quo maior, & dignior eſt perſona ſatisfaciens, ſicut eo maiorem eſſe offenſam, quo maior, & dignior eſt perſona, quæ offenditur; ſic habet 1. 2. q. 73. ar. 9. & hic ar. 2. ad 2. quod deſūpſit ex Ariſt. 5. Ethic. c. 5. quoad primā partē, vbi ait: *Talionē* (id eſt reciprocam quamdam re paſsionem) *in aliquibus caſibus diſcrepare à iure, veluti ſi quis magiſtratum gerens quempiam percuſerit, non eſt repercutiendus; & ſi quis pulſauerit, & percuſerit eum, qui magiſtratum gerit, non modo verberandus eſt, ſed etiam caſtigandus.* Quoad ſecundam vero partē deſumpſit etiam S. Thom. ex eodē Ariſt. 1. Ethic. cap. 5. vbi inquit: *Honorē ſitum eſſe* in his potiùs, qui honorem deferūt, quam in eo, qui honore afficitur.

Ex quibus locis ſic formatur efficax ratio pro noſtra concluſione; nam priora loca à nobis adducta clarè innuunt, opera Chriſti Domini ex ſe ſufficientia eſſe ad condignam ſatisfactionem, imò non ſolum ad condignam, quæ conſiſtit in recōpenſatione adæquata illati dāni, ſed ſuperabundantē, quæ conſiſtit in aliquo exceſſu ex parte operum ſupra grauitatē damni illati: atqui damnum illatū per peccatum fuit ſimplicitèr infinitū in ratione offēſæ, vt tota q. 2. à nobis probatum eſt. Ergo ſi ſatisfactio Chriſti Domini fuit adæquata pro dāno illato, imò, & ſuperabundans, debet habere eandem infinitatem in eſſe ſatisfactionis, ad minus, ac habuit damnum illatum in ratione offenſæ.

Confirmatur, quia eatenus communitèr Philoſophi colligūt, in continuo dari infinitas actu partes, quia quacumque facta diuiſione, non exhauritur eius diuiſibilitas, ſed vlteriùs manet diuiſibilis quæcumque pars; & etiam Theologi colligunt omnipotentiam infinitam eſſe ſimplicitèr, quia quacumque crea-

creatura producta, poteſt alia, & alia perfectior, ſine eo quod exhauriatur aliquid omnipotentiæ, produci: atqui poſito quocumque peccato, & multiplicatis in infinitum, tam ab hominibus exiſtentibus, quam à futuris commiſſis, cuiuſcumque maioris, ac maioris grauitatis ſint, ſatisfactio Chriſti valet, & æquat, imò, & ſupperat eorum multitudini, & grauitati, ſine eo quod exhauriatur aliquid ab eius valore. Ergo à poſteriori optimè colligetur, illam eſſe ſimplicitèr infinitam.

Alio ex capite præcedens reſolutio roboratur.

ARTIC. III.

Reſolutio noſtra, quæ ar. præc. vno ex capite fulcita fuit, iã ex alio alitèr robur accipit; nam poſteriora loca à nobis adducta ex S. Th. deſumptaq; ex doctrina Ariſt. clarè inſinuant, ſatisfactionis valorẽ creſcere ex perſona ſatiſfaciente: atqui perſona ſatisfaciens erat ſimplicitèr infinita, vtpotè Chriſtus, de cuius infinitate nemo poteſt dubitare. Ergo eius operationes, in eſſe ſatisfactionis formalitèr, infiniti valoris erant ſimplicitèr. Confirmatur; nã nõ repugnat, id quod in eſſe phyſico finitũ eſt, quod finito modo ſimplicitèr dignificetur, vt cõcors eſt apud omnes doctrina, ſi informetur moralitèr ab aliqua dignitate infinita ſimplicitèr. Ergo licèt ſatisfactio Chriſti in eſſe phyſico finita ſit, ratione tamen dignificationis moralis à Verbo, ſiuè per aliquem influxũ effectiuũ particularem, ſiuè per vnionẽ moralẽ cum illis (de quo poſtea) infinitatem ſimplicitèr habebit. Patet conſequentia, quia non eſt, à quo poſsit limitari valor, quẽ conferre poteſt perſona infinitè digna ſuis operationibꝰ; ſiquidem finitas phyſica ipſarum non limitat, nec limitare poteſt ex eo, quod ſit quaſi ſubiectum earum: ſicut nec ex eo, quod humanitas Chriſti finita ſit in eſſe phyſico, limitat perſonam Verbi ad hoc, quod non tribuat illi infinitam ſanctitatem & dignitatem moralem, conſtituendo illã ſanctam ſanctitate ſimplicitèr infinita. & reddendo Chriſtũ perſonam ſimplicitèr infinitam. Ergò intentum.

Confirmatur vlteriùs: quia ideò omnes Chriſti Domini operationes, tam in eſſe phyſico deſumpto ex ordine ad ſua prædicata phyſica moralia, & eſſentialia ex obiecto, erant finitæ ſimplicitèr, quia omnia iſta prædicata, ad quæ hunc ordinem dicunt, erant finita ſimplicitèr. Ergo ideò in eſſe morali ſatisfactorio deſumpto ex ordine ad perſonã ſatisfacientẽ, erũt ſimplicitèr infinitæ, quia perſona, ex ordine ad quã deſumitur, eſt ſimplicitèr infinita. Cõfirmatur denique quia ideò actio, qua B. Virgo Chriſtum obtulit in templo, & actio, qua Sacerdos illum in altari offert, eſt ſimplicitèr finita, licèt res oblata ſimplicitèr infinita ſit, quia nõ offertur ſũmo modo morali, quo offeribilis Chriſtus eſt; ſiquidem offeribilis eſt à perſona diuina per actionẽ à ſe productam in natura humana: Atqui Chriſtus Dominus ſe ipſum obtulit ſuo modo morali, quo offeribilis eſt, vt de actibus humilitatis, obedientiæ, & religionis dicit Apoſt. ad Philip. 2. *Humiliauit ſemetipſũ, factus obediens vſque ad mortem.* Et ad Epheſ. 5. *Obtulit ſemetipſum in hoſtiam, & oblationem.* Ergo eius actiones in eſſe valoris fuerunt ſimplicitèr infinitæ.

Dices ex doctrina cuiuſdam Salmanticenſis Magiſtri. Omnia iſta argumenta non probare infinitatẽ ſimplicitèr ſatiſfactionis Chriſti, ſed ſolũ ſecundũ quid; ſiquidem infinitatẽ conuincunt ex ordine ad vnũ caput, nẽpè ex ordine ad perſonam; cum ergo ad ſatisfactionem (& idem eſt de merito) non ſolum concurrat perſona, vt digna, ſed bonitas actus ab obiecto, & circunſtantijs deſumpta, hinc eſt, quod ſolum habeat quandam infinitatẽ, ſcilicèt, ſecundũ quid, & hanc tantum eſſe, quam cognouit S. Tho. loc. à nobis cit in hoc art. §. Fauet etiam, quod exemplo declarat ſic; quia corpus includit triplicem ſpeciem, vel quaſi ſpeciem quantitatis, nimirum, longitudinem, ſuperficiem, & profunditatem, quamuis infinitam longitudinem haberet, ſi tamen ſuperficies, & profunditas finitæ fuiſſent, nõ eſſet corpus infinitũ ſimplicitèr in eſſe corporis, ſed ſolum ſecundum quid, & ſecundum quamdam partem, nimirum longitudinem; ſic, (inquit ipſe Magiſter) quia meritum, & ſatisfactio coalleſcit ex pluribus rationibus, nimirum, ex obiecto, & circunſtantijs, ex perſona, nulla illarum ſola, & ſine

alia

aliarum conſortio, etiam ſi infinita ſit, dat illi infinitatem ſimplicitèr in eſſe talis, ſed ſolum ſecundum quid, nimirum ſecundum eam partem, quæ eſt infinita. Hæc eius doctrina ad hanc materiā diffic. 2. cap. 4.

Verum huiuſmodi Magiſtri ſolutio, niſi in nomine laboret, in pluribus peccat, & in primis contra ipſius doctrinam, qua capit. 7. intendit probare infinitatem ſecundum quid in merito, & ſatisfactione Chriſti: Ex eo enim probat, quia præcipua pars, vnde ſumitur ſatisfactio Chriſti, eſt perſona operās, quę infinita eſt, & non habet, à quo limitetur; ſiquidem in hoc differunt formæ morales à phyſicis (inquit ipſe) quia hæ, cum afficiant intrinſecè ſubiecta, neceſsè eſt, ad modum eorum recipi, atque adeò finitè, & limitatè, ſicut ipſa ſubiecta ſunt finita, & limitata; cæterum formæ morales, cū, phyſicè loquendo, denominationes extrinſecæ ſint, non eſt neceſsè, coaptentur ſubiecto, quod denominant, neq; indigent limitari, vt recipiātur, ſed ſi à forma infinita denomínentur, infinita manebant: atqui huiuſmodi ratio, non ſolū probat infinitatē ſecundum quid, ſed ſimplicitèr; cū non quomodocūq; perſona operans, à qua, iuxta eius doctrinam, ſatisfactio principaliſsimè ſumitur, ſit infinita, ſed ſimplicitèr, & iuxta eius etiam doctrinam, eo quod ſit forma moralis, non habet à quo limitetur, nec indiget coarctari, vt tribuat ſuam denominationē. Ergo non quamcumq; infinitatem tribuet operationibus Chriſti, ſed ſimplicitèr in genere ſatisfactionis, quam in ſe cōtinet.

Peccat ſecundo allata ſolutio in fundamento ipſius; nam etiamſi perſona Chriſti coalleſcat ex Verbo diuino terminante, & natura humana terminata, non officit, quominus, licèt natura humana ſit ſimplicitèr finita, perſona Chriſti dicatur, & vere ſit ſimplicitèr infinita, eo quod præcipua pars huius hypoſthaſis, in ratione talis formalitèr, eſt ſimplicitèr infinita. Ergo licèt ratio meriti, & ſatisfactionis coalleſcat ex pluribus rationibus, nimirum obiecto, circunſtātijs, & perſona operāte (quod eſt eius fundamentū) non oberit, quominus, licèt obiectū, & circunſtantiæ ſint ſimplicitèr finitæ, & ex ordine ad illa ſatisfactio peteret finitatem ſimplicitèr; quia tamen perſona ſatisfaciens eſt præcipua pars, vt ipſe loquitur; quæ in ſatisfactione attēditur, eſt ſimplicitèr infinita, tota ei' actio ſatisfactoria erit ſimplicitèr infinita in ratione ſatisfactionis

Peccat tertiò allata ſolutio in exemplo, quod adducit, de corpore quantitatiuo; ex quo ſic retorqueo contra ipsū argumentum: Licèt corpus infinita ſuperficie, vel linia terminatum, ſi tamen ſecundum profunditatem infinitatem non haberet, non eſſet infinitū ſimplicitèr in genere corporis, nō tolleret, quomin' in eſſe lōgi, & lati eſſet cū omni infinitate poſsibili, ſicut ſi ſecundū partes profundas, quas formalitèr imbibit, & per quas eſſentialitèr conſtituitur in eſſe corporis, eſſet infinitū, non tolleret, quomin' cum eadē infinitate permaneret in ratione corporis, licèt linea, & ſuperficies, quibus terminaretur, & quas de materiali dicit, eſſent finitæ, quia tā corpus in ratione longi, & lati de materiali dicit partes profundas, quā corpus in ratione corporis, longas partes, & latas; & præcipuè partes cōſtitutiuæ corporis in eſſe longi, & lati, ſunt lōgitudo & latitudo, ſicut pars præcipua corporis conſtitutiua, eſt profunditas. Ergo quia præcipua pars, quæ in ſatisfactione attenditur, eſt perſona ſatisfaciens, ſi ipſa ſimplicitèr ſit infinita, licèt alia capita, quæ concurrunt ad ſatisfactionē finitatem habeant, nō tollit, quomin' ſatiſfactio dicatur ſimplicitèr infinita, quia cōparatione ad perſonam ſatisfacientem cætera capita de materiali, & tanquam minus præcipua (vt ipſe fatetur) ad ſatisfactionem ſe habent.

Confirmatur; nam quia dignitas perſonæ de materiali ſe habet ad bonitatē actus ſpecificam ab obiecto deſumptā, poteſt ſtare bonitas actus ſpecifica ſimplicitèr, licèt dignitas ſimplicitèr a perſona deficiat, vt patet in actu fidei elicito ab homine ſimplicitèr iuſto, & ab iniuſto ſimplicitèr. Ergo à contrario, quia bonitas ſpecifica actus ſatisfactorij de materiali ſe habet ad rationem ſatiſfactionis formalitèr vt talis, poteſt ſtare finitas ſimplicitèr in bonitate morali ſpecifica, cum infinitate ſimplicitèr in bonitate ſatisfactoria. Quam doctrinam nollunt aliqui intelligere, vt male agant.

In calcè articuli ſubiungo, aduertentèr

Digitized by Google

ter me dixiſſe in hoc art. §. *Verum. Niſi nomine laboret prædicti Authoris ſolutio.* Eo quod intendens ipſe loc.cit. nullam aliam infinitatem, præter ſuã, cognoſci à S. Th. nec ab Authoribus Thomiſticæ ſcholæ, miratur maximè, eo quod omnes illi eã, ſicut ipſe appellat, non appellaſſent; ſiquidem cum aſſerũt ſatisfactionem Chriſti eſſe ſimplicitèr infinitam, ſe explicant, dicendo, loqui de infinitate perſona i. vt facit Caiet. 3. part. quæſt. 1. artic. 2. in reſp. ad 3. dub. quem cõmunitèr ſecũtur omnes Thomiſtæ, explicantes particulam *quandã* pluries à Sanct. Thoma prolatam.

Nam ſi prædictus Author velit dicere, ſuam infinitatem eſſe ſecundũ quid, hoc eſt non deſumptam ex omnibus capitibus, quæ in genere moris concurrũt ad ſatisfactionem Chriſti, neque contra Thomiſtas arguet, quos ipſe tantopere mordicare contendit, neque contra nos, eo quod nũquam auditum fuit ab illis, opera ſatisfactoria infinitatem habere ab omnibus capitibus in genere moris concurrentib⁹, certum enim eſt, quod ab obiecto conſono rationi, ſi finitum eſt, nullam infinitatem actus participat, adhuc in genere moris; ſi autem infinitum ſit obiectum, ad ſummum infinitatem moralem ſecundum quid, & extrinſecam participare dicunt. Verum tamen impropriùs ipſe loquitur, appellans hanc infinitatem ex perſona, ſecundum quid tantum, quam Thomiſtæ, qui eam ſimplicitèr appellare conſueſcunt; nam illud propriſsimè appellatur infinitum ſimplicitèr in aliquo gradu, vel linea, & impropriè ſecundum quid, quod in illo gradu, vel linea, vltra carẽtiam termini, habet omnem poſsibilem perfectionem; ſicut illud appellatur propriſsimè infinitum ſimplicitèr in omni gradu, & linea, quod in illo, & in illa, vltra carentiam termini, habet omnem poſsibilem perfectionem: ſed ſatisfactio Chriſti Domini in gradu moralitatis, & valoris à perſona deſumpto, termino caret, & omnem poſsibilẽ perfectionem moralem inuoluit; ſiquidem eſt à perſona infinita ſimplicitèr, & ab humanitate infinito modo poſsibili moralitèr dignificata per Deitatẽ, cuius nulla poteſt alia maior perfectio moralis in ipſa imaginari, & quæ magis æſtimetur. Ergo huiuſmodi infinitas propriſsimè appellari debet ſimplicitèr, impropriè autem ſecundum quid.

Soluuntur contraria fundamenta.

ARTIC. IV.

CÆterum in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij. Opera ſatisfactoria Chriſti Domini ex parte obiecti nullam potuerunt habere infinitatẽ ſimplicitèr, neque ex parte principij, eo quod licèt principium *quod* infinitatem haberet, principium tamen *quo*, vnde ſpecificantur actiones, vt docet Sanct. Thom. 1. 2. quæſt. 1. art. 3. finitum eſt, nimirum anima cum ſuis potentijs, & in eſſe ſupernaturali gratia habitualis cum ſuis etiam potentijs ſupernaturalibus, quæ omnia, vtporè creata, finita ſunt ſimplicitèr. Ergo ex nullo capite potuerunt infinitatem ſimplicitèr habere.

Reſpondeo, quod hoc argumentum ſolum probat, quod ex obiecto non haberent infinitatem ſimplicitèr, adhuc moralem, ſicut nec ex principijs phyſicis habuerunt infinitatem phyſicè infinitam, ſiuè eſſent naturalia principia, ſiuè ſupernaturalia; non tamen probat, non habere infinitatem moralem ex principio morali dignificatiuo. Quando autem Sanct. Thom. dicit, à principio *quo* actiones ſpeciem ſumere, ſeu denominationem, adhuc in noſtro caſu verum eſt, nam licèt perſona infinita in ordine ad opera phyſicè ſumpta, ſe habuerit per modum principij *quod*, eo quod actiones ſuppoſitorum ſunt, tamen in ordine ad opera, vt moralitèr dignificabilia, perſona infinita, vt principium *quo*, ſe habebat, à qua valor ipſorum ſumebatur, tanquam à principio *quo* infinito moralitèr dignificatiuo; eo modo, quo Deitas infinito modo morali dignificat humanitatem Chriſti ſine concurſu aliquo effectiuo, ſed formali morali; ita perſona concurſu quaſi formali morali dignificat infinito modo ſimplicitèr operationes, niſi fortè poſsit concurſum peculiarem effectiuum præſtare in illis, de quo poſtmodum.

Opponunt ſecundo. Si opera Chriſti Do-

Domini ſatisfactoria infinitatem ſimplicitèr haberent, æquè complaceret Deus in eorum bonitate, vtpotè infinita ſimplicitèr, ac in propria ipſius bonitate increata; hoc autem, quam abſurdum ſit, ex ſe liquet; quippe in nullo extra ſe ipſum poteſt Deus ita complacere, ac in intrinſeca eius bonitate. Ergo non habuerunt infinitatem ſimplicitèr. Reſpondeo, quod etiam ſi habeant infinitatem ſimplicitèr præfata opera ſatisfactoria, non ideò Deus complaceret æquè in illis, ac in ſua increata bonitate; nam licèt vtraque ſit infinita ſimplicitèr, bonitas tamen increata eius eſt talis in omni genere, tam entis, quã moris; ſatisfactoria autem opera, non ſolum infinita non ſunt ſimplicitèr in eſſe entis, ſed nec in omni gradu moralitatis, ſed in determinato, ſcilicèt, perſonali; eo modo, quo dicitur communitèr, Chriſtum Dominum, in quantum hominem, eſſe ſimplicitèr impeccabilem, nihilominus magis impeccabilis eſt, in quantum Deus; quia nimirum, quod ſit impeccabilis ſimplicitèr, in quantum homo, habet ex Deitate coniuncta, non ex intrinſecis prædicatis humanitatis; quod autem ſit impeccabilis ſimplicitèr, in quantum Deus, habet ex ſe ipſo, & ex ſuis intrinſecis, & eſſentialibus prædicatis.

Opponunt tertio plura abſurda, quæ videntur ſequi ex noſtra infinitate ſimplicitèr, nimirum, vnum opus Chriſti non eſſe maioris valoris, nec meriti, ac aliud; ſiquidem omnia infinitatem eandem ſimplicitèr habebant: neque eſſe neceſſariam mortem Chriſti ad redimẽdum genus humanum à peccato; ſiquidem quolibet actu antecedente mortẽ Chriſti, adæquabatur grauitas offenſæ. Ergo, ne hæc, & alia ſimilia incommoda ex noſtra ſententia ſequantur, dicendum eſt, opera Chriſti Domini non habuiſſe infinitum valorem ſimplicitèr in genere ſatisfactorio. Reſpondeo, concedendo totum, quod intendit argumentum; nã licèt opera Chriſti Domini ex obiecto, & circunſtantijs non omnia æqualis valoris ſint, & meriti, tamen ex parte principij ita æqualia fuerunt, vt non minus per vnum actum, meruerit, quam per omnes ſimul, quod elegantèr docuit Sanct. Thom. 3. part. quæſt. 34. art. 3. ad 3. dicens: *Chriſtus Dominus per actus ſubſequentes inſtans ſuæ conceptionis, nil de nouo meruit, vltra id, quod in primo inſtanti ſuæ conceptionis, ſed idem ex diuerſis cauſis.* Illud autem de morte Chriſti ad redemptionem noſtram benè ſequitur, non fuiſſe ſimplicitèr neceſſariam, eo quod quilibet actus mortem antecedens æqualitatem habebat cum grauitate offenſæ; nihilominus fuit conuenientiſsimum, quod fieret hoc pactum, ſeu iniret cum Deo de morte Chriſti, fundatum in illo: *Si poſuerit animam ſuam, videbit ſemen longeuum.* Vt ſic magis oſtenderet Deus ſuam erga homines miſericordiam, & charitatem tradens Vnigenitum ſuum, vt inde homines à malo magis remouerentur, & proſequerentur bonum.

Opponunt denique quarto ex ſupradicto Magiſtro argumentum (vt ipſe aſſerit) à nullo hucuſque poſitum, quo talitèr ipſi videtur probare ſuam ſententiam, vt neſciat, quid forent Authores oppoſitæ ſentẽtiæ reſpõſuri, ſi illis obijceretur. Sic ergo argumentatur. Quod quando aliquid eſt infinitum ſimplicitèr in aliquo genere, quocumq; impoſſibili admiſſo, non ſequitur, quod ſit in illo genere aliud maius, aut perfectius; v. g. (inquit ille) ſi daretur quantitas infinita ſimplicitèr in genere quantitatis, quantumcumque Angeli, aut etiam Deus, eſſet extenſus per impoſsibile, nõ eſſe maior, aut perfectior in illo genere; ſed ſi per impoſsibile Deus haberet apud quem mereri poſſet, actiones eius in propria natura lõgè maioris valoris, & æſtimationis eſſent in genere meriti, quam ſunt actiones naturæ humanæ, per quas Chriſtus meruit, & ſatisfecit. Ergo hæ non poſſunt dici infinitæ ſimplicitèr in genere meriti, ſed tantum ſecundum quid; aliàs nullæ aliæ ex cogitabiles forent maiores, & perfectiores.

Verùm hoc argumentum ita debile mihi videtur, vt miror ſanè, virũ aliàs doctiſsimum ita præciſsè, vt iudicarit, illud inſolubile eſſe, vel ad minus ignoraſſe, quid eſſent Authores oppoſiti reſponſuri, ſi contra eorum doctrinã obijceretur; cum tamen ex illo, non ſolum aliquid incommodi contra Thomiſticam veritatem deducatur, quin potiùs contra principia noſtræ Fidei maius incommodum, ſi aliquid roboris haberet,

Digitized by Google

ret, ſequeretur, ex illo enim poſſet argui perſonam Verbi humanitatem terminantem non dignificare eam ſimplicitèr, nec eſſe infinitæ dignitatis moralis ſimplicitèr reſpectu illius, quod omnes abhorrent; ſiquidem excogitabilis eſt, imò de facto datur, maior illius dignitas, ſcilicèt terminatio propriæ naturæ, quæ tanto maior, & perfectior eſt, quãto natura propria, quam de facto terminat, & longè perfectior, quam humanitas, quam etiam de facto terminare docet Fides.

Reſpondeo ergo; quod ſicut optimè intelligitur, quod ex parte principij in genere quaſi phyſico maior ſit perfectio in Verbo in propria natura, quam ſi præciſsè conſideretur in aliena, ſcilicèt humanitate, ſine eo quod illa maior perfectio tollat, quominus in genere dignificantis ſit ſumma excogitabilis reſpectu humanitatis, eo quod ille exceſſus in perfectione, non tam pertinet ad genus dignificationis moralis, quam ad entitatem phyſicam illi⁹ ſuppoſiti; ita ſimilitèr, dato illo impoſsibili, quod Deus haberet, apud quem mereri poſſet, eius actiones, licèt maioris eſſent perfectionis phyſicæ quoad entitatem phyſicam deſumptam à principio *quo* operante, quam actiones Chriſti quoad ſuam etiam phyſicam entitatem à principio *quo* etiam operante deſumptæ, quanto maior eſt perfectio naturæ Diuinæ ſupra humanam; moralitèr autem quoad dignitatem moralem deſumptam à principio dignificatiuo formalitèr, ſine eo quod ibi intelligeretur principium *quo* effectiuum, non eſſent maioris valoris actiones Dei in ratione meriti, & ſatisfactionis formalitèr, quam actiones Chriſti, ſed æqualis dignitatis, ob æqualitatem in principio *quo* dignificatiuo; ſicut de facto actiones Chriſti æqualitatem omnes habuerunt, iuxta ſuam ſententiam, in eſſe valoris ſecundum quid, & iuxta communem Thomiſtarum ſimplicitèr ex ordine ad perſonam, à qua oriebantur, & à qua valoris infinitas ſumebatur, licèt aliàs ex parte entitatis phyſicè nõ omnes æqualitatem haberent, vtpotè non omnia principia phyſica æqualia erant in phyſica entitate; imò etiam in ratione morali ab obiecto deſumpta hanc inæqualitatem habuerunt, ſicut ipſa obiecta inæqualia erant in genere moris, perſeuerãte eadem æqualitate in ratione valoris à perſona deſumpti.

Neque exemplum de quantitate infinita ſimplicitèr, ſi daretur, aliquid ei fauet. Primo, quia non eſt ad rem arguere à forma phyſica ad formam moralem, ſi, vt vidimus art. præced. §. *Verum*. Iuxta principia huius Authoris loquendum ſit. Secundo; nam dato eſſet rectum argumentum, ſolum conuinceret, quod in eſſe quantitatiuo formalitèr, non eſſet aliud maius excogitabile; & ita ſi Angelus, aut Deus, per poſsibile, vel impoſsibile, eſſet quantus, non eſſet maiori quantitate talis, quam eſſet quantitas infinita ſimplicitèr, ſi daretur, eo quod perfectio minor, vel maior ſubiecti, etiam ſi pertingat ad infinitatem, de materiali ſe habet ad rationẽ formalem quanti, & extenſi in ratione talis. Vnde potiùs iudico, ipſum ſuo exemplo iugulari; nã ſicut optimè ſtat, quod ſi daretur aliqua quantitas infinita ſimplicitèr, & Deus poſſet aliàs eſſe extenſus quantitatiuus, quod non eſſet magis extenſus, quam ipſa quantitas foret, & quod aliàs poſſet eſſe magis perfectus in eſſe ſubiecti recipientis quantitatem illam, quam eſſet homo, vel Angelus eandem quantitatem recipientes; eo quod infinitudo illa quãtitatiua ſolum ſe extendit ad ſuam rationẽ formalem quanti formalitèr conſtitutiuam, relinquendo ſubiecta cum ſuis perfectionibus entitatiuis, quæ quantitas, ſi daretur, cum æqualis eſſet, æqualitatem in eſſe quãti formalitèr omnia ſubiecta conſtitueret; ita ſimilitèr optimè ſtabit, quod ſi daretur aliquis, apud quẽ Deus mereri poſſet, quod non eſſet in ratione meriti perfectior actio ab ipſo ellicita, quam eſſet, quæ ellicceretur à Chriſto in humanitate; eo quod ratio valoris ex parte perſonæ, à qua ſumitur principaliſsimè ſatisfactio, non eſſet inæqualis in vtroque caſu, licèt aliàs ex alio capite, quod de materiali reſpicit ratio valoris perſonalis, ſcilicèt ex parte principij *quo* effectiuo, vel obiecto, vel ſubiecto, inæqualitatem haberent; ſiquidem illa operationum æqualitas in eſſe ſatisfactionis formalitèr, relinqueret eaſdem actiones in eſſe phyſico conſideratas, & in eſſe obiectiuo naturis ipſis, vel per modum obiecti, vel per modum

dum principij *quo* concurrentibus, quæ naturæ, ſicut exceſſum haberent in eſſe principij phyſici, vtpotè vna diuina, humana altera; ita in earum operationibus in eſſe phyſico conſideratis inæqualitas relucere debet, & idem eſt de obiectis.

Oſtenditur ex quonam capite oriatur infinitas actionibus Chriſti Domini.

ARTIC. V.

Reſolutio prima ſit Huiuſmodi infinitas morali oritur effectiue tanquam à principio *quod* à perſona infinita Chriſti operante in humanitate. Hãc reſolutionem intendunt Patres communitèr, quos refert, & ſequitur Cabr. diſp 5. §. 5. cum R.P.M. Fr. Ioan à Sancto Thoma hic diſp. 2. art. 1. ad 43. difficultatem; ſufficiat nunc pro omnibus Damaſc. lib. 3. Fidei cap. 15. vbi ſic ait: *Non enim factitabat vt homo, quia non erat ſolum homo, ſed ſimul erat Deus, & ideo operationes, & paſsiones Chriſti erant viuificæ, & ideò dicuntur theandricæ, & Dei viriles.* Vbi Damaſcen. ex eo quod erant operationes Dei, & hominis à quo elliciebantur, colligit earum infinitatem, quia theandricæ, & Dei viriles erant: & ratio etiam eſt, quia actiones vtcumque effectiue oriuntur, tanquam à principio *quod* à ſuppoſito iuxta commune proloquium: *Actiones ſuppoſitorum ſunt.* Ergo ex ordine ad ſuppoſitum infinitum, vt *quod* ipſæ infinitatem effectiuè habebunt à tali ſuppoſito.

Reſolutio ſecunda ſit. Prædicta infinitas moralis effectiuè oritur, tanquã à principio *quo*, & ratione agendi effectiua radicali, à gratia habituali, & non à Deitate, nec perſonalitate, nec ab aliquo Diuino attributo. (Loquor de operibus ſupernaturalibus phyſicè, nam reſpectu operum phyſicè naturalium, ipſa humanitas erat ratio agendi effectiua radicalis) Hanc etiam iudico Patres intendere, dum dicunt, actiones Chriſti Domini dici theandricas, quia habebãt eſſe per virtutem diuinam ex Deitate communicatam; ſic loquitur Theodoret. Cyrillus Alexand. & omnium optimè Sophronius in Epiſt. quadam recepta, & approbata in 6. Synodo gener. act. 11. Atqui virtus diuina, ex Deitate communicata non videtur alia, præter gratiam habitualem; hæc autem verè communicat eſſe Deificum participatiue. Ergo cum ab hac gratia non potuerint habere eſſe effectiuum vt *quod*, debent ab eadem, tanquam à principio effectiuo *quo*, & ratione agendi effectiua radicali infinitatem habere.

Ratione autem à priori non parum mihi efficaci probatur poſitio noſtra; nam ab eo, tanquam à principio *quo* effectiuo radicali debent habere infinitatem in eſſe moris operationes Chriſti, quod habet eſſe principium *quo* infinitum in eſſe naturæ moralis; hoc enim ſolum eſt, quod dicit ordinem ad operationem; ſicut ab eo tanquam à principio *quo* effectiuo radicali debent habere finitatem in eſſe phyſico, quod habet eſſe principium *quo* finitum in eſſe naturæ phyſicæ, nimirum ab anima, ſi actiones merè pſiyſicæ naturales ſint, vel à gratia habituali ſecundum ſuam entitatem phyſicam, ſi actiones phyſicæ ſupernaturales ſint: *Sicut enim anima eſt vita corporis, ita gratia vita eſt animæ.* Inquit Sanct. Thom. millies, præcipuè in 3. diſtinct. 13. quæſt. 1. art. 1. in arg *Sed contra.* Atqui ſola habitualis gratia habet eſſe principium *quo* infinitum radicale in eſſe naturæ moralis in Chriſto Domino, vtpotè ſola ipſa eſt prima vita, per quam Chriſtus Dominus conſtituitur in actu primo operatiuo actiones ſupernaturales meritorias infinitè, nam per Deitatem, nec per perſonalitatem, nec per aliud quodlibet attributum Diuinum poteſt eſſe principium *quo* effectiuum radicale, medio quo tanquam ratione agendi operetur humanitas actiones meritorias propter repugnantiam naturæ, vt ex S. Thom. ad materiam de gratia demonſtraui, eo quod prædicata diuina nequeunt eſſe principia *quo* vitalia, quod requiritur ad rationem actionis meritoriæ, & aliàs licèt. *In eſſe phyſico, ipſa gratia finita ſit, in eſſe tamen gratiæ, infinita eſt, & non habet à quo limitetur, nec data fuit Chriſto ſecundum aliquam certam menſuram.* Vt ait Sanct. Thom. quæſt. 7. art. 11. ex quo nos probabimus ad materiam de gratia Chriſti, quæſt 4. ar. 2. §. *Reſolutio tertia*, illam eſſe infinitam in eſſe morali, nec augmentum ſecundum hanc rationem recipere poſſe. Ergo ab ipſa tan-

tanquam à principio *quo* effectiuo, & ratione agendi radicali effectiua infinitatem habent operationes Chriſti.

Obijcies. Moralitas à gratia habituali proueniens tanquam à ratione agendi operibus meritorijs, & ſatisfactorijs Chriſti Domini, eſt longè inferior illa, quæ prouenit a perſona; ſicut enim ſanctificatio orta à gratia habituali inferioris eſt conditionis a ſanctificatione proueniente à gratia vnionis; ita in operationibus excellentius quid eſt, eas intelligere, vt gratas, & acceptas Deo, quia dimanant à ſubiecto grato, & accepto gratitudine ſubſtantiali per gratiam vnionis, quam gratas, & acceptas, quia dimanant à ſubiecto grato, & accepto gratitudine accidentali per gratiam habitualem. Ergo ab iſta neutiquam poteſt moralis infinitas ſimplicitèr prouenire operibus Chriſti; aliàs enim non eſſet excellentior ſanctificatio, & dignitas à gratia vnionis proueniens, quam quæ ab habituali prouenit.

Reſpondeo, quod licèt moralitas à gratia habituali proueniens, quæ eſt ſibi propria, & competens ipſi, in quocumque ſubiecto reperiatur, ſit longè inferior, quam illa, quæ prouenit à perſona Chriſti, tanto, quanto ſuperat perſona ipſa entitatem gratiæ; moralitas tamen gratiæ habitualis, quæ eſt à perſona Chriſti communicata, qua ratione dicitur propria Chriſti, & non alteriùs iuſti, non eſt inferioris conditionis ab ipſa moralitate perſonæ, ſed eiuſdem, quæ prout in perſona Chriſti eſt principium effectiuum *quod* operationis infinitæ meritoriæ, & prout in gratia habituali, eſt principium *quo*, medio quo humanitas ellicit operationes ita eleuatas ſupra ſuam naturam, vt infinitæ euadant formalitèr ratione huius principij *quo* infiniti ſupernaturalis moralis: vnde licèt tota infinitas originariè à perſona proueniat, non tollit, quominus, ſuppoſito quod proueniat, quod à quolibet principio illam participent ſuo modo operationes à ſuppoſito, tanquam à principio *quod*; ſiquidem non eſt aliud principium *quod*, à quo illam participare poſsint; à gratia autem habituali, tanquam à principio *quo*, quæ gratia, licèt radicale ſit principium operationem, prout iſtæ ſunt indeterminata ſpecie; reſpectu tamen illarum, vt infinitatem participant, non ſolum radicale, ſed proximum eſt principium *quo*, & ſuppoſitum proximum eſt etiam principium *quod*. Vnde compono ſententiam Mag. Vincentij pag. 34 communitèr reiectam aſſerentis principiũ immediatum infinitatis meriti, & ſatiſfactionis Chriſti eſſe gratiam habitualem, vt eſt infinita in eſſe gratiæ, & perſonam eſſe remotum, cum ſententia Caiet. in hoc art. aſſerentis infinitatem valoris ſatisfactionis Chriſti non deriuari immediatè à gratia habituali, ſed proximè, & immediatè à perſona Verbi infinitatem oriri totam; nam in ſuo ordine, & modo cauſandi hanc infinitatẽ, ita immediatum eſt vnum, vt non indigeat aliis, ſicut è contra.

Reſolutio tertia ſit. Huiuſmodi infinitas moralis operationum Chriſti Domini prouenit formalitèr moralitèr, tãquam à principio *quo* formali morali, ab ipſa Deitate formalitèr moralitèr dignificante opera Chriſti Domini, ſiuè naturalia phyſicè ſint, ſiuè phyſicè ſupernaturalia, & non à perſonalitate, nec ab aliquo Diuino attributo, imò neque à gratia habituali, etiam ſi hæc conſideretur, ſecundum quod eſt infinita in eſſe gratiæ. ſic communitèr Authores, & nouitèr P. & Illuſt. D. M. Godoy, diſp. 3. citata. § 8. Hanc reſolutionem tantam habere certitudinem iudico, quantam habet illa, quam ad quæſt. 7. in materia de gratia dicemus, humanitatem Chriſti fuiſſe ſanctificatam, vnctam, & delibutam vnguento ipſa deitate, ſaltèm ſanctitate in eſſe eſſentiæ, & non alio quolibet attributo, nec gratia habituali. Illam etiam iudico intendere communitèr Patres pro reſolut. præced. citatos, dum Verbo Diuino vim Diuinam communicatiuam tribuunt reſpectu operationum humanarum Chriſti, vt dicantur theandricæ. Sic habet Theodoret homil. de Natiuit Domini, quæ habetur in Concil. Epheſino tom. 6. can. 10. Clarius, & expreſsius Sophronius loc. cit. reſolut. præced. vbi dicit: *Operationes humanas Chriſti dici theandricas, quia habebant virtutem Diuinam ex Deitate, & Deitas communicabat ſuam virtutem operationibus Chriſti.* Ex quibus locis fit firmo argumentum.

Prædicti Patres, imò, & plures alij, quo-

Digitized by Google

quotieſcūque aſsignant rationē, quare operationes Chriſti Domini per humanitatem procedentes dicantur theandricæ, & infinitæ, recurrunt ad Deitatem, quæ ipſis ſuam virtutem communicabat, non ad aliud attributum, nec ad gratiam habitualem. Ergo à Deitate per modum principij *quo* formalis moralis communicante infinitatem habēt operationes Chriſti, quod ſint infinitæ formalitèr moralitèr. quod ſi aliquando à Verbo dignificari dicunt, intelligendi ſunt à Verbo media Deitate, tanquam ratione formali dignificatiua, quæ ipſi ſoli competit Deitati.

Ratione autem ſic efficacitèr probatur noſtra reſolutio. Ab illo dignificantur, & in morali æſtimatione valorantur operationes formalitèr moralitèr, à quo dignificatur, & valoratur ſuum principium formalitèr moralitèr; ſicut ab illo tanquam à principio effectiuo participant dignitatem, à quo dignitatem participat ſuum principium in eſſe principij effectiui; ſicut quia corona Regia, v. g & dignitas eius dignificat, & valorat ipſam perſonam Regiam, conſtituendo illam formalitèr moralitèr in quodam gradu æſtimabilitatis maximæ moralis, operationes eius euadunt formalitèr dignificatæ, & valoratæ ab eadem dignificatione apud æſtimationem omnium moralem: Atqui illud, à quo valoratur, & dignificatur formalitèr moralitèr humanitas Chriſti Domini (quæ eſt principium operationum) infinito modo dignitatis moralis, eſt ipſa Deitas, à qua formalitèr ſanctificatur infinito modo morali ſanctitate ad ordinem eſſentiæ pertinente, non autem aliud quodlibet attributum, vt ad materiam de gratia Chriſti latè demonſtrabimus, vtpotè ſola ipſa eſt, cuius ſanctitas participata eſt formalis participatio, & non aliud attributum, & alias gratia habitualis, licèt ex ſe habeat vim ſanctificandi Chriſti humanitatem ſanctitate ad ordinem eſſendi ſpectante, illā ſic non ſantificauit, quia iam prius, noſtro modo intelligendi, reperijt humanitatem ſanctitate nobiliori ad ordinē eſſentiæ pertinente. Ergo operationes humanæ Chriſti Domini ab ipſa Deitate formalitèr dignificantur infinito modo morali, tanquam à principio formali morali *quo* infinito, non autem à quolibet alio prædicato Diuino, nec à gratia habituali, quæ licèt infinitatem habeat in eſſe gratiæ, in eſſeque dignificatiuo morali, quia reperit iam ipſum effectum à Deitate, illud idem ipſa non præſtabit.

Obijcies. Eadem gratia habitualis prius, noſtro modo intelligendi, reperit etiam humanitatem Chriſti infinito modo dignificatam in ordine effectiuo à ſuppoſito Diuino, & nihilominus in eodem ordine cauſæ efficientis tribuit valorem infinitum humanitati, & operibus Chriſti, vt ad materiam de gratia Chriſti latè demonſtrabimus, ſine eo quod valor ſuppoſiti impediat, vt non communicet ipſa gratia ſuam infinitatem effectiuam. Ergo etiam ſi eadem gratia habitualis, noſtro modo intelligendi præſupponat humanitatem, & eius opera dignificata infinito modo morali à Deitate, poterit eadem gratia in eodem genere cauſæ formalis moralis ſuam dignitatem infinitam operibus Chriſti Domini noſtri communicare.

Reſpondeo, quod ideò non impedit dignitas infinita à ſuppoſito prouenīēs in genere cauſæ efficientis præſuppoſita (noſtro modo intelligendi) ad dignitatem gratiæ habitualis, quominus iſta etiam gratia tribuat ſuam infinitatem in ordine effectiuo, quia licèt vtraque ſit in eodem ordine cauſæ efficientis, prima tamen eſt dignitas efficiens per modum principij *quod*, ſecunda autem per modum principij *quo*; & ſicut prima non poteſt ab alio, niſi à ſuppoſito, prouenire, vtpotè actiones, vt *quod* ſunt ſuppoſitorum; ita ſecunda non poteſt ab alio, quam à gratia habituali, oriri, vtpotè actiones etiam ſunt, vt *quo* naturarum, & quia in ordine meritorio non eſt aliud, quod habeat rationem naturæ, niſi gratia, vt pluries docemus in materia de gratia Chriſti ex S. Thom. ideò ab hac prouenit illa dignitas; in ordine autem dignificatiuo formali, tam Deitas, quam gratia debebant ſe habere per modum principij *quo* formalis formalitèr dignificantis, ſine eo quod eſſet diſcrimen, nec in genere cauſæ, nec in modo cauſandi; & ita ſuppoſito quod, noſtro modo intelligendi, ſupponeretur humanitas dignificata formalitèr moralitèr infinito modo à Deitate,

te,

Digitized by Google

te,nihil reſtaret,quod efficeret habitualis gratia in hoc ordine, neque operationibus ſuam poſſet, vel refunderet infinitatem moralem formalem, quam in ſe præhabet, & quam exerceret, ſi aliàs in eodem genere cauſæ, & in codẽ modo cauſandi id ipſum, quod ipſa factura erat, non reperiſſet à Deitate factum.

Expenditur probabilitas cuiuſdam peculiaris ſententiæ, circa infinitatem valoris operum Chriſti Domini.

ARTIC. VI.

PRo cuius lucè ſtatuo priùs, ſingularem fuiſſe aliquorum ſententiam, quos ſuppreſſo nomine refert Suarez hic diſp.4.ſect.4.§.*Secundo dixerunt aliqui.* Aſſerentium, ideò operationes Chriſti Domini infinitas eſſe, quia Verbũ diuinũ peculiari quodã influxo effectiuo non cõmuni toti Trinitati, influxit media ſua perſonalitate, tanquam ratione agendi in illas: quos in ſubſtantia ſententiæ imitatus eſt poſtea quidam doctiſsimus ex noſtris, & meus Magiſter P. Thomas Hurtado in manuſcriptis ad materiam de Incarnatione, licèt quoad modum cum illis non cõueniat; eo quod aſſerat, concurſum, quem præſtat, peculiarem effectiuum Verbum diuinum, & non communem toti Trinitati, in operationes Chriſti ad valorandum illas infinito modo, prouenire effectiuè, non à perſonalitate, tanquam à principio *quo*, & ratione agendi, ſed ab omnipotentia, quæ, licèt ſit communis toti Trinitati, vt determinata tamen per perſonalitatem Verbi, tanquam per conditionem, ſit particularitèr Verbi. Pro cuius probabilitate diſcurrendi, & pro liberatione à calumnia, quam huic ſententiæ aliqui imponunt, & ſpeciatim quidam etiam perdoctꝰ ex noſtris P. Ioannes de Ios in hac materia diſp. 8.ſect 4.numer.33.aſſerens hunc modum diſcurrendi peccare contra Phyloſophiam, & contra bonam Theologiam; in gratiam tamen mei ſupradicti Magiſtri, cuius ſcripta in hac parte, & ſi audiui, numquam tamen vidi, hũc vobis propoſui articulum. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio prima ſit. Non repugnat, imo probabiliſsimum eſt, Verbum diuinum habere aliquem peculiarem influxum effectiuum ad extra, non communem toti Trinitati, in operationes aliquas Chriſti Domini. Hanc reſolutionem poſtquam ſcripſi, & fundaui fundaminibus, quæ ſequuntur, vidi, & notaui apud Alvarez tom.de Incarnat.diſp.4. ad ſecundum, & apud Cornejo 3. part. tract.1.quæſtion.1.dub.6.§.*Vltimo ex doctrina huius concluſionis.* Eam etiam vidi expreſſam in Carolo Franciſco Raconis, natione Gallo, in ſuo pulchrò libello in 1.part.tract.1.quæſt.3.inquirens *quid ſit vnio hypoſtatica.* Pro qua quidem reſolutione videtur facere expreſsè quidam ſingularis locus Sanct. Thomæ 3.par.quæſt.19.artic.1.ad primum, vbi loquens de operationibus Chriſti, ait: *Sic igitur patet, quod alia eſt operatio humana* (ſcilicèt in Chriſto) *in qua Pater, & Spiritꝰ Sanctus non cõmunicant; & alia eſt operatio, in quantum eſt Dei Verbum, in qua communicant Pater, & Spiritus Sanctus.* Ergo ſi iuxta Sanct. Thomam aliqua eſt operatio in Chriſto, in qua Pater, & Spiritus Sanctus nõ communicant, cum talis operatio ad extra ſit, aliqua erit operatio ad extra in Chriſto, in qua Verbum communicet, & non Pater, & Spiritus Sanctus, ac per conſequẽs aliquem influxum effectiuũ habebit verbum in illam peculiarem ſui, & non communem toti Trinitati.

Ratione probatur prædicta reſolutio: nam non oritur repugnãtia ex eo, quod Verbum diuinum peculiaritèr influat, neque ex eo quod ad extra influat; ergo ex nullo capite. Antecedens, quoad primam partem, certum eſt apud omnes Catholicos fide magiſtra ductos, qui in productionibus ad intra fatentur Verbum diuinum ad productionem Spiritus Sancti peculiari quodam influxu influere effectiuè, ad quam productionem, licèt Pater etiam concurrat, non autem Spiritus Sanctus, aliàs Spiritus Sanctus ſe ipſum produceret: item Pater peculiari etiam influxu non communi Filio, & Spiritui Sancto concurrit effectiue ad producendum Verbum diuinum, ergo ex prædicato peculiari in-

Digitized by Google

influxus effectiui non oritur repugnantia. Neque etiam oritur ex prædicato influxus peculiaris ad extra, quæ erat altera antecedentis pars; nã de facto terminatio humanitatis a Verbo eſt opᵘ ad extra, ad extra enim terminata fuit humanitas à Verbo, & huiuſmodi terminatio ex parte Verbi terminantis talitèr eſt propria Verbi, quod non fuerit communis toti Trinitati, alias non ſolum Verbum, ſed Pater, & Spiritus Sanctus humanitatem terminarēt, licèt ad hãc terminationem, ſecundum conceptum communem entis, & effectus omnes Trinitatis perſonæ concurſum vniuerſalem præſtiterint. Ergo neque ex eo quod influxus peculiaris ſit ad extra, oritur repugnantia.

Dices pro communi ſententia; repugnantiam oriri ex eo, quod iſte influxus ſit peculiaris ad extra, non quomodocumque, ſed effectiuè influendo, quẽ concurſum non præſtat Verbum terminando ad extra naturam humanam, ſed ſolum præſtat concurſum formalem, vel quaſi formalem terminatiuum. Sed contra eſt; primo nam, vt optimè arguit prædictus Carolus Raconis loco citato, Verbum Diuinum in terminatione humanitatis non ſolum præſtat concurſum terminatiuum, ſed etiam peculiarem effectiuum, quo eam conſeruat ſine propria ſubſiſtentia

Vlteriùs, nam eadem eſt ratio ad negandum concurſum peculiarem alicui perſonæ diuinæ effectiuum, non communem toti Trinitati, ac ad negandũ concurſum peculiarem terminatiuum tantum dum modo vterque concurſus ſit *ad extra*. Ergo vel vterque concedendus, vel vterque negandus: antecedens probatur; nam ratio propter quam cõmunitèr negatur peculiaris influxus effectiuus eſt, quia iam habetur vt commune proloquium apud Theologos deſumptum ex Damaſceno lib. 3. de fide Orthodoxa cap. 14. & 15. *Quod opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſſa, & toti Trinitati communia.* Atqui in hoc loco Damaſcenus nec verbum innuit, quod nos ducat intelligendum eſſe de operibus *ad extra* effectiuè productis, ſed tantum de operibus *ad extra*, non determinando, an ſint ad extra producendo, vel terminando; imò potiùs eodem loco docet, ſe loqui de operibus, quæ non ſunt perſonales, nam de perſonalibus non eſt neceſſarium, quod omnes ſint indiuiſſæ, & à tota Trinitate ortæ effectiuè, vt patet in exemplis poſitis de productionibus *ad intra*, & etiam in operibus meritorijs Chriſti Domini, quæ verè dicebantur operationes *ad extra* propriæ Verbi, & non Patris, & Spiritus Sancti, quas Damaſcenus agnoſcebat; ergo eadem ratio currit ad negandum vnum cõcurſum, ac alium; ac perconſequens, ſicut non negatur concurſus ad extra peculiaris Verbi terminatiuus ab oppoſitis Authoribus; iuxta mentem Damaſceni, imò nec effectiuus meritorius, nec negari debet alitèr effectiuus phyſicè.

Vlteriùs ſecundo: quia eſſe opera Trinitatis: *Ad extra indiuiſſa, & toti Trinitati communia*, ſolum ſignificat, nullum eſſe opus ad extra, quod ſubterfugiat concurſum vniuerſalem Dei agentis, & mouentis per modum cauſæ primæ vniuerſalis, in quo ordine omnes tres perſonæ diuinæ ſe habent per modum vnius agentis, per vnam eſſentiam, omnipotentiam, intellectum, & voluntatem: atqui ſub hac ratione, non ſolum opus ad extra effectiuum, ſed etiam formale, materiale, & finale ſubditur concurſui vniuerſali Dei agentis, & mouentis per modum primæ cauſæ vniuerſalis, quia omnia genera cauſarum ſubdũtur primo agenti vniuerſali mouenti: ergo ſicut optimè ſaluatur etiam ſi cõcurſus quaſi formalis terminatiuus ſit peculiaris ſolius Verbi, quod opera Trinitatis *ad extra ſint indiuiſſa* (quia ad hũc concurſum terminatiuum etiam tota Trinitas concurſum præbuit vniuerſalem, etiam ſaluabitur eſſe communia toti Trinitati, etiam ſi effectiuè peculiari concurſu influat Verbum, quo non influat Pater, & Spiritus Sanctus. Patet conſequentia; quia ideò concurſus terminatiuus peculiaris ſaluatur cum illo axiomate, quia Verbum, vt terminans non tam ſe habet per modum agentis vniuerſalis, & vnum cum Patre, & Spiritu Sancto, quam particularis particularitèr terminans; ſed etiam Verbum, vt operans actiones meritorias, non tã ſe habet per modum agentis vniuerſalis, quam particularis particularitèr merens per actiones purè perſonales (ad quas actiones etiam tota Trinitas concur-

curſum præbet vniuerſalem. Ergo ſalua bitur cum peculiari noſtro influxu effe-ctiuo Verbi in ordine ad illas operationes illud commune Theologorum axioma ab Authoribus communitèr adductũ, quod opera Trinitatis *Ad extra ſunt indiuiſſa, & toti Trinitati communia.*

Confirmatur primo: non repugnat, quod etiam ſi eſſentia diuina ſit communis toti Trinitati, concipiatur à nobis vt partita, talitèr, vt ſecũdum quod gerit munus obiecti viſionis beatificæ ſe habeat per modum cuiuſdam cauſæ particularis, particularitèr influentis cum intellectu Beati ad eandem viſionem, non quomodocumque, ſed effectiuè, iuxta illud Auguſtini: *Ab obiecto, & potentia paritur notitia,* quod approbant communitèr Doctores ad 1. part. quæſt. 12. ad quem concurſum particularem cõcurrit etiam ipſamet eſſentia, in ratione cauſæ primæ vniuerſalis, cũ tribus perſonis; ita vt ipſa, ſecũdum primam conſiderationem, quaſi ſubordinetur ſibi ipſi, ſecundum alteram conſiderationem: ergo nõ repugnabit, quod Verbum Diuinum concipiatur à nobis quaſi partitũ in Chriſto per modum cuiuſdam cauſæ particularis particularitèr influentis effectiuè ad valorandum operationes Chriſti, & per modum cauſæ vniuerſalis cum reliquis Trinitatis perſonis concurrentis per modum vniꝰ ad eaſdem operationes; talitèr, vt ſecundum primam conſiderationem quaſi ſubordinetur ſibi ipſi ſecundum alteram. Patet conſequentia, quia ideò ibi concipitur illo modo, quia non eſt neceſſarium, quod quando eſſentia ſe habet per modum cauſæ vniuerſalis, attingat effectiue effectum ſecũdum omnem formalitatem vltimam, ſecundũ quam oritur ab eadem eſſentia, vt gerit munus cauſæ particularis obiectiuæ, ſed ſufficit, quod attingat illam vltimã rationem effectus, ſecundum rationem effectus, & entis, non ſecundum rationem vltimationis. (vt ita dicam.) Ergo ſimilitèr non erit neceſſarium, quod Verbum Diuinum ſe habens per modum vnius cum cæteris Trinitatis perſonis, attingat operationes Chriſti effectiuè ſecundum omnem formalitatem vltimam propriam ipſius, ſecundum quam oritur ab eodem Verbo, vt gerit munus particularis perſonæ, & cauſæ, ſed ſufficit, quod illam attingat ſecundum rationem effectus, & entis, & non ſecundum rationem vltimationis, ſecundum quam rationem eſt peculiaritèr ſub proprio dominio Verbi, & non ſub communi totius Trinitatis.

Confirmatur ſecundo; nam licèt Deus non attingat rationem effectus vitalis ſub ratione vitalis formalitèr, ſecundum quam eſt propriè ſub dominio ſolius agentis particularis vitalitèr operantis, ſed ſecundum rationem effectus, & entis, verificatur, quod effectus vitalis ab agenti particulari ortus, eſt ſub dominio vniuerſali Dei, & ad illam concurrere omnes Trinitatis perſonas per modum vnius agentis vniuerſalis: Ergo licèt tota Trinitas non attingat illum modum concurſus Verbi, ſecundum quod proprium eſt Verbi peculiaritèr agentis, & merentis, ſed ſecundum rationem effectus, & entis communẽ, verificabitur etiam, quod nullus effectꝰ Verbi ad extra productus eſt, qui non ſit ſub dominio Dei, & totius Trinitatis per modum vnius operantis.

Reſolutio ſecunda ſit: Repugnat rationem agendi, & principium *quo* in hoc peculiari concurſu Verbi eſſe perſonalitatem ipſius. Ratio eſt, quia id quod ex ſe actiuum non eſt vt *quo*, repugnat, quod ſit ratio agendi, & principium vt *quo*; ſicut repugnat agere vt *quod*; quod actiuum non eſt vt *quod*: At qui perſonalitas actiua non eſt vt *quo*; licèt enim perſonalitas, ſicut, & ſubſiſtẽtia quælibet, requiratur ex parte principij, vt agens agat, (nam actiones ſuppoſitorum ſunt) non tamen requiritur vt ratio formalis agendi, ſicut neque in termino vt ratio terminandi, ſed vt cõditio neceſſaria, vt commune eſt apud Phyloſophos, quos imitati ſumus in libris de generatione diſp. 1. q. 2. ar. 3. Ergo licèt ſe habeat per modum conditionis neceſſariæ ad agendum, non tamen ſe poteſt habere per modum rationis agendi, & principij *quo* huius peculiaris concurſus Verbi.

Reſolutio tertia ſit: Ratio formalis agendi, & principium *quo* in hoc peculiari concurſu effectiuo Verbi ad operationes infinitè valorãdas, eſt ipſamet eſſẽtia diuina omnipotẽs, vt determinata

Digitized by Google

per perſonalitatem Verbi, tanquam per conditionem neceſſariam ad agendum requiſitam. Probatur cõtraria ratione. Illi entitati conuenit ratio agendi effectiua, & principium *quo*, cui conuenit eſſe actiuam vt *quo*; natura enim eſt id *quo* agens agit; ſicut, & id *quo* aliquid habet eſſe, vt docent Phyloſophi, & Theologi cum S. Th. hic q. 17. ar. 2. & loco citato de generatione nos diximus. Ergo ipſa eſt ratio agendi, & principiũ *quo* in hoc peculiari concurſu Verbi Diuini ad operationes infinitè valorandas.

Confirmatur: eſſentia diuina, vt determinata in ratione cauſæ particularis per modum obiecti habentis rationem ſpeciei intelligibilis, eſt ratio agẽdi particularitèr actiue influens cũ intellectu Beati ad viſionem beatificam ſecundũ illam rationem formalem repræſentationis, vel ſupernaturalitatis obiectiuç in viſione relucentis, vt docent cõmunitèr Thomiſtæ, quos citant. & ſequuntur Salmanticenſes Carmelitani tom. 1. tract. 2. diſp. 2. dub. 3. §. 2. Licèt aliàs concepta ſine tali determinatione, ſed ſecundum ſe, ſit ratio agendi per modum cauſæ vniuerſalis ipſius viſionis, ſecũdum formalitatem entis, & effect⁹ in ipſa relucentis; ita vt licèt ipſa viſio beatifica ab eſſentia media hac omnipotentia effectiuè oriatur, vt tamen communis toti Trinitati concipitur, & vt vniuerſalis cauſa viſionem per modum principij *quo* vniuerſalis efficit, ſecundum quod viſio, ſecundum rationem entis, eſt effectus vniuerſalis; vt vero cõcipitur determinata ad rationem cauſæ particularis obiectiuæ habentis rationem ſpeciei intelligibilis, viſionem producit beatificam, ſecundum rationem peculialem talitatis in eſſe repræſentantis, & ſupernaturalitatis obiectiuæ, ſine eo quod vna ratio agendi aliam impediat, quia ſunt circa diuerſas formalitates, vel expreſsiones effectus: ſicut quia lumen gloriæ eſt circa ſupernaturalitatem viſionis ſe tenentem ex parte potentiæ, non impedit, quod, etiam ſi ſit tota ratio agẽdi reſpectu viſionis, quod ipſamet eſſentia diuina ſit etiam ratio agẽdi reſpectu eiuſdem viſionis, quoad ſupernaturalitatem ſe tenentem ex parte obiecti, vt omnes Thomiſtæ communitèr aſſerunt; Ergo eſſentia diuina, media ſua omnipotentia, vt determinata per perſonalitatem Verbi naturam humanam terminantem; & in illa operantem, erit ratio agendi reſpectu infiniti valoris operum Chriſti; licèt aliàs concepta ſine tali determinatione ſit etiam ratio agendi, per modum cauſæ vniuerſalis, reſpectu operum, ſecundum rationem entis vniuerſalis, quæ in ipſis relucet, ſine eo quod vna ratio agendi impediat aliam; eo quod hæ rationes agendi ſunt circa diuerſas formalitates, vel expreſsiones in effectu relucentes; non enim capere poſſum diſparitatis rationem, quare concipere poſsimus in eadem eſſentia diuina (quæ nihil magis toti Trinitati communis) illum duplicem concurſum effectiuum communem, & particularem in ordine ad opus ad extra; & non poſsimus in Verbo Diuino concipere (quod non ita eſt commune) duplicem alium concurſum effectiuum communem, & particularem in ordine ad operationes ad extra per humanitatem ellicitas.

Pro cuius maiori illuſtratione probabilitatis propoſitæ ſententiæ, & ſolutione quarumdam difficultatum, quæ contra illam fieri poterant, hæc mihi modò occurrit ingenioſa (vt oppinor) doctrina: quod ſicut Verbum diuinum terminans naturam humanam poteſt ellicere actiones, non ſolum phyſicè diuinas correſpondentes ſuæ naturæ diuinæ, ſed etiam phyſicè humanas correſpondentes humanitati, quam terminat; & inter humanas quædam ſint phyſicè naturales, vt comeſtio, ambulatio, & aliæ huiuſmodi, & quædam Phyſicè ſupernaturales, vt dilectio Dei, & aliæ huiuſmodi: ita pro diuerſitate actionum, diuerſæ rationes formales agendi effectiuè concedendæ ſunt, & cum ad omnes cuiuſcumque generis neceſſaria ſit ſubſiſtentia, & perſonalitas per modum conditionis, ex alijs capitibus diſtinguendæ ſunt prædictæ rationes agendi; nullum enim ſuppoſitum operans vt *quod* poteſt ellicere operationes, niſi medio principio *quo*, cum quo ſolum proportionem habere debent.

Quare reſpectu actionum diuinarum phyſicè, & à ſe eſt ipſamet eſſentia di-

diuina omnipotens, vt ſecundum ſe cõſideratur, licèt terminata ſubſiſtentia vt conditione: reſpectu autem actionum humanarum phyſicè naturalium humanitas ipſa terminata medijs ſuis, potentijs proximis: & reſpectu actionũ phyſicè ſupernaturalium, & diuinarum per participationem, & non à ſe: gratia habitualis in eſſe phyſico conſiderata medijs etiam ſuis potentijs proximis ſupernaturalibus in eſſe etiam phyſico ſupernaturali attentis: ſicut reſpectu actionum in eſſe meriti ipſamet gratia habitualis in eſſe principij meritorij medijs etiam ſuis potentijs proximis in eſſe meritorio attentis: quæ quidem actiones, ſicut ſecundum diuerſas formalitates, vel expreſsiones, quas habent, diuerſis rationibus formalibus agendi correſpondent; ita ſimilitèr ſecundum infinitatem valoris moralis proprij perſonæ operantis, quæ in actionibus reperitur, debet ex parte principij *quod* ratio formalis agẽdi reperiri, cui correſpõdeat; quæ quidem ratio, cum non poſsit competere perſonalitati (& aliàs debeat eſſe infinita, ſicut eſt effectus) vtpotè actiua non eſt perſonalitas, nec naturæ humanæ, vtpotè finita; nec gratiæ habituali, vtpotè, licèt in eſſe gratiæ infinitatem habeat, non tamen effectiuam in ordine ad valorem, ſed formalem dignificatiuam, tum humanitatis, tum operationum; vel ſi illa effectiuam infinitatem habet, ſolum eſt in ordine ad valorem quoad ſubſtantiam meriti, & non à ſe, ſed a Deitate ſibi coniuncta, ratione cuius non ſolum principium eſt effectiuũ meriti, ſed infiniti meriti: relinquitur ergo, quod correſpõdeat infinitas valoris proprij operationum Chriſti in humanitate productarum ipſi naturæ diuinæ media omnipotentia tanquam principio eius proximo, à quo omnis infinitas valoris originatur: ita vt ſi infinitas valoris ſit phyſica, & à ſe, ab ipſa vt in ſe phyſicè operante originetur; ſin autem infinitas valoris ſit moralis, ab ipſa vt in natura humana operante; nam ſicut illa non eſt adſtricta regulis moris, vt in ſe, & à ſe operante; ita adſtricta manet his regulis, vt in humana natura operante.

Proponuntur, & ſoluuntur aliqua argumenta contra prædictam doctrinam.

ARTIC. VI.

Cæterum contra huiuſmodi doctrinam obijcies primo ex communi ſententia; nam videtur inintelligibile, quod aliquid poſsit eſſe in genere cauſæ efficientis à Verbo, quod non fuerit à Patre, & Spiritu Sancto, cum omnia opera Trinitatis: *Ad extra ſint indiuiſſa, & toti Trinitati communia.* Vt ex Damaſceno omnes Theologi admittunt. Ergo nullum opus ad extra poteſt attribui influxui peculiari Verbi, quod non ſit effectiue etiam totius Trinitatis. Hoc argumentum, quod eſt Achiles communis ſententiæ, ſpecialitèr ſibi oppoſuit Carolus de Raconis in ſuo pulchro libello in 3. par. tract. 1. q. 3. inquirens *quid ſit vnio hypoſtatica?* & reſponſionem ſuiſmet verbis ponam, quia libellus iſte nõ vulgaritèr reperitur; reſpondeo ergo ſuis terminis formalibus, quod. *Quando dicunt Theologi, opera Trinitatis ad extra eſſe indiuiſſa, & communia toti Trinitati, id intelligunt de ipſis operibus, quæ fiunt à Deo, vt vnus eſt in tribus perſonis, & vt operans per eſſentiam communem, quatenus communis eſt, vt in creatione, conſeruatione, gubernatione vniuerſi, &c. non autem loquuntur ſiuè affirmando, ſiue negando, de operibus, quæ manare pʼſſunt à perſonis per proprias, & peculiares ipſarum perſonarum proprietates, & perſonalitates, quod intendimus.* Hucuſque Raconis, quo nihil expreſsius pro noſtra reſolutione.

Obijcies ſecundo: nullum principium diuinum poteſt eſſe ratio agendi, quod cum principio creato, qualis eſt humanitas Chriſti, poſsit conſtituere principium *quod* operationum *propter repugnantiam naturæ*, vt iuxta Sanct. Thomam ad diſputationem de gratia Chriſti probabimus, Deitatem non conſtituere humanitatem Chriſti formalitèr ſanctam ſanctitate in eſſe naturæ, quia dicit ordinem ad operationem,

 nem,

nem, licèt eam conſtituat Sanctam formalitèr ſanctitate in eſſe eſſentiæ, quia operationes ab humanitate procedentes, vt in plurimum, debebant eſſe vitales, ad quas principium extrinſecum, qualis eſt Deitas, non poteſt ſe habere per modum rationis agendi effectiuè vitalitèr, vtpotè ab extrinſeco cum ſit, pugnat cum principio vitalitèr operante, quod ab intrinſeco ſe mouere debet. Ergo cum huiuſmodi operationes Chriſti Domini per humanitatem ſupernaturalitèr eleuatam elicitas, vitales ſint ſupernaturaliter in actu ſecundo, non poſſunt procedere à principio *quo* non vitali ſupernaturalitèr in actu primo, qualis eſt Deitas.

Reſpondeo, quod licèt Deitas in Verbo, media ſua omnipotentia, peculiaritèr influens in operationes per humanitatem elicitas, non concurrat phyſicè effectiuè peculiaritèr ad illas, qua vitales ſunt formalitèr, propter rationem dictam in argumento, quod docuit Sanct. Thomas ex repugnantia naturæ, ſed rationes agendi ſint prædicata creata diuerſa iuxta diuerſitatem actionum vitalium, naturalium, vel ſupernaturalium, hoc non tollit, quominus cõcurrat ipſa Deitas effectiuè peculiaritèr ad ipſas operationes vitales, non qua vitales, ſed quoad dignitatem moralem infinitam, quam habent, ſecundum quam moralitatis rationem præſcindunt à vitalitate, vt clarè conſtat in omnibus operibus Chriſti Domini, quæ licèt non omnes fuerint vitales, omnes tamen eandem infinitam moralitatem habebant à dignitate perſonæ infinitæ; ſicut de facto ipſa Deitas concurrit concurſu effectiuo toti Trinitati cõmuni ad omnes illas actiones, licèt non quoad eſſe vitale earũ, ſed quoad eſſe entitatiuũ phyſicum imbibitum in ipſa vitalitate: Quando autem ad diſputationem de gratia Chriſti negamus rationem ſanctitatis formalis in eſſe naturæ Deitati reſpectu humanitatis, ſolum illam negamus in ordine ad operationes ſupernaturales, quoad ſupernaturalitatem, & vitalitatem, quia quantum ad hoc gratia habitualis Chriſti cum ſuis principijs proximis erat ratio agendi radicalis, & proxime.

Vrgebis. Ergo non ſolum operationes à Verbo Diuino peculiaritèr influente ſunt infiniti valoris, ſed etiam omnes illæ, quas medijs cauſis ſecundis elicit Verbum cum tota Trinitate; ſiquidem omnes iſtæ procedunt à principio infinito, ſcilicèt, ab eſſentia, & omnipotentia infinita in ratione agendi, quod minuere videtur rationem valoris infiniti competentis ſingularitèr operibus Chriſti Domini. Dic, quod hoc argumentum tenentur ſoluere omnes Authores, eo quod nulla actio creaturæ, & cauſæ ſecundæ ſubterfugiat concurſum vniuerſalem Verbi cõmunem toti Trinitati; ſicut ergo tenẽtur dicere, quod, licèt infinitatem habeant omnes actiones Verbi ex parte principij ſecundum eſſe valoris phyſici, attenta perfectione phyſica intrinſeca actionis Dei, quæ eſt eius eſſentia, nihilominus alium valorem illis tribuere Verbum, prout terminat humanitatẽ, qui vocatur valor moralis, eo quod ſint actiones cuiuſdam principij, ſcilicèt, humanitatis, infinito modo morali formaliter dignificatæ à Verbo; ita ſimilitèr dicam ego pro hac ſingulari mea ſententia, habere actiones Verbi à ſe ſolo, vel cum cauſis ſecundis elicitas per modum vnius cum tota Trinitate infinitatem in valore phyſico, & à ſe, & actiones Verbi vt peculiaritèr operantis in humanitate habere aliam infinitatem in ratione valoris moralis ab hoc influxu peculiari effectiuo deriuatam, media Deitate, & omnipotentia, tanquam à principio *quo* peculiaritèr agendi effectiuè, vt determinato tamen per ſuam perſonalitatem, tanquam per conditionem, vt ſit peculiaritèr Verbi, & non totius Trinitatis.

Obijcies tertio argumento quodam magni ponderis apud quendam ex noſtris P. Ioannem de Ios loco ſuperius citato num. 35. ſic enim arguit: poteſt optimè ſtare opera Chriſti Domini eſſe perſonalia, licèt non procedant ſpeciali modo à Verbo, vt Deus eſt, imò, ſi per impoſſibile, ab eo ea ratione non procederent, eo quod, cum Verbum ſit perſona ſubſiſtens in duplici natura, vt aliqua ei⁹ operatio ſit verè, & propriè perſonalis, nõ eſt opus, quod ſit propria ipſius, quatenus ſubſiſtit in vtraque

na-

Digitized by Google

natura, ſed ſatis eſt, quod ſit propria ipſius, vt ſubſiſtit in altera tantum, quod conſtat in operatione, qua Verbum producit Spiritum Sanctum, quæ eſt propria Verbi, cum tamen non procedat ab illo, vt homo eſt. Ergo ad hoc quod operationes Verbi in natura humana elicitæ perſonales ſint, ſine fundamento confingitur noſter peculiaris influxus.

Reſpondeo ipſum teneri huic argumento reſpondere, ſicut, & omnes cõmunis ſententiæ, in ſuo concurſu morali formali, quod Verbum præſtat ad infinitè valoranda opera Chriſti Domini; quod ſic inſto: etiam ſi Verbum Diuinum ſit ſubſiſtens in duplici natura, vt operationes, quas elicit in natura humana, dicantur perſonales (& idem eſt de operationibus, quas elicit in natura diuina) non ſufficit influxus, quem in illas præſtat Verbum per modum vnius cum tota Trinitate, ſed requiritur, quod peculiaritèr ſint à Verbo infinito modo morali formali concurſu illas dignificante, vt fiant perſonales Verbi, & non Patris, & Spiritus Sancti; ita ſimilitèr, vt dicatur iſtę operationes perſonales, iuxta noſtrum modum diſcurrendi, non ſufficiet concurſus vniuerſalis ipſius, vt communis eſt toti Trinitati, ſed requiretur concurſus ſpecialis effectiuus proprius Verbi, quod enim ipſe Author cum communi ſententia tenetur dicere de concurſu formali dignificatiuo, dicimus nos de concurſu effectiuo. Cuius ratio omnium eſt, quia ſicut in primo caſu non ſufficit concurſus Verbi, vt Deus eſt, vna operantis cum Patre, & Spiritu Sancto, ſed requiritur alius ſpecialis Verbi, etiam vt Deus eſt in tali natura per determinationem perſonalitatis formalitèr, moralitèr, & ſpecialitèr concurrentis ad dignificandas operationes infinito modo morali formali, ſine eo quod iſte concurſus formalis, moralis, ſpecialis impediat alium concurſum vniuerſalem, phyſicum, effectiuum Verbi vna operantis cum Patre, & Spiritu Sancto ita ſimilitèr in ſecundo caſu, & noſtro, non ſufficiet concurſus Verbi, vt Deus eſt, vna cum Patre, & Spiritu Sancto operantis, ſed requiritur alius concurſus etiam Verbi, vt Deus eſt, in tali natura per determinationem perſonalitatis propriæ effectiuè concurrentis ad dignificandas operationes in humanitate ellicitas infinito modo morali, ſine eo quod iſte cõcurſus effectiuus ſpecialis impediat aliũ concurſum ipſius Verbi vniuerſalem operantis per modum vni⁹ cum Patre, & Spiritu Sancto.

In calce articuli ſubiungo. Hunc valorem infinitum moralem ab hoc peculiari influxu deriuatum in operationes Chriſti Domini, licèt in eſſe phyſico ſit quædam denominatio extrinſeca reperta in operationibus, vt concernentibus principium phyſicum Verbi, à quo elliciuntur, vt putauit Vazquez; in eſſe tamen morali, & æſtimatiuè eſt aliquid intrinſecum in illis, vel indiſtinctum; ſed reſpectus quidam moralis tranſcendentalis in ipſis operationibus imbibitus ad Verbum, vel ad humanitatem infinito modo dignificatam moralitèr in eſſe principij valorificatiui; vt aliquibus placet, vel diſtinctum modalitèr ab ipſis operibus. & in illis à peculiari hoc concurſu Verbi productum, vt alij volunt: contra quod nullius eſt roboris, hunc modum infinitatis, eo quod productum, & receptum in operationibus, deperdere rationem infinitatis; quo argumento cõuictus Monteſ. In hac mat. diſp. 5. quæſt. 2. negauit infinitatem valoris ſumi poſſe ab hoc noſtro peculiari concurſu; nullius, inquam, eſt roboris, nam licèt in eſſe phyſico, ſecundum quam rationem præciſè productus, & receptus dicitur, finitus ſit; in eſſe tamẽ morali, quod in æſtimatione conſiſtit, infinitus eſt; eo modo, quo dicitur communitèr, gratiam habitualem, in eſſe phyſico, & recepto producto, finitam eſſe, & in eſſe morali dignificatiuo, condonatiuo, & expulſiuo peccati, infinita eſt, ſicut ipſum peccatum, eo quod ſicut gratia hoc modo includit aliquid præter ſuam entitatem, & voluntatem Diuinam producentem, reſpectum, ſcilicèt, tranſcendentalem ad voluntatem Diuinam vt condonantem, & expellentem aliquid, quod in genere moris infinitum eſt; ita ille modus valoris, ſecundum rationem infinitatis, quam in operationes refundit, includit aliquid præter ſuam entitatem phyſicam, & concurſum Verbi ſimul cum Patre, & Spiritu Sancto illum producentis, modum, nimirum reſpectum tranſcendentalem ad concurſum peculiarem ipſius Verbi,

Digitized by Google

vt ſolius Verbi eſt, qui concurſus infinitæ eſt æſtimabilitatis moralis peculiaris.

An ſatisfactio Chriſti fuerit æqualis, & ex iuſtitia orta?

QVÆST. VI.

IN Hac re, licèt nullus Catholicorum neget, ſatisfactionem Chriſti eſſe ſufficientem ad redimenda omnia peccata, non tamen omnes concedunt, hanc ſufficientiam habuiſſe ex natura ſua, ſed ex acceptatione Diuina, ſolumque (inquiunt) ex ſe habuiſſe congruitatẽ, vt pro peccatis acceptaretur à Deo. Ita videtur ſentire Scotus in 3. diſt. 19. §. *In iſta* Licèt ab aliquibus excuſetur, & ad communem reducant ſententiã. Eam etiam defendit Gabr. ibid. quæſt. 1. ar. 1. notat 3. & art 2. concl. 1. Almain. quæſt. 1. nota. 3. Durand. diſt 20. quæſt. 2. & in 4. diſt. 23. quæſt. 1. & denique Ioann. de Medin. codice de Pœn. tract. 3. quæſt. 1. §. *Reſtat ergo.*

Pater autem Vazquez, quem nonnulli ex ſua ſecuntur Societate, licèt aſſerat, ſatisfactionem Chriſti ex ſe, & ex natura ſua ſufficientem eſſe pro quibuſcumque peccatis, negat tamen pertinere ad aliquam ſpecialem virtutem, aſſeritque, quod ſicut nos poſſumus mereri gloriam per actus omnium virtutum; ita Chriſtus per actus omnium virtutum; quos pro nobis obtulit, & nobis dona gratiæ meruit, & pro peccatis noſtris ſatisfecit, ita diſp 7. cap. 6 in fine; in quo ſenſu videtur ſecutos fuiſſe hanc ſententiã nõnullos alios Theologos, quorum meminit Cabr. diſp. 8. §. 2. Pater autem Lorca diſp. 8. à num. 7. non negauit ortam fuiſſe ſatisfactionem Chriſti ex motiuo particulari alicuius virtutis; aſſeruit tamen hanc virtutem eſſe Religionis, eo quod inclinabat ad reddendum omne debitum Deo, quod proprìè ad Religionem pertinere videtur.

Commune autem Theologorum aſſertum, non ſolum æqualitatem tribuit ſatisfactioni Chriſti ex ſe, & ex natura ſua pro quibuſcumque peccatis, vt refert Cabrera diſp. 4. §. 3. num. 22. verum ortã fuiſſe ex peculiari motiuo Iuſtitiæ, vt docet idem Cabr. diſp. 8. §. 3. Aluarez diſp. 4. & omnis Thomiſtarum lucidiſsima manus, & nouiùer R. & Illuſtriſsim. D. M. Godoy diſp. 4 & 5. cum R. P. M. Fr. Ioan. à S. Thom. hic ar. 3.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo, id, quod ad quæſt. 1. art. 1. ex Sanct. Thom. obſeruatum reliqui; nimirum ſatisfactionem eatenus eſſe æqualem, & perfectam pro iniuria illata (de qua ſolum eſt ſermo in tota noſtra materia) quatenus per adæquationem quamdam recompenſat damnum per iniuriam commiſſam illatum; vnde ſatisfactio Chriſti Domini, eo ipſo quod factus fuerit noſter fideiuſſor, qui vinculo peccati tenebamur, nec ab illo erui poteramus, in tantum erit perfecta, & æqualis, in quantum damnum, quod nos intulimus Deo, ſufficiens ſit ex ſe, & ex natura ſua ad recõpenſandum, licèt aliàs quoad efficatiam non omnibus recompenſatio proficiat, eo quod liberè applicata fuerit à Deo pro illis, quos voluit ſaluos fieri; hoc autẽ non fuit ex defectu valoris ſatisfactionis Chriſti, ex ſe enim quælibet ſufficiens erat ad omnium peccata delenda, & ad perducendum omnes ad vitam æternam: ob quod, licèt peccatum primi Parentis defacto omnibus poſteris nocuerit, non ideò pòtentius fuit, quam ſatisfactio Chriſti, licèt hæc non omnibus de facto proficerit; nam cum peccatum primi Parentis contrahatur per generationem naturalem, non poteſt non applicari omnibus ab Adamo deſcendentibus, excepta beatiſsima Virgine Maria, ſatisfactio autem Chriſti non neceſſario applicatur, ſed liberè; tum ex miſericordia Dei, quibus applicatur, vel ex iuditio, quibus non applicatur; tum etiam ex voluntate illorum, quibus applicanda eſt, vt in adultis, aut ex voluntate aliorum, vt in paruulis; defectu ergo voluntatis propriæ adultorũ, vel alienæ paruulorum non omnibus applicatur, & proficit, non autem defectu valoris intrinſeci ipſius ſatisfactionis.

Obſeruo ſecundo cum S. Thom. 2. 2.

Digitized by Google

2.quæſt. 58. artic. 5. Iuſtitiam propriè dictam tres habere ſpecies; vna eſt legalis, quæ primo, & per ſe reſpicit bonum commune, & bona particularia in ordine ad commune, quod eſt ei⁹ obiectum proprium; alia eſt diſtributiua, quæ bona communia partibus reipublicæ iuxta proportionem meritorum diſtribuit, nec per ſe reſpicit æqualitatem rei ad rem, ſed in tali diſtributione, iuxta meritorum proportionem, ſeruat ſuam æqualitatem in partibus, & membris reipublicæ, vltima autem eſt commutatiua, quæ vnicuique tribuit, quod ſuum, eſt, & illi debetur, quod ſi tribuat æquale reſpectu illius, cui debet, erit perfecta, ſicut ſi tribuat partem, relinquendo alteram inſolutam, imperfecta erit, & inæqualis. De qua vltima ſpecie ſola eſt controuerſia, cum hæc ſolum ſit, quæ per ſe, & formalitèr reſpiciat æqualitatem damni, vel iniuriæ illatæ, vt recompenſet.

Obſeruo tertio. Inter redditionem debiti, quæ vocatur reſtitutio, & inter recompēſationem iniuriæ illatæ, quod vtrumque pertinet ad commutatiuam iuſtitiam, magnam eſſe differentiam; nam qui reſtituit, non reparat damnum illatum, quouſque læſus acquirat dominium rei ablatæ, vel alterius æquiualentis; qui autem recompenſat iniuriam, reparat illatum damnum, etiam ſi læſus, vel offenſus non acquirat dominium alicuius rei; etenim ſicut per iniuriam non abſtulit rem aliquam, ſed ſolam moralem æſtimationem, cum ſummiſſione quadam apud offenſum, quæ in morali æſtimatione tanti habeatur in ratione compenſationis, quanti habita fuit offenſa in ratione offenſæ, perfectè, & adæquatè compenſat.

Obſeruo quarto ex doctrina Sanct. Thom. loc. citat. art. 2. in corp. & ex Ariſtot. 5. Ethicor. cap. 1. & 6. ad veram iuſtitiam commutatiuam aliquas conditiones requiri; Prima, vt ſatisfactio fit ad alterum, nam cum ſupponat debitum, & nemo ſibi ipſi debitor ſit, ſaltèm ex iuſtitia, licèt ex fidelitate poſsit ſibi debitor eſſe, ſed, ſi debet, alteri debet, ac proinde requirit diſtinctionem inter ſatisfacientem, & ſatisfaciendum: Secunda, vt ſit, & fiat, ex propriis, ſcilicèt, vt actio ſatisfactoria talitèr ex proprijs bonis ſit ſatisfacientis, vt valorem, quem habet, non eſſe ex bonis creditoris, omnes affirment: Tertia conditio, vt non fundetur in bonis creditoris, id eſt, non fiat ex gratia gratis accepta à creditore, ratione cui⁹ remittat debitor partem debiti: Quarta denique conditio, quam communitèr exigunt Authores, eſt, quod fiat ex indebitis alio titulo, quod ſic intelligendum iudico; quod actio ſatisfactoria non ſit debita creditori alio titulo iuſtitiæ: ita vult Suar. diſp. 4. ſect. 6. §. *Tertia conditio*, aſſerens, ex debitis alio titulo, gratitudinis, ſcilicèt, poſſe quem ſatisfacere ex rigoroſa iuſtitia, quem ſecuntur plures Recentiores; & ſimilitèr alijs titulis poteſt aliquod eſſe debitum creditori, & debitorem ſatisfacere ex rigoroſa iuſtitia; vt ſi quis, v.g. debeat centum titulo gratitudinis, fidelitatis, & iuſtitiæ, per ſolutionem illius centum, exercet veram iuſtitiam, licèt aliàs non ſolum debitum eſſet centum ex iuſtitia, ſed ex omnibus titulis aſsignatis.

Niſi velis dicere, eo modo, quo ſatiſfacit ſoluendo ex iuſtitia, ſolum tollat debitum iuſtitiæ, quod habebat, relinquendo inſoluta alia debita, niſi ex ſpeciali motiuo gratificandi, & fidem ſeruandi, etiam centum ſoluat; qua ratione ita ſtricte debet ſumi iſta vltima conditio, vt ab alijs Authoribus ſumitur, quod nimirum, eo ipſo, quod actio ſatisfactoria fiat ex debitis alio quocumque titulo creditori, nō eſſe illam actionē formalitèr ex rigoroſa iuſtitia. Quibus ſic obſeruatis.

Vno ex capite quæſtio reſoluitur.

ARTIC. II.

Reſolutio noſtra ſit Satisfactio Chriſti Domini fuit ex ſe, & ex natura ſua, non ſolum æqualis, & ſufficiēs pro quibuſcumque peccatis commiſsis, & committendis, ſed etiam ſuperabundans. Hanc reſolutionem probant communitèr Authores pluribus ſacræ Scripturæ, & Patrum teſtimoniis, quæ videri poſſunt apud Cabr. hic diſp. 5. § 4. & apud Lorcam diſp. 7. numer. 4. & apud noſtrum Auerſ. quæſt. 10. ſect. 12. Duo tantum loca pro vtraque concluſionis parte proponam. Primum ex Paulo ad Hebr. 7. & 10. vbi exceſſum oblationis Chri-

Chriſti Domini, ſupra oblationem Sacerdotum Leui per ſanguinem hircorum, & taurorum ad redimenda peccata, & noſtram ſalutem conſumandam, probat ex eo, quod Chriſtus vnica oblatione ſe ipſum offerendo, redemptionem noſtram abſoluerit, & perfecerit, quod non fiebat à Sacerdotibus Leui per ſuas oblationes. Ergo ſentit Apoſtolus hanc Chriſti oblationem, & ſatisfactionem fuiſſe ex ſe, & ex natura ſua æqualem, & ſufficientem pro peccatis, & ſecluſſa acceptatione Diuina, aliàs enim non diſtingueret vnam ab alia, ſiquidem etiam ex acceptatione Diuina poterat oblatio antiqua noſtram cõſummare redemptionem. Hoc argumento vtitur ad idem probandum Anſelm. lib. 2. cur Deus homo, & plures alij Patres, tam Græci, quam Latini.

Secundum autem teſtimonium pro altera reſolutionis parte deſumitur ex eodem Paulo ad Rom. 5. vbi ait: *Nõ ſicut delictum, ita, & donum, ſi enim vnius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit.* Quibus verbis Paulus præfert gratiam Chriſti, qua redempti ſumus, peccato Adami, quo captiui eramus, & docet, quod multo magis nobis profuit ad redemptionem, quam nocuerat peccatum ad perditionem. Ergo ſicut hoc nos damnificauit ſe ipſo, & hanc vim damnificatiuam à ſe habuit, & non ex acceptatione Diuina, multo magis gratia Chriſti, non ſolum nos ſaluauit, ſed ſuperabundãtèr, ita vt hãc vim à ſe ipſa habeat, & non ex acceptatione Diuina; vnde concludit Paulus: *Vbi abundauit delictum, ibi ſuperabundauit, & gratia*, quæ verba ad hoc propoſitum explicant communitèr Patres. Legatur Leo Papa ſerm. 12. de Paſsione Epiſt. 93. cap. 2. & Chryſoſt. hom. 11. ad Romanos.

Ratione autem probatur noſtra poſitio deſumpta ex Sanct. Thom. quam proſequitur in hac 3. part. quæſt. 1. art. 2. ad 2. & clariùs quæſt. 48. artic. 2. in corp. & in 3. diſt. 20. quæſt. 1. art. 1. & 4. contra gent. capit. 55. quæ ſic poteſt formari. Illa ſatisfactio eſt ſufficiens, & æqualis ex ſe pro peccato, imò, & ſuperabundans, quæ per quamdam æqualitatem, imò & ſuper excellentiam, recompenſat damnum per peccatum illatum, ita vt exhibeat offenſo id, quod æquè, vel magis diligit, quam oderit offenſam, vt ex Sanct. Thom. loc. citat. liquet, imò, & ex ipſis terminis: atqui Chriſtus Dominus ita recompenſauit per æqualitatem damnum illatum per peccatum, vt ſe offerendo ex charitate, & obedientia, non ſolum æqualitèr diligeretur à Deo, imò magis, quam offenderetur à peccato; tum propter magnitudinem charitatis, ex qua patiebatur; tum propter dignitatem vitæ ſuæ, quam pro ſatisfactione ponebat, quæ erat vita Dei, & hominis, vt probat Sanct. Thom. ad quæſt. 40. citatam; etenim licèt offenſa etiam infinita eſſet, qua ratione videtur non poſſe ſuperabundari ſatisfactione, ſed ad ſummum æquari, plura alia capita fuerunt in ſatisfactione, quibus ſuperauit offenſam, nempè, res ipſa oblata, quę ſimplicitèr infinita eſt, non ſolum in genere moris, ſed in genere phyſico: Vlteriùs ipſa perſona ſatisfaciens, quæ non ſolum erat infinita moralitèr, ſed phyſicè efficientèr; perſona autem peccans, licèt infinitatem haberet, non erat niſi in genere moris defectibilis defectibilitèr operans; eo enim modo, quo perfectius eſt agere, quam deficere, etiam eſt perfectius agere infinito modo, quam deficere infinito modo. Ergo ſatisfactio Chriſti, non ſolum eſt æqualis, ſed ſuperabundans ex ſe fuit pro quibuſcumque peccatis commiſsis, & committendis.

Argumentorum poſitio, & ſolutio.

ARTIC. III.

CÆterum in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij. Vt ſatisfactio ſit æqualis, & ſufficiens ex ſe requiritur, quod perſona ſatisfaciens ſit æqualis cum perſona, cui illata eſt offenſa; ſatiſfactio enim creſcit ex perſona ſatisfaciẽte, ſicut offenſa ex perſona offenſa: atqui Chriſtus Dominus, in ratione ſatiſfacientis, non erat æqualis, ſed inferior ipſi Deo, cui irrogata eſt offenſa; etenim cum ſatisfaceret per humanitatẽ, & non per Deitatem, vtpotè illa, & non iſta, erat capax ſatisfaciendi, ſicut, & ſe ſummittendi; non enim Deus ſatisfecit,

cit,nec ſe ſummiſit, vt Deus,ſed vt homo: à contrario autem Deitas fuit offenſa,non humanitas. Ergo, quo maior eſt exceſſus inter Deitatem,& humanitatem,eo maior fuit offenſa, quam ſatiſfactio;ac perconſequens,non modo ſuperabundans, verum neque æqualis pro offenſa fuit ſatisfactio Chriſti.

Reſpondeo,negando,quod Chriſtus in ratione ſatisfacientis ſit inferior ipſi Deo offenſo, nam licèt actiones, per quas ſatisfaciebat, ab humanitate elicerentur, ſecundum quam rationem inferior erat; quia tamen in ratione valoris ſatisfactorij ordinem dicunt primo, & per ſe ad perſonam ſatisfacientem (vel moralitèr eas dignificantem, vel peculiaritèr ad eas concurrentem, iuxta dicta quæſt. præced.) quæ æqualis erat dignitatis,ac perſona offenſa; ideò in ratione ſatisfactionis æqualitatem habebant cum tali offenſa, licèt de materiali, & quoad entitatem phyſicam (ſecundum quam ſolum rationem ab humanitate, tanquam à principio *quo* effectiuo oriebantur) inferioritatem haberent reſpectu peccaminoſæ actionis: Vnde nec Chriſtus vt homo ſatisfacere dicitur reduplicando rationem formalem ſatisfaciendi ſupra humanitatem, nec Chriſtus vt Deus, reduplicando rationem formalem ſatisfaciendi ſupra Deitatem; ſed ſatisfecit Deus homo, ita vt humanitas, & Deitas ſe haberent per modum diuerſarum rationum formalium *qua* reſpectu diuerſorum prædicatorum, quæ in actionibus reperiebantur, iuxta à nobis dicta quæſt. præced. articul. vlt. §. *In calce.*

Vlteriùs vrgebis. Licèt ſatisfactio Chriſti ſit circa Deum ſecundum ſe, qui erat offenſus; in ratione tamen ſatisfactionis, quæ ex perſona ſatisfaciente deſumitur, non eſt à Deo ſecundum ſe,ſed à Deo per humanitatem operante; peccatum autem in ratione offenſæ eſt contra Deum ſecundum ſe. Ergo qua ratione Deus ſecundum ſe non habet aliquid imperfectionis,vel (vt melius loquar)aliquid creatum,ſiuè ad iũctum, quod habet perſona ſatisfaciens, ita actiones,quas Deus ſecundum ſe ſpecificat, erunt perfectiores illis, quæ à Deo homine ſpecificantur; ac proinde non ſolum ſuperabundans erit ſatisfactio, verum neque æqualis in ratione ſatisfactionis pro offenſa.

Communis ſolutio, vt ſaluet ſuperabundantiam ſatisfactionis Chriſti ſupra grauitatem offenſæ, docet, quod licèt ſatisfactio Chriſti non ſit à Deo ſecundum ſe, ſed à Deo per humanitatem operante; nihilominus, eo quod in ratione morali erat infinita, infinito modo placabat Deum, qui offenſus erat; peccatum autem, licèt ſit contra Deum ſecundũ ſe (in quo conuenit cum ſatisfactione, vt placante) non autem eſt infinito modo contra ipſum, ſed finito, vtpotè à creatura commiſſum, in quo ſuperabatur à ſatisfactione, & ex quo capite ſuperabundans erat.

Verùm, licèt hæc ſolutio vera ſit, iuxta communem modum explicandi infinitatem peccati; tamen iuxta modum à nobis poſitũ, in quo non ſolum diximus, per peccatum offendi Deum infinitum, ſed infinito modo morali, non poteſt ſubſtineri. Quare alitèr ad argumentum reſpondeo, quod licèt peccatum in hoc, quod eſt eſſe contra Deũ infinitum ſecundum ſe, & infinito modo, æqualitèr conueniat cum ſatisfactione, in eo quod eſt circa Deum placandum ſecundum ſe, infinito etiã modo morali placationis, & in hoc non conſideretur ſuperabundantia placationis, ſeu ſatisfactionis Chriſti ſupra peccatum; extant alia plura capita à nobis poſita ex Sanct. Thom. in probatione reſolutionis, ex quibus ſuperabundantia ſumatur. Et quod mihi magis ingenioſius videtur eſt, quod ſatisfactio placat Deum ſecundum ſe infinito modo morali effectiuo; peccatum autem, licèt offendat Deum ſecundum ſe infinito etiam modo morali, non tamen effectiuo, ſed defectiuo; cum ergo perfectius ſit efficere, quam deficere ſecundum ſua intrinſeca prædicata, ſuum etiã exceſſum, & perfectionem ſeruabunt, etiam quando efficientiæ, & deficientiæ infinitas coniungitur.

Opponunt ſecundo. Chriſtus Dominus non potuit reddere æquales gratias pro beneficijs à Patre acceptis nam vt docet Ariſtot. 8. Ethic. cap. 13. dijs. Parentibus, & Magiſtris non poteſt reddere æquale pro benefitijs acceptis. Ergo non potuit reddere æquiualens pro noſtro peccato, eo ipſo, quod proprium ſi-

ſibi fecit. Relictis varijs ſolutionibus, reſpondeo, negando antecedens; nam Chriſtus Dominus, non ſolum potuit reddere, imò de facto reddidit æquiualens pro beneficijs à Patre acceptis; nam maius beneficium à Patre acceptum fuit vnio Verbi cum humanitate, cui ſolum fiebat hoc beneficium; pro hoc autem, etiam ſi infinitũ fuerit, ſicut fuit, reddidit Chriſtus æquiualentes gratias per actiones, quas ſimpliciter infinitè valoratas ellicíebat; ac proinde etiã pro debito noſtris peccatis, quod ſibi proprium fecit. Quando autem Ariſt. docuit, non poſſe nos reddere æquiualentes gratias pro beneficijs acceptis à Dijs Parentibus, & Magiſtris, intelligendus eſt de puro homine, non autem de homine, qui ſimul eſſet Deus, quem ipſe non cognouit, ac perconſequens, nec valorem ab illo deriuandum.

Opponunt tertio. Si per poſsibile, vel impoſsibile Chriſtus peccaret, non poſſet ad æqualitatem ſatisfacere pro peccato proprio; etenim, cum ex vi peccati deſtrueretur ſanctitas, deſtrueretur etiam id, ratione cuius æqualem ſatisfactionem ellicere poſſet. Ergo nec pro alieno peccato, quod ſibi proprium fecit, ſatisfactionem æqualem ellicere potuit. Reſpondeo, caſum impoſsibilem eſſe, & quæſtionis deſtructiuũ, eo quod illud peccatum deſtrueret ſanctitatem, per quam ellicere poterat æqualem ſatisfactionem, quod non tollit, quominus ſatisfecerit pro noſtro, quod ſibi proprium fecit, eo quod de facto habuit eius anima ſanctitatem infinitam ex vnione, cum dignitate ſufficienti ad recompenſandum pro illa. Si autem ipſe peccaſſet, per locum intrinſecum amiſiſſet ſanctitatem, imò, & ipſam vnionem hypoſtaticam coniungentem ipſam ſanctitatem per eſſentiam, vt rectè notauit Monteſ. hic diſp. 5. quæſtion. 1. quia ſicut, ſi humana natura exiſtens in peccato aſſumeretur à Verbo, per locum intrinſecum peccatum expelleret; ita è contra, eo ipſo, quod in natura aſſumpta eſſet peccatum, per locum intrinſecum diſolueretur vnio coniugens ſanctitatem per eſſentiam, ac perconſequens non poſſet pro ſuo peccato ſatisfacere ad æqualitatem.

Alio ex capite reſoluitur quæſtio.

ARTIC. IV.

Reſolutio noſtra ſit. Satisfactio Chriſti Domini, non ſolum fuit æqualis, & ſuperabundans pro peccatis, ſed, & de rigore iuſtitiæ, ita vt in ea ſeruatæ fuerint omnes conditiones rigoroſæ iuſtitiæ à nobis poſitæ ad quæſtionis præãbula. Hanc reſolutionem tenent communitèr Authores, cum R. P. M. Fr. Ioann. à Sancto Thoma hic art. 2. contra Vazq. vt conformiorem modo loquendi Sacræ Scripturæ, & Patrũ; plura ad hoc adducunt expoſitores teſtimonia, quorum vnum, vel alterum in medium adducam.

Dicitur enim 1. ad Corinth. 6. *Empti enim eſtis pretio magno.* Emptio autem ad iuſtitiam propriè pertinet. Et ad Roman. 5. *Sicut per vnius delictum, ita per vnius iuſtitiam liberauit nos Chriſtus*, delens, vt dicitur ad Coloſ. 2. *Quod aduerſum nos erat chirographum decreti.* Quando autem verba Sacræ Scripturæ non continent aliquod inconueniens, in rigoroſa ſignificatione intelligenda ſunt, iuxta tritam Auguſt. regulam 10. de doct. Chriſtiana. Cum ergo his, & alijs plurimis locis, loquens de Chriſto, iuſtitiam ſeruaſſe dicat in ſatiſfactione ſua pro peccatis, faciens hoc ſapientia, iuſtitia, & redemptio, vt dicitur 1. ad Corinth. 1. id eſt, redemptio, quia nos redemit, iuſtitia, quia non quomodocumque, ſed ſecundum iuſtitiæ conditiones; in toto rigore intelligenda ſunt.

Fauet etiam pro hac parte communis modus loquendi Patrum. Proclus Epiſc. hom. de Chriſti Natiuit. quæ habetur in Concil. Epheſ. cap. 7. tom. 6. inquit: *Neceſſarium erat, quod huiuſmodi pretium penderetur, quod ex actum debitum adamuſin iuſtitiæ exæquaret.* Auguſt. 3. de Trinitat. cap. 14. *Chriſtus ſuperauit diabolum, non potentia, ſed iuſtitia.* Et in Inchir. cap. 49. *Vt diabolus veritate iuſtitiæ, non violentia poteſtatis ipſius, & deuictus iuſtiſsime amitteret, quos peccati merito detinebat.* Idem habet Gregor. 17. moral. c. 18. Iren. lib. 3. cap. 20.

Si

Si homo non viciſſet inimicum hominis, non iuſtè victus eſſet, ergo iuſtè victus eſt. Niſen. Orat. Cathech cap. 23. *Tanquam ex contractu Chriſtus nos redemit.* Contractus autem ad veram pertinet iuſtitiã, & alij innumeri Patres.

Nec valet effugium Vazq. aſſerentis, omnia hæc loca intelligenda eſſe de iuſtitia methaphorica; nam prætequam quod illa clarè inſinuant intelligenda eſſe de propria iuſtitia, cum non appareat inconueniens, eo quod ſic intelligantur; contra eſt efficacitèr; nam ſi licerèt illa interpretare de iuſtitia methaphorica, liceret etiam plura alia Patrum teſtimonia, quibus vna voce fatentur, Chriſtum ſatisfeciſſe, reddendo iuſtum prætium pro noſtra redemptione; quod tenet Cyril. Alexand. in illa verba Ioann. 18. *Sinite hos abire*, Baſil. in Pſal. 48. Athan. de Incar. Verbi, Nazianz. orat. 2. in Paſch. Hieron. in illud Iſai. 36. *Torcular calcaui ſolus.* Ea etiam interpretare de ſatisfactione methaphorica, & non de propria. Ergo ſicut hoc non licèt, adhuc iuxta eius ſententiam, ſcilicèt P. Vazq. iuxta quam omnia loca affirmantia, ex iuſtitia Chriſtum Dominum, ac Saluatorem noſtrum ſatisfeciſſe, illa interpretatur, non de propria iuſtitia, ſed quia ad æqualitatem ſoluẽs pro debito, fecit æqualem; nec licebit illa interpretari de iuſtitia methaphorica; aliàs enim nullum firmum locum haberemus in Sacra Scriptura, & Patribus ad probandum ſatisfactionem Chriſti fuiſſe æqualem æqualitate propria.

Vlteriùs autem non leui fundamine ex Sanct. Thom. fulcitur reſolutio noſtra. Tùm in 4. diſt. 15. quæſt. 1. artic. 1. quæſt. 2. vbi ex Phyloſopho 5. Ethic. probat: *Quando ſatisfactio æqualitatem proportionis deſignat, formalitèr eſt actus iuſtitiæ.* Atqui ſatisfactio Chriſti hanc æqualitatem proportionis reſpectu offenſæ importat, vt pluries conſtat ex præiactis Ergo formalitèr eſt actus iuſtitiæ. Tùm etiam hic quæſt. 85. art. 3. ad 3. vbi ait: *Quod ſicut eſt commutatio quædam in beneficijs, cum, ſcilicèt, aliquis pro beneficio recepto gratiam rependit; ita etiam eſt commutatio in offenſis, cum aliquis pro offenſa in alterum commiſſa, vel inuitus punitur, vel voluntariè recompenſat: vnde manifeſtum eſt, quod vtraque ſub iuſtitia commutatiua continetur.* Atqui Chriſtus Dominus, licèt non inuitus, voluntariè pro offenſa in Deum commiſſa recompenſauit. Ergo per actum pertinentem formalitèr ad rigoroſam iuſtitiam.

Ratione denique agamus ad firmandam prædictam reſolutionem, in quo nullo alio meliori modo procedemus, quam expendendo ſatisfactioni Chriſti verè, & propriè conueniſſe conditiones ad rigoroſam iuſtitiam pertinentes, quas ad quæſtionis præambula explicuimus, ex quarum enodatione, non ſolum probata manebit reſolutio, ſed ſolutæ inanes argumentationes, quæ contra illam communitèr circumferũtur. Quæ ratio ſic formatur.

Prima conditio eſt, quod ſit ad alterum: Hanc autem Chriſtus ſeruauit: etenim licèt Chriſtus Dominus, non ſolum ſatisfecerit Patri, à quo in eſſe ſuppoſiti diſtinguitur, ſed ſibi ipſi vt Deo, à quo, non ſuppoſito, ſed natura tantum diſtinguitur; hæc tamen naturarum diſtinctio ſufficit ad hoc, quod verificetur, quod eius ſatisfactio ſit ad alterum; nam hæc naturarum diſtinctio ſufficiens eſt ad fundanda diſtincta iura, quod petit ratio iuſtitiæ; ſicut ſufficiens eſt ad fundandas diſtinctas voluntates, ita vt per vnam ſit obediens ſibi ipſi ſecundum alteram, & offerat obſequia, & humiliationes, talitèr, quod ſicut offerendo talia opera per voluntatem creatam, ſibi ipſi placuit ſecundum voluntatem increatam; ita vt, ſi per impoſsibile, efficeret opus malum per voluntatem creatam, irrogaret ſibi iniuriam, & diſplicceret illi ſecundum volũtatem increatam: Atqui hæc omnia petunt eſſe ad alterum, ſiquidem nemo ſibi ipſi obedire dicitur, nec ſubmittere, neque obſequia offerre, vt docet Sanct. Thom. 2. 2. quæſt 80. artic. 1. & quæſt. 122. art. etiam 1. Ergo ſicut non obſtãte hac petitione, ſaluatur in huiuſmodi operibus, quod ſint ad alterum, ratione præciſsè diſtinctionis naturarum, etiã ſi ſit vnitas ſuppoſiti; ſaluabitur etiam, quod ſatisfactio Chriſti ſit ad alterum, ratione diſtinctionis iurium à diuerſitate naturarum procedentium, etiam ſi ſit vnitas ſuppoſiti.

Secundam conditionem ſeruaſſe ſatisfactionem Chriſti, ſcilicèt, quod ſit

ex

Digitized by Google

ex proprijs, & non ex bonis creditoris, ex eo mihi perſuadeo, quia licèt ſi in Chriſto ſolum attenderetur humanitas, operatio ſupernaturalis ab ipſa ellicita non eſſet ex proprijs, vtpotè ex proprijs nihil præter naturalia haberet, & conſequentèr, ſecundum hanc rationē, eſſet ex bonis creditoris, ſub cuius dominio eſſet; attentâ tamen perſona Chriſti ſatisfaciente per opera ab ipſo media humanitate ellicita, talitèr erat quoad valorem moralem ex proprijs, vt quantum ad hoc, neque eſſet ex bonis creditoris, nec ſubderetur dominio Dei; ſiquidem hæc infinitas moralis talitèr eſt propria ipſius, vt non ſit toti Trinitati communis, licèt aliàs, vt Verbum concurrit vt cauſa vniuerſalis ad illam, præſtet concurſum toti Trinitati communem, & ſecundum hanc rationem Verbum potiùs creditor, quā debitor ſit, nam ſicut Verbum terminauit naturam humanam peculiaritèr, & non tota Trinitas, qua ratione pro nobis fuit debitor, & non tota Trinitas (licèt vt terminabat naturam diuinam, non tam debitor, quam creditor cum tota Trinitati fuerit) ita actiones eius ſatisfactoriæ, quoad dignitatem ſatisfactionis perſonalis, talitèr fuerunt peculiaritèr ex proprijs Chriſti, vt non fuerint totius Trinitatis, imò neque ipſius Verbi, ſecundum quod formalitèr intelligitur, vt naturam diuinam præciſè terminantis, licèt aliàs quoad ſubſtantiam actionis, non ſolum ſint Verbi, vt naturam humanam terminantis, ſed totius Trinitatis, & ipſius Verbi Diuinam naturam terminantis. Ergo hanc ſecundam conditionem etiam ſeruauit.

Tertiam autem conditionem ſeruaſſe ſatisfactionem Chriſti, ſcilicèt, non eſſe fundatam in gratia creditoris, non minus clarè patet, ex eo quod, licèt gratia, tam vnionis, quam habitualis, gratis collata fuerit Chriſti humanitati à Deo creditore, imò, & à verbo, vt ſimul erat creditor cum Patre, & Spiritu Sancto, non tamen facta fuit gratia perſonæ Chriſti, quæ erat ſatisfaciens, nullam enim poſſumus agnoſcere gratiam, in eo quod Chriſtus ſit infinita perſona, quæ infinito modo ſatisfaciebat; nam licèt requireret humanitatem tanquam id, medio quo ſatisfaceret, nō tamen tanquam id, medio quo æqualitatem redderet ſatisfaciendo, quod eſt proprium rigoroſæ iuſtitiæ. Ergo licèt ſatisfactio, vt intelligimus præciſè oriri ab humanitate, in gratia fundetur creditoris; vt tamen à Chriſto ortum habuit, qui ſolus eſt propriè ad æqualitatem ſatisfaciens, non fundatur in gratia creditoris; vndè quando dicitur, gratis fuiſſe prædeſtinatum in Filium Dei, intelligitur ratione humanitatis, quæ ſola capax erat prædicti effectus gratiæ.

Quartam denique conditionem ſeruatam fuiſſe in ſatisfactione Chriſti, ſcilicèt, quod fiat ex indebitis alio titulo, vel quod non ſit alio titulo creditori debita, non mihi minus certum eſt; nam vt optimè obſeruauit, Suar. diſp. 4. ſect. 6. §. *In propoſito*, & §. *Tertia conditio*, & Raguſa diſp. 26. §. 2. quos alij quam plurimi ſecuntur Recentiores, licèt ſatisfactio Chriſti Domini eſſet debita Deo alio titulo, & poſſet exigi ab ipſo ratione ſupremi dominij, quod habet ſupra omnes res creatas, hoc tamen ſolum eſt, ſecundum quod ſatisfactio conſideratur, ſecundum entitatem phyſicam, imò, & moralem deſumptam ex principijs moralibus creatis; non tamē vt conſideratur, ſecundum entitatem moralem infinitā à perſona infinita deriuatam, reſpectu cuius moralitatis, formalitèr vt talis, nullum habet dominium Deus, vel ſi illud habet, non in ratione infinitudinis peculiaris à Verbo deriuatæ per ſuam peculiarem informationem moralem, vel influxum, ſed in ratione entitatis, ſecundum quam rationem poteſt exigi ab ipſo, vt exiſtit extra cauſas ipſa ſatisfactio; etenim ſicut entitas Verbi ſecundum ſe non continetur ſub dominio Dei, ita nec moralitas ab ipſa in operationes deriuata poteſt contineri ſub Dei dominio, niſi modo explicato, ſecundum quem modum ſolum poteſt eſſe debita Deo ſatisfactio Chriſti alio titulo pertinente ad dominium vniuerſale, etiam ſi in hoc ordine ſit iuſtitiæ, vel titulo gratitudinis, vel alio quolibet: atqui eſſe debitam ſatisfactionem Chriſti Domini Deo creditori debito ſupremi Dominij, vel alio huiuſmodi titulo, non tollit, quin ſit ex indebitis, ſecundum rationem valoris moralis infiniti, & quod hoc modo nō ſit

Digitized by Google

ſit debita creditori alio titulo; etenim cum ſola ſit debita Deo, ſecundum quod quid creatum, & finitum eſt, ſubterfugit hoc debitum, ſecundum eſſe morale à ſuppoſito, ſecundum quam rationem non tam quid creatum, & finitũ, & finitum quàm increatũ, & finitũ eſt, ſimplicitèr in genere moris. Ergo cum huiuſmodi debito, & alio ſimili ſtabit optimè, eſſe ſatisfactionem ex indebitis alio titulo, ſecundum quod ſatiſfactio formalitèr à perſona infinita eſt deſumpta; ac perconſequens, ſtabit optimè, ſeruatam fuiſſe hanc conditionẽ, ſicut, & alias, quæ ad rigoroſam iuſtitiã requiruntur.

Vndique quæſtio reſoluitur.

ARTIC. V.

PRo cuius luce ſtatuo prius cum Vazquez, & Lorca, contra quos præcipuè præfixus eſt titulus huius articuli; Chriſtum Dominum ſatisfeciſſe per actus omnium virtutum ita perfecte, & ad æqualitatem, quod etiam ſi vnicum tantum vnius virtutis elliceret, adæquatè, imò, & ſuperabundantèr compenſaret offenſam; nec de hoc iudico, poſſe eſſe controuerſiam apud Authores, ſolumque eſſe, ad omnes hi actus virtutum, quatenus ordinabantur ad hunc finem particularem ſatisfaciendi pro offenſa, habuerint ortum ab aliqua alia ſpeciali virtute, vltra illam propriam, à qua in eſſe talium conſtituuntur diuerſi? Nam Vazp. virtutem ſpecialem præter proprias, à quibus ortum habent peculiaritèr, non cognouit. Lorca verò, licèt ſpecialem virtutem cognouerit, à qua ortum duxere, aſſerit, hanc eſſe virtutem Religionis. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio noſtra ſit. Omnes actus virtutum Chriſti Domini, quatenus ordinabantur ad finem ſatisfaciendi ad æqualitatem pro offenſa, ortum habuerunt à peculiari virtute infuſſa iuſtitiæ commutatiuæ. & non à Religione, vel ab alia. Hanc reſolutionem probant omnia loca à nobis adducta artic. præced. pro reſolutione noſtra. Ratione autem nunc agamus contra Vazquez, & Lorca. Nam vbi reperitur ſpecialis honeſtas potens reſpici per noſtros actus, conſtituenda eſt ſpecialis virtus, quæ ad talem honeſtatẽ inclinet, licèt alias prædicti actus ex alio capite aliam honeſtatem ad alias virtutes pertinentem contineant; ſic iuxta omnium ſententiam conſtituitur peculiaris virtus obedientiæ, qua obedimus Deo, & Superioribus in omnibus virtutibus, quarum actus peculiares alias honeſtates habent, modo ſub præcepto, modo ſub conſilio cadentes, ita vt obedientia dirigat honeſtatem harum virtutum ad finem peculiarem Deo, & Superioribus obediendi, tanquam ad ſibi propriam honeſtatem, ad quod ponitur peculiaris hæc virtus, licèt aliàs per actus virtutum quaſi materialitèr obedire dicamur: & idem de charitate, per quam ſolum diligimus Deum, vt ſummum bonum, licèt aliàs per act⁹ aliarum virtutum illud ſummum bonum materialitèr diligamus: atqui in ſatisfactione pro peccatis ex motiuo recompenſandi ad æqualitatem pro offenſa ſpecialis reperitur honeſtas diſtincta ab honeſtate aliarum virtutum.

Tùm, quia non alia ratione communitèr Theologi probant cum Sanct. Thom pœnitentiam eſſe ſpecialem virtutem diſtinctam ab alijs, niſi quia offenſa vt recompenſabilis, quod reſpicit formalitèr pœnitentia eſt obiectum habens ſpecialem honeſtatem diſtinctam ad honeſtate obiectiua aliarum virtutũ, vt docet idem S. Thom. 2. 2 quæſt. 85. art. 2. & in 4 diſt. 14 quæſt. 1. art 1. Tũ etiam, quia difficile videtur aſsignare rationem, qualitèr redditio æqualis inter homines facta contineat ſpecialem honeſtatem ſpecificantem ſpecialẽ virtutem iuſtitiæ commutatiuæ, qood nullus negat, & redditio æqualis Chriſti ad Deum pro offenſa non contineat ſpecialem honeſtatem ſpecificantem ſpecialem virtutem iuſtitiæ commutatiuæ. Ergo omnes actus Chriſti Domini ſatisfactorij, vt ad hunc finem ordinabantur, à peculiari iuſtitia commutatiua ortum habebant.

Dices cum Vazquez. Offenſam, quæ Deo irrogatur per peccatum, non conſtitui in aliquo ſpeciali vitio,

ſed tranſcendere omnes peccatorum ſpecies, quod non contingit in offenſa, quæ hominibus irrogatur; & ſic non mirum, quod ad ſatisfaciendum pro hac, requiratur ſpecialis aliqua virtus commutatiuæ iuſtitiæ; ad ſatisfaciendum autem pro illa, non requiratur ſpecialis aliqua virtus à cæteris diſtincta. Sed contra eſt efficacitèr. Tùm quia inſtantiam de pœnitentia à me adductam in argumento, ipſe non ſoluit, imò nec, ſi conſequentèr ad ſua principia loquatur, ſoluere poteſt; ipſe enim tract. de pœnit. quæſt. 85. artic. 2. capit. vnico concedit in nobis ſpecialem virtutē pœnitentiæ, qua Deo pro generali offenſa connamur ſatisfacere pro offenſa in omnibus peccatis imbibita. Ergo ſi iuxta ſua principia non officit, quominus, licèt offenſa ſit communis in omnibus peccatis, & illa tranſcendens, detur in nobis aliqua peculiaris virtus, qua Deo pro ipſa generali offenſa ſatisfacere connemur, non oberit, quominus detur in Chriſto aliqua ſpecialis virtus, qua Deo, non ſolum connetur offenſam tranſcendentem omnia peccata ſatisfacere, ſed ad æqualitatem ſatisfaciat, quod proprium eſt commutatiuæ iuſtitiæ.

Tùm etiam, quia adhuc inſtantia à nobis adducta de obedientia manet in ſua vi, quam ſic nouitèr compono. Nō minus tranſcendens eſt ratio inobedientiæ Deo factæ peccando in qualibet materia, quam ratio iniuriæ contra ipſum commiſſæ; vtraque enim ratio generalis eſt circumſtantia in omnibus peccatis imbibita; ideoque neutram tenetur pœnitens in confeſsione aperire: ſed non obſtante tranſcendentia illa inobedientiæ in quolibet peccato imbibita, datur aliqua ſpecialis virtus obedientiæ, quæ directè verſetur circa honeſtatem ſpecialem ſpecificam obedientiæ, & quæ ſit diſtincta ab aliis virtutibus, quæ tendunt ad ſuas honeſtates directè, & ad honeſtatem obedientiæ indirectè, quatenus per omnes illas quaſi materialitèr, & indirectè Deo obedimus. Ergo non obſtante tranſcendentia illa iniuriæ contra Deum in quolibet peccato imbibita, dabitur aliqua ſpecialis virtus iuſtitiæ commutatiuæ, quæ in Chriſto directè feratur in honeſtatem ſpecialem, quæ in ſatisfaciendo ad æqualitatem reperitur, diſtincta ab aliis virtutibus, quæ tendunt ad ſuas honeſtates proprias directè, & ad honeſtatem ſatisfaciendi ad æqualitatem indirectè, quatenus ſimul per omnes quaſi materialitèr, & indirectè Chriſtus Dominus ſatisfecit. Patet conſequentia, quia in vtroque caſu poteſt directè intēdi illa ſpecialis honeſtas. Et idem argumentum poteſt fieri de actibus aliarum virtutum, quando ad finem ordinantur charitatis, vel Religionis, qui quidem orti ab vna virtute, non impedit, quominus ſub alia ratione formali ab alia oriantur: & præcipuè contra ipſum Vazq. qui in materia de Adoratione docet, omnes actus virtutum eſſe materiam adorationis, vnde Fide, Spe, & Charitate Deum colimus, quod non obeſt in eius ſententia, quominus ſub hac ratione oriantur à virtute Religionis. Ergo licèt omnes actus virtutum Chriſti Domini fuerint materia ſatisfactionis, non oberit, quominus ſecundum hanc rationem ſatisfaciendi formalitèr, ortum habuerint à peculiari virtute, quæ ad reſarciendum damnum ordinetur, qualis eſt commutatiua iuſtitia.

Dices ſecundo pro Lorca. Licèt argumentum à nobis propoſitum efficacitèr conuincat contra Vazq. ſatisfactionem Chriſti ortum habuiſſe à peculiari virtute; non autem conuincit eſſe à commutatiua iuſtitia, ſed à Religione. Sed non minus efficacitèr inſurgo contra Lorcam, quam contra Vazq. Nam redditio debiti ablati per peccatum, vt Chriſtus reddidit per adæquatam compenſationem, non pertinet formalitèr ad Religionem; obiectum enim formale Religionis, teſte Sanct. Thom. 2. 2. quæſt. 81. articul. 3. eſt cultus debitus Deo, vt ſupremo Domino, & vt primo principio: atqui ſatisfactio Chriſti, vt talis formalitèr, non reddebat Deo, quod ipſi debebatur, tanquam ſupremo Domino, vel quia ſupremus Dominus erat, ſed quia offenſus erat formalitèr; ad delendam enim offenſam formalitèr, & directè fuit ordinata. Ergo ſatisfactio Chriſti, quatenus ad hunc finem ordinabatur, non poterat à virtute Religionis or-

Digitized by Google

ortum ducere, ſed ad ſummum materialitèr, ſicut ab actibus aliarum virtutum.

Confirmatur hoc. Nam licèt per virtutem Religionis reddamus Deo cultum debitum, non tamen petit Religio reddere cultum debitum, quod per peccatum ablatum eſt; homo enim vel quælibet alia creatura, quæ ſine peccato eſt, tenetur reddere Deo debitum cultum, eo ipſo quod Deus ſit eius ſupremus Dominus; nemo enim dixit, Parentes primos ante peccatum non tenuiſſe reddere debitum cultum Deo, vt ſupremo eorum Domino, & tamen non tenebantur, reddere Deo debitum pro offenſa, cum nondum eſſet patrata. Ergo huiuſmodi debita diſtincta ſunt ex parte obiecti formalitèr: atqui primum pertinet ad Religionem, vt in cōfeſſo eſt apud omnes. Ergo ſecundum non ad Religionem, ſed ad aliam virtutem pertinere debet, quod cum non appareat alia, niſi commutatiua iuſtitia, ad hanc pertinebit.

Dices tertio pro alijs. Virtutem ſpecialem, ex qua ortum habuit ſatisfactio Chriſti, pertinere ad eandem virtutem quoad ſpeciem, qua nos aliqualitèr ſatisfacimus Deo pro iniuria, eo quod magis, vel minus non variant ſpeciem. Cum ergo in nobis detur ſpecialis virtus pro iniuria aliqualitèr ſatisfaciendo, quæ pœnitentia vocatur, ab eadem ortum habere debet ſatisfactio Chriſti, licèt perfectiori modo, vtpotè ſatisfaciens ad æqualitatem, quod magis eſt, quam ſatisfacere imperfectè, quod nos facimus; quem modum dicēdi docuit Marſilius in 4. diſt. 15. quæſt. 10. ad 6. principale, licèt aſſerat in Chriſto huiuſmodi virtutem non deberi vocari pœnitentiam ob repugnātiam proprij peccati, ſicut ob contrariam rationem talis in nobis nuncupatur.

Sed contra eſt primo. Quia ferè eſt communis Theologorum ſententia in Chriſto non dari virtutem pœnitentiæ. Secundo quia non alia ratione in nobis pœnitentia diſtinguitur ſpecie à iuſtitia commutatiua propriè dicta, niſi quia non poſſumus Deo reddere æquale pro offenſa, nec ad id tendit pœnitentia noſtra, ſicut ad reddendam æqualitatem tendit iuſtitia commutatiua, vt eodem loco aſſerit idem Marſilius: atqui virtus, ex qua Chriſtus Dominus ſatisfecit, non minus tendit ad reddendum Deo æquale pro peccatis, & conſtituendam æqualitatem cum ipſo, quā iuſtitia noſtra commutatiua. Ergo ob eandem rationem virtus, ex qua ſatisfecit, à pœnitentia ſpecie diſtinguetur.

Tertio denique, quia impreſcindibilis eſt à pœnitentia reſpectus ad peccatum, quod vellet pœnitens non fuiſſe, & vult deſtruere retractando priorem vitam, cum propoſito iterum non peccandi; hæc enim prædicata eſſentialia, & ſpecificatiua ſunt pœnitentiæ: atqui virtus, ex qua Chriſtus ſatisfecit, præſcindere poteſt ab hoc reſpectu, & non ſolum poteſt, ſed de facto præſcindit; ſiquidem quod reſpicit ipſa directè, eſt actiua condonatio Dei, quam ſua ſatisfactione quaſi emere intendit, quam Deus videns ex iuſtitia condonat ex vi pacti cum Chriſto initi Eſai. 53. *Si poſuerit* animam ſuam, videbit ſemen longæuum. Sicut ſi quis ab alio alapa inhonoraretur, & faciat cum illo pactum, quod ſi tribuat illi centum aureos, condonabit offenſam, actio centum aureorum in pacto poſita eſt quædam ſatisfactio, per quam emere intendit condonationem alapæ. Ergo huiuſmodi virtus, ex qua Chriſtus ſatisfecit, non poteſt nō eſſe ſpecie diuerſa a virtute pœnitentiæ. Patet conſequentia, quia ab eadem virtute ſpecifica nequit præſcindi eius ſpecificatiuum formale.

Argumenta contra reſolutionem ſoluta.

ARTIC. VI.

CÆterum in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij: *In tantum aliquis actus deficit à ratione perfectæ iuſtitiæ, in quantum deficit à ratione æqualis, vel in quantum deficit à ratione debiti.* Vt docet S. Thom q. 80. art. vnico. Atqui ſatisfactio Chriſti Domini, licèt non deficiat à ratione æqualitatis, (æqualitatem enim in ratione valoris moralis habet cum offenſa) deficit à ratione debiti: Chriſtus enim non debebat ex iuſtitia ſatisfacere pro hominib⁹; etenim fideiuſſor, qualis Chriſtus erat, nullam

H 2 aliam

aliam maiorem ſubire poteſt obligationem inſoluendo, quam illam, quam ſubijt debitor, vt patet in contractibus humanis. Ergo cum homines, qui debitores erant, non ex iuſtitia tenerentur ſatisfacere, cum id non poſſent facere, nec Chriſtus talem obligationem, & debitum habuit, nec habere potuit.

Reſpondeo, quod in Chriſto, nec eius ſatisfactione defuit ratio debiti ex iuſtitia, nam licèt abſolutè poſſet operari actum iuſtitiæ, ſine obligatione ex iuſtitia operandi, ſicut de facto contingit in eo, qui rē aliquam emit pretio iuſto, & ſecundum hanc rationem non deberet ex iuſtitia ſatisfacere pro hominib⁹; ſuppoſito tamen, quod ex charitate voluit fideiuſſor eſſe, & condignam pro peccato ſatisfactionem exhibere, talitèr ſe obligauit ad ſolutionem debiti pro peccato, quod ex iuſtitia tale debitum haberet, neque ex hoc maiorem obligationem ſubiuit, quam habebat homo, cuius erat fideiuſſor; etenim homo etiam habebat debitum ſoluendi ex iuſtitia, licèt aliàs, ob eius improportionem, illud debitum non poſſet explere; & ita ſatisfactio Chriſti fuit noſtra ſatisfactio quaſi obiectiua, quam ſoluendam Chriſtus aſſumpſit, non autem ellicitiuè.

Opponunt ſecundo. Non omnia peccata ſunt contra iuſtitiam, vt de ſe liquet; atqui inter homines non fit ſatisfactio ex iuſtitia, niſi præcedat iniuſtitia, vt cernitur in reſtitutione rei ablatæ. Ergo cum peccata noſtra non ſint omnia contra iuſtitiam in ordine ad Deum, nec ſatisfactio Chriſti pro illis fuit ex iuſtitia. Hoc argumentum facilè ſoluent, qui dicerent, in quolibet peccato eſſe iniuſtitiam contra Deum, ac perconſequens, duas malitias diuerſæ ſpeciei, vnam propriam illius vitij, alteram propriam iniuſtitiæ: ſed quia capere non poſſum, qualitèr ſit ſpecialis malitia contra iuſtitiam in quolibet peccato, cum hæc potius ſit circunſtantia generalis, ſicut inobedientia, quæ in omnibus peccatis imbibitur; qua ratione communitèr dicitur, non teneri quem illas in confeſſione explicare, niſi ſint directè volitæ, vt dicitur ad materiam de peccatis, ideò alitèr ad argumentum.

Reſpondeo, quod ſicut nos per pœnitentiam aliqualitèr ſatisfacimus pro peccatis cuiuſcumque generis, & ſpeciei, quatenus actus pœnitentiæ habet quamdam contrarietatem quaſi vniuerſalem cum omnibus peccatis, nec requiritur, quod actus ſatisfactorius habeat propriam, & peculiarem contrarietatem cum hoc peccato, v. g. ita ſatisfecit Chriſtus Dominus ex iuſtitia per quemlibet actum pro quibuſcumque peccatis, etiam ſi non ſint contra ſpecialem iuſtitiam, eo quod ille actus, quatenus ordinabatur ad illum finem, ex virtute iuſtitiæ ortum ducebat. Nec inſtantia de reſtitutione rei ablatæ in humanis aliquid vrget, quia poteſt dici, quod adhuc in humanis poteſt eſſe reſtitutio rei ablatæ ex iuſtitia orta, quin præceſſerit peccatum iniuſtitiæ in ablatione; vt cum quis reſtituit rem, quæ in extrema neceſsitate fuit ablata, vel poteſt reddi diſparitatis ratio; eo quod inter homines non ſit inæqualitas, vel iniuſtitia, niſi per iniuſtitiam præcedentem; ſecus autem inter homines, & Deum, quem offendendo non ſemper iniuſtitia præcedit, quia iniuſtitia, quam illi conferunt, quædam eſt circunſtantia generalis, quæ poteſt reſarciri à Chriſto per actum iuſtitiæ, quaſi emendo à Deo ſuo actu peccati condonationem.

Opponunt tertio. Chriſtus Dominus eſt Filius Dei naturalis, ſed Filij ad Patrem, vt ait Ariſtotel. 5. Ethic. capit. 6 non poteſt eſſe iuſtitia. Vlteriùs ratio iuſtitiæ petit datum; & acceptum, vt videre licèt in humanis, quod non fuit inter Chriſtum, & Deum. Ergo, &c. Reſpondeo Ariſtotel. debere intelligi de Filio, qui non eſt ſui iuris, ſed manet in poteſtate Patris, inter quos non poteſt eſſe iuſtitia; non autem de Filio, qui habet ius ſuum, & non eſt ſub poteſtate Patris, qui dicitur emancipatus, inter quos poſſe perfectam reperiri iuſtitiam, docuit Sanct. Thom. 2. 2. quæſtion. 57. articul. 4. vnde cum Chriſtus, in quantum homo, fuerit ſui iuris, quia verum habebat ius circa ſuas operationes humanas, vera potuit eſſe iuſtitia inter ipſum, & Patrem. Ad illud autem de dato, & accepto reſpondeo,

Digitized by Google

deo, quod adhuc in humanis contractibus, vt ſeruetur ratio iuſtitiæ, non eſt neceſſaria datio, & acceptio; vt patet, cum mancipium reddens Domino ſeruitium, ſeu debitam obedientiam cum intentione ſeruiendi, exercet actum iuſtitiæ, quia reddit Domino id, quod ex iuſtitia debet, cum tamen ibi non intercedat datio, & acceptio.

Opponunt quarto. Si Christus ſatisfeciſſet ex iuſtitia commutatiua, ſequeretur eſſe in illo habitum iuſtitiæ commutatiuæ ſpecie diſtinctum à commutatiua iuſtitia, & cæteris virtutibus, quæ in puro homine reperiuntur; etenim in puro homine erga Deum nō eſt iuſtitia commutatiua, vt concors eſt Theologorum aſſertum, cum in illo non ſit aliqua virtus, qua poſsit ad æqualitatem ſatisfacere pro offenſa contra Deum commiſſa: hoc autem conſequens falſum videtur, cum nulla virtus fuerit in Christo, quæ ſecundum ſpeciem in puro homine reperiri non poſſet; nam ſubiectum virtutum in Christo non eſt ſuppoſitum, ſed humanitas, quæ eiuſdem rationis, & ſpeciei eſt cum cæteris hominibus, & eiſdem potentijs prædita; ac perconſequens eiuſdem capacitatis ad quaſcumq; virtutes, quoad ſpeciem, recipiendas. Ergo in Christo Domino non fuit talis iuſtitia commutatiua.

Confirmatur, nam vlterius ſequeretur, ſi ſatisfactio Chriſti eſſet actus commutatiuæ iuſtitiæ, quod ſi Verbum dimitteret humanitatem, & exerceret eundem actum, procederet ab eadem virtute; etenim omnes actus virtutum (ſicut, & virtutes) qui inhærent animæ Chriſti, poſſunt manere, imò neceſsè eſt maneant (niſi adſit ſpeciale miraculum) in eadem anima, cui inhærebant, etiam ſi relinquatur anima à Verbi terminatione. Hoc autem non minꝰ falſum videtur; nam actus iuſtitiæ commutatiuæ, & ſatisfactorius Chriſti ex perſona habet, quod ſit æqualis, & quod ſit ex iuſtitia, quod non haberet, ſuppoſito, quod à Verbo relinqueretur. Ergo intentum.

Reſpondeo ad argumentum ex doctrina Cabr. hic diſp. 8. §. 4. & 5. & ex §. 6. num. 52. nullum eſſe inconueniēs, quod detur in Chriſto habitus iuſtitiæ commutatiuæ ſpecie diſtinctus ab habitu infuſſo iuſtitiæ commutatiuæ puri hominis, ſi conſiderentur huiuſmodi habitus in eſſe morali, eo quod in genere moris infinitus eſt in Chriſto, non autem in puro homine, licèt quoad ſubſtantiam iuſtitiæ commutatiuæ eiuſdē ſit ſpeciei in vtroque; neque enim negāda eſt puro homini erga Deum iuſtitia commutatiua quoad ſubſtantiam, licèt quoad modum infinitatis, ſecundum quē reperitur in Chriſto, negetur, immò expreſsè illam concedit S. Thom. 1. 2. quæſt. 114. art. 1. vbi eius Expoſitores abſolutè concedunt ex iuſtitia poſſe nos petere à Deo gloriam, ſuppoſitis operibus noſtris ſupernaturalibus, intuitu quorum nobis illam promiſsit. Vnde iuxta duplicem iſtam conſiderationem iuſtitiæ commutatiuæ, non repugnat, eſſe eiuſdem ſpeciei, & diuerſæ in Chriſto, & in homine puro: nam ſicut in eſſe morali talis eſt diſconuenientia, vt vna quantumcumque creſcat, nequeat pertingere ad perfectionem alterius, ſicut non poteſt attingere ad perfectionem ſuppoſiti, à quo deſumitur; ita in eſſe phyſico, & quoad ſubſtantiam, talis eſt inter vtramque conuenientia, vt vna non excedatur ab alia, eo quod hoc ex motiuo debet penſari vtriuſq; quod eſt ius læſum reſarcire. quod autem hoc ius creatum ſit, aut increatum, materialitèr attenditur ab ipſa, eo quod vtrumque reſpicitur ſub ratione æqualitatis, & reſarcibilitatis (vt ita dicam) ſicut Religio, & Adoratio, qua Deo redditur cultus, non eſt diſtincta in eſſe phyſico in nobis, & in Chriſto, licèt maioris æſtimationis ſit moralis in illo, quam in nobis, eo quod hæc inæqualitas non variat ſubſtantiam habitus, quia valor perſonæ circunſtantia accidentalis eſt; quod non contingit (vt obitèr ſoluatur alia obiectio) in fidelitate, qua implemus promiſſa hominibus, & in Religione, qua promiſſa Deo adimplemus, in quibus perſona, cui promittimus, non tam circunſtantialitèr, quam ſubſtantialitèr ad has virtutes ſe habet; ac proinde diuerſitas ſpecifica perſonarum diuerſitatem inducit ſpecificam quoad ſubſtantiam inter Religionem, & Fidelitatem.

Ad confirmationem dic; quod ſi humanitas relinqueretur à Verbo, remanerent in illa omnes virtutes, quæ mo-

modo ſunt, ſed nō cum eodem valore, & virtute, quia non dignificarentur à ſuppoſito Diuino, ſicut modo, vt inquit idem Gabr. loc cit. num. 46. ac proinde (concludit ipſe) non eſſet inconueniēs, quod data illa hypotheſi iuſtitia cō mutatiua in humanitate non poſſet reddere æquale, quod modo poteſt in Chriſto eleuata, & dignificata à ſuppoſito diuino. Vrgebit quis; dolere de peccato in nobis eſt ſatisfactio noſtra; ſed prædictus actus eſt à pœnitentia elicitus Ergo non à iuſtitia commutatiua, quæ nobis inſit eiuſdem ſpeciei in eſſe phyſico cum iuſtitia commutatiua, quæ Chriſto Domino ineſt. Dic, quod prædictus actus dolendi de peccatis, vt Deus nobis illa remittat, eſt formalitèr a pœnitentia ellicitus; dolere tamen de peccatis, vt reddamus æquale pro illis, ſecundū quandam proportionem nobis poſsibilem, ſcilicèt, affectiuā, eſt actus formalitèr iuſtitiæ commutatiuæ; non enim alia ratione Sanct. Thom. loc. cit. 1. 2. cōcedit iuſtitiam in nobis erga Deum, niſi quia ipſi reddimus æquale ſecundum proportionem, & Deus etiam ſecundum proportionem æqualitatis noſtræ tribuit: *In quantum, ſcilicèt* (inquit S. Thom) *vterque operatur ſecundum modum ſuum*.

Opponunt quinto, & vltimo. Si ſatisfactio Chriſti eſſet orta ex rigoroſa iuſtitia, teneretur Deus ex eadem iuſtitia illam acceptare; poſita enim æquali ſatisfactione ex parte debitoris cogitur creditor ad acceptandum, nec remanet in eo ius ad debitum petendum, cum non patiatur inæqualitatem iam, aut læſionem, quam antea patiebatur: atqui Deus non tenebatur ex eadem iuſtitia; Tum, quia Dei ad Chriſtum nō datur propria iuſtitia; Tùm, quia nulla perſona offenſa tenetur acceptare ſatiſfactionem ab alio, niſi ab offendente; quod ſaltim videtur certum, quando iniuria eſt contra honorem, & reuerentiam: Tùm denique, quia Deus nullius eſt capax obligationis, qui enim alteri obligatur, aliquo modo ei ſubditur per modum ſubiecibilitatis, quod Deo conuenire non poteſt; imò ei repugnat. Ergo ſatisfactio Chriſti, nec fuit ex rigore iuſtitiæ, nec à peculiari commutatiua ortum habuit.

Reſpondeo, relictis varijs ſolutionibus, quæ huic argumento afferri ſolent; quod licèt Deus abſolutè, & ſecluſſo pacto, & promiſsione, non teneretur acceptare ſatisfactionem Chriſti ex iuſtitia, ſuppoſito tamen illo pacto, & promiſsione, tenetur illam acceptare ex iuſtia propria, eo quod ius, quod Chriſtus acquiſiuit erga Deum per ſuam ſatisfactionem, vt remitteret offenſam, non poteſt ad aliam virtutem in Deo exiſtentem pertinere, cum nulla alia reſpiciat, vt rationem formalem, ius alterius. Vnde falſa eſt probatio, ex triplici illo capite poſita, vel adducta in argumento; nam Dei ad Chriſtum, ſuppoſitione illa facta pacti, propria datur iuſtitia, ſicut Chriſti ad Deum; ſicut falſum eſt, quod dicitur ſecundo, nullā perſonam offenſam teneri acceptare ſatisfactionem ab alio, quam ab offendente, nam dum alrèr eſt fideiuſſor, ſicut fuit Chriſtus reſpectu hominum, tenetur creditor illam acceptare, ac ſi à debitore offerreretur; ſicut falſum eſt denique, Deum nullius obligationis eſſe capacem, nam ſuppoſito pacto, ſe adſtrinxit, & quaſi inferiorem ſe fecit, quem potuit Chriſtus ſuis operibus obligare ad ſtandum promiſsis.

Quod ſi vrgeas. Obligatio in Deo ad ſtandum promiſsis ſola eſt fidelitatis. Ergo non eſt iuſtitiæ. Dic, quod licèt ex promiſsione præciſsè ſolum oriatur obligatio fidelitatis, & non ex iuſtitia; ex promiſsione tamen facta ſub conditione alicuius operis oneroſi, quale fuit, quod exercuit Chriſtus erga Deū, ſuppoſita promiſsione, oritur in Deo obligatio iuſtitiæ.

Dubium incidens circa ſatisfactionem puri hominis, vt eſt membrum Chriſti.

ARTIC. VII.

PRo cuius lucè ſtatuo prius, quod licèt aliquibus, imò ferè omnibus, difficile viſum fuerit, ſatisfactionem puri hominis, quantumuis membrum Chriſti conſideretur, perfectam, & adæquatam eſſe pro peccato, ita vt aliqui, aliàs doctiſsimi, ingenuè fateantur, ſe nunquam in hac re potuiſſe intelli-

ligere ſententiam Caietani; nihilominus tamen ſi obſeruarent id, quod communitèr obſeruare debent circa ea, quæ conueniunt mēbris, & capiti, nō ita difficile ipſis videretur hoc, quinimò fortaſsis negari nequiret ab aliquo ſententia Caietani, prout à nobis explicabitur: ea autem ſtatuenda pro omnibus ſunt.

In hoc corpore myſtico Eccleſiæ ex præcipuis membris ea eſſe homines iuſtos, quorum Chriſtus verum eſt caput, vt docent Theologi cum S. Thom infra quæſt. 8. qui influit in illos vitam ſpiritualem ad benè operandum in qualibet materia, eo modo, quo in corpore naturali caput influit in cætera membra virtutem operatiuam, vtpotè in illo ſunt omnes virtutes ſenſus externi, ac perconſequens, homines iuſti verè dicuntur membra viua huius capitis Chriſti, Sed vlteriùs prædicta membra viua huiuſmodi vitam ſupernaturalem à ſuo capite participantia poſſunt adhuc duplicitèr conſiderari, ſcilicèt, vt membra condiſtincta à Chriſto capite, & à cæteris membris alijs, vel vt membra non condiſtincta à capite, nec ab alijs membris, ſed vt vnum myſticè cum illis componentia. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio prima ſit. Homo iuſtus conſideratus vt membrum Chriſti à Chriſto, & ab alijs membris diſtinctū, nequit perfectè, & de iuſtitia ſatisfacere pro peccato. Hāc reſolutionem iudico ſolum intendere omnes Authores, dum acritèr in ſententiam Caietani reſolutione ſequenti explicandam inuehuntur; quam colligo, & probo ex eorum rationibus, quæ ſatis efficacitèr eam ſuadent. Nam quantumcumque homo conſideretur, vt mēbrum Chriſti, id eſt, vt habens gratiam ex meritis Chriſti, qua ratione maioris eſſet fortaſsis rationis, quam ſi à ſolo Deo, ſine intuitu ad merita Chriſti, eam liberalitèr haberet; vt diſtinctum tamen à Chriſto, & cæteris membris, ſemper eſt principium ſatisfactorium finitum, & gratiam habet ex alias acceptis à creditore, vtpotè gratia, qua membrum diſtinctum conſtituitur à capite, finita eſt in eſſe entis, & in eſſe gratiæ, ſolamque infinitatem extrinſecam à principio producente poteſt habere; hæc autem omnia obſtant, vt ſatisfactio ab illo orta, ſit perfecta, & adæquata, & de rigore iuſtitiæ; non enim alia ratione omnes Theologi docent, ſatisfactionem Chriſti eſſe perfectam, adæquatam, & de rigore iuſtitiæ, niſi quia gratia, quæ eſt principium, quo Chriſtus conſtituitur in eſſe ſatisfacientis, eſt infinita intrinſecè; quod de gratia vnionis eſt certum, non ſolum in eſſe gratiæ, ſed in eſſe entis; de gratia autem habituali eſt certū ſaltèm eſſe infinitam intrinſecè in eſſe gratiæ, propter coniunctionem ad Verbum. Ergo ſatisfactio hominis iuſti, quantumuis vt membrum Chriſti conſideretur, à Chriſto, & alijs membris diſiunctum, nequit eſſe pro peccato perfecta, adæquata, & de rigore iuſtitiæ.

Reſolutio ſecunda ſit cum Caiet. hic art. 2. quam ſecuntur doctiores Theologi ex Thomiſtis, vt Soto in 4. diſt. 19. quæſt. 1. art. 2. concl. 3. Medina in fine huius art. quæſt. 1. Cabr. quæſt. 16. §. 6. contra Authores communitèr etiam Thomiſtas, vt R. & Illuſtriſ. D. M. Godoy tom. 1. tract. 1. diſp. 2. §. Vltimo, collorario 1. Homo iuſtus, conſideratus vt membrum Chriſti, conſtituens vna cum Chriſto capite, & cæteris membris vnam perſonam myſticam corporis Eccleſiæ, adæquatè, perfectè, & de rigore iuſtitiæ pro peccato ſatisfacere poteſt. Sic cum Cabr. intelligo Caiet. dum in fine huius artic. concludit: *Ex Chriſto, & nobis conſtituitur vna perſona myſtica, & ideò ſatisfactio mea coniuncta ſatisfactioni Chriſti ſit æqualis ſimplicitèr, vt eſt ſatisfactio myſticæ perſonæ.* Id eſt, cum ex nobis, & Chriſto fiat vna perſona myſtica, ſicut ſatisfactio Chriſti dicitur ſimplicitèr, & de rigore iuſtitiæ pro peccato, ita noſtra, quæ eſt Chriſti, vt eſt nobiſcum vna perſona myſtica, dicitur æqualis ſimplicitèr, & de rigore iuſtitiæ pro quolibet peccato.

Hanc ergo reſolutionem ſic explicatam modum loquendi communē Scripturæ ſeruare, docet Cabr. loc. cit. n. 29. vbi aliqua loca adducit. Idem facit Medina eodem loco, & quod plus eſt, eam expreſsit Auguſt. in Enchirid. cap. 41. vbi explicans illud Pauli ad Corint. 5. *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iuſtitia in illo*, hæc habet: *Ipſe ergo peccatum, vt nos iuſtitia, neque noſtra, ſed Dei, neque in nobis, ſed in Chriſto fiat.* Id eſt, ſicut

Digitized by Google

Chriſtus, cum non haberet, nec feciſſet peccatum, peccatum habuit, & fecit, eo quod, vt perſona myſticè cum nobis membris, peccatum à nobis factum, à ſe factum confitetur; ita nos, cum non fieremus iuſti iuſtitia Dei, ſed propria nobis realitèr, & phyſicè inhærente, iuxta illud Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. *Non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit*, fiamus iuſti myſtico modo ipſa iuſtitia Dei, quæ eſt in Chriſto Domino noſtro, quatenus myſticè vnum ſumus cum Chriſto capite, qui quidem non ſolum iuſtus eſt iuſtitia inhærente, ſed iuſtitia ipſius Dei, quatenus vnita eſt ipſius humanitati. Ergo iuxta mentem Auguſtini, ſicut ſatisfactio Chriſti adæquata, perfecta, & de rigore iuſtitiæ eſt pro peccato; ita noſtra ſic explicata eadem prædicata habebit, ac illa.

Eam etiam ſatis inſinuare videtur S. Thom. pluribus in locis, nimirum hic art. 2. ad 2. & quæſt. 48. art. 1. & 2. ad 1. ait: *Caput, & membra eſſe quaſi vnicam perſonam, & ideò ſatisfactionem Chriſti ad omnes fideles pertinere, ſicut ad ſua membra*. & quæſt. 49. art. 1. docet totam Eccleſiam, quæ eſt corpus myſticum Chriſti, computari quaſi vnam perſonã cum ſuo capite, quod totum explicat exemplo: *Sicut, ſi homo per aliquod opus meritorium, quod manu exerceret, redimeret ſe à peccato, quod oculis, vel pedibus commiſiſſet; ſic per ſatisfactionem capitis noſtri, quod eſt Chriſtus, liberamur à peccatis, quæ nos commiſimus.*

Ex quibus verbis ſic compono diſcurſum. Si aliqua perſona humana commiſiſſet aliquod peccatum per aliquod eius membrum, v. g. per oculum, ſufficientèr diceretur redemiſſe à tali peccato per hoc membrum commiſſo, eo ipſo quod exerceret aliquam actionem æquantem in valore morali, etiam ſi illam exerceret medio alio membro, diceretur illud membrum, quod peccatũ commiſerat, licèt non phyſicè, tamen ſatisfeciſſe moralitèr pro peccato, eo quod in eſſe operantis bonum, ſeu in eſſe ſatisfacientis pro peccato commiſſo, idem erant moralitèr, licèt non phyſicè illa membra omnia: atqui Chriſtus Dominus, & ſeruator noſter in ratione perſonæ myſticæ Sanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ idem eſt cum cæteris fidelibus, cum quibus componit vnam perſonam myſticam Eccleſiæ, ordine quodam perfectionis maioris, vel minoris, iuxta maiorem, vel minorem membrorum perfectionem. Ergo vt dicatur ſatisfacere ad æqualitatem, & de rigore iuſtitiæ totum hoc corpus Eccleſiæ pro peccato commiſſo ab vno ex eius membris, ſufficit, quod ſatisfaciat aliud eius membrum hoc genere ſatisfactionis, vt licèt membrum, quod commiſit peccatum, non elliciat quaſi phyſicè actionem ſatisfactoriam, ſicut Chriſtus ellicuit, dicetur ad æqualitatem ſatisfacere actione à ſe ellicita myſticè, quatenus vnum eſt myſticè cum altero membro, eandem perſonam myſticam cum Chriſto componente.

Confirmatur; quia ſi aliqua ſocietas deberet aliquid alicui, & vnus ſocius nomine totius ſocietatis debitum ſoluat, tunc tota ſocietas, & quilibet eius ſocius ad æqualitatem ſatisfaciet, eo quod, licèt ſolutio debiti non oriatur phyſicè à debitore, quia tamen oritur ab alio, qui idem eſt vnione morali cum tota ſocietate, ab hac etiam moralitèr ellici dicitur. Ergo etiam in noſtro caſu. Quod totum fundatur in regula Ticonij communitèr adducta, & ab Auguſt. lib. 3. de Doctr. Chriſt. cap. 30. & 31. approbata, nimirum: quæ dicuntur de capite, de membris etiam verificantur, & ècontra. Cuius inditium planum in humanis habemus exemplum vltra poſitum de ſocietate; nam quod facit Rex, aut Magiſtratus Reipublicæ, tota Reſpublica facere cenſetur; & ſimilitèr, ſi exercitus Regis Hiſpaniæ exercitum Gallicum vincat, & Regem Galliæ victum, & victorem Hiſpaniæ Regẽ clamabimus.

Pro quo, & ſolutione argumentorum, quæ contra hanc doctrinam fieri poſſunt, notandum venit; quod in hoc corpore myſtico Eccleſiæ, licèt Chriſtus Dominus dicatur membrum, iuxta illud Apoſt. 1. ad Corinth. 12. *Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro.* Verè tamen eſt caput cæterorum influens in illa virtutem ſupernaturalem, tanquam vitis in palmites, vt dicitur Ioann. 15. quælibet autem virtus, quã in cæteris membris influit, finita eſt, ac proinde licèt dicantur membra Chriſti, actio tamen ſatisfactoria ab illis ellicitiuè phyſicè orta, ſemper finita, & imper-

perfecta eſt ſatisfactio, ſicut ipſa principia finita ſunt. In qua conſideratione, vt optimè notauit Cabr. loc. cit. num. 39. Chriſtus Dominus, non tam ſe habet vt caput, vnum myſticè conſtituens cum membris, quam vt cauſa efficiens ſatisfactionis hominis iuſti, quatenus eſt cauſa efficiens gratiæ, media qua homo iuſtus ſatisfactionem ellicit. Alio autem modo ſatisfactionem ellicit homo iuſtus, vt membrum Chriſti, ſcilicèt, quatenus efficit vnum cum Chriſto in ratione corporis myſtici; in qua conſideratione non tam attẽditur Chriſtus vt influens, quam vt conſtituens formalitèr vnum in ratione myſticæ perſonæ cum quolibet iuſto. In qua cõſideratione actio ſatisfactoria hominis iuſti ab illo, vt ſic orta, licèt non ellicitiuè phyſicè, ellicitiuè tamen myſticè infinita eſt, æqualis, & perfecta, vtpotè principium, à quo oritur, infinitum eſt, ſcilicèt, perſona myſtica ex omnibus membris compoſita; nam ſicut quia oritur efficientèr phyſicè à Chriſto, qui eſt perſona infinita, independentèr à quolibet alio membro ellicitiuè phyſicè, adæquata eſt, & infinita, ita quia quilibet iuſtus vnum eſt myſtico modo cum Chriſto, & corpore Eccleſiæ, quælibet eius actio ab illo vt ſic orta ellicitiuè myſticè, adæquata, & infinita erit.

Et ſi dicatur; quamlibet actionem, ſiuè iuſti, ſiuè Chriſti eſſe vitalem, ac perconſequens non poſſe alteri appropriari. Verum eſt, non appropriari actionem vnius alteri, ſecundum quod eſt vitalis; & ita ſecundum eſſe phyſicum, ſeu naturale, ſeu ſupernaturale, actionẽ vnius non eſſe alterius; ſecundum eſſe autem myſticum, ita alienum eſt à veritate, quod non poſsit vnius actio alteri appropriari, quinimo non appropriatio, à veritate alienum erit, imò ſi propriſsimè loquamur, non tam appropriari, quam cuilibet eſſe propriam dicendũ erit; ſiquidem tam propriè eſt conſtituta perſona myſtica Eccleſiæ per Chriſtum, quam per cætera membra in eſſe perſonæ myſticæ; quia in vnione morali, ita vnitus eſt Chriſtus fidelibus, ſicut fideles Chriſto Domino. Plura autem argumenta, quæ communitèr contra præfatam doctrinam ab Anthoribus aſſeruntur, & videri poſſunt apud Cabr. in hac diſp. §. 1. ſolum probant ſatisfactionem puri hominis, prout eſt membrum Chriſti, ſecundum primam conſideratonẽ, ſemper eſſe inadæquatam, quantumcumque creſcat, & ipſe ſatis acute reſpondet, §. 7.

Vtrum, ſi Adamus non peccaret, Chriſtus veniret?

QVÆST. VII.

IN Hac re non vna eſt omnium ſententia; nam Scotus abſolutè in 3. quæſt. 7 §. *Sed hic ſunt*, & diſt. 19 quæſt. vnica, quem omnes Scotiſtæ ſecuntur, quos refert Vazq. in præſ. diſp. 10. cap. 2. à num. 7. docet, etiam ſi Adamus nõ peccaret, Chriſtus veniret: Ex diametro tamen ſtat commune Thomiſtarum aſſertum, nimirum, Adamo non peccante, nullò modo Chriſtum venturum ex vi decretorum, quæ de facto fuerunt. Sic plures antiqui Thomiſtæ, quos refert Vazq & ſequitur, quibus etiam acquieſcunt omnes Doctores, etiam non Thomiſtæ, vt Valent. diſp. 1. quæſt. 1. part. 7. Lorca diſp. 10. num. 25. & 48. Raguſa diſp. 28 & 30. ex Thomiſtis autem Caiet hic, & Med. Aluarez diſp 9. Cabr. diſp 1. §. 11. & in parte ſequitur noſter Auerſa quæſt 6 ſect 2. & nouiſſimè R. & Illuſtr. D. Mag. Godoy. diſp. 8. §. 1. numer. 10 & R. P. M Fr. Ioan à Sancto Thoma hic diſp. 3. artic. 2. §. Dico 3 docuit, quod, licèt probalior ſit sẽtentia Sanct. Thomæ, quod ſi Adamus non peccaret, Chriſtus non veniret opinio tamen Scoti habet ſuam probabilitatem, ſi defendatur iuxta doctrinam S. Thom. in 3. diſt. 1. q. 2. art. 2. quæſtiũc. 3. & plurimi alij Recentiores, in ſuis manuſcriptis; qui omnes, licèt in concluſione abſolutè conueniant, in modo tamen eam defendendi valdè diſcriminantur, eo quod alitèr, & alitèr conſtituunt decreta Diuina ad concluſionem ſaluandam, de quo non nihil poſtea. Addit tamen noſter Auerſa, quod Deus abſolutè voluit, aliquam creaturam rationalem immediatè aſſumere, propter gloriam ſuam, ad manifeſtandam, & excellentiſsimo modo communicandam Diuinam bonitatem, determinans tamen in particulari, potius naturam humanam, quam Angelicam, & potius perſonam Verbi, quam aliam incarnari poſ-

poſſe, & primario ob redēptionem generis humani à peccato; cum qua doctrina componit ipſe differentiam inter Thomiſtas, & Scotiſtas.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo ex Sanct. Thom. in corp. huius 3. art. Potuiſſe Deum, adhuc non exiſtente peccato, carnem aſſumere; cuius ratio ex Sanct. Thom. eſt, quia potentia Dei non eſt limitata, & alligata ad hunc finem, poterat enim alios fines habere ſecundum ordinem ſuæ infinitæ ſapientiæ, & alia habere decreta, quorum inueſtigatio noſtri non eſt, iuxta illud Apoſt. ad Rom. 11. *Quis enim cognouit ſenſum Domini?* Vnde ſolum procedit difficultas, ſuppoſito decreto, quod Deus habuit de facto de carne aſſumenda, an talitèr fuerit neceſſarium peccatum, quod illo deficiente, decretum de aſſumendo carnem deficeret?

Obſeruo ſecundo, id, quod contra Scotum obſeruauit hic Caiet. §. *Ad tertium*. Nimirum, licèt aliquid ſit magis amabile, ſecundum ſe, non ideò magis amatur à Deo; hoc enim etiam contra Granad diſp. 3. ſect. 4. obſeruant communitèr Authores cuius ratio eſt; nam ſalus omnium hominum magis amabilis eſt ſecundum ſe, quam aliquorum ſalus; magis etiam amabilis eſt productio alterius vniuerſi, & alterius perſonæ Diuinæ incarnatio, quam eorum negationes; neque ob id Deus de facto efficacitèr amauit, & voluit ſalutem omnium hominum, nec alterius vniuerſi productionem, ſicut nec incarnationem alterius perſonæ Diuinæ. Ergo, &c.

Obſeruo tertio diuerſum quid eſſe, eſſe prius alio ordine cauſalitatis, ac eſſe prius illo ſubſiſtendi conſequentia; illud enim ſolum ſignificat, eſſe prius prioritate *à quo*, & dependentiæ, cum quo compatitur ſimultanea exiſtentia illius, reſpectu cuius prius dicitur. Sic docent Phyloſophi, generationem vnius prius eſſe corruptione alterius; cum qua prioritate compatitur ſimultanea exiſtentia corruptionis. Sol etiam prius eſt, ordine cauſalitatis, illuminatione; & tantum abeſt, quod non ſit ſimultanea exiſtentia illuminationis cum exiſtentia Solis, quod ille non ſe haberet vt cauſalitate prior, ſi non ſic res ſe haberet; vnde non valet conſequentia: generatio eſt prior, ordine cauſalitatis, corruptione, & Sol illuminatione. Ergo poteſt eſſe generatio ſine corruptione, & Sol ſine illuminatione.

Eſſe autem aliquid alio prius ſubſiſtendi conſequentia, talitèr dicitur eſſe prius, quod de illo poſsit verificari negatio ſimultatis exiſtentiæ alterius, eo quod illa prioritas non ſolum eſt *à quo*, ſed *in quo*. Vnde hæc eſt bona conſequētia: arbor eſt prior ſubſiſtendi conſequētia fructu. Ergo poteſt eſſe ſine fructu. Quibus ad maiorem quæſtionis intelligentiam obſeruatis.

Præfertur Thomiſtica doctrina.

ARTIC. II.

REſolutio noſtra ſit. Si Adamus non peccaret, Chriſtus non veniret ex vi præſentis decreti. Sic in terminis tenet Sanct. Thom. in hoc art. 3. & probat ſic. Ea, quæ dependent ex libera Dei voluntate, dum nobis non reuelantur, debemus inueſtigare ex locis Sacræ Scripturæ, & Patrum, per quæ nobis Diuina innoteſcit voluntas: atqui vbicumque in Scriptura, & Patribus ſit mentio de Incarnationis myſterio, nulla alia cauſa aſsignatur, niſi remedium peccati; dicitur enim Ioan. 14. *Venit Filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat*. Ex quo loco Auguſtin. de verb. Dom. ſerm 8. infert: *Ergo ſi homo non peccaſſet, Filius hominis non veniſſet*. Dicitur etiam Ioan. 3. *Sic Deus dilexit* mūdum, vt Filium ſuum Vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Et 1. ad Timoth. *Venit Chriſtus peccatores ſaluos facere*. In quem locum Auguſtin. eodem loc. ſerm. 9. ait: *Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla eſt medicinæ cauſa*, & gloſſa: *Nulla alia cauſa fuit Chriſto Domino, niſi peccatores ſaluos facere*, & alia quam plurima, quæ adducit Sanct. Th. in argum. *Sed contra*, & communitèr Expoſitores. Ergo cum ex Sacra Scriptura, & Patribus cauſa veniendi Chriſtum reducatur in remedium peccati, ta-

Digitized by Google

talitèr fatendum eſt, illud eſſe occaſionem, vt illo deficiente Chriſtus non veniret.

Dices pro Scoto, & eius ſectatoribus, omnia hæc loca, & alia ſimilia intelligenda eſſe de aduentu Chriſti in carne paſsibili, ad quem aduentum talitèr erat neceſſaria exiſtentia peccati, vt eo deficiente, non veniret Chriſtus paſsibilis, non autem probare, non venturum Chriſtum abſolutè, vel impaſsibilis, ſcilicèt, vel abſtrahendo à modo paſsibilitatis, vel impaſsibilitatis, quod ſolum reſpiciebat illud decretum intentiuum primum, licèt [illegible] viſionem peccati determinatum fuiſſet ad modum veniendi in carne paſsibili; & ita benè potuerunt Patres abſolutè proferre, non venturum Chriſtum, ſi non exiſteret peccatum, quia, videlicèt, nō veniret in carne paſsibili.

Sed præterquam quod prædicta loca nullam mentionem faciunt de hac circunſtantia paſsibilitatis, ſed abſolutè, & ſimplicitèr negant, non venturum Chriſtum, non exiſtente peccato; imò aliqui Patres docent, nullam aliam cauſam fuiſſe Incarnationis faciendæ, vt Auguſt. locis cit. & lib. 1. de peccator. merit. & remiſ. capit. 26. Athan. ſerm. 3. contra Arrianos. Contra eſt efficacitèr primo. Quia ſi, vt docet Scotus, & alij, benè potuerunt Patres abſolutè proferre, peccato non exiſtente, non venturum Chriſtum, quia, videlicèt, non erat venturus in carne paſsibili. Ergo benè etiam potuiſſent, abſolutè proferre, non venturum Chriſtum ad iudicium generale, quia verum eſt, tunc non venturum in carne paſsibili, quod aures pias offendit.

Secundo contra eandem ſolutionem ſic argumentor; nam ex vi præſentis decreti eodem modo veniret Chriſtus, ac de facto venit, cum illud decretum primum de aduentu ipſius, vtpotè efficax, impleri deberet: atqui de facto venit in carne paſsibili, vt ipſi etiam cōcedunt. Ergo illud primum decretum Chriſtum venturum in carne paſsibili reſpiciebat; aliàs enim ſi ex vi illius decreti veniret impaſsibilis, vel non reſpiceret impaſsibilitatem, & præuiſo peccato paſsibilis veniret, & hoc decretum paſsibilitatem reſpiceret, vel mutaretur decretum Dei, vel decretum executiuum non originaretur ex decreto intentiuo; quæ omnia abſurda ſunt, cum id, quod in executione fit, prius in intentione, ſecundum omnes tuas circunſtantias determinatum, & decretum ſit.

Si autem dicatur altera ſolutionis pars, videlicèt, illud primum decretū reſpicere ſubſtantiam Incarnationis, præſcindendo à modo paſsibilitatis, vel impaſsibilitatis; eo modo, quo ad materiam de prædeſtinatione ab aliquibus dicitur, decretum dandi gloriam prædeſtinatis, per modum intentionis, reſpicere ipſam gloriam, vt conferendam, ſecundum ſe, præſcindendo à modo collationis illius. Contra eſt. Nam prouidentia Dei, vtpotè perfectiſsima, & comprehenſiua in linea prouidendi, debet ſe extendere, non ſolum ad ſubſtantiam rei, de qua prouidet, ſed etiam ad omnes modos, & circunſtantias, ſub quibus prouidenda, & exercenda eſt in tempore; in hoc enim differt hæc prouidentia à noſtro modo imperfecto prouidendi: atqui Incarnatio perfectiſsima eſt prouidentia Dei. Ergo ex parte obiecti, quod prouidet per illud primū decretum, non ſolum debet reſpicere ſubſtantiam, ſed omnes modos, & circunſtantias, quibus de facto executioni mādanda eſt; ac perconſequens, cum de facto mandata fuerit executioni in carne paſsibili, ſecundum hanc etiam circunſtantiam, intenta fuit à Deo in illo primo decreto; & idem dicendum de gloria data prædeſtinatis, quæ non ſolum reſpicitur à Deo, quoad ſubſtantiam, per illud primum decretum, ſed etiam quoad modum, vel hæreditatis in paruulis, vel coronæ in adultis.

Secundo contra eandem Scoti ſolutionem ſic argumentor. Nam nullum eſt fundamentum, vt dicatur, deberi dari aliquod decretum, quod terminetur ad ſubſtantiam Incarnationis, præſcindendo à paſsibilitate, vel impaſsibilitate, & quod præuiſo peccato, detur aliud decretum circa Incarnationem, vt in carne paſsibili exercendam; nam fundamentum, quod poteſt eſſe, ſola eſt ratio, quam Scotus, & Scotiſtæ communitèr adducunt, nimirum, quod intendens aliquem finem, prius debet intendere ea, quæ proximiora ſunt fini, qualis eſt Incarnatio in ordine ad gloriam

Dei,

Digitized by Google

Dei, quam ea, quæ ſunt remotiora, quale eſt remedium peccati: atqui hæc ratio, ſi aliquid probat, probat etiam Deũ habuiſſe de facto aliud decretum, quo decreuit Chriſtum in carne paſsibili, ſine eo quod in hoc decreto imbiberetur remedium peccati, cum Chriſtus, etiã decretus in carne paſsibili, propinquior ſit gloriæ Dei (quæ eſt finis vltimus Incarnationis) quam remedium peccati. Ergo ratio, vel vtrumque probat, vel nullum probat.

Dicere autem, (quod aliquando audiui à Scotiſtis) in primo caſu decretam eſſe ſubſtantiam Incarnationis prioritate, non ſolum perfectionis, ſed independentiæ, ante remedium peccati, & in ſecundo caſu non fuiſſe decretam independentèr à tali remedio, licèt fuerit decreta priùs prioritate perfectionis: nihil valet hæc futilis, & inefficax ſolutio, nam videtur petitio principij, de quo eſt quæſtio præſens. Deinde, nam ſicut illa prima voluntas, in Scoti ſententia, fuit prioritate perfectionis, & independentiæ, quam altera redimendi peccatum, quia non habuit neceſſariam connexionem cum tali remedio, ſed liberam; ita in ſecundo caſu illa prima voluntas non fuit omnino neceſſaria, ſed liberè ordinata in remedium peccati; ſiquidem, ſecluſſo remedio, ſaluaretur, Chriſtum intentum paſsibilitèr cedere in gloriam Dei, etiam ſi non ſequeretur altera voluntas circa remedium peccati, quod Adamus primus noſter Parens in Paradyſſo commiſsit.

Dices pro Suar. hic ſect. 5. cui nonnulli ſubſcribunt Recentiores; quod licèt Scriptura, & Patres à nobis adducti dicant, peccatum fuiſſe motiuum Incarnationis Verbi, etiam quoad intentionem Dei, non tamen negare, Deum habuiſſe alium finem, ſeu motiuum non ſubordinatum huic, ratione cuius, non exiſtente peccato, veniret Chriſtus in carne impaſsibili in mundum. Sed contra eſt primo: quod plura Patrum teſtimonia cum gloſſa, non ſolum dicunt, motiuum Incarnationis fuiſſe remedium peccati, ſed negant etiam aliam cauſam, vel motiuum fuiſſe, vt conſtat ex noſtra reſolutione, in qua illorum adduximus teſtimonia. Contra ſecundo; nam quãdo Scriptura numerat aliquid, eo ipſo quod non enumeret aliud, implicitè dicitur illud negare; qua ratione, cum Scriptura enumerat Trinitatis perſonas, licèt non dicat expreſsè, non eſſe quartam perſonam, eo ipſo, quod illas enumerans, dicat eſſe tres, implicitè negat aliam, ita vt abſolutè ſit verum dicere non eſſe quartam Trinitatis perſonã. Contra tertio; cum ad Rom. 5. & 6. dicitur, mortem introiſſe in mundum per peccatum: *& per peccatum mors*. Licèt non neget aliam rationem, propter quã ingreſſa fuerit mors in mundum, eo ipſo quod non enumerat aliam cauſam mortis, implicitè dicitur illam negare; ita vt [illegible]è inferant omnes Theologi cum Sanct. Thom. 3. part. quæſt. 97. ar. 1. non moriturum hominem, ſi non peccaſſet. Ergo ſimilitèr ſi Scriptura affirmat, motiuum Incarnationis fuiſſe remedium peccati, etiam ſi aliud motiuum non neget, implicitè tamen intelligitur illud negare, quatenus illud non enumerat, ita vt abſolutè verificetur, non exiſtente hoc motiuo, nullo modo Chriſtum venturum quomodocumque conſideretur eius aduentus.

Vlteriùs contra Suar. ſolutionem argumentor; nam dato aliæ cauſæ aſsignentur, ob quas fuerit Incarnatio decreta, omnes tamen illæ ad remedium ordinantur peccati, vt docet Sanct. Th. hic art. 3. ad 2. cuius ratio eſt, quia non potuit Deus plura habere motiua adæquata, non ſubordinata ad Incarnationem faciendam; etenim, vt docet idem Sanct. Thom. 1. part. quæſt. 52. artic. 3. & cum eo communitèr Theologi, impoſsibile eſt in aliquo genere cauſarum eundem effectum à duabus cauſis totalibus non ſubordinatis naturalitèr prodire; ſicut nec voluntas creata ferri poteſt in duos fines totales non ſubordinatos; nec idem actus in duo obiecta non ſubordinata totalia. Ergo ſi iuxta ſententiam Suar. remedium peccati fuit motiuum, & finis totalis Incarnationis, non potuit ſimul Deus habere aliud motiuum totale iſti non ſubordinatum ad illam decernendam.

Nec id, quod adducit Suar. de Angelis, in quorum creatione habuit Deus duos fines totales; nam voluit Deus illos producere propter ſuam perfectionem, & in miniſterium hominum, iuxta illud ad Hæbr. 2. *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus*. Nihil ipſi iuuat; etenim crea-

creatio Angelorum tantum fuit facta primariò propter ſuam perfectionem, & poſtea Deus illos ordinauit in hominum miniſterium; neque ex loco adducto contrarium probatur:atqui Incarnationem Chriſti decreuit, & voluit,non vtcumque, ſed propter remedium peccati, vt motiuum totale,vt aſſerit Suar. Ergo non habuit alium finem, aut motiuum Incarnationis faciendæ, vel ſi habuit, illud poſtea ordinauit ad remediũ peccati.

Expenditur propria mens circa varios modos explicandi ſententiam S. Thomæ.

ARTIC. III.

PRo cuius lucè ſtatuo priùs. Inter Authores acritèr defenſantes propoſitionem irrefragabilem S. Thom. ſcilicèt,quod ſi Adamus nõ peccaret, Chriſtus non veniret; magnam eſſe controuerſiam circa modum eam intelligendi,quæ conſiſtit in diuerſitate ſtatuendi decreta Diuina,vt ſemper verificata maneat prædicta propoſitio. Primo enim loco ſe offert Lorca cum alijs non infinitæ notæ Theologis,hic diſp. 10. mẽbr. 2.aſſerens, ita fuiſſe diſpoſita Diuina decreta circa Incarnationem, vt primum decretum terminaretur ad prædeſtinationem, ſeu Incarnationem Chriſti, quoad intentionem, & cum in Deo ad quodlibet decretum præcedat perfectiſsima cognitio omnium mediorum, per quæ exequi poteſt quidquid Deus vult per ſuam intentionem efficacẽ, talis quidem intentio connotat media indirectè, ſed non vagè, & in confuſſo; vt in nobis, ob perfectæ cognitionis defectum,contingit,ſed determinatè,& expreſsè; & ita n.33.inquit, ex vi intentionis Diuinæ,qua volita eſt Incarnatio,talitèr facta, & volita eſt per media, per quæ facta eſt,vt illis deficientibus, executioni non mandaretur, ac proinde deficiente peccato, propter quod, tanquã per vnicum medium determinatum,& conuenientiſsimum decreta eſt, eius executio non ſubſiſteret; quod explicat num.28. exemplo apud Thomiſtas familiari, in quorum ſententia prædeſtinatio ad gloriam fit à Deo,non ex operibus, ſed independentèr ab illis, non tamen in executione conſequetur adultꝰ gloriam ſine operibus, & ideò, quamuis intentio prædeſtinatiua ad gloriam fuerit prior, quam decretum operum, & fuerit ante præuiſſa merita,nihilominꝰ tamen,quia non alio modo danda eſt vt corona (quomodo præfinitur) quã per opera,ideò verificatur,adultum non fore ſaluandũ ſine operibus ab ipſo factis.

Inter reliquos autem Thomiſtas hæc eſt conuenientia,& differentia, vt omnes conueniant contra Lorca,& ſequaces permiſsionem peccati, ac proinde decretum illud permittendi, fuiſſe in Deo ante decretum Incarnationis, non ſolum ſumpta Incarnatione quoad executionem,ſed etiam quoad intentionẽ, ex cuius præuiſione præciſſe motus fuit Deus ad decernendam in intentione illã. Differunt tamẽ in hoc, quod aliqui, vt ſimul defendant primatum in prædeſtinatione Chriſti reſpectu omnium rerum,quarum Chriſtus finis dicitur,iuxta illud; *Vos autem Chriſti, Chriſtus autẽ Dei.* Recurrunt ad mutuam prioritatẽ, & dependentiam in diuerſo genere cauſæ, ita vt Incarnatio ſit priùs volita à Deo in genere cauſæ finalis, quam permiſsio peccati, quia illa fuit finis,propter quem Deus illud permiſsit; in genere autem cauſæ materialis peccatũ fuit permiſſum à Deo,priùs quam Incarnatio,quia fuit materia circa quam Incarnationis. Ita Cabrera hic diſp. 1. §. 21. & 24. cum alijs plurimis Recentioribus Thomiſtis, quod nouitèr ſequitur R. & Illuſtr.D. M. Godoy loco citato, §.6.nu. 115. vnde iuxta hunc modum optimè ſaluatur propoſitio Sanct. Th. non venturum Chriſtum,non exiſtente peccato.

Cæteri autem ita docent, præceſsiſſe decretum permittendi peccatum ad decretum Incarnationis, vt aſſerant omnibus modis fuiſſe priùs, quam decretum Incarnationis,nec mutuam poſſe inuenire prioritatem: Hunc modum defendit quidã ex noſtris diſp. 12. ſect. 3.num.15.aſſerens, eſſe modum conformiorem ſententiæ S.Th.illumque ſecutum fuiſſe Vazq. Aluar. Raguſ.locis citatis,priùs tamen illum docuiſſe Caiet. & Medin. in hoc artic. & Capreol. in 3.diſtinction. 1. quæſt. 1. ad 1. ſtatuit

Monteſ. docens in hac materia diſp. 6. quæſt. 3. hunc modum probabilem eſſe, & facilem ad deffenſandum, licèt alias ſententia Cabrer. ei magis arrideat; addens tamen ſequenti quæſtion. in illo primo decreto Incarnationis Chriſtũ, non ſolum vtcumque fuiſſe priùs præfinitum, quam peccatum originale, ſed vt Redemptorem. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio noſtra ſit. Licèt quilibet ex modis aſsignatis ſatis probabilitèr ſaluet propoſitionem S. Thomæ, quod ſi Adamus non peccaret, Chriſtus non veniret; tùm ex locis Sacræ Scripturæ, Patrum, & S. Thom. tùm ex rationib⁹, quæ omnia ad longum videri poſſunt apud Authores citatos pro quolibet modo ex aſsignatis: nihilominus tamen quod ferre non poſſum eſt, quod prædictus Pater ex noſtris loc. cit. cum cæteris eiuſdem ſententiæ iudicet impoſsibilem illam mutuam prioritatem, quã cum alijs Thomiſtis excogitauit Cabr. inter decretum Incarnationis, & inter decretum permiſsiuũ peccati; ac proinde contra ipſos ſit ſecunda pars reſolutionis. Quod ex modis aſsignatis, ille de mutua prioritate mihi magis arridet.

Primo, quia huiuſmodi modus ſignificandi, ſeu explicandi plura componit loca Sacræ Scripturæ, Patrum, & S. Thom. quæ non facilem habent explicationem, niſi aſſeratur, quod licèt permiſsio peccati fuerit decreta priùs in genere cauſæ materialis, quam Incarnatio, nihilominus in genere cauſæ finalis priùs fuit volita à Deo Incarnatio, quã peccati permiſsio.

Pro hac autem probatione plura loca adducunt Aſſertores illius modi, vnum autem, vel alterum in medium adducam. Dicitur enim ad Coloſen. 1. *Chriſtum eſſe ante omnes res* (Id eſt ante omnes creaturas,) ad Hebr. 2. *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quẽ omnia, authorem ſalutis eſſe per paſsionẽ.* Ad Corinth. 3. loquens Apoſtolus cum electis ait: *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.* Quibus in locis, vt explicant communitèr Patres apud Suar. hic. diſp. 5. ſect. 2. de Chriſto ſecundum, humanitatem eſt ſermo, & non tantum ſecundum Diuinitatem, vt volunt Contrarij; cum præclarè ad rem Ruper. lib. 3. In Matth. de glor. & humilitat. Filij hominis, & lib. de gloria Trinitat. & Spiritus Sancti cap. 19. 20. & 21. Inquit: *Religioſè dicendum eſſe, & reuerentèr audiendum, quod propter hunc hominem* (Chriſtum, ſcilicèt, de quo loquebatur) *gloria, & honore coronandum, Deus creauerit omnia.* Et rurſus ait: *Non propter Angelos homines eſſe creatos, ſed propter quemdam hominem fuiſſe creatos Angelos.* Fauet Cyrilus lib. 5. theſaur. capit. 8. docens Incarnationem Chriſti fuiſſe primum opus Dei ad extra, ſed non primum in executione; plura enim opera ante Chriſtum in executione fuiſſe, docet Fides. Ergo in intentione Dei. Attendite verba: *Fundatur ante nos Chriſtus, & nos ſuper ipſum, quo ædificamur ante initium mundi in præſcientia Dei, vt in ordine Diuino benedictio antecederet maledictionem.* Et ſubdit: *Chriſtus author ſalutis noſtræ fundatur ante initium mundi, vt ſi præuaricatione caderemus, rurſus in ipſo renouaremur.* Ex quibus, & alijs quam pluribus locis non leue conficitur argumentum pro hac re; nam omnia hæc loca vnanimitèr clamant, Chriſtum eſſe primum inter omnia, & primum, propter quem omnia; hæc autem verba denotant cauſalitatem finalem, non enim alio modo, niſi hoc, loquuntur Scriptura, & Patres, cum docent, Deũ eſſe cauſam finalem omnium rerum, iuxta illud: *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Deus.* Ergo cum eundem modum ſeruent loquendi Scriptura, & Patres circa Incarnationem Verbi comparatione ad omnia alia entia ad extra, dicendum eſt, illam eſſe cauſam finalem omnium.

Nec leui fundamine nititur in Sanct. Thoma, qui pluribus in locis docet, totum fuiſſe à Deo factum propter prædeſtinatos, & præcipuè propter Chriſtum, quod denotat cauſalitatem finalem. Sic habet in 4. diſtinct. 48. quæſtion. 2. articul. 2. & in additionibus ad 3. part. quæſt. 91. artic. 2. & de Pœnitent. quæſtion. 5. articul. 5. & 4. contr. gent. cap. vltimo, & clariùs in hac 3. par. quæſt. 24. articul. 3. & 4. vbi aſſerit, Chriſtum fuiſſe cauſam finalem, & exemplarem noſtræ prædeſtinationis; ex quo ſequitur, fuiſſe Chriſtum pri-

Digitized by Google

primum in intentione Dei prædeſtinantis, etenim finis primus eſt hoc modo, & cauſa exemplaris præcedit exemplatum. Confirmat hoc idem infra quæſtion. 8. art. 3. dum ait: *Chriſtum eſſe caput Angelorum, etiam ſecundum rationem influxus.* Ergo ex omnibus his locis non poteſt negari, Chriſtum Dominum fuiſſe primum in intentione Dei, ac proinde, ſicut in genere cauſæ finalis præceſsit quamlibet rem aliam in intentione Dei, ita decretum circa illum, quod erat decretum Incarnationis, præcedere debuit in eodem genere cauſæ quodlibet aliud decretum circa quamlibet aliam creaturam.

Quod, vt clarior hæc res appareat, iuxta mentem Sanct. Thom. non legem ex eius doctrina, & ex alia communi apud Thomiſtas ebibite rationem: Permiſsio peccati primi Parentis fuit effectus prædeſtinationis eius, ſicut in cæteris prædeſtinatis permiſsiones peccatorum eorum ſunt effectus prædeſtinationis, iuxta veriorem Thomiſtarum ſententiam; ſed prædeſtinatio Chriſti fuit ante prædeſtinationem primi Parentis, vtpotè illa fuit cauſa exemplaris huius, & cuiuslibet alterius prædeſtinati, ſicut, & finalis, vt his in locis inquit Sanct. Thom. Ergo de primo ad vltimum non poteſt negari, ſaltèm in genere exemplaris, & finalis, fuiſſe priùs decretum Incarnationis, quam decretum permittendi peccatū, licèt in alio genere cauſæ, ſcilicèt materialis, à contrario res ſe habeat, quod eſt altera pars reſolutionis; pro quo videantur loca à nobis adducta articulo præcedenti pro noſtra reſolutione.

Iam ergo ratione agamus contra prædictos Authores; nam eatenus ipſi in ordine conſtituendi Diuina decreta primatum tribuunt decreto permittendi peccatum, & illud redimendi, quatenus conformantur hoc modo loquendi dictis Scripturæ, Sanctorum Patrum, & Sanct. Thom. vnanimitèr clamantibus propter remedium peccati præuiſi à Deo, decreuiſſe mittere Filium ſuum in mundum: atqui non minus ex Scriptura, Patribus, & Sanct. Thoma conſtat, Chriſtum Dominum primatum habuiſſe in intentione Dei, præ aliis rebus, vt in omnibus locis immediatè poſitis videre licèt. Ergo ſicut ex locis pro art. præced. licèt colligere, præceſsiſſe decretum permittendi peccatum ad decretum Incarnationis, ex iſtis etiam colligere licebit, præceſsiſſe decretum Incarnationis ad decretū permittendi peccatū.

Confirmatur. Quia dum componi poſſunt teſtimonia Patrum, Scripturæ, & Sanct. Thomæ, quæ inter ſe pugnantia videntur, dum ex tali concordia, nō ſequatur aliquod abſurdū, aut aliquid contra rationem, concordari debent, & licèt concordari, ne periculo ponamur, illa ſiniſtrè interpretari: atqui ex eo quod teſtimonia probantia, præceſsiſſe decretum permittendi peccatum, intelligantur de præcedentia ad genus cauſæ materialis pertinente; & teſtimonia probantia, præceſsiſſe decretum Incarnationis ad cætera alia decreta, intelligantur de præcedentia ad genus cauſæ finalis pertinente, non ſolum non ſequitur aliquod abſurdum, aut aliquid contra rationem, quin potiùs talis modus dicendi conformior eſt rationi, eo quod mutuam prioritatem, & poſterioritatem in diuerſo genere cauſæ, præcipuè inter cauſam materialem, & finalem, experientia confirmauit apud Phyloſophos, & præcipuè Thomiſtas, qui vnanimitèr mutuam prioritatem admittunt in diuerſo genere cauſæ, tam in phyſicis inter materiam, & formam, & inter iſtam, & ſuas diſpoſitiones, quam in Theologicis, vt inter permiſsionē peccati, & pœnitentiam quæ permiſsio, in eorum ſententia, vt intenta ex intentione pœnitentiæ, eſt effectus prædeſtinationis, ac perconſequens, pœnitētia eſt finis, & in hoc genere permiſsionē præcedit, & permiſsio ſupponitur in genere cauſæ materialis, ſicut, & ipſum peccatū, ſine qua, & ſine quo, tanquam materia circa quam, præſuppoſita, nō exerceretur, nec intenderetur pœnitentia. Ergo huiuſmodi modus phyloſophandi de mutua prioritate, non ſolū impoſſibilis nō eſt, ſed verior, & præcipuè iuxta principia S. Thomæ, quæ prædictus Author tantopere protetur.

Dices pro iſto Authore ex n. 18. ſect. 3. huius diſp. hanc prioritatem Incarnationis in genere cauſæ finalis, quam nos excogitamus, ſtare non poſſe (verba ſunt ipſius) cum doctrina S. Thom. affirmantis, quod Incarnatio volita

ſit à Deo occaſione peccati, & propter eius remediũ; ſed potiùs è contra, quod permiſſio peccati, & eius remediũ volita ſint propter Incarnationem, tanquã propter finem prius volitum à Deo. Sed contra eſt; nam ex eo quod verificetur, iuxta noſtram prioritatẽ, quod permiſſio peccati, & huius remedium ſit propter Incarnationem, non negatur, quod etiam Incarnatio ſit propter remedium peccati; id etiam tenetur ipſe concedere in prioritate ſua reperta in remedio peccati reſpectu Incarnationis, in qua poteſt inſtari argumẽtũ. Nam ſi permiſſio peccati eſſet omnibus modis prior Incarnatione, non poſſet ſtare cũ doctrina S. Th. affirmantis, Criſtum eſſe primum in intentione Dei præ cæteris rebus ab ipſo decretis. Ergo vel ſua prioritas non compatitur cũ doctrina S. Th. vel noſtra non opponitur illi: ratio ergo propter quã noſtra, nec illa opponatur S. Th. eſt, quia cũ prædictæ propoſitiones pertineant ad diuerſum genus cauſæ, tantum abeſt, quod affirmatio vnius ſit alteriùs negatio, quin potiùs, non ſolum relinqueat liberam alterius affirmationem, ſed neceſſariò illam ſic relinquit, quod commune eſt omnibus rebꝰ ſe mutuo depẽdentibꝰ, vt in exẽplis poſitis, §. Præced. planum fiet, eo quod prioritas vnius cauſæ alterius non tollit prioritatem.

Dices ſecundo, id, quod maiorem vim habere videtur pro ſua ſententia, licèt ipſi non occurrerit, nimirum, ex noſtro modo phyloſophandi, nõ ſolum ſequi mutuam prioritatem in diuerſo genere cauſæ, ſed in eodẽ, quod repugnantiam habere videtur, vtpotè illa particula *propter* denotat cauſam finalem, & reperitur in Incarnatione reſpectu remedij peccati, & in remedio peccati reſpectu Incarnationis. Sed contra eſt; nã nõ ſolum mutua prioritas in diuerſo genere cauſæ poſſibilis eſt, & de facto conceditur à Thomiſtis, ſed etiã mutua prioritas in eodem genere cauſæ, ſi ſubordinatæ ſint; quod ſic declaro, & probo, adhuc iuxta eius ſententiam: nam etiam ſi Chriſtus ſit intentus propter remediũ peccati, tanquam propter finem, ac proinde remedium peccati ſit prius volitum à Deo, quam Chriſtus; non tollit, quominus Chriſtus, vtpotè finis cæterorum, ſit propter quem omnia decreta ſunt: vlteriùs, etiam ſi Incarnatio ſit volita à Deo propter remedium peccati, tanquam propter finem, non tollit, quominus ipſum remedium peccati, quod eſt finis ordinetur ad alium finem vlteriorem, ſcilicèt gloriam Dei, vt ipſe fatetur ſect. 5. num. 36. cum omnibus Theologis. Ergo etiam ſi Incarnatio ſit volita à Deo propter remediũ peccati, tanquam propter finem, non tollet, quominus ipſum remediũ peccati ſit volitum à Deo propter Incarnationem, tanquam propter finem; ſicut enim ibi volitio vnius finis vlteriùs ad alium finem ordinatur ſubordinatũ, ita hic volitio finis Incarnationis vlteriùs ordinatur ad finem remedij peccati, cui etiam ſubordinatur, præcipuè cum remedium peccati finis ſit *cui* reſpectu Incarnationis ſecundum ſuam ſubſtantiã præciſsè conſideratæ.

Pro quo dupliciter diſcurri poteſt, nimirum, cum communi Authorũ noſtræ ſententiæ, & peculiariter ſuppoſito modo communi; duplicem eſſe finem, nimirum, *qui* ab alijs *quo* nominatum, videlicèt, cuius gratia aliquid efficitur, & *cui*, videlicèt, cui finis *qui* ordinatur, tanquam quid vtile ad bonum: ſic gloria intenta à Deo Petro, v. g. dicitur finis *qui* voluntatis eius, & ipſe Petrus finis *cui* ipſa gloria tantam vtilitatem præbet, cui ordinat voluntas Dei alium finem, ſcilicèt gloriam, & non poteſt Deus habere voluntatem efficacem dandi gloriam, nec dandi Petro, niſi priùs tanquam ſubiectum, & materia, in qua, vel circa quã exercenda eſt gloria, præuideret Petrum; neque enim gloria volita efficacitèr eſt, niſi ſubiecto determinato, & priùs præuiſſo, quod ſubiectum, & habet rationem cauſæ materialis reſpectu gloriæ, & rationem finis *cui* tantum bonum tribuitur; ita vt huiuſmodi fines ita ſubordinati ſint, quod non poſſit vnus ſine altero in rerum natura exerceri, ac proinde nec intendi à comprehenſiuè intendente.

Eodem ergo modo dicendum eſt in Incarnatione, vt licèt ipſa ſit à Deo intenta, tanquam finis *qui*, quia tamen fuit intenta in peccati remedium, quo indigebat natura humana, ipſum remedium peccati quaſi paſſiuum, vel natura humana, vt redimenda erat finis *cui* ipſius voluntatis Dei Incarna-

Digitized by Google

nationem intendentis; eo quod tanta vtilitas fuit naturæ humanæ corruptæ paſsiuè ex illa Incarnatione actiuè redimente, ita vt licèt potuerit Deus alio fine velle Incarnationem, ſuppoſito tamen, quod voluntas Diuina ſe alligauit ad illam volendam propter remedium peccati, non potuit non ordinare illum finem *qui* ad iſtũ *cui*, ac proinde, & præſupponi aliquo modo volita à Deo permiſsio peccati, qua poſita ex fragilitate humana ſequeretur illud, vt in ipſa natura humana, tanquam in materia circa quam, vel in qua, & finis *cui* paſsiuè redimendus, exerceretur illa Incarnatio, vt redimens actiuè, ac proinde quod præcederet permiſsio peccati, & remedium illius in genere cauſæ materialis ad Incarnationem, ſecundũ ſuam ſubſtantiam, & poſtea ipſa Incarnatio ordinaretur ad ipſam naturam, tanquam ad finem *cui*, cui talis, & tanta vtilitas ex Incarnatione ſecuta fuit.

Quod ſi dicas cum aliquibus Recentioribus, de quorum numero eſt Monteſ. in hac diſput. quæſt. 3. prope finem, ipſum Chriſtum eſſe finem, non ſolum *qui*, ſed etiam *cui*, eo quod ex redemptione naturæ humanæ maxima reſultauit gloria, & exaltatio Chriſto Domino. Ergo potius res ſic ſe habuit, vt finis *qui* voluntatis Dei fuerit remedium peccati, & Chriſtus, vt exaltandus, & glorificandus, fuerit finis *cui*, quàm è contra. Concede totum, dicẽdo, quod ſicut inter fines *qui* pluries datur ſubordinatio, ita & inter fines *cui*. Quod vt explicem, ſic modo mihi occurrit philoſophari: quod ex parte naturæ redimẽdæ poteſt conſiderari ratio finis *qui*, & ratio finis *cui*; ſicut ex parte Chriſti poteſt etiam conſiderari, & ratio finis *cui*, & *qui*, ita ſe inuicem ordinantes, vt quando concipitur ipſa naturæ redemptio, ſecundum ſe, habeat rationem finis *qui* reſpectu voluntatis Dei intendentis Incarnationem, & quia ex hac redemptione, ſecundum ſe, naturæ, reſultauit gloria maxima, & exaltatio Chriſto Domino, ipſe Chriſtus Dominus, vt exaltandus, habet rationem finis *cui*, quia ordinata fuit ipſa redemptio naturæ ad Chriſti exaltationem.

Quando vero concipitur ipſa redemptio naturæ, non ſecundum ſe, ſed prout tantam vtilitatem, & exaltationem conſecuta eſt ex Verbi Incarnatione, quod verificaretur hominem eſſe Deũ; tunc quod habuit rationem finis *qui* reſpectu voluntatis Dei Incarnationem intendentis, non tàm eſt ipſa redemptio paſsiua naturæ, quam ipſe Chriſtus, vt Redemptor actiuè, ex quo tantam dignitatem toti naturæ reſultauit, quia ordinatus fuit ipſe Chriſtus, ſecundum ſe, ad talem naturæ exaltationem; & quod habuit rationem finis *cui*, eſt ipſa natura, vt exaltanda per Chriſti, & Verbi Incarnationem: vnde ſicut Chriſtus, ſecundum ſe, decretus in genere cauſæ finalis *qui*, eſt prior ſe ipſo, vt exaltatus, qua ratione habet rationem cauſæ finalis *cui*, & hoc modo res à contrario ſe habet; ita ſimiliter redemptio paſsiua naturæ, ſecundum ſe, eſt prior in genere cauſæ finalis *qui*, ſe ipſa, vt exaltata, qua ratione habet rationẽ finis *cui*, licèt in hoc genere cauſæ finalis *cui* à contrario eueniat; ac proinde quodlibet extremum; ſcilicèt, Chriſtus, & natura redimenda, per modum finis *qui* conceptũ ordinatur ad inuicem immediatè ad aliud, quatenus hoc concipitur per modum finis *cui* illius, licèt mediatè forſam quodlibet ſeorſim, ſecundum vnam rationem conſideratum, ad ſe ipſum, ſecundum alium conſideratũ, ordinetur; vt cernere licèt in Chriſto, qui vt intentus ſecundum ſe, ordinatur ad ſui exaltationem mediatè, quatenus immediatè ordinatus fuit ad redimendam naturam, ex qua redemptione ſecuta fuit eiuſdem Chriſti exaltatio, licèt immediatè ad exaltationem naturæ, vel ad naturam exaltandam ordinetur.

Ex quibus facile erit colligere ordinem ſeruatum inter Diuina decreta; etenim poſtquam Deus vidit ſcientia ſimplicis intelligentiæ tres illos ordines poſsibiles ad extra ſe communicandi, naturæ, ſcilicèt, gratiæ, & vnionis hypoſtaticæ, priùs, noſtro modo intelligendi, in genere cauſæ finalis, voluit efficacitèr ſe communicare per vnionem hypoſtaticam, decernendo Chriſtum Redemptorem, quia hæc communicatio eſt inter illas perfectiſsima, & ad iſtam omnes aliæ ordinantur; in genere tamẽ cauſæ materialis, priùs, noſtro modo intelligendi, ſe voluit communicare in eſſe naturali, imò, & ſupernaturali gra-

tiæ, in quibus ordinibus continentur permiſsiones defectuum, tam ad ordinem naturæ pertinentes, quam gratiæ, ad hoc vt poſtea executioni mandaretur illud primum decretum Chriſti Redemptoris, non enim, vt Redemptor decerni poterat, niſi cũ ordine ad illud, quod remedio indigebat: ex quibus modis ſe communicandi, & reſultauit gloria naturæ humanæ, ſecundum quam conſiderationem ipſa natura, non tam exercebat rationem cauſæ materialis Incarnationis Chriſti, quam finalis *cui*, ad quam ordinata fuit Incarnatio, & etiam reſultauit gloria Chriſto Domino, ſecundum quam conſiderationem ipſe Chriſtus, non tam exercebat rationem finis *qui*, quam finis *cui*, ad quem, vt exaltandus, ordinata fuit redemptio paſsiuæ naturæ, mediante redemptione actiua Chriſti Domini.

Argumenta contra præcipuam reſolutionem ſoluta.

ARTIC. IV.

CÆterum in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij Chriſtus Dominus eſt priùs volitus à Deo, vt finis creaturarum, ad quem, tanquam ad magis perfectum, omnia ordinantur, iuxta plura loca à nobis adducta art. præced. Ex vi ergo huius voluntatis Dei circa Chriſtum, cum ſit efficax, infallibilitèr veniret, peccato non exiſtente. Conſequentia patet; quia id, quod eſt priꝰ, non dependet à poſteriori ad ſui exiſtẽtiam. Reſpondeo, quod licèt Chriſtus fuerit prius volitus efficacitèr à Deo, in genere cauſæ finalis, ante omnia alia; in genere tamen cauſæ materialis, prius fuerunt volitæ res aliæ, inter quas numerantur defectus, quos permiſsiuè voluit, quam ipſe Chriſtus: vnde quod eſt priùs prioritate ſubſiſtendi conſequentia, non dependet ad ſui exiſtentiam à poſteriori, vt patet in arbore reſpectu fructus; quod autem eſt priùs ſolum prioritate cauſalitatis, à poſteriori dependet ad ſui exiſtentiam, vt patet in impreſsione pedis in arena, quæ prior eſt, quam receſsus arenæ, & nihilominus exiſtentia impreſsionis pedis neceſſariò dependet à receſsione arenæ: ſimilitèr gloria priùs eſt efficacitèr volita adultis prædeſtinatis, quam merita, & media, & nihilominus non daretur eis exiſtẽtia gloriæ, ſi nulla eſſent ipſorum merita: Hoc ergo modo ſe habet Incarnatio reſpectu peccati, & eius permiſſionis.

Quod ſi inſtes. Incarnatio nullam connexionem habet cum permiſsione peccati, ſicut in caſibus poſitis connexio cernitur. Dic, quod licèt non habeat connexionem ex natura rei cum permiſsione peccati, poterat enim eſſe volita à Deo propter aliud motiuum; illam tamen de facto habet (vt eruditè explicat in hoc art. Caiet.) ex ordinatione Dei volentis, & ordinantis, vt redẽptio naturæ, non niſi per Filij ſui Incarnationem executioni mandaretur, cuius voluntatis ſufficientem manifeſtationem nobis demonſtrant plura Sacræ Scripturæ teſtimonia, & Patrum à nobis adducta in hac quæſt. art. 2. vnde dignoſci à nobis debet Diuinæ voluntatis inditium.

Opponunt ſecundo. Qui ordinate vult, qualis eſt Deus, priùs omnimodo vult id, quod eſt magis bonum, quam id quod minus bonum eſt, & hoc ad illud ordinatur, etenim bona imperfectiora ad perfectiora ordinari, petit eorum natura, cum habeant ſubordinationem in bonitate, in qua fundatur amabilitas: qua ratione Deus omnia vult in ordine ad ſuam bonitatem, tanquam ad primũ bonum, & primum amabile: atqui magis bonum eſt Incarnatio Chriſti, quam permiſsio peccati, & naturæ redemptio. Ergo Deus volens hæc extrema, priùs omnimodo vult Incarnationem, quam peccati remedium, & ad illam ordinat redemptionem naturæ, tanquã ad maiorem bonitatem.

Reſpondeo, negando maiorem, & ad probationem dico; quod licèt natura bonitatis imperfectioris petat ordinari ad perfectiorem bonitatem, de facto tamen poteſt libere intendens hunc ordinem inuertere, quia ſibi placuit, præcipuè ſi illam maiorem bonitatem ordinet ad minorem tanquam ad finẽ *cui*, qua ratione ordinauit Incarnationem, ad exaltationem naturæ humanæ; vel ſi poſtea vtraque bonitas ad aliam perfectiorem ordinetur, vt de facto ordinauit Incarnationem Chriſti, & redemptionem naturæ ad Dei gloriam,

riam, & Chriſti exaltationem. Imò hoc argumentum, quod eſt præcipuum ſuæ ſententiæ, tenentur ſoluere Scotiſtæ, cum aſſerant, quod licèt Chriſtus veniret abſolutè, non exiſtente peccato, tamen dicunt, quod nunquam veniret in carne paſsibili, niſi peccatum exiſteret; ad quod tollendum Chriſtus paſsibilis ordinabatur; & nihilominus Chriſtus paſsibilis perfectius bonum eſt, quam remedium peccati.

Opponunt tertio. Si Chriſtus fuit volitus à Deo, vt Redemptor, non potuit in illa prima voluntate non inuolui peccatum, quod redimēdū velet; eo enim quod quis velit aliquem finem, neceſſariò vult etiam omnia, quæ ad talem finem neceſſaria ſunt; ad finem autem Redēptoris neceſſarium eſt peccatum redimendum. Ergo Deus volens Chriſtum Redemptorem, vult etiam ipſum peccatum, quod abſurdum eſt. Reſpondeo, hoc argumentum teneri ſoluere omnes Authores; Scotiſtæ quidem, ex eo quod in eorum ſententia non poteſt veli Chriſtus paſsibilis, niſi dependentèr à peccato; Thomiſtæ autem, ex eo quod aſſerunt, permiſsionem peccati eſſe effectū prædeſtinationis, ſine eo quod Deus, volendo pœnitentiam, verbi gratia velit ipſum: ſicut ergo ibi dicitur, quod Deus volens Chriſtum paſsibilē, & volens pœnitentiam, non vult peccatum, niſi vt materia deſtruēda, quod non ſolum non eſt inconueniens, ſed ſumma perfectio Dei; ita intendens in illa prima voluntate Chriſtum Redēptorem, non ſequitur velle peccatum redimendum, niſi vt materia deſtruenda; ſolum enim ſequitur, quod ex parte ſua ponatur permiſsio, tanquam conditio remouens prohibens, qua poſita, ex fragilitate voluntatis ſequetur peccatum.

Opponunt quarto. Non eſt rationi conſonum, vt Deꝰ intendat illud, quod eſt ſupremum bonum inter omnia, qualis eſt Incarnatio, per accidens, & occaſionalitèr; quod autem occaſionalitèr intendatur, ſi dependeat à præuiſione peccati, ex eo patet, quia peccatum per accidens ſe habet ad naturam hominis, & intentionem Dei. Ergo Incarnatio, quæ intenditur dependentèr à peccato, per accidens, & occaſionatè intenditur. Reſpondeo, quod nullum eſt inconueniens, Incarnationem dici bonum occaſionatè intentum à Deo, hoc eſt occaſione peccati prouocantis miſericordiam Dei in genere cauſæ materialis præſuppoſiti, dummodo ipſa per ſe primo in genere cauſæ finalis, ob eius maximam bonitatem, cadat ſub intentione primaria Dei, quod omnes tenentur admittere, eo quod Incarnatio Redemptrix eſt, quod non poteſt eſſe, niſi occaſione illius, quod redimendum eſt per illam.

Opponunt quinto. Si ante decretum Incarnationis præceſsiſſet aliquomodo peccatum, daretur cauſa reprobationis noſtræ, quod eſt contra Paulum ad Roman. 9. dicentem: *Ante quam quid quam boni, vel mali egiſſent, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt; Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Etenim peccatum originale, vel actuale eſt ſufficiens cauſa ex parte noſtra; nam propter originale multi paruuli damnantur, & multi adulti propter actuale: ſed ſecundum noſtram ſententiam, peccata ſunt præuiſſa ante noſtram prædeſtinationem, vel reprobationem; nam prædeſtinatio Chriſti, quæ eſt noſtræ cauſa, vt dicitur ad Epheſ. 1. præſupponitur ad noſtram, vt cauſa ad effectum; peccata vero noſtra ſunt præuiſſa ante prædeſtinationem Chriſti, vtpotè prædeſtinatus fuit in remedium eorum. Ergo etiā erunt præuiſſa ante noſtram prædeſtinationem, vel reprobationem. Patet conſequentia, nam iuxta commune proloquium: *Quidquid eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati.* Ergo ſi peccata noſtra ſunt cauſa, ſaltèm in genere cauſæ materialis, prædeſtinationis Chriſti, & prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis, & prior noſtra reprobatione, erūt etiam cauſa noſtræ reprobationis, ſicut, & priora noſtra prædeſtinatione, qua Deus, & Dominus noſter abinitio prædeſtinauit.

Hoc argumentum, vt inquit Medina in expoſitione huius articuli, eſt quod faceſsit negotium viris doctiſsimis, propter quod in varias ſolutiones fecit illos abire, quas ipſe adducit, & erudite impugnat, quibus omiſsis. Reſpōdeo cum ipſo, quod peccatum, quod poterat eſſe ſufficiēs cauſa noſtræ reprobationis, non eſt, niſi peccatum cōmiſſum; propter hoc enim ſolam poteſt quis

quis reprobari; hoc autem modo non præceſsit prædeſtinationem Chriſti, nec noſtram, ſed tantum præceſsit peccatum, vt futurum, & hoc eſt, quod docuit Sanct. Thom. in hoc artic. ad 4. cũ dicit: *Prædeſtinatio ſupponit praſcientiam futurorum.* Et ideo Deus prædeſtinauit opus Incarnationis in remedium peccati, ſcilicèt, futuri; itaque De⁹ præuidens Adamum caſurum, prædeſtinauit Chriſtum in eius remedium; ſicut cum præuidentur morbi futuri, medicina paratur.

Nec contra hoc vim habet inſtantia, quam Medina affert, nimirum Chriſti prædeſtinationem non fuiſſe, vt homines à peccatis reſeruarentur; aliàs enim in mundo nullum eſſet peccatum, ſed omnes eſſent in gratia confirmati, vel Diuina protectione tenerentur, ne laberentur in peccatum; ſed ſolum fuiſſe ad tollendum peccatum, quod gratiam reuera deſtruxerat. Non, inquam, habet vim; nam, vt optimè idem Author aduertit, licèt prædeſtinatio Chriſti nõ fuerit deſtinata ad præſeruandum hominem à peccatis, tamen per ſe primò, nec deſtinata fuit ad tollenda peccata commiſſa, quæ reuera gratiam deſtruxerint: ſed ad tollendum peccatũ, quod præuidebatur futurum, & quo reuera homines priuandi erant gratia, quod eſt medium inter illa duo priora extrema. Addo tamen, quod licèt non fuiſſet ordinata Incarnatio determinatè ad peccata commiſſa, vel committenda tollenda, ſaluaretur, Chriſtum intentũ eſſe, vt Redemptorem, abſtrahendo tamen à modo redemptionis, ſcilicèt, vel per gratiam ſanatiuam, quomodo fuit Chriſtus Redemptor noſtri, vel per gratiam præſeruatiuam, quomodo piè creditur Chriſtum fuiſſe Redemptorem intemeratæ Virginis Mariæ.

Opponunt ſexto. Gratia, quam habuit Adamus in ſtatu innocentiæ, fuit ex meritis Chriſti (& idem eſt de gratia Angelis collata) tùm, quia ipſi correſpondet modo ſpecialis gradus gloriæ; tùm, quia maxima videtur excellentia Chriſti, quod tota gratia in quocumq; ſtatu fuerit orta ex eius meritis, vtpotè in quocumque ſtatu caput fuit Angelorum, & primorum parentum; tùm denique, quia merita, quæ habuit Adam⁹ in illo ſtatu, fuerunt effectus prædeſtinationis ipſi⁹, vtpotè per illa gradum gloriæ peculiarem obtinuit. Ergo tam eius gratia, quam merita ſupponebant Chriſtum futurum; non enim poſſent eſſe effectus meritorum Chriſti, niſi Chriſtus, eiuſque merita futura ſupponerentur: atqui illa gratia Adami, & eius merita fuerunt ante illius lapſum; per hũc enim illam deperdidit, & nobis etiam originariè nocuit. Ergo etiam ſi Adamus non peccaret Chriſtus veniret; cũ non poſſet non executioni mandari illud decretum circa Chriſtum, vtpotè efficax.

Hoc argumentum, quod difficile ſanè eſt, duplicitèr ſolui poteſt, iuxta duplicem modum ſatis probabilem in ſententia Sanct. Thom. cuius probabilitatis meminere Salmanticenſes tract. 5. de Prædeſt. diſp. 4. dub. 2. num. 25. & 26. Primo, dicendo, quod gratia Adamo collata (ſicut, & Angelis) in ſtatu innocentiæ, & eius merita fuerint ex meritis Chriſti propter rationes in argumẽto tactas; non tamẽ ex hoc ſequitur, venturum Chriſtum, ſi Adamus non peccaret; nam, vt optimè Gabr. aduertit hic diſp. 1. §. 26. numer. 534. & Caietan. licèt venerit de facto, imò, & intentus fuerit à Deo, ſuppoſito peccato in genere cauſæ materialis, venit tamen, & intentus fuit, tanquam vniuerſale principium totius gratiæ pro omni ſtatu, & pro omni creatura, ita vt pro diuerſis ſtatibus tribueret Deus ex meritis Chriſti diuerſis creaturis gratias diuerſas, nimirum, vel reparatiuas, & ſanatiuas, vt nobis de facto contulit poſt lapſum, vel nec reparatiuas, nec ſanatiuas de facto, ſed cum virtute ſanandi, & reparandi, ſi lauerentur, vt Adamo contulit, & Angelis, vel denique præſeruatiuas, vt creditur de B. Virgine; quo ruit tota fabrica argumenti.

Reſpondeo ſecundo, & fortaſsis probabilius iuxta S. Thom. negando, quod gratia, quam habuit Adamus in ſtatu innocentiæ, fuerit ex meritis Chriſti, ſed ex prouidentia quadam Dei ad illum ſtatum pertinente; ac proinde, nec merita eius fuerunt effectus ſuæ prædeſtinationis. Et ad probationem dico, quod licèt de facto contulerint eius gratia, & merita ad gloriam, ita vt ipſis correſpondeat peculiaris gradus, non tamen ipſis, vt in illo ſtatu ellicitis, ſed vt re-

ſtan-

Digitized by Google

ſtauratis per gratiam redemptiuam, correſpondet nouus, & peculiaris gradus gloriæ. Cuius ratio eſt deducta ex viſceribus doctrinæ Sanct. Thom. in hoc art. quia cum Chriſtus fuerit prædeſtinatus in remedium peccati, in hoc decreto fuit imbibita ratio Redemptoris, non vtcumque, ſed peccati præſuppoſiti, ac proinde gratia, quæ non fuerit redemptiua, nec merita, quæ non ſint orta à redemptiua gratia hoc modo explicata, non poterunt ortum habere ex meritis Chriſti; & hoc non habuit locum in gratia Angelis collata, nec Adamo pro illo ſtatu: vnde licèt Chriſtus caput eorum dicatur pro quocumque ſtatu, hoc ſolum eſt quoad dignitatem, & excellentiam, quoad rationem autem influxus, non ita propriè dicitur caput reſpectu Adami, & Angelorum, ac reſpectu noſtri. Quod qua ratione intelligendum ſit, iuxta à nobis dicenda quæſtion. 8. huius 3. part. diſp. de gratia capitis quæſt. 1. per totam, liquido conſtabit.

Vrgebis. Adamo fuit reuelatum in ſtatu innocentiæ myſterium Incarnationis, vt docet Sanct. Thom. 2. 2. quæſt. 2. art. 7. & probat in hac 3. part. in hoc artic. in 1. argumento. Ergo ante ſtatum peccati habuit Adamus fidem, qua crederet, venturum eſſe Chriſtum: Atqui fides eſt infalibilis. Ergo infalibilitèr veniret Chriſtus, qui reuelatus fuit Adamo, etiam ſi non peccaret. Dic, quod licèt verum ſit, reuelatum fuiſſe Adamo in ſtatu innocentiæ myſterium Incarnationis, non tamen veniret, ſi Adamus non peccaret; nam vt inquit San. Thom. in hoc loco: *Solum habuit Adamus fidem explicitam de Chriſti Incarnatione, ſecundum quod ordinabatur ad conſummationem gloriæ, non autem ſecundum quod ordinabatur ad liberationem à peccato.*

Quod ſi inſtes. Ergo ſaltèm vt conſummator gloriæ veniret, etiam ſi Adamus non peccaret; aliàs enim illa fides Adami non eſſet infalibilis, ſed poſſet ſubeſſe falſum. Dic iterum, quod adhuc vt conſummator gloriæ, non veniret, deficiente peccato, quia licèt illa fides Adami terminaretur ad Chriſtum, vt conſummatorem gloriæ, non ex hoc, quod non terminaretur ad illum vt Redemptorem, veniret, vt conſummator, & non vt Redemptor, nam Deus præuidens peccatum Adami in genere cauſæ materialis, decreuit Incarnationem Chriſti Redemptoris illius, & reuelauit Adamo illam ſecundum vnam partem, vel effectum, quem habuit, ſcilicèt, conſummandi gloriam, & nõ reuelauit illam ſecundum alteram, ex qua præcipuè occaſionalitèr decreta eſt, ſcilicèt, redimendi peccatum: *Neque enim* (vt inquit Sanct. Thom. in hoc art. ad 5.) *prohibet alicui reuelare effectũ, cui non reueletur cauſa: potuit igitur primo homini reuelari Incarnationis myſterium, ſine eo quod eſſet præſcius ſui caſus.*

Cuius ratio eſt, quia ſi reuelaretur eius caſus, ſcilicèt, peccatum, quod fuit cauſa huius effectus Incarnationis, non poſſet non generare illi maximam triſtitiam illi ſtatui, vtpotè fœlicisſimo, repugnantem: non autem ex hoc, quod ipſe ſui caſum, & peccatum futurum non cognoſceret, non erat iam Deo præuiſus, intuitu cuius Incarnationem decerneret, ſicut decreuit; & ita infalibilis eſſet fides Adami circa aduentum Chriſti, quia vt falibilis foret, deberet non venire, vt conſummator gloriæ, non autem talitèr venit, vt Redemptor, vt non veniret etiam, vt gloriæ conſummator, licèt principalitèr veniret, & intentione Dei decretus eſſet, vt Redemptor, quam vt gloriæ conſummator.

Explicatur in cuius peccati remedium venerit, vel potuerit venire, Chriſtus Dominus.

ARTIC. V.

PRo cuius lucè ſtatuo priùs, quod in hac re, ſuppoſita diſtinctione peccatorum, Angelorum, ſcilicèt, Parentis primi, & noſtrorum actualium, tam mortalium, quam venialium; & ſuppoſito decreto, quod Deus de facto habuit circa aduentum Chriſti; plus temporis, quam par eſt, conſummunt Recentiores, cum vix poſsit eſſe aliqua difficultas, ſuppoſito, quod docet Sanct. Thom pluribus in locis, præcipuè in hac quæſt. art. 3. & 4. nimirum, Chriſtum Dominum veniſſe ex vi præſentis decreti ad delendum peccatum, non ſolum

lum originale, quod traductum eſt in poſteros, ſed etiam ad delenda omnia peccata, tam mortalia, quam venialia, quæ poſtmodum naturæ ſuperaddita ſunt; non ita quod omnia deleantur (quod eſt propter defectum hominum, qui Chriſto non adhærent) ſed quia ipſe exhibuit, quod ſufficiens erat ad omnium peccatorum deletionem.

Ex qua doctrina, & manet exploſſus error Origenis affirmantis, Chriſtum veniſſe, non ſolum propter peccata hominum, ſed etiam Angelorum; quam ſententiam hæreticam eſſe affirmat Auguſt. lib. de hæreſ. cap. 43. & manet certum, quod dè facto, non ſolum venit ad delendum originale peccatum, ſed etiã omnia actualia inde ſubſecuta: vnde congruentèr Sanct. Thom. hunc artic. cõparatiuè propoſuit, inquirens: *Vtrum Incarnatio Chriſti facta fuerit principaliꝰ ad tollendum peccatum originale, quam actuale?* Comparatiua autem quæſtio, vt notat Caiet hic, ſupponit poſitiuam certam, ſcilicèt, quod pro vtriſque venerit; vnde ſi manet aliqua difficultas, ſolum eſt circa quæſtionem comparatiuam, ſuppoſito decreto, quod de facto habuit Deus, vel circa quid faceret, ſi res ita diſpoſitæ fuiſſent, vt ſolum eſſet peccatum originale, & non actuale, vel ècontra, vel quid, ſi tantum eſſent venialia: in quo, licèt nihil certum poſſit definiri, ſed diuinare ſolum erit, iuxta illud Eſai. 40. *Quis adiuuit ſpiritum Domini, aut* quis conſiliarius eius fuit? nonnulla tamen, licèt diuinando, probabiliora dicam. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio prima ſit. Licèt ex vi præſentis decreti veniſſet Chriſtus, non ſolum ad delendum peccatum originale, ſed etiam quælibet actualia inde ſubſecuta; principaliùs tamen, ex vi præſentis, ſeu eiuſdem decreti, venit ad tollendum tã originale, quã actuale. Eſt certa reſolutio apud Sanct. Thom. in hoc artic. quam probat ex illo Ioan 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Quem locum exponens Beda ait: *Peccatum mundi dicitur peccatum originale, quia eſt commune totiùs mundi, & ad hoc delendum, principaliùs venit Agnus Dei.* Ratio concluſionis eſt, quia licèt peccatum actuale ſit intenſiuè maius, quia plus habet de voluntario, quam originale, vt probat hic Sanct. Tho, Extenſiuè tamen originale eſt peius malum; quia plures infecit: ſed ex Ariſtot. 1. Ethic. cap. 2. bonum gentis, id eſt communitatis, eſt Diuinum, & præſtantius, quam bonum particulare. Ergo ad Diuinam prouidentiam medicantem morbum expectabat principaliùs peius malum tollere, atque radicem omnis mali, qualis eſt culpa originalis; ob quam rationem vocatur Pſalm. 50. numero plurali: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea,* quam particulare, quod eſt malum ſoliꝰ perſonæ.

Reſolutio ſecunda ſit. Ex ſuppoſitione, quod res ita diſpoſitæ fuiſſent, vt præuideret Deus, futurum eſſe peccatum originale tantum, & non actualia; vel ècontra (mitto modò ſi hoc poſſet ita contingere) imò, & ſi præuidiſſet, ſola futura eſſe peccata venialia, ſiuè in vno, ſiuè in pluribus hominibus, licèt abſolutè poſſet Deus gratis per ſuam omnipotentem virtutem, iſta peccata dimittere, & condonare, vt hic docet Sanct. Thom. Ex ſuppoſitione tamen; quod non, niſi per ſatisfactionem adæquatã, illa condonare decreuiſſet, neceſſitate ex ſuppoſitione compulſus, decerneret Incarnationem; ac per conſequens, pro quolibet eorum Chriſtus veniret. Hanc reſolutionem, licèt non communem, neque ita expreſſam in aliquo repererim, probabiliſſimam (ne amplius dicam) iudico. Eam tenentur defendere omnes Authores, qui infinitatem tribuunt veniali peccato, & qui negant pro illo poſſe hominem iuſtum perfectè ſatisfacere, quos ego, dum in præcedentibus de hoc agerem, imitatus ſum, & ſemper imitabor, ſaltèm quoad hoc quod purus homo non poſſit ad æqualitatem pro peccato veniali ſatisfacere.

Eam, ni fallor, efficacitèr probo ex doctrina Sanct. Thom. in hac quæſt. artic. 2. ad 2. Vbi neceſſitatem Incarnationis, & aduentus Chriſti Domini per condignam, & adæquatam ſatisfactionem, ex ſuppoſitione peccati, ex eo probat; *Tùm, quia tota humana natura erat per peccatum corrupta. Tùm etiam, quia peccatum contra Deum commiſſum quandam infinitatem habet ex infinitate Diuinæ Maieſtatis.* Ex quibus verbis ſic efformo rationem. Hæ duæ rationes addu-

ctæ

Digitized by Google

ctæ à Sanct. Thom. ad probandam neceſsitatem Incarnationis, ex ſuppoſitione, quod peccatum condignè, & adæquatè ſatisfaciendum eſſet, talitèr ſunt efficaces, vt propter quamlibet earum probet neceſſariam fuiſſe Incarnationẽ Verbi: atqui licèt prima probet hãc neceſsitatem ex vi præſentis decreti, quia Deus præuiderat totam naturam corruptam per peccatum, & fortaſis probet, neceſſariam fuiſſe etiam Incarnationem, ſi Deus præuidiſſet maiorem hominum partem peccatis infectam (qua ratione poſſet dici, totam naturam infectam eſſe, ſicut de facto dicitur tota natura infecta originali, licèt B. Virgo nõ infecta ſit, vt piè creditur, & tota natura infecta peccato mortali actuali, licèt plures ſint homines, de quibus piè creditur, non fuiſſe peccato mortali actuali infectos) at ratio ſecunda Sanct. Thomæ probat, neceſſariam fuiſſe Incarnationem, ex ſuppoſitione quod peccatũ condigne, & ad æqualitatem eſſet ſatisfaciendum, etiam ſi ſolum præuideret vnicum, ſiuè mortale, ſiuè veniale, eo quod quodlibet eſt cõtra Deum, & pro eo nullus homo, quantumuis iuſtus, ſatisfactionem condignam, & adæquatam, ellicere poteſt, vt latè in ſuperioribus probauimus. Ergo ſi res ita diſpoſitæ fuiſſent, vt Deus præuidiſſet aliquod peccatum, ſiuè mortale, ſiuè veniale, in aliquo ſubiecto, licèt abſolutè poſſet illud dimittere per ſuam omnipotentem virtutem, gratis condonando; ex ſuppoſitione tamen, quod ad illius dimiſsionem condignam, & perfectam peteret ſatisfactionem, non poſſet non decernere Incarnationem Verbi, à quo elliceretur actus perfectè, & condignè ſatisfactorius, vtpotè petens quodlibet peccatum, vt hoc modo ſatisfieret, actum Dei, & hominis, vt loquitur S. Thom. in hoc art.

Facit etiam pro hac re illud Pauli ad Galat. 2. *Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Quem locum explicans Chryſoſt. libr. 2. de compunct. cordis, ait: *Quilibet noſtrum, ita tenetur gratias agere Deo pro beneficio Incarnationis, ac ſi pro illo ſolo veniſſet; non erat enim recuſaturus pro vno tantum mori; adeò dilexit nos.* Ex quibus locis ſic argumentor. Licèt de facto, & ex vi præſentis decreti, ita nos dilexerit Deus, *vt Filium ſuum Vnigenitum daret*, & morti traderet propter peccata noſtra; talitèr tamen nobis illum dedit, & pro nobis tradidit, ac ſi pro vnoquoque ſeorſim tradidiſſet, & ac ſi vnuſquiſque ſeorſim infectus eſſet, vt probat etiam Sanct. Th. in hoc art. 4. ad 3. dicens: *Illud peccatum naturæ, ita perfectè curatum eſt in vnoquoque, ac ſi in vno ſolo eſſet curatum.* Ergo ſi in vnoquoque ſolum peccatum aliquod præuideret, non eſſet credendum, quod deficet erga nos eius dilectio, vt traderet eius Filium, præcipuè ſi perfectam velet ſatisfactionem pro peccato, nam vt inquit Chryſoſt. *Non erat recuſaturus pro vno tantum mori.*

Obijcies. Incarnatio, vtpotè bonum ita commune, & vniuerſale, non videtur congruum, vt intendatur ob malum, ita particulare, quale eſt vnum peccatum in vno homine, & hoc ita leue, ſi ſolum ſit veniale; eo enim probat Sanct. Thomas, neceſſariam fuiſſe, quia per peccatum originale, vtpotè malum commune, tota natura corrupta erat. Ergo etiam ſi res ita diſpoſitæ fuiſſent, quod Deus præuideret aliqua peccata, vel aliquod peccatũ, ſiuè veniale, ſiuè mortale, non ideò ex hac neceſsitate compulſus teneretur Incarnationem decernere, quia tunc infirmitas eſſet particularis, quæ non eget generali, & vniuerſali remedio.

Reſpondeo, negando antecedens, & ad probationem dico, quod etiam ſi Sanct. Thom. ex illa ratione probauerit neceſſariam fuiſſe Incarnationem Verbi ad condignam ſatisfactionem; tamẽ etiam eandem neceſsitatem probauit eodem loco ex ratione infinitatis offenſæ peccati, quæ indepẽdens eſt ab hoc, quod peccatum totam naturam corrũpat, vel non corrumpat; in quocumque enim particulari peccato, ſiuè veniali, ſiuè mortali infinitas aliqua offenſæ reperitur in ſatisfactibilis adæquatè à puro homine, quamtumuis iuſto, vt ex diſcuſsis in ſuperioribus conſtat, ac proinde etiam cum fundamento in S. Thom. noſtram firmamus reſolutionem: Vnde cum ex malo communi corruptionis totius naturæ colligit neceſſitatem voluntatis Dei circa Incarnationem, quæ bonum eſt commune, & vniuerſale totius naturæ, hoc ſolum eſt

ex

Digitized by Google

ex vi diſpoſitionis rerum, quam de facto Deus præuidit; tamen ex alia ratione infinitatis offenſæ, etiã ſi malum ſolum eſſet particulare, poſſet colligi neceſsitas voluntatis Dei circa Incarnationem, quia tunc, licèt Incarnatio bonum eſſet ex ſe commune, & vniuerſale abſolutè, quia videlicèt erat ſufficiens ad delendum, non ſolum vnum peccatum, quod de facto tantum præuideretur futurum, ſed omnia alia, quæ poſſunt contingere; tamen in exercitio, & relatiuè bonum eſſet particulare, ſicut malum, ad cuius medelam decreta eſſet, particulare eſſet.

In calce articuli ſubiungo, in conſequentèr ſatis locutos fuiſſe aliquos viros doctos, & generatim ferè omnes, inter quos quidam ex noſtris in hac materia diſp. 12. ſect. 6. numer. 56 dum ex vna parte aſſerũt, ex ſuppoſitione, quod peccatum mortale ſatisfaciendum ſit ad æqualitatem, neceſſariam fuiſſe Verbi Incarnationem, vtpotè ſolum per actiones à Verbo incarnato ellicitas æquari poteſt infinitas offenſæ; & ex alia parte docent, quod quamuis eſſent aliqua peccata mortalia, & à Deo præuiderentur futura, non ideo decerneret Incarnationem: nam licèt diuinare ſit, quid De⁹ faceret, ſi præuideret aliquod peccatum futurum, quo, videlicèt, modo illud condonaret ex varijs modis, qui in ſua omnipotente virtute continentur, tamen ſi illud talitèr præuideret, quod ad illud condonandum æqualem ſatisfactionem exigeret, non tam diuinare eſſet, quid Deus faceret, quam neceſsitatem imponere, vt Incarnationem decerneret, ſine qua nulla eſſet cõdigna, & adæquata ſatisfactio. Quam in conſequentiam aliqualitèr tetigit P. Lorca hic diſp. 10. membr. 4. num. 60. prope med. dicens; illud autem verum eſt, & certum ex ſupradictis, non potuiſſe eſſe ſatisfactionem perfectam, & de rigore iuſtitiæ pro aliquo peccato, niſi à Diuina perſona; non aduertens, ſe ipſum etiam comprehendere, qui dicit diuinare eſſe in hoc, quod Deus faceret, ſi res alio modo præuideret. Addo, in eandem incidere in conſequentiam omnes Authores, qui nobiſcum ſenſere, peccatum veniale eſſe inſatisfactibile adæquatè à puro homine quantumuis iuſto; & ex alia parte ſupponunt, tanquam certum, quod ſi ſolum præuiderentur à Deo venialia peccata, non decerneret Incarnationem ob rationem dictam.

De conuenientia autem temporis, quo facta fuit Incarnatio, diſputat Sanct. Thom. in articul. 5. & 6. huius quæſtionis, Expoſitores autem nihil addunt, quare cum eodem Angelico Doctore reſoluo, non fuiſſe conueniens Incarnationem fieri à principio mundi ante peccatum; cuius ratio eſt; nam cum Incarnatio ordinata fuerit à Deo ad reparationem humanæ naturæ, non fuit conueniens, vt fieret initio mundi ante peccatum, nam non datur medicina, niſi priùs præuideatur infirmitas iuxta illud Matth. 9. *Non eſt opus valentibus medico, ſed male habentibus.* Accedit ad hoc, quod ſi Deus in initio mundi ad mundum veniſſet, non tanti veneraretur, nec cum tãta reuerentia tractaretur; ac proinde congruit, vt multis temporibus eſſet expectatus. Ob eandem etiam reuerentiam Chriſti non fuit conueniens, vt differretur eius aduentus vſque ad finem mundi, ne homines tanta dilatione, quaſi deſperati eum ſuſciperent. Ac denique conueniẽtiſsimum fuit, vt eius aduentus fieret in medio durationis mundi, iuxta illud Abac. 3. *Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud; in medio annorum notum facies.* Quod non ita intelligendum eſt, vt fieret in medio durationis mundi mathemathicè, & indiuiſibilitèr, ſed in media duratione annorum quaſi morali, ita vt diuiſſa tota rerum duratione in tres partes, in media venerit. Videatur Sanct. Thom. qui plura curioſa ſatis, & ingenioſa hic pertractat.

DISPVTATIO II.

Circa quæſtionem 2. S. Thomæ.

De actione, termino, & merito Incarnationis.

POſt conuenientiam Incarnationis, quam in præcedenti quæſtione S. Thomas latè differuit, iam iam in hac ſecunda quæſtione de eſſentia, & natura ipſius per 12. articulos lato calamo ſermonem inſtituit, vbi etiam eius Expo-

po-

Digitized by Google

poſitores. Caiet. Medin. Cabr. Araujo, & omnes communitèr plura, quam par eſt, quæ magis videntur ad nomen, quam ad rem pertinere, pertractant, inter quæ plura miſcent, ita certa apud Catholicos, vt faſtidioſum iudicarem, latè in medium vobis adducere; quare abſtinendo, quantum poſsim, à nominalibus difficultatibus, & à prolixa errorum impugnatione, in hac diſputatione methaphyſicas tantum agam difficultates, quæ reduci poſſunt ad actionem, terminum, & meritum Incarnationis; de quibus omnibus diſſerit Sanct. Thomas Doctor Angelicus, & omni exceptione maior tam doctè, eruditè, & comptè, vti aſſolet, vt intuenti conſtabit.

An actio Incarnationis, ſeu vnitiua Verbi cum humanitate ſit aliquid creatum?

QVÆST. I.

IN Hac re, licèt paucisſimi Authores ex profeſſo tractent hanc quæſtionem, forſis quia magis ad Phyloſophos, quam ad Theologos pertinet, qui in 2. Phyſic. de cauſalitate Dei ad effectus ad extra ſermonem inſtituunt, eam pertractare libuit. Tùm quia maxime vtilis. Tùm quia in hac quæſtione art. 7. Sanct. Thomas aliqualitèr eam tetigit, dum de eius termino inquirit, an ſit aliquid creatum? Commune ergo aſſertum erga Recentiores eſt, hanc actionem (ſicut, & cæteras, quibus Deus res operatur ad extra) eſſe formalitèr aliquid creatum, & tranſiens, medio quo Deus in actu ſecundo operans ad extra dicitur. Ita Molina 1. part. quæſt. 25. artic. 1. diſp. 2. Vazq. ibidem cap. 6. Suar. in præſenti diſp. 8. num. 3. vbi non tam probat, quam ſupponit, quod faciunt ferè omnes Ieſuitæ; licèt aliqui eorum dicant, hoc creatum eſſe ipſum terminum actionis, vt pendentem à Deo; verum hanc actionem eſſe aliquid formalitèr increatum, & immanens (ſicut, & cæteras, quibus Deus res operatur ad extra) tenent omnes Thomiſtæ, vt Capræol. in 2. diſt. 1. quæſt. 2. concl. 1. Caiet. 1. part. quæſt. 25. art. 1. Ferrara 2. cont. gent. cap. 16. & 35. Araujo. 3. par. quæſt. 2. art. 8. dub. 1. Cabr. ibid. art. 7. diſp. 1. quos ſequūtur cōmunitèr Scriptores noſtri in ſuis manuſcriptis, & nouitèr eam tenet, vel potiùs ſupponit R. & illuſtriſ. M. Godoy tom. 1. in 3. part. diſp. 11. num. 1.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo ex Damaſcen. lib. 9. de fide cap. 11. actionem iſtam, qua tota Trinitas humanitatem Verbo coniunxit, diuerſas ſortiri denominationes, licèt eadem indiuiſibilis ſit, dicitur enim vnitio, quatenus duo extrema vniuit; aſſumptio, quatenus vnum ex extremis alterum ad ſe ſumpſit; Incarnatio, quatenus id, quod aſſumpſit, nō fuit quælibet natura, ſed natura carne affecta; humanatio, quatenus non quamlibet naturā affectam carne, ſed humanam aſſumpſit; & denique creatio dicitur, quatenus terminabatur ad humanitatē ex nihilo faciendam, præſcindendo ab alijs muneribus, quæ ex hac creatione humanitati accreuere, quod qua ratione intelligendum ſit, ad quæſt. 17. latè ediſſeram, vbi de exiſtentia humanitatis Chriſti ſermo inſtituetur; nunc autem interim breuitèr iſta Thomiſtica principia ebebite, ex quibus facilè intelligetur reſolutio præſentis difficultatis.

Nimirum, quod ſicut iuxta S. Thom. generatio, & corruptio eadem eſt actio ſecundum rem, diuerſa vero ſecundum rationem, imò, & generatio, & alteratio, vt ad libros de generat. & corrupt. diſp. 1. q. 1. ar. 1. & 2. docui, & ſecundū hanc diuerſitatem per rationē, dicim⁹, In diuerſis generibus cauſarum, vnamquamq; priorem, & poſteriorē eſſe alias; ita ſimilitèr in hac noſtra actione, ſecundum rem eadem, eſt diuerſitas, ſecundum rationē, pœnes diuerſos reſpect⁹, quos exprimit, ſicut diuerſis nominib⁹ ſignificatur, & etiā eſt prioritas, ſecundū diuerſum genus cauſæ, ita vt ſecundum genus cauſæ materialis, ipſa actio, vt creatio dicitur, ſit prior cæteris, ſicut, & ipſe terminus, ſcilicèt humanitas, prior eſt in hoc genere; cum in ipſa exerceantur cætera actionis mu-

nera; in cæteris autem generibus res à contrario ſe habet, ſicut, & ipſi termini; qua propter dixit Leo Papa Epiſtol. 11. *Natura noſtra non ſic aſſumpta eſt, vt priùs creata, poſt aſſumeretur, ſed vt ipſa aſſumptione crearetur.* Quia nimirum, licèt priùs fuerit ſecundum rationem creata in genere cauſæ materialis, non tamen ita priùs, vt verificaretur, quod poſt, id eſt, quod poſt aliquod tempus creationis, aſſumeretur.

Obſeruo ſecundo. Prædictam actionem, quomodocumque explicetur, dupliciter poſſe conſiderari (& idem eſt de alijs actionibus Dei) nimirum actiuè, quatenus dicit reſpectum quemdam tranſcendentalem ad terminum, quem neceſſariò connotat, & paſsiuè, quatenus ipſe terminus ſimilem etiam reſpectum dicit ad actionem, quam etiā neceſſariò connotat; quod ſi actio exerceatur per verum motum, aut mutationem, vt in motibus ſecundum quantitatem, & qualitatem, qui ſupponunt ſubiectum, & in mutationibus ſecundum ſubſtantiam, qui materiam ſupponunt, contingit, ſubiectum mutabit, ita vt verificetur, realitèr alitèr ſe habere nunc, quam priùs; ſi autem exerceatur permutationem, vel motum non verum, ſed ſolum quoad modum ſignificandi, non mutabit ſubiectum, nec verificabitur propriè realitèr, alitèr ſe habere nunc, quam priùs. Sic Sanct. Tho. 1. par. quæſt. 45. art. 2. ad 2. de creatione: *Per quam producitur tota ſubſtantia rerum, in qua* (inquit) *non poteſt accipi aliquid idem alitèr ſe habere nunc, & priùs, niſi ſecundum intellectum tantum.*

Addo ſolum eſſe ſermonem in præſenti de actione conſiderata actiuè, nā de illa paſsiuè ſumpta iudicium eſt ferendum articul. ſeq. §. *Opponunt tertio*, & quæſtion. ſeq. per totam; forſis vera erit ſententia aliquorum ex Ieſuitis, nec noſtræ oppoſita, aſſerentium actionem Dei eſſe aliquid creatum, quatenus dicunt, conſiſtere in ipſo termino creato, & producto, vt à Deo dependenti; & fundamentum habet in Sanct. Tho. eodem loco artic. 3. ad 2. vbi loquēs de creatione, ait: *Creatio paſsiuè accepta eſt in creatura, & eſt creatura.* Quatenus ſcilicèt eſt ipſe terminus, vt relationem dicens ad Deum creantem; quod autem de creatione dicitur, de alijs Dei actionibus ad extra dicendum eſt. Quibus ſic obſeruatis.

Præfertur Thomiſtica doctrina.

ARTIC. II.

Reſolutio noſtra ſit. Actio, qua tota Trinitas vniuit humanitatem cum Verbo, (& idem eſt de alijs actionibus Dei) actiuè conſiderata, non eſt aliquid creatum, nec trāſiens formalitèr, medians re ipſa inter rem vnientem, & terminos vniendos; ſed eſt ipſamet eſſentia Dei, quatenus media ſua volitione, & intellectione vult, & imperat hāc terminorum vnionem in vno ſuppoſito pro tali temporis differentia; ac per conſequens talis actio eſt formalitèr aliquid increatum, & immanens, licèt poſſit dici virtualitèr tranſiens. Primo, quia eſt expreſſa mens Sanct. Thom. mille in locis (vt inquit Caietan. ſupr. articul. 1. quæſtion. 24. 1. part. Sanct. Thomæ) quibus expreſsè negat actionem mediam in Deo, cum de creatione, gubernatione, & quibuſuis alijs actionibus, & operationibus Diuinis ad extra eſt ſermo, præcipuè in hoc loco, & 2. contr. gent. cap. 35. in quibus ſola cognoſcitur à Sanct. Thom. in Deo actio immanens, habens (vt inquit Caietan.) efficaciam tranſeuntium, iuxta illud: *Dixit, & facta ſunt.*

Vnum autem, vel alterum expendam Angelici Præceptoris Sanct. Tho. locum, quibus lucè clariùs demonſtretur, noſtram concluſionem, ſeu reſolutionem eſſe de Angelici Magiſtri mente. Sit primum ex 1. part. quæſtion. 25. artic. 1. ad 2. vbi miro acumine, & qua aſſolet eruditione, & claritate hæc Sanct. Thom. verba profert: *Actio Dei non eſt aliud ab eius potentia, ſed vtrumque eſt eſſentia Diuina.* Quid clariùs? Et ad 3. ponens diſcrimen inter potentias in rebus humanis, ſeu creatis repertas, & in Diuinis, ſeu in Deo, aſſerit Magiſter Sanctus: *Quod licèt potentia in rebus creatis ſit principium, non ſolum effectus, ſed etiam actionis, in Deo autem potentia non eſt principium actio-*

Digitized by Google

actionis, quia nimirum ipſa potentia eſt actio; eſt tamen principium effectus, qui ad extra producitur; ad ſummum enim poteſt dici, quod potentia in Deo ſit principium actionis: *Secundum modum intelligendi, prout Diuina eſſentia (quæ in ſe ſimplicitèr præhabet quid quid perfectionis eſt in rebus creatis) poteſt intelligi, & ſub ratione actionis, & ſub ratione potentiæ.* Alterum teſtimonium de ſumo ex eodem Angelico Doctore 1. etiam part. quæſtion. 45. articul. 3. ad 1. vbi agens de creatione hæc habet: *Creatio actiuè ſignificata ſignificat actionem Diuinam, quæ eſt eius eſſentia cum relatione ad creaturam.*

Ex quibus locis ſic componodiſcurſum. Actio Dei, qua res ad extra producit, non eſt aliud ab eius potentia, nec vtrumque eſt aliud ad eius eſſentia, vt docet Angelicus Præceptor; hoc autem non eſt quid medians re ipſa inter Deum, & terminum, quod ſit formalitèr creatum, & tranſiens, ſed ad ſummum poteſt dici quid medians, ſecundum modum intelligendi, vt idem Sanct. Thom. docet. Ergo talis actio formalitèr eſt aliquid increatum, & immanens, quod ſi aliquomodo poteſt dici tranſiens, ſolum erit virtualitèr, quatenus vim habet faciendi effectus ad extra, quod proprium eſt actionis formali tèr tranſeuntis.

Ratione etiam ſatis firma fulcitur reſolutio noſtra. Deus, vt actu operans ad extra formalitèr, eſt agens primum imparticipatum, & à ſe; ea enim prædicata habet agens, vt operans in actu ſecundo, ac vt operans in actu primo, ſolum cum expreſſione ſuæ virtutis operatiuæ. Ergo debet conſtitui in ratione actu operantis per aliquid pertinens ad agens primum imparticipatum, & à ſe. Patet conſequentia; quia vt operans in actu primo per aliquid imparticipatum, independens, & à ſe formalitèr conſtituitur, ac perconſequens, noſtra actio, de qua loquimur, ſicut, & cæteræ Dei, non eſt tranſiens formalitèr medians re ipſa inter Deum vnientem, & terminos vniendos, ſed eſt ipſamet eſſentia Diuina, quatenus media ſua volitione, & intellectione vult, & imperat talem terminorum coniunctionem pro tali temporis differentia.

Dices ex doctrina Contrariorum, quam pluries audiui, quod cum Deus, quãdo operatur res ad extra ſimul cum creaturis, dependeat ab illis, ideò in ratione actu operantis debet conſtitui per actionem ipſam creaturæ, quæ medium quid eſt re ipſa inter ipſum Deũ, & effectum productum, quod non habet, quando intelligitur ſolum, vt in actu primo operans, vel in actu ſecundo ſe ſolo, & ſine creaturarum conſortio; vnde ab Authoribus oppoſitis communitèr dicitur, Deum reduplicatiuè, vt actu operantem cum cauſis ſecundis, denominari agens creatum ab actione creaturæ, quæ eſt eius cauſalitas.

Verùm hæc ſolutio in pluribus peccat, imò in diſparitate, quam aſſignat inter Deum ſe ſolo operantem res ad extra, & inter ipſum cum cauſis ſecundis agentem. Primo peccat, nam non videtur congruentèr dictum, quod Deus in ratione operantis ad extra alitèr conſtituatur ſe ſolo operans, ac cum cauſis ſecundis agens, propter eius maximam immutabilitatem. Peccat ſecundo in eo, quod aſſerat, Deum vt actu operantem denominari agens creatum ab actione creaturæ, quæ eſt eius cauſalitas, vt actu ſit operans; nam contra eſt, quia creatura vt actu operans, non minꝰ, imò magis, dependet à Deo, quam Deus, vt actu etiam operans, dependet à creatura: atqui ob dependentiam, quam habet creatura, vt actu operans, à Deo, creatura non denominatur Deus. Ergo illa dependentia, quam habet Deus, vt actu operans, à creatura, non poterit illum creaturam denominare.

Nec valet, ſi dicas, quod aliquoties etiam audiui, nimirum, quod licèt illa dependentia, quam habet Deus, vt actu operans, à creatura, ſit ſufficiens ad hoc, vt ipſum Deum, vt actu operantem, agens creatum denominet, non tamen altera dependentia creaturæ à Deo eſt ſufficiens ad hoc, vt creatura, vt actu operans, denominetur Deus: vel agens increatum; nam cum deberet denominari ab actione, quæ eſt cauſalitas, & hæc quid creatum ſit, nequit ipſam creaturam alitèr denominare. Verùm contra hanc reſponſionem ſic, meo videri, non parum efficacitèr ſemper inſurgo; nam non minus Deus eſt agens

Digitized by Google

increatum, quam creatura creatum; ſed non obſtante, quod Deus eſt agens in creatum, poteſt, vt actu operans, agens creatum denominari, propter dependentiam ab actione creaturæ. Ergo, nõ obſtante, quod creatura ſit agens creatum, poterit, vt actu operans, increatum agens denominari, propter dependentiam actionis, prout à Deo ortæ. Quod ſi iterum dicas, quod etiam audiui, Deum non poſſe habere rationem formæ denominantis creaturam agens increatum. Dicam ego, neq; actio creaturæ poteſt eſſe forma denominans Deum agens creatum; nam ſicut extrinſecè ſe habet Deus reſpectu creaturæ; ita extrinſecè ſe habet creatura reſpectu Dei.

Aliqua aduerſæ partis argumenta ſoluta.

ARTIC. III.

CÆterum in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij ex S. Thom. 1. part. quæſtion. 105. artic. 2. dicentẽ: *Nihil prohibet, quod vna, & eadem actio proueniat à primo, & ſecundo agente.* Ergo, & quod ſit vtriuſque cauſalitas. Reſpondeo, quod ex hoc loco ſolum infertur, quod eadem actio, quæ prouenit à ſecundo agente, à primo proueniat, quod à nullo negari poteſt ob dependẽtiam, quam ſecundum agẽs à primo habet; non tamen ſequitur, quod ſicut hæc actio eſt cauſalitas agentis ſecundi, ita ſit cauſalitas primi agentis, ſed quod actio, quæ eſt cauſalitas agentis ſecundi, ſit effectus primi agentis, quod media ſua cauſalitate increata, ad extra producit eam: vnde licèt prædicta actio ſit via ad effectum (vt obitèr diluatur alia obiectio) comparatione agentis ſecundi, comparatione tamen ad Deum, à quo oritur; non tam habet rationem viæ, quam termini, licèt nõ vltimi, ſed connexi cum vltimo, qui eſt actionis effectus.

Opponunt ſecundo. Hæc noſtra actio vnitiua, ſicut, & aliæ, quibus Deus res operatur ad extra, habet terminum extra potentiam Dei agentis; terminatur namque per ſe ad vniendam humanitatem cum Verbo. Ergo talis actio non eſt formalitèr immanens, ſed tranſiẽs, medians re ipſa inter Deum vnientẽ, & terminos vniendos. Patet conſequentia; nam actio immanens formalitèr nullum habet effectum, aut terminum extra potentiam agentis, vt patet in intellectione, & volitione; in hoc enim à transeunte diſtinguitur. Reſpondeo, quod licèt actio, quæ ſolum eſt formalitèr immanens, quales ſunt præfatæ, nullũ habeat terminum, vel effectũ extra potentiam agentis; actio vero, quæ non ſolum eſt formalitèr immanens; ſed etiam virtualitèr tranſiens, poteſt habere effectum, & terminum extra potentiam agẽtis, quia talitèr ſe habet, ac ſi pure eſſet tranſiens, & talis eſt noſtra actio vnitiua, ſicut, & cæteræ, quibus Deus res operatur ad extra, & in prima ratione diſtinguitur à tranſeunte, non in ſecunda.

Opponunt tertio. Actio immanens Dei, cum ſit eius eſſentia, vt art. præced. docui ex S. Thom. competit Deo ab æterno: ſed prædicta vnitio, ſicut & aliæ, quibus Deus res operatur ad extra, competit in tempore; in tempore enim vniuit Deus Verbo humanitatẽ. Ergo prædicta actio nullatenus poteſt eſſe immanens. Nec valet, ſi dicatur, vnitionem, ſecundum ſuam perfectionem, & ſecũdum rẽ, cõpetere Deo ab æterno; ſecundum tamen quod dicit effectũ ad extra, & reſpectũ ad humanitatem aſſumptã, & vnitam, non competere Deo ab æterno. Nam contra eſt, quia ſi actio vniẽdi ſecundum rem, & perfectionem ſuam intrinſecam, eſt ab æterno in Deo. Ergo ab æterno eſt vnita humanitas Verbo. Patet conſequentia, quia poſita cauſalitate, non poteſt non poni effectus. Vlteriùs ſi illa actio vniendi eſt in Deo, & eſt ipſe Deus. Ergo cum Deus non potuerit non eſſe, non potuit etiam non eſſe talis actio; hæc autem quã abſurda ſint, ex ſe liquet. Ergo dicendum oppoſitum concluſionis eſt.

Hoc argumentum ita præſſit Recentiores, vt propter illud omnes ferè Societatis contrariam tueantur ſententiã: Verum ego nunquam in illo difficultatem aliquam inueni, quæ non currat in eorum ſententia. Quare reſpondeo admittendo ſolutionem datam primæ replicæ, inſtando argumentum cum ſua confirmatione in omnium ſententia. Potentia executiua Dei, cum ſit

ſit ipſe Deus, eſt ab æterno; & nihilominus, quia applicatio talis potentiæ eſt in tempore, non dicitur, effectus per illam executos eſſe ab æterno, ſed in tempore. Ergo licèt talis actio vnitiua, (& idē de aliis Dei actionibus) immanens ſit ab æterno in Deo, quia tamen reſpectus ille ad tempus, vel ipſum tempus, quo voluit Deus vnire, non eſt ab æterno, non dicentur ab æterno extrema vnita.

Vlterius; Deus libere applicauit ſuā potentiam executiuam in tali differentia temporis, vt exequeretur effectus, quem voluit; & nihilominus non infertur ex hoc, quod potentia eius executiua potuerit deeſſe, ſed ſolum applicatio eius, vtpotè libera, quod non ſolū nō eſt inconueniens, quin potius, ſi prout libera eſt, non potuerit deeſſe, maxima eſſet in Deo imperfectio. Ergo licèt actio vniendi ſit ipſemet Deus, non infertur, quod ſi potuit non eſſe talis actio, ſecundum illum reſpectum ad talem differentiam temporis, quod non eſſe potuerit, & deficere Deum.

Vndè ad argumentum dic; quod Deus ab æterno voluit vnire humanitatem Verbo, non tamen abſolutè, ſed pro tali temporis differentia; vnde ex tali volitione efficaci ſubſequitur effectus in ea temporis differentia, qua Deꝰ illum voluit. Ad confirmationem autem; quod illa volitio vniendi humanitatem cum Verbo, quoad ſuam entitatem, & perfectionem, quaſi abſolutam, non potuit deeſſe Deo; ceterum illa habitudo, & reſpectus, quem importat ad talem temporis differentiam, potuit ſine aliquo, vel leui, inconuenienti deeſſe, & deficere à Deo; vtpotè libera.

Opponunt quarto. Effectus iſte ad extra; ſcilicèt humanitatem eſſe vnitam Verbo, (& idem de quolibet alio à Deo producto) dependet à Deo media ipſius cauſalitate formalitèr: ſed per actionem immanentem; & increatam non poteſt formalitèr dependere; cum ipſa ſit formalitèr independens. Ergo cauſalitas Dei, & actio ad hos effectus non eſt aliquid increatum, & immanēs; ſed tranſiens, & creatum. Reſpondeo, quod ſi dependentia ſolum importet productionem, media qua agens actu, & formalitèr effectum producit; quæ vocari poteſt dependentia actiua; tantum abeſt, quod non poſſint effectus ad extra ab actione Dei formalitèr independenti pendere, quin potiùs non poſſunt ſubterfugere prædictam dependentiam propter eorum limitationem; ſi autem depēdentia importet hoc, quod eſt ipſam increatam Dei actionem eſſe formam, qua formalitèr effectus conſtituantur paſſiuè dependentes à Deo, quæ vocari poteſt dependentia paſſiua, ſic non poſſunt effectus ad extra ab actione Dei reddi formalitèr dependentes, vt optimè probat argumentum.

Opponunt quinto. Talis vnitio eſt in creatura, & eſt creatura, vt de creatione docet Sanct. Thom. 1. part. quæſt. 45. artic. 3. ad 2. cum per illam realitèr immutata ſit humanitas. Ergo non poteſt eſſe aliquid immanens, & increatū in Deo exiſtens, ſed debet eſſe aliquid formalitèr tranſiens in creatura receptum. Reſpondeo, hoc argumentum ſolum probare, vnitionem paſſiuè ſumptam eſſe in creatura, & eſſe creaturam; & exemplum de creatione, quod adducitur ex Sanct. Thom. id expreſsè conuincit: *Nam actiuè ſignificata* ſignificat Diuinam actionem, quæ eſt eius eſſentia cum relatione *ad creaturam*. Vt inquit idem Sanct. Thom. ibidem ad 1. ita ſimilitèr de noſtra actione vnitiua phyloſophandum eſt; nimirum, quod actiuè ſignificata ſignificat Diuinam eſſentiam cum relatione rationis ad humanitatem Verbo vniendam, & hac ratione eſt increata, & immanens in Deo; paſſiuè autem ſignificata eſt in creatura, & eſt creatura, vt docet idem Sanct. Thom. loco adducto pro hoc argumēto, quia per illam paſſiuè immutata fuiſſet realitèr humanitas, non quia reciperetur in ea aliqua actio realitèr medians inter humanitatem vniendam, & Deum vnientem; ſed quia ipſamet humanitas, quæ antequam intelligeretur talis actio vnitiua, non dicebatur referri ad Deum, vt vnientem, ſed ad Deum, vt creantem, iam ipſamet ſine aliqua realitate in ipſa recepta; ſolum connotatione ad Deum, vt vnientem, realitèr referri dicatur. vnde ipſamet, vt in eſſe vnibilis pendens ab actione vniente ſe tenente ex parte Dei, dicitur vnitio paſſiua, & hac ratione poteſt dici, hanc vnitionem eſſe in creatura; & eſſe creaturam; quam doctrinam aliqualitèr te-

tigit Cabrer. hic art. 7. diſp. 1. numer. 12. an autem dicenda ſit prædicta actio ſubſtantialis, dicant Phyloſophi.

Quiſnam formalis terminus incarnatiuæ actionis?

QVÆST. II.

IN Hac re primo ſe offert ſententia Scoti in 3. diſt. 1. quæſt. 1. art. 3. quē ſecuntur eius diſcipuli, aſſerentis, termi num formalem, & ſpecificatiuum hui⁹ actionis eſſe vnionem humanitatis cum Verbo, ſumpta vnione pro relatione prædicamentali, quæ ſola eſt, quæ producitur in humanitate per prædictam actionem. Raguſa autem cum magna parte Recentiorum, licèt conueniat cum Scoto in hoc, quod dicit, terminū formalem, & ſpecificatiuum eſſe vnionem humanitatis cum Verbo; differt tamen in eo, quod aſſerit, hunc modum vnionis non eſſe relationem aliquam, ſed quid abſolutum productum in humanitate, in quo fundatur prædicamen talis relatio humanitatis ad Verbum; ita hic diſp. 40.

Secundo autem ſe offert ſententia, quæ affirmat, terminum formalem, & ſpecificatiuum hui⁹ actionis eſſe ipſam vnitatem perſonæ Verbi, vt connotat humanitatem vnitam, tanquam conditionem. Ita Capræol. in 3. diſt. 15. quæſtion. 1. Caietan. in hac quæſt. artic. 8. vbi Medina, & Alvarez quæſt. 13. Valent. punct. 5. Nazarius hic controuerſ. 2. & quā plures alii Recentiores Theologi. A contrario autem aſſerit Vazq. 1. part. diſp. 162. cap. 3. quem ſecuntur aliqui Thomiſtæ Recentiores, de quorum numero ſunt Cabrer. art. 7. diſp. 2. num. 40. Araujo in hac quæſtion. artic. 8. dub. 3 aſſerens terminum formalem, & ſpecificatiuum prædictæ actionis eſſe humanitatem, vt vnitam Verbo, ly *vt vnitam* ſe habens per modum conditionis. Denique tādem Suarez diſp. 8. ſect. 2. & 3. quem ſequitur Lorca hic artic. 8. diſp. 16. num. 6. ad concordiam reducit omnes iſtas ſententias, aſſerens, prædictam actionem, ſecundum quod diuerſis nominibus explicatur, diuerſos habere terminos formales.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo, non eſſe præſentem controuerſiam de termino totali huius actionis, hunc enim, nulli dubium, eſſe Deū hominem, quod hac voce *Chriſtus* explicatur, vt docet Sanct. Tho. art. 6. 7. & 8. huius quæſt. & vocatur communitèr hic terminus *qui*, vel *quod*, ſed ſolum de termino formali determinante hūc terminum totalem ad eſſe talis, qui vocatur terminus formalis *quo*, ſiuè ratio formalis terminandi; qui termini in quacumq; actione diſtinguēdi ſunt, vt patet in dealbatione, v. g. cuius totalis terminus eſt, quod eſt dealbatum, formalis vera, & *quo* eſt albedo.

Obſeruo ſecundo, id, quod optimè obſeruauit Lorca loc. cit. num. 5. ex cō muni vſu, & traditione Phyloſophorū; terminum *quo*, ſiuè formalem eſſe illū, quo determinatur, & conſtituitur terminus totalis in eſſe termini totalis formalitèr; quod docuit Sanct. Thom. 1. part. quæſt. 41. articul. 3. vbi Caietan. & alii; & ratio eſt, nam eodem modo phyloſophari debemus de ratione formali terminandi, ac de ratione formali agendi, propter correſpondentiam, quam agens ad terminum habet: ſed de ratione formali agendi talitèr phyloſophamur, quod ſolum illa talis dicatur, quæ determinat, & cōſtituit agens totale in ratione agentis formalitèr. Ergo de ratione formali terminandi erit, quod illa ſolum ſit, quæ determinat, & conſtituit terminum totalem in eſſe termini totalis formalitèr.

Obſeruo tertio. Semper terminum formalem *quo* eſſe præcipuum, quod in ratione termini reperitur in termino totali, licèt aliàs in ratione entis poſſit eſſe non ita præcipuum, ac aliud, quod in termino totali imbibitur. Hoc patet in termino dealbationis, v. g. qui quidem terminus eſt dealbatum, in quo concreto reperitur ſubiectum ſubſtantiale, & forma accidentalis albedinis, in ratione autem entis, præcipuum, & principalius eſt ſubiectum, quam forma; tamen ſi in eſſe termini formalitèr dealbationis illa extrema conſiderentur, præcipuum

Digitized by Google

puum eſt albedo, quam ſubiectũ, quod tanquam materia ſe habet determinabilis ab albedine. Vnde malè Lorca ibidem, vt concluderet, humanitatẽ Chriſti poſſe habere rationem termini formalis in Incarnatione, quæ minus præcipua eſt, quam perſonalitas, excludit conditionem iſtam, nimirum, quod ſit præcipua pars, quæ reperitur in termino totali, cum ipſe non ſe poſsit ab hoc inconuenienti liberare, dum aſſerit, de ratione termini formalis eſſe, quod determinet, & conſtituat formalitèr terminum totalem, determinans autem formalitèr vt talis, vtpotè actus, præcipuus eſt, quam determinabile, vt potè potentia.

Obſeruo quarto; quod licèt quæſtio propoſita ſolum intelligatur de termino formali *ad quẽ*, pariformitèr phyloſophari debemus de termino formali *à quo*; etenim cum terminus *à quo* ſit priuatio termini *ad quem*, explicata natura termini *ad quem*, facile eſt explicare naturam termini *à quo*, vnde cum circa terminum *ad quem* totalem, nulla ſit controuerſia, eſſe Deum hominem, nulla etiam erit controuerſia circa terminum *à quo* totalem, eſſe non Deum hominem; & ſi circa terminum *ad quem* formalem controuerſia verſetur, eadem verſabitur circa terminum *à quo* formalem, quem iam explico.

Non produci modum vnionis, cui ratio termini formalis competere poſsit, authoritatibus probatur.

ARTIC. II.

PRo cuius lucè ſtatuo prius, id, quod diligentèr inueſtigauit Caietan. hic articul. 7. §. *In hoc articulo.* Nimirum hanc vnionem ſumptam pro relatione, plus differre ab vnione ſumpta pro coniunctione, qua fiunt vnum humanitas, & Verbum, quam Cœlum, & terram; eo quod prima eſt in genere relationis, quæ conſequitur ad ſecundam, quæ eſt in genere ſubſtantiæ. Vlterius nullus negauit, primam eſſe aliquid ſe tenens ex parte humanitatis, ſecunda autem, licèt apud maiorem partem Recentiorũ reperiatur tanquam aliquid ſe tenens realitèr ex parte humanitatis, & medians re ipſa inter ipſam, & Verbum, apud probatiores tamen Theologos, præcipuè ex ſchola Sanct. Thomæ, vnio ſumpta hoc modo non reperitur realitèr in humanitate medians inter ipſam, & Verbum; quare, ſupponendo modò dari vnionem ſumptam pro relatione inter humanitatem, & Verbum, quæ ſit aliquid creatum ex parte humanitatis, vt docet hic Sanct. Thom. art. 7. videndum eſt, an ſicut datur vnio ſumpta pro relatione, quæ quid productum ſit, detur etiam vnio ſumpta pro coniunctione formali, quæ quid productum ſit per hanc actionem, vt poſsit eſſe formalis terminus *ad quem* talis actionis? & (vt vno verbo dicam) an ſit ponendus iſte modus ſubſtantialis abſolutus inter humanitatem, & Verbum, ratione cuius vniatur prædicta extrema, & ex pluribꝰ fiat vnum in vnitate perſonæ? Quo ſtatuto.

Reſolutio noſtra ſit. Per prædictam actionẽ, qua vnita fuit humanitas Verbo, nihil reale fuit productum in humanitate medians inter extrema, quod vocetur modus vnionis ſubſtantialis, ſed ſe ipſis vnita fuere ſine aliquo intermedio realitèr diſtincto, adhuc modali; ac per conſequens, talis modus communitèr poſitus non potuit habere rationem termini formalis prædictæ actionis. Hanc reſolutionem tenent nobiliores Thomiſtæ, inter quos R. P. M. Fr. Ioan. a Sancto Thoma hic diſp. 4. artic. 1. contra alios ex eadem Schola, quos refert, & ſequitur R. & Illuſtr. M. Godoy tom. 1. in 3. part. diſput. 11. §. 1. numer. 3. & deinceps, & §. 2. & §. 5. num. 70. & §. 7. num. 85. addit, quod, & talis modus ſubſtantialis requiratur ex parte humanitatis, ex parte tamen verbi dari vnionem diſtinctam à prima non tamẽ diſtinctam ab ipſo verbo, ſed ipſum vniri humanitati intrinſicè ſe ipſo, vt gerente munus vnionis.

Verùm quia prædicta reſolutio aliquibus Phyloſophis difficilis viſa eſt, neque ad mentem vtriuſque Principis Phyloſophiæ, & Theologiæ, Ariſtotelis, & Sanct. Thomæ, ideo in hoc art. ex vtriuſque locis intendo eam probare. Primo ergo eam probo ex Ariſtotel. 2. de anima cap. 1. & 8. Meth. tex. 14. ibi *Quæ ſe mutuo ex natura rei reſpiciunt, vt actus, & potentia, non indigent nexu, vt vnian-*

vniantur, ſed ingenita propenſione in vnũ conſpirant. Quem locum explicans S. Thom. 8. Metaph. lect. vlt. ait: *Quod aliqui antiqui errabant, inquirendo, quid faciat vnum potentiam, & actum; quaſi opporteret eas colligere per aliquod vnum medium, ſicut ea, quæ diuerſa ſunt ſecundum actum.* Et ſubdit: *Non opportet ea vniri per aliquod vinculum, ſicut ea, quæ ſunt penitùs diuerſa: vnde nulla eſt cauſa faciens vnũ ea, quæ ſunt compoſita ex materia, & forma, niſi quod mouet potentiam ad actum.* Atqui hoc modo ſe reſpiciunt Verbum, & humanitas, vtpotè iſta paſſiuè eſt terminabilis, quod exprimit rationem potentiæ, Verbum autem actu terminans, & per illud actu formalitèr terminata dicitur, quod exprimit rationem actus. Ergo poſita actione agentis mouentis potentiam humanitatis ad terminationem actus Verbi per applicationem huius ad illam, ſine eo quod aliquid medium producatur, ſe ipſis vnientur, & conſpirabunt in vnum.

Confirmet hoc vlteriùs Theologiæ Princeps Aquinas in 3. diſt. 2. quæſt. 2. art. 2. vbi ait: *In vnione humanæ naturæ ad Diuinam nihil poteſt cadere medium formalitèr vnionem cauſans.* Efficacitèr autem, & efficientèr aliquod medium cauſans vnionem nõ negauit S. Thom. imòporiùs conceſſit in hoc loco ad 1. quæſtiunc. dicens: *Gratuitam voluntatem Dei eſſe medium vnionis, quaſi vnionem efficacitèr cauſans.* Quæ loca ſic põdero. Sanct. Thomas ad vnionem extremorum prædictorum requirit medium cauſãs effectiuè vnionem, quæ eſt actio Diuina, & negat medium cauſans formalitèr vnionem eorum extremorum. Ergo quia ſentit, quod poſita actione vnitiua applicante prædicta extrema, ſe ipſis formalitèr vniri, & ſine alio medio formali interiecto.

Dices, quod idem Sanct. Thom. eodem loco quæſtiunc. 3. ait: *Quod inter humanam naturam, & Diuinam neceſſe eſt cadere vnionem mediam.* Ergo non eſt magis Angelicus Doctor pro vna parte, quam pro alia. Sed contra eſt, nam licèt Sanct. Thom. dicat prædicta verba, proſequitur tamen ſic: *Non ſicut cauſam, ſed ſicut effectum coniunctionem naturarum conſequentem.* Quæ vltima verba ſic pondero. Vnio media, quam requirit in hoc loco Sanct. Thom. eſt talis naturæ, quod non ſit cauſans coniunctionem naturarum, ſed conſecuta ad talem coniunctionem. Ergo hæc vnio, de qua loquitur Sanct. Thom. non eſt illa, quã oppoſiti Authores intendunt; ſiquidẽ quam exigunt illi, eſt illa vnio, quæ coniungit extrema, non quæ ſubſequitur coniunctionem: *Eſt ergo* (concludit S. Thom.) *talis vnio relatio quædam, quæ conſequitur ex hoc, quod motus aſſumptionis humanæ naturæ terminatur ad perſonam: ſicut ex hoc, quod motus generationis terminatur ad formam, conſequitur relatio, quæ dicatur, materiam eſſe ſub forma.* Et de hac ſola vnione ſumpta pro relatione locutus eſt in toto hoc art. 7. vt videnti patebit.

Verùm licèt hæc, & alia quam plura loca Sanct. Thom. ſint noſtræ reſolutionis demonſtratiua, non vobis moleſtus ero, ſi alium proponam apud me ita clarũ, & à nemine, quem ego viderim, poſitum, nec citatum, vt quidquid ipſi reſpondeatur, dicere, & loqui tantum ſit. Eſt ergo locus ex 2. contr. gent. cap. 58. ratione 5. vbi hæc habet: *Ex duobus, aut pluribus non poteſt fieri vnum, ſi non ſit aliquid vniens; niſi vnum illorum ſe habeat ad alterum, vt actus ad potentiam ſic enim ex materia, & forma fit vnũ, nullo vinculo extraneo eos colligante.* Quæ verba ſic pondero, & ſimul impugno ſolutionem, quæ ad ſimilia verba ſolent afferri, nimirum, non requiri, vt actus, & potentia fiant vnum, aliquod vinculum, quod ſit res, benè tamen aliquod, quod ſit modus.

Eam vnionem, quam requirit Sanct. Thom. vniuerſalitèr loquendo, vt ex pluribus fiat vnum, excludit idem S. Thom. quando vnum fit ex pluribus ſe habentibus, vt actus, & potentia: atqui vnio, quam requirit, vniuerſalitèr loquendo, eſt modus quidam ab extremis diſtinctus, communitèr poſitus ab Authoribus, & non res. Ergo quam negat inter extrema ſe habentia, vt actus, & potentia, eſt idem modus realitèr diſtinctus ab vtroque extremo, & nõ res. Idẽ argumẽtum poteſt fieri circa illam particulam *vinculo extraneo*, quia videtur poſſe hoc modo ſolui argumentum. Tùm ſic. Perſonalitas, & humanitas, quæ ſunt extrema huius vnionis, ſe habent, vt actus, & potentia, eo proportio

na-

nali modo, quo materia, & forma ſe habent; etenim ſicut materia prima ſe ipſa eſt informabilis à forma, & forma ſe ipſa eſt informatiua; ita humanitas ſe ipſa eſt perſonabilis, & perſonalitas ſe ipſa eſt perſonatiua, vt ita dicam. Ergo ſicut iuxta Sanct. Thom. poſita actione applicatiua formæ ad materiam, ſe ipſis, & nullo vinculo medio, formalitèr cõiunguntur, & vniuntur; ita ſimilitèr, poſita actione aſſumptiua applicante perſonalitatem Verbi humanitati Chriſti, ſe ipſis, & nullo vinculo medio formalitèr vnientur, & coniungentur.

Eadem reſolutio rationibus fulcitur.

ARTIC. III.

Reſolutio noſtra, quæ hucuſq; haud leui fundamento fulcita authoritatibus Sanct. Thomæ eſt, iam iam non leuioribus fulcitur rationibus, eaſque deſumo à deſtructione fundamentorũ contrariæ ſententiæ, quas ſic compono. Si ex aliquo capite deberet poni modus aliquis vnionis realitèr medians inter humanitatem, & Verbum, ab hiſque extremis realitèr diſtinctus (& idẽ eſt de quibuſcumque extremis ſe habentibus, vt actus, & potentia) eſt, quia aſſumptio eſt noua actio realis, quæ nouũ terminum productum formalem petit habere; vel quia intrinſecè de nouo humanitas mutata eſt per aſſumptionem, quod non poteſt fieri, niſi per aliquid intrinſecum in ipſa receptum, & cum ſit denuo intrinſecè vnita, videtur, quod neceſſariò petat prædictum modum vnionis, à quo, tanquam à forma, prædicta intrinſeca denominatio proueniat; vel quia non poteſt alicui aſſignari ratio termini formalis, ſaltèm vt exprimitur nomine vnitionis, niſi prædicto modo vnionis; vel quia non poteſt permanere in rerum natura aliquis effectus formalis, quin ipſa forma permaneat, cum tamen permaneat effectus formalis vnitæ in humanitate, neceſſariò indiget permanentia vnionis; vel denique vt detur cauſalitas propria, quaſi materialis, & formalis, inter humanitatem, & Verbum, quæ ſe habent, tanquam potentia, & actus quæ cauſalitas debet eſſe diſtincta, ſicut quæ reperitur inter materiam, & formam, cum de eorum eſſentia non ſit actu vniri. Hæc enim ſunt omnia capita, quibus ſe conuincũt Authores oppoſiti ad ponendam vnionem mediam inter extrema etiam ſe habentia, vt actus, & potentia; vt videre licèt apud Araujo hic art. 8. dub. 2. apud Complutenſ. 1 Phyſicor. diſp. 6. quæſt. 2. Sed hæc omnia capita nulla ſunt. Ergo.

Minorem autem, quia plura continet capita, ſigillatim expendo, & vt à primo incipiam, ſic argumentor. Etiam ſi aſſumptio ſit vera, & realis actio de nouo, imò, & virtualitèr tranſiens (vt ſimul impugnetur ſolutio quædam, quã adducere poteſt Araujo loc. citat. num. 27.) non ideò debet habere nouum terminum realitèr productum, ſed ſat eſt, habeat nouum terminum in ratione termini ad extra, quem antea nõ habebat, licèt ipſe terminus materialitèr ſumptus, & in eſſe rei antea ſupponeretur; innumeræ enim ſuppetunt actiones, quæ, licèt ad earum nouitatem realem, nouitas etiam requiratur realis termini, non tamen neceſſariò producti, ſed iuxta diuerſitatem, & naturam actionum, termini dicentur, & erunt, ſat enim erit ad conceptum actionis, quod idem terminus præſuppoſitus nouitèr ſe habeat, & nouitèr paſsiuè terminet, qua ratione in ratione terminandi formalitèr, erit realitèr diuerſus pro diuerſitate reali actionis, licèt in ratione eſſendi idem realitèr perſeueret, vt videre licèt, in omnium ſententia, in actione conſeruatiua, quæ vera, & realis eſt actio, cum tamen eius terminus, in eſſe rei conſideratus, idem ſit realitèr, ac terminus actionis primæ productiuæ, & ſolum addit nouam terminationem paſsiuam nouæ terminationi actiuæ reſpondentem; actio item reſurrectiua, & reunitiua animæ ad corpus, quæ diſtincta eſt realitèr ab actione creatiua eiuſdem animæ, cũ tamen ad eandem animam reuniendam terminetur, cum ſola nouitate in eſſe terminandi paſsiuè; actio etiam nutritiua hominis diſtincta eſt realitèr ab actione generatiua eiuſdem, & reſpicit eandem animam rationalem, vt terminum formalem *quo*, prout ipſa nouitèr ſe habet in ordine ad diuerſam partem materiæ per nutritionem acquiſitam, quam informat; & in communi Thomiſtarum ſententia, idem contingit in nu-

Digitized by Google

nutritione equi, cuius anima indiuiſſibilis eſt; & etiam in Thomiſtarum ſententia idem contingit in actione intenſiua, cuius terminus eſt eadem qualitas præexiſtens cum noua terminatione paſſiua; & denique in actione conuerſiua panis in corpus Chriſti, in Thomiſtarum nobiliorum ſententia, quæ eſt ipſum corpus Chriſti, non ſecundum ſe, vtpotè iam tale ſupponitur, ſed prout fit ex pane, ſecundum quam rationem habet nouam terminationem, quam antea non habebat, licèt non nouam entitatem. Quæ omnia docuimus in libris de generat. diſp. 3. quæſt. 2. art. 2. §. *Alia via*, & deinceps. Ergo licèt aſſumptio ſit vera, & realis actio de nouo virtualitèr tranſiens, non ideò debet habere nouum terminum realitèr productum, ſed ſat eſt, habeat nouitatem modo à nobis explicato.

Secundum etiam caput pro contraria ſententia intentum nullum eſſe, co mihi perſuadeo: Quia optimè poteſt humanitas Chriſti alitèr ſe habere realitèr de nouo ſine receptione alicuius realitatis in ipſa, ſed per ſolam connotationem ad aliquid ſibi applicatum, quod antea applicatum non erat, & realitèr de nouo intrinſecè vniri ſine receptione alicuius formæ intrinſecæ; etenim Verbum etiam realitèr ſe habet diuerſo modo, quando vnitur humanitati, quam antea ſe haberet, & hoc ſine receptione alicuius realitatis in ipſo, ſed per ſuam entitatem, vt connotantem actionem illud applicantem. Ergo humanitas poterit ſe habere realitèr alitèr modò nũc, quam priꝰ, etiam ſi non recipiat aliquã realitatem, ſed ſolum per ſuam entitatem, vt connotantem actionem, qua ipſi applicatur perſonalitas Verbi per modum termini.

Confirmatur. Denominatio vniti, tam intrinſeca ex parte Verbi eſt, quam ex parte humanitatis; de Verbo enim verificatur, eſſe de nouo intrinſecè vnitum humanitati, ſicut ècontra, & nihilominus hæc intrinſeca denominatio noua ex parte Verbi, licèt requirat quaſi formam intrinſecam, nimirum, ipſum Verbum præſtans effectum formalem, quem alias præſtaret forma, non tamen requirit nouam formam ſe tenẽtem ex parte Verbi, ſed ſolum ipſum nouitèr per aſſumptionem humanitati in tempore applicatum. Ergo vt dicatur humanitas intrinſecè vnita Verbo de nouo, licèt requirat formam, vel quaſi formam intrinſecam, à qua proueniat talis noua intrinſeca denominatio; non tamen requiret nouam formam, ſed ſolum illam, qua nouitèr paſſiuè terminata eſt per talem aſſumptionem ſibi applicatam.

Nec valet commune effugium ex Araujo loc. cit. nu. 28. quod Verbum eſt incapax mutationis, ac proinde ſine realitate aliqua ſuperaddita poteſt habere prædictas intrinſecas denominationes; ſecus autem humanitas, quæ de ſua natura mutationi ſubiecta eſt. Sed contra. Nam licèt verum ſit, Verbum eſſe incapax mutationis, cuius capax eſt humanitas; non ideò debet hæc capacitas in noſtro caſu exerceri; tùm quia nullum eſt argumentum à potentia ad actum; tùm etiam, quia ex vi actionis, & termini eius primarij non debet expleri talis capacitas ad ſe mutandum, licèt ex vi termini ſecundarij, & conſequentis primariũ, ſcilicèt, relationis, quæ reſultat in humanitate ad Verbum, expleatur; nam hæc aſſumptio primò, & per ſe tendit circa humanitatem, vt conſtituendam in eſſe vnius perſonæ, ſcilicèt Chriſti, per terminationem perſonalitatis Verbi: atqui terminatio formalitèr vt talis, ſiuè paſſiua, ſiuè actiua, nullam dicit mutationem, etiam ſi ſubiectum, in quo exercetur, aliàs ſit capax mutationis, cum mutatio formalitèr, vt talis, non interueniat, niſi receptio vera reperiatur, terminare autem nec terminari, ſecundum quod formalitèr hoc exprimunt, nec eſt recipere, nec recipi; alias enim nec Deus poſſet terminare viſionem beatificam, nec intellectus Beati terminari poſſet ad Deum. Ergo cuicumque ſubiecto applicetur forma terminatiua, non ideò illud mutabit, licèt aliàs mutationis capax ſit.

Vlteriùs ſic argumentor. Nam dato quod humanitas haberet denominationem intrinſecam mutatæ, ſicut, & vnitæ, vnde locus, debere hoc prouenire ab hac vnione intermedia tanquam à forma intrinſeca? plures enim denominationes reperiuntur, quibus ſubiectum creatum intrinſecè mutatur ſine noua forma intrinſeca in ipſo recepta, ſed ſolum per ſuam entitatem, connotando ali-

Digitized by Google

aliquid extrinſecum; ſic in omnium ſententia, creata voluntas, quæ poſito iudicio ſine indifferentia, intrinſecè neceſſitata manet, ablato tali iudicio, & poſito alio cum indifferentia, intrinſecè libera perſeuerat: In probabiliſsima etiã ſententia non diſtiguente durationem, nec præſentiam, nec relationem à re durante, præſente, & relata, ipſamet res intrinſecè inuariata, nouitèr denominatur intrinſecè hodie durans, huic ſpatio præſens, albedini, v. g. ſimilis, ſolum quia ponatur actio, qua applicetur tempori hodierno, & huic ſpatio, vel qua producatur altera albedo, cui ſimilis dicatur. Ergo poteſt intelligi denominatio mutatæ, & intrinſecè vnitæ de nouo exiſtens in humanitate Chriſti abſq; aliqua forma intrinſeca de nouo in ipſa recepta, ſed per applicationem illius, media actione aſſumptiua ad perſonalitatem Verbi.

Tertium autem caput nullum etiam eſſe, ex eo clarè conſtat; quia adhuc ipſi Authores, cum quibus contendo, etiã ſi concedant prædictum modum vnionis productum, non tamen illi tribuunt rationem termini formalis, vt videre licèt apud Araujo loc. cit. dub. 3. & apud Complutenſes lib. de generat. diſp. 2. quæſtion. 3. Ergo ex eo, quod non ſit aliquid, cui aſsignari poſsit ratio termini formalis huic actioni, non debet poni talis vnio intermedia per actionem producta; quam rationem inferiùs latè expendemus, cum huic actioni, vt exprimitur nomine vnitionis, terminum formalem adſcribamus, qui non ſit vnio.

Quartum autem caput, quod adducit Araujo, pluribus demonſtro, falſum eſſe, aut nullum: etenim plures effectus formales permanere dicuntur in rerum natura, abſque eo quod permaneat forma, à qua formalitèr proueniunt; quod præcipuè verum tenet in ſententia omnium Thomiſtarum; effectus enim formalis diſpoſitionum præparantium materiam, & illam ſigillantium ad hanc formam potiùs, quam illam ſuſcipiendam, permanere dicitur in vltimo inſtanti corruptionis compoſiti præexiſtentis, & in primo introductionis formæ ſubſequentis, cum tamen non permaneant formæ diſponentes, cum iuxta ſententiam omnium Thomiſtarum, ad corruptionem compoſiti præexiſtentis corruptæ fuerint, corpus item Chriſti, prout eſt in Sacramento, permanere dicitur in rerum natura, cum tamen forma, qua conſtituitur in eſſe Sacramentali, non permaneat. Ergo ex eo, quod aliquis effectus formalis permanere dicatur in rerum natura, non ideò neceſſariò permanere dicetur eius forma.

Vlteriùs, licèt dato, verum eſſet antecedens propoſitum, non ideò deficeret forma, vel quaſi forma, quæ permanentèr eſſet in noſtro caſu, vt permaneret effectus formalis vnionis etiam, nã eo ipſo, quod permaneat id, ratione cuius humanitas, & perſona Verbi, quæ ſunt plura, fiunt vnum, permanet etiam forma, à qua permanere dicatur effect formalis vnionis permanentèr exiſtẽs; non enim videtur aliud eſſe permanere effectum formalem vnionis, quam permanere id, à quo tãquam à forma, quæ ſunt plura, habent eſſe vnum: atqui licèt tranſierit actio vnitiua, à qua tanquam à cauſa efficiente Verbum, & humanitas habent eſſe vnum in perſona, permanere dicitur Verbi perſonalitas, à qua, tanquam à forma eminentiori modo, ac à propria perſonalitate, habet eſſe humanitas vnum in perſona. Ergo ſicut, ſi id haberet à propria perſonalitate ab ipſa tanquam à forma, vel termino formali humanitas, & perſonalitas propria haberent eſſe vnum in perſona permanentèr, dum perſonalitas propria humanitati communicata permaneret, ita id habens à perſonalitate Verbi, quæ eminentiori modo continet effectum formalem perſonalitatis creatæ, potiori ratione ab illa, tanquam à forma, vel termino formali, habebit eſſe vnum permanentèr in perſona, dum permaneat Verbi perſonalitas humanitati communicata.

Quod ſi dicas ex doctrina Araujo loc. citat. num. 32. etiam ſubſiſtentiam indigere, vt actu terminet naturam modo vnionis ſuperaddito, cum de eius eſſentia ſolum ſit terminare, ſicut de eſſentia naturæ ſolum paſſiue terminari. Quod vt probabile docent Complutenſes loc. cit. num. 34. Contra eſt, primo commune Phyloſophorum aſſertum, qui quidem, licèt concedant modum vnionis diſtinctum, vt materia, & forma vniantur, negant tamen illũ, vt ſubſi-

ſiſtentia vniatur, & terminet naturam, & merito, eo quod modus rei, ſi verè eſt modus ſubſiſtentia, non indiget alio modo, vt ſuum tribuat effectum forma lem.

Contra eſt ſecundo; nam ex eo quod de eſſentia ſubſiſtentiæ non eſt actu terminare, nec de eſſentia naturæ actu terminari, requiritur, vt actu hæc extrema ſe terminent, modus aliquis medius inter illa, non obſtante, quod vnum extremum ex illis ſit modus alteriùs, vt aſſerunt prædicti Authores, ſed ſicut neque de eſſentia materiæ, v.g. & formæ eſt eſſe actu vnitas; ita neque de eſſentia vnionis eſt actu vnire, cum quælibet ex his ſint cauſæ creatæ, quæ ob ſuam limitationem non habet idemtificatam potentiam cum actu, ad diſtinctionem increatæ cauſæ, quæ ob illimitationem idemtificatum habet actum cum potentia, vt probant Complutenſes num. 24. & 25. loc. cit. & quælibet ex illis cauſis poſſet intelligi quoad ſua prædicata eſſentialia, ſine eo quod illa actu eſſent vnita, nec vnio ea actu vniret, vt patet in morte hominis. Ergo ob eandem rationem, vt vnio actu modificet materiam, & formam, indigebit alio modo intermedio, tam inter materiam, & vnionem, quam inter vnionem, & formam, non obſtante, quod hæc vnio ſit modus vtriuſque extremi, & ſic in infinitū modos multiplicaremus; nō enim videtur ratio, quare, vt vnus modus actu modificet rem, cuius eſt modus, requirat aliquem alium modum mediantem inter rem, & modum, & vt altèr modus actu modificet res, quarum eſt modus, non requirat alium modum me diantem inter res modificandas, & ipsū modum modificantem.

Dices cum Araujo (quod eſt quintum caput, quo mouetur ad ſuam ſententiam adſtruēdam loc. cit. num. 31.) Hanc vnionem requiri, ſicut requiritur in alijs compoſitis ſimilis alia vnio, qua copulentur partes; & ponit exemplum in continuo: vel qua tanquam per cauſalitatem actu cauſent partes; & ponit exemplum in anima rationali, quando informat materiam, quam vnionem exercet, ſeu informationem, media vnione interiecta. quæ ſe habet vt cauſalitas formæ (& idem eſt de materia,) vt exercet ſuam virtutem receptiuam, quam exercere nequit, niſi media prædicta vnione, tanquam cauſalitate etiam ipſius.

Verum denique neque hoc caput aliquìd valere ad prædictam vnionem adſtruendam, ſic pluribus ex eius doctrina ſuadeo. Primo enim ipſe inquit in fine huius numeri, quod licèt inter ſubſiſtentiam, & naturam interueniat modus vnionis, non tamen, ait, adſcribenda eſt huic modo ratio cauſalitatis. Ergo licèt daretur modus diſtinctus inter Verbū, & humanitatem, & inter materiam, & formam, non ideò eſſet, vt daretur vera cauſalitas inter informationem, & receptionem, & inter terminabilitatem, & terminationem.

Nec valet dicere, quod inſinuat, reddens diſparitatem inter naturam, & ſubſiſtentiam ex vna parte, & inter materiam, & formam ex alia, quod inter illa extrema non eſt propria cauſalitas, ſec tamen inter iſta; tamen quia eſt connaturalitas quædam ſubſiſtentiæ ad naturam, & ècontra, hinc eſt, quod petant vinculum medium; nam hoc idem poteſt dici de materia, & forma, nam quædam connaturalitas eſt in forma ad materiam, & ècōtra, & nihilominus vnio, quam ipſe requirit inter materiam, & formam, eſt earū cauſalitas. Ergo vnio, quam requirit inter ſubſiſtentiam, & naturam, erit earum cauſalitas, vel ſi hoc defficit à ratione cauſalitatis propter connaturalitatem, quam extrema habent ad inuicem, quare ibi ob eandem connaturalitatem non defficiet vnio à talis cauſalitatis ratione?

Vlterius, nam ſi ſtandum ſit in doctrina, quam in hoc numero ponit, potius deſtruit ab vnione inter materiam, & formam rationem cauſalitatis, quàm adſtruat, quod eſt quod intendit in ſua quinta ratione; nam ponens diſcrimen inter partes continui, & partes aliorum compoſitorum coaleſcentium ex actu, & potentia, aſſerit, *quod illæ* (verba ſunt ipſius) *copulantur vnico termino communi, quia vna pars non exercet in aliam aliquam cauſalitatem per modum materiæ, & formæ, neque per modum actus, & potentiæ; iſtæ vero copulantur proprijs modis communibus, qui conſiſtunt in proprijs cauſalitatibus, quas inſe inuicem exercēt, dum copulantur per modum formæ, & materiæ, ſiuè per modum actus, & potentiæ.*

Ex

Digitized by Google

Ex quibus verbis ſic argumentor. Partes, quæ ſe habent per modum materiæ, & formæ, ſiuè per modum actus, & potentiæ, exercent ad inuicem, quando coniunguntur, rationem cauſalitatis, ad diſtinctionem partium, quæ copulãtur in continuo, vt in prædictis verbis aſſerit prædictus Author. Ergo ab vnione, quam adſtruit inter materiam, & formam, actum, & potentiam, potiùs deſtruit rationem cauſalitatis, quam adſtruat. Patet conſequentia, nam ſuis verbis, potiùs tribuit rationem cauſalitatis materiæ, & formæ, actui, & potentiæ ad inuicem, quam vnioni interiectæ; neq; enim alijs terminis vtuntur, qui aſſerunt, cauſalitates materiæ, & formæ, actus, & potentiæ eſſe earum entitates, prout habitudines dicunt ad inuicem, connotando applicationem agentis, tãquam conditionem neceſſariam.

Confirmatur hoc; nam ſi ſic non intelligerentur ſua verba, nullum eſſet diſcrimen, quod aſsignat, inter partes continui, quæ copulantur, & partes, quæ ſe habent, vt actus, & potentia, vel vt materia, & forma, nam etiam partes continui, vt actu copulatæ, & vnitæ dicantur, vltra propriam earum entitatem, requirunt actualem vnionem realitèr intermediam, qua in actu ſecundo dicantur vnitæ, & copulatæ; & nihilominus, licèt hæc vnio ſit exercitium harum partium in eſſe vnitarum, non habet rationem cauſalitatis reſpectu earum. Ergo licèt daretur talis vnio medians inter materiam, & formam, & inter potentiam, & actum, qua dicerentur in actu ſecundo prædictæ partes vnitæ, & copulatæ, non habebit rationem cauſalitatis reſpectu earum. Cuius ratio non poteſt eſſe alia, niſi quia, vt vnio habeat rationem cauſalitatis reſpectu partium, quas vnit, non ſufficit eſſe exercitium, medio quo in actu ſecundo vnitæ, & copulatæ dicantur, ſed requiritur concurſus paſsiuus, & informatiuus, vel terminatiuus, qui concurſus proprij ſunt ſolius materiæ, & formæ, actus, & potentiæ; quo caſu talis vnio, etiam ſi daretur, ſolum ſe haberet per modum conditionis requiſitæ ad proprias cauſalitatis partium, ſicut ſe habet applicatiua agentis actio.

Pro quo perpendendum id, quod diligentèr inueſtigauit quidam doctiſsimus Recentior 2. Phyſic. quæſt. 11. articul. 1. & 2. circa cauſalitatem materiæ, & formæ, quod applicari poteſt noſtris extremis, humanitatis, ſcilicèt, & Verbi, ſecluſis imperfectionibus recipiendi, & informandi; nimirum, quod cum materia ſe ipſa ſit eſſentialitèr pura potentia, & forma ſe ipſa ſit eſſentialitèr actus vnum per ſe conſtituens cum materia, vt communis docet Phyloſophorum definitio, ad hoc quod actu cauſent, cum debeat vna cauſare per potentialitatem, per actualitatem alia, non eſt neceſſaria aliqua vnio medians, quæ de ſe nec exprimit potentialitatem, nec actualitatem; & cum aliàs modus cauſandi in actu ſecundo vtriuſque diuerſus ſit, nequit competere vnioni, quæ, in communiori ſententia, vnica tantum eſſet vtrique communis; recipere enim, propriùs principio receptiuo conuenit, qualis eſt materia, & informare, principio informatiuo, qualis eſt forma, quam vnioni, quæ receptionem, quam dicit, ex materia habet, ſicut, & informationem, quam exprimit, ex forma ſortitur; cauſalitas autem propriè nihil aliud dicit, quam expreſsionem actus primi, licèt ad hoc, quod prædicta expreſsio in actu ſecundo interueniat, aliquas conditiones intercedere neceſſarium ſit, nimirum, vnionem forſis, dato quod detur, & applicationem agentis, qua poſita, per ſuam actionem, & materia recipit, & immutatur de actu primo ad actum ſecundum receptiuum, & forma informat, & immutatur etiam de actu primo informatiuo ad informationem actualem, à qua forma, tanquam à cauſa formali, extrema, quæ antecedẽtèr plura erant, vnum fiunt, ſicut enim à forma materia habet eſſe ens determinatum per ablationem indifferentiæ paſſiuæ, quæ eſt in materia, ita ab eadem forma habet eſſe vnum, cum vnum paſsio ſit entis: vnde S. Th. 2. contr. gent. cap. 58. ratione 5. explicans, per quid, tanquam per cauſam formalem, ea, quæ ſe habent per modũ actus, & potentiæ, fiant vnum, ait: *Hoc autem nõ poteſt eſſe corpus, cum magis corpus vniatur per animam* (id eſt, fiat vnum) *relinquitur ergo, aliquid formalius eſſe, quod faciat ex*

Digitized by Google

illis pluribus vnum, & hoc magis erit anima.

In calcè articuli ſubiungo; quod licèt ea, quæ ſe habent per modum materiæ, & formæ, requirerent modũ vnionis diſtinctum realitèr ab extremis; nõ ideo, vt ſubſiſtentia terminaret naturã, illum requireret, vt malè paritate conuictus loco ſuperius citato docuit Araujo; eo quod modꝰ naturæ, qualis eſt ſubſiſtentia, non indiget alio modo, vt ſuũ tribuat effectum formalem ſubiecto; ſecus autem vt vna res effectum tribuat formalem, vt communis docet Phyloſophia; imò addo, quod licèt verum eſſet, quod docuit Araujo, in vtroque caſu modum interiectum requiri, non ideò in noſtro humanitatis, & Verbi requireretur; nam vt optimè aduertunt Complutenſes loc. citat. etiam num. 32. cum Verbum ſub omni ratione ſit actus purus, ſe ipſo eſt vnibile, & vnitur humanitati; ſicut quia forma, & ſubſiſtentia creata non ſunt actus purus, non ſeipſis, licèt ſint vnibiles, vniũtur.

Contra reſolutionem prædictam aliqua argumenta ſoluuntur.

ARTIC. IV.

Contra prædictam reſolutionem opponunt primo Sanct. Thom. articul. 7. huius quæſt. dicentem: *Hanc noſtram vnionem eſſe aliquid creatum.* Ergo eſt in tempore facta per actionem vnitiuam. Vlteriùs, vrgentèr iudicant Complutenſes loc. cit. probare ſuam concluſionem ex quodam loco Sanct. Thom. 1. part. quæſt. 76. artic. 1. ad 6. vbi ait: *Animam ſeparatam inclinari ad vnionem cum corpore, ſicut leue ad locum ſurſum.* Atqui corpus leue non explet illam inclinationem, niſi addatur vbicatio, & præſentia, quæ eſt modus ex natura rei diſtinctꝰ ab ipſo. Ergo, nec anima explebit illam inclinationem ad corpus, niſi ei addatur aliquis modus ex natura rei diſtinctus ab illa, ſcilicèt ab anima.

Verũ hæc loca, ſicut, & ſimilia, quæ pro iſta ſententia afferuntur, ita inualida ſunt, vt mirer ſanè doctiſsimos viros illis conuictos iudicaſſe ſententiam ſuam iuxta mentem Sanct. Thomæ. Vnde ad primum reſpõdeo cum Sanct. Thom. eodem loco, vnionem illam, de qua eſt argumentum, eſſe relationem reſultantem ex coniunctione humanitatis ad Verbum, quæ relatio, quia in tempore facta eſt, & ad coniunctionem ſequuta, creata, & producta dicitur; nihil autem dicit in toto articulo de vnione ſumpta pro coniunctione, quod ſit aliquid productum, vt conſtat ex corpore articul. quod ſic incipit: *Reſpondeo dicendum, quod vnio, de qua loquimur, eſt relatio quædam.* Et de hac concludit eſſe aliquid creatum, quod nos, nec contraria ſententia diffitetur.

Ad ſecundum locum reſpondeo, nihil minus Sanct. Thom. intendere in illo, quam quod volunt Complutenſes, ſed ſolum intendit, quod ſicut leue appetit locum ſurſum, tanquam ſuum centrum, ita anima ſeparata ſecundum ſe, eo quod eſt forma corporis, de quo eſt titulus articuli, appetit vnionem cũ illo; quod autem hoc de facto contingat, quando exercent ſuas inclinationes, per modum aliquem eis ſuperadditum, nec dicere ſomniauit Sanct. Tho. in hoc loco; quia licèt parificet in corpore leui, quod quando explet ſuam inclinationem ad locum ſurſum, eſt per aliquem modum vbicationis ſuperadditum, non tenet in hoc paritas de anima ſeparata, quando explet ſuam inclinationem ad corpus; aliàs ſi liceret arguere: corpus leue eſt ſurſum per aliquem modum ſuperadditum. Ergo forma eſt in materia per aliquem modum ſuperadditum, vt in omnibus teneat paritas: liceret etiam arguere, vt in omnibus etiam teneret paritas: Ergo ſicut corpus leue eſt ſurſum per aliquem modum ſuperadditum, & hunc accidentalem; ita forma eſſet in materia per aliquem modum ſuperadditum, & hunc accidentalem: quod ſicut ipſi non concedunt, & ſaluant aliquo modo tenere paritatem, licèt non in omnibus; ita, & nos ſecludendo modum ſuperadditũ, ſaluamus aliquo modo tenere paritatẽ, ſcilicèt, in inclinatione ſecundum ſe, licèt non in omnibus.

Præterquam quod, etiam ſi in omnibus teneat paritas, non incongruentèr iux-

iuxta S. Thom. diceretur, quod adhuc corpus leue, vt ſit præſens loco ſurſum, non indiget aliquo modo ſuperaddito, qui ſit præſentia, vel vbicatio, ſed per ſuam entitatem, connotando actionem applicatiuam ad locum, dici præſens; nec motus ille localis alicuius modi dicitur productiuus, ſed ſoli᷒ tantũ loci acquiſitiuus. Sic habet idem Sanct. Tho. 1. part. quæſt. 100. art. 3. dicens: *Mobile ſecundum locum non eſt in potentia ad aliquid intrinſecum, in quantum huiuſmodi, ſed ſolum ad aliquid extrinſecum, ſcilicèt locum*, & 2. cont. gent. cap. 13. ait: *Aliquando denominatur aliquid ab eo, quod eſt extra ipſum, vt à loco dicitur aliquid eſſe alicubi.* Vbi vides denominationem eſſendi in loco non prouenire ab aliquo modo rei locatæ ſuperaddito, ſed ab ipſa re connotante locum, & actionem acquiſitiuam ipſius; quod idem dicimus de anima ſeparata, quæ vt ſit in corpore, vltra propriam ſuam entitatem, connotat corpus, in quo ſit, & actionem agentis applicatiuã, per quam in illo ſit.

Opponunt ſecundo. Si Verbum relinqueret humanitatem, deficeret hoc, quod eſt, extrema eſſe vnita; ſicut in morte hominis deſinit, formam eſſe vnitam materiæ: ſed tunc non deficeret aliquod ex extremis, ſicut neque in caſu poſito. Ergo deficeret aliqua vnio mediãs, ac proinde dabitur inter extrema. Verum hoc argumentum nullam aliã maiorem vim habet, quam habet illud, quod fit ex actione deſumptum. Et ideò reſpondeo, quod ſicut optimè compatitur, quod detur noua actio, qua vniãtur aliqua extrema, ſine eo quod terminus aliquis formalis producatur; ita poteſt intelligi, quod de nouo detur noua quaſi actio corruptiua, vel non conſeruatiua illius vnionis extremorum, ſine eo quod deperdatur aliquid, vel ex extremis, vel ex vnione realitèr mediante; nam ſicut de conceptu actionis vt ſic non eſt producere, ſed terminum habere, modo ſit productum, modo communicatum, modo vnitum; ita de ratione actionis quaſi corruptiuæ vt ſic, non eſt, quod corrumpatur aliquid per illam, ſed quod ratio termini actionis præcedentis deſinat eſſe, modo ſit corrumpẽdo aliquid, modo non conſeruando cõmunicationem, modo non conſeruãdo extrema vnita, ſed relinquendo illa præciſè, vt communicabilia, & vnibilia. Quorum ratio eſt, quam ſæpè tetigim᷒, quia vnio, non ſolum eſt nuda extremorum entitas, ſed neceſſariò connotat aliquid, quo connotato deficiente, tota deficit vnio. Alia argumenta, quæ contra hanc doctrinam fieri poſſunt, ex doctrina data pro impugnatione contrariæ ſententiæ ſolui poterunt, quia ea ſunt, quæ principaliora fiunt in hac re.

Veritas circa terminum formalem reſolutionibus deciſſa.

ARTIC. V.

Reſolutio prima ſit. Terminus formalis *ad quem* huius actionis, prout nomine *creationis* exprimitur, eſt humanitas Chriſti ſecundum ſe, vt ex nihilo facta; ac proinde terminus *à quo* prædictæ actionis ſic explicatæ eſt, non eſſe humanitatis ſecundum ſe. Ratio vtriuſque eſt, nam creatio formalitèr, ſecundum id, quod exprimit, ſolum terminatur ad terminum, vt ex nihilo faciendũ, ad diſtinctionem actionis eductiuæ, quæ ad ſuum terminatur, vt ex aliquo præſuppoſito ſubiecto fiendum; hoc autẽ in noſtro caſu ſolum poteſt verificari de humanitate ſecundum ſe, vt ex nihilo fit; & aliàs termin᷒ *à quo* nihil eſt aliud, quam non eſſe termini *ad quem*, à quo non eſſe incipit terminus *à quo*. Ergo intentum.

Reſolutio ſecunda ſit. Terminus formalis *ad quem* huius actionis, prout nomine *aſſumptionis* exprimitur, eſt perſona Verbi, vt connotat humanitatem, quam aſſumit. Ratio eſt clara, nam id, quod exprimit aſſumptio formalitèr, vt in hoc art. 8. docet Sanct. Thom. eſt perſona Verbi, quæ ad ſe ſumpſit humanitatẽ, determinando illam ad eſſe perſonæ: *Aſſumptio* (inquit Sanct. Thom.) *determinat terminum à quo, & ad quem; dicitur enim aſſumptio, quaſi ab alio ad ſe ſumptio.* Addo, terminum formalem aſſumptionis *à quo*, vt aſſumptio eſt, eſſe humanitatem, vt aſſumptibilem. Ratio eſt, nam licèt conſiderata ſecundum ſe, ſit ſubiectum, in quo exercetur aſſumptio; vt tamen dicit ordinem ad id, quod illam ad ſe ſumpſit, eſt terminus *à quo*: & hoc voluit Sanct. Thom. cum dixit: *Quaſi ab alio ad ſe ſumptio.* Niſi velis, quod

Digitized by Google

tigit Cabrer. hic art. 7. diſp. 1. numer. 12. an autem dicenda ſit prædicta actio ſubſtantialis, dicant Phyloſophi.

Quiſnam formalis terminus incarnatiuæ actionis?

QVÆST. II.

IN Hac re primo ſe offert ſententia Scoti in 3. diſt. 1. quæſt. 1. art. 3. quē ſecuntur eius diſcipuli, aſſerentis, termi num formalem, & ſpecificatiuum hui⁹ actionis eſſe vnionem humanitatis cum Verbo, ſumpta vnione pro relatione prædicamentali, quæ ſola eſt, quæ producitur in humanitate per prædictam actionem. Raguſa autem cum magna parte Recentiorum, licèt conueniat cum Scoto in hoc, quod dicit, terminū formalem, & ſpecificatiuum eſſe vnionem humanitatis cum Verbo; differt tamen in eo, quod aſſerit, hunc modum vnionis non eſſe relationem aliquam, ſed quid abſolutum productum in humanitate, in quo fundatur prædicamen talis relatio humanitatis ad Verbum; Ita hic diſp. 40.

Secundo autem ſe offert ſententia, quæ affirmat, terminum formalem, & ſpecificatiuum hui⁹ actionis eſſe ipſam vnitatem perſonæ Verbi, vt connotat humanitatem vnitam, tanquam conditionem. Ita Capræol. in 3. diſt. 15. quæſtion. 1. Caietan. in hac quæſt. artic. 8. vbi Medina, & Alvarez quæſt. 13. Valent. punct. 5. Nazarius hic controuerſ. 2. & quā plures alij Recentiores Theologi. A contrario autem aſſerit Vazq. 1. part. diſp. 162. cap. 3. quem ſecuntur aliqui Thomiſtæ Recentiores, de quorum numero ſunt Cabrer. art. 7. diſp. 2. num. 40. Araujo in hac quæſtion. artic. 8. dub. 3 aſſerens terminum formalem, & ſpecificatiuum prædictæ actionis eſſe humanitatem, vt vnitam Verbo, ly *vt vnitam* ſe habens per modum conditionis. Denique tādem Suarez diſp. 8. ſect. 2. & 3. quem ſequitur Lorca hic artic. 8. diſp. 16. num. 6. ad concordiam reducit omnes iſtas ſententias, aſſerens, prædictam actionem, ſecundum quod diuerſis nominibus explicatur, diuerſos habere terminos formales.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo, non eſſe præſentem controuerſiam de termino totali huius actionis; hunc enim, nulli dubium, eſſe Deū hominem, quod hac voce *Chriſtus* explicatur, vt docet Sanct. Tho. art. 6. 7. & 8. huius quæſt. & vocatur communitèr hic terminus *qui*, vel *quod*, ſed ſolum de termino formali determinante hūc terminum totalem ad eſſe talis, qui vocatur terminus formalis *quo*, ſiuè ratio formalis terminandi; qui termini in quacumq; actione diſtinguēdi ſunt, vt patet in dealbatione, v. g. cuius totalis terminus eſt, quod eſt dealbatum, formalis vero, & *quo* eſt albedo.

Obſeruo ſecundo, id, quod optimè obſeruauit Lorca loc. cit. num. 5. ex cō muni vſu, & traditione Phyloſophorū; terminum *quo*, ſiuè formalem eſſe illū, quo determinatur, & conſtituitur terminus totalis in eſſe termini totalis formalitèr; quod docuit Sanct. Thom. 1. part. quæſt. 41. articul. 3. vbi Caietan. & alij; & ratio eſt, nam eodem modo phyloſophari debemus de ratione formali terminandi, ac de ratione formali agendi, propter correſpondentiam, quam agens ad terminum habet: ſed de ratione formali agendi talitèr phyloſophamur, quod ſolum illa talis dicatur, quæ determinat, & cōſtituit agens totale in ratione agentis formalitèr: Ergo de ratione formali terminandi erit, quod illa ſolum ſit, quæ determinat, & conſtituit terminum totalem in eſſe termini totalis formalitèr.

Obſeruo tertio. Semper terminum formalem *quo* eſſe præcipuum, quod in ratione termini reperitur in termino totali, licèt aliàs in ratione entis poſsit eſſe non ita præcipuum, ac aliud, quod in termino totali imbibitur. Hoc patet in termino dealbationis, v. g. qui quidem terminus eſt dealbatum, in quo concreto reperitur ſubiectum ſubſtantiale, & forma accidentalis albedinis, in ratione autem entis, præcipuum, & principalius eſt ſubiectum, quam forma; tamen ſi in eſſe termini formalitèr dealbationis illa extrema conſiderentur, præcipuum

Digitized by Google

puum eſt albedo, quam ſubiectũ, quod tanquam materia ſe habet determinabilis ab albedine. Vnde malè Lorca ibidem, vt concluderet, humanitatẽ Chriſti poſſe habere rationem termini formalis in Incarnatione, quæ minus præcipua eſt, quam perſonalitas, excludit conditionem iſtam, nimirum, quod ſit præcipua pars, quæ reperitur in termino totali, cum ipſe non ſe poſſit ab hoc inconuenienti liberare, dum aſſerit, de ratione termini formalis eſſe, quod determinet, & conſtituat formalitèr terminum totalem, determinans autem formalitèr vt talis, vtpotè actus, præcipuus eſt, quam determinabile, vtpotè potentia.

Obſeruo quarto; quod licèt quæſtio propoſita ſolum intelligatur de termino formali *ad quẽ*, pariformitèr phyloſophari debemus de termino formali *à quo*; etenim cum terminus *à quo* ſit priuatio termini *ad quem*, explicata natura termini *ad quem*, facile eſt explicare naturam termini *à quo*; vnde cum circa terminum *ad quem* totalem, nulla ſit controuerſia, eſſe Deum hominem, nulla etiam erit controuerſia circa terminum *à quo* totalem, eſſe non Deum hominem; & ſi circa terminum *ad quem* formalem controuerſia verſetur, eadem verſabitur circa terminum *à quo* formalem, quem iam explico.

Non produci modum vnionis, cui ratio termini formalis competere poſſit, authoritatibus probatur.

ARTIC. II.

PRo cuius lucè ſtatuo priùs, id, quod diligentèr inueſtigauit Caietan. hic articul. 7. §. *In hoc articulo.* Nimirum hanc vnionem ſumptam pro relatione, plus differre ab vnione ſumpta pro coniunctione, qua fiunt vnum humanitas, & Verbum, quam Cœlum, & terram; eo quod prima eſt in genere relationis, quæ conſequitur ad ſecundam, quæ eſt in genere ſubſtantiæ. Vlterius nullus negauit, primam eſſe aliquid ſe tenens ex parte humanitatis, ſecunda autem, licèt apud maiorem partem Recentiorũ reperiatur tanquam aliquid ſe tenens realitèr ex parte humanitatis, & medians re ipſa inter ipſam, & Verbum, apud probatiores tamen Theologos, præcipuè ex ſchola Sanct. Thomæ, vnio ſumpta hoc modo non reperitur realitèr in humanitate medians inter ipſam, & Verbum; quare, ſupponendo modò dari vnionem ſumptam pro relatione inter humanitatem, & Verbum, quæ ſit aliquid creatum ex parte humanitatis, vt docet hic Sanct. Thom. art. 7. videndum eſt, an ſicut datur vnio ſumpta pro relatione, quæ quid productum ſit, detur etiam vnio ſumpta pro coniunctione formali, quæ quid productum ſit per hanc actionem, vt poſſit eſſe formalis terminus *ad quem* talis actionis? & (vt vno verbo dicam) an ſit ponendus iſte modus ſubſtantialis abſolutus inter humanitatem, & Verbum, ratione cuius vniatur prædicta extrema, & ex pluribꝰ fiat vnum in vnitate perſonæ? Quo ſtatuto.

Reſolutio noſtra ſit. Per prædictam actionẽ, qua vnita fuit humanitas Verbo, nihil reale fuit productum in humanitate medians inter extrema, quod vocetur modus vnionis ſubſtantialis, ſed ſe ipſis vnita fuere ſine aliquo intermedio realitèr diſtincto, adhuc modali; ac per conſequens, talis modus communitèr poſitus non potuit habere rationem termini formalis prædictæ actionis. Hanc reſolutionem tenent nobiliores Thomiſtæ, inter quos R. P. M. Fr. Ioan. a Sancto Thoma hic diſp. 4. artic. 1. contra alios ex eadem Schola, quos refert, & ſequitur R. & Illuſtr. M. Godoy tom. 1. in 3. part. diſput. 11. §. 1. numer. 3. & deinceps, & §. 2. & §. 5. num. 70. & §. 7. num. 85. addit, quod, & talis modus ſubſtantialis requiratur ex parte humanitatis, ex parte tamen verbi dari vnionem diſtinctam à prima non tamẽ diſtinctam ab ipſo verbo, ſed ipſum vniri humanitati intrinſicè ſe ipſo, vt gerente munus vnionis.

Verùm quia prædicta reſolutio aliquibus Phyloſophis difficilis viſa eſt, neque ad mentem vtriuſque Principis Phyloſophiæ, & Theologiæ, Ariſtotelis, & Sanct. Thomæ, ideo in hoc art. ex vtriuſque locis intendo eam probare. Primo ergo eam probo ex Ariſtotel. 2. de anima cap. 1. & 8. Meth. tex. 14. ibi *Quæ ſe mutuo ex natura rei reſpiciunt, vt actus, & potentia, non indigent nexu, vt*

vnien-

vniantur, ſed ingenita propenſione in vnũ conſpirant. Quem locum explicans S. Thom. 8. Metaph. lect. vlt. ait: *Quod aliqui antiqui errabant, inquirendo, quid faciat vnum potentiam, & actum; quaſi opporteret eas colligere per aliquod vnum medium, ſicut ea, quæ diuerſa ſunt ſecundum actum*. Et ſubdit: *Non opportet ea vniri per aliquod vinculum, ſicut ea, quæ ſunt penitùs diuerſa: vnde nulla eſt cauſa faciens vnũ ea, quæ ſunt compoſita ex materia, & forma, niſi quod mouet potentiam ad actum*. Atqui hoc modo ſe reſpiciunt Verbum, & humanitas, vtpotè iſta paſſiuè eſt terminabilis, quod exprimit rationem potentiæ, Verbum autem actu terminans, & per illud actu formalitèr terminata dicitur, quod exprimit rationem actus. Ergo poſita actione agentis mouentis potentiam humanitatis ad terminationem actus Verbi per applicationem huius ad illam, ſine eo quod aliquid medium producatur, ſe ipſis vnientur, & conſpirabunt in vnum.

Confirmet hoc vlteriùs Theologiæ Princeps Aquinas in 3. diſt. 2. quæſt. 2. art. 2. vbi ait: *In vnione humanæ naturæ ad Diuinam nihil poteſt cadere medium formalitèr vnionem cauſans*. Efficacitèr autem, & efficientèr aliquod medium cauſans vnionem nõ negauit S. Thom. imò potiùs conceſsit in hoc loco ad 1. quæſtiunc. dicens: *Gratuitam voluntatem Dei eſſe medium vnionis, quaſi vnionem efficacitèr cauſans*. Quæ loca ſic põdero. Sanct. Thomas ad vnionem extremorum prædictorum requirit medium cauſãs effectiuè vnionem, quæ eſt actio Diuina, & negat medium cauſans formalitèr vnionem eorum extremorum. Ergo quia ſentit, quod poſita actione vnitiua applicante prædicta extrema, ſe ipſis formalitèr vniri, & ſine alio medio formali interiecto.

Dices, quod idem Sanct. Thom. eodem loco quæſtiunc. 3. ait: *Quod inter humanam naturam, & Diuinam neceſſe eſt cadere vnionem mediam*. Ergo non eſt magis Angelicus Doctor pro vna parte, quam pro alia. Sed contra eſt, nam licèt Sanct. Thom. dicat prædicta verba, proſequitur tamen ſic: *Non ſicut cauſam, ſed ſicut effectum coniunctionem naturarum conſequentem*. Quæ vltima verba ſic pondero. Vnio media, quam requirit in hoc loco Sanct. Thom. eſt talis naturæ, quod non ſit cauſans coniunctionem naturarum, ſed conſecuta ad talem coniunctionem. Ergo hæc vnio, de qua loquitur Sanct. Thom. non eſt illa, quã oppoſiti Authores intendunt; ſiquidẽ quam exigunt illi, eſt illa vnio, quæ coniungit extrema, non quæ ſubſequitur coniunctionem: *Eſt ergo* (concludit S. Thom.) *talis vnio relatio quædam, quæ conſequitur ex hoc, quod motus aſſumptionis humanæ naturæ terminatur ad perſonam: ſicut ex hoc, quod motus generationis terminatur ad formam, conſequitur relatio, quæ dicatur, materiam eſſe ſub forma*. Et de hac ſola vnione ſumpta pro relatione locutus eſt in toto hoc art. 7. vt videnti patebit.

Verùm licèt hæc, & alia quam plura loca Sanct. Thom. ſint noſtræ reſolutionis demonſtratiua, non vobis moleſtus ero, ſi alium proponam apud me ita clarũ, & à nemine, quem ego viderim, poſitum, nec citatum, vt quidquid ipſi reſpondeatur, dicere, & loqui tantum ſit. Eſt ergo locus ex 2. contr. gent. cap. 58. ratione 5. vbi hæc habet: *Ex duob9, aut pluribus non poteſt fieri vnum, ſi non ſit aliquid vniens; niſi vnum illorum ſe habeat ad alterum, vt actus ad potentiam ſic enim ex materia, & forma fit vnũ, nullo vinculo extraneo eos colligante*. Quæ verba ſic pondero, & ſimul impugno ſolutionem, quæ ad ſimilia verba ſolent afferri, nimirum, non requiri, vt actus, & potentia fiant vnum, aliquod vinculum, quod ſit res, benè tamen aliquod, quod ſit modus.

Eam vnionem, quam requirit Sanct. Thom. vniuerſalitèr loquendo, vt ex pluribus fiat vnum, excludit idem S. Thom. quando vnum fit ex pluribus ſe habentibus, vt actus, & potentia: atqui vnio, quam requirit, vniuerſalitèr loquendo, eſt modus quidam ab extremis diſtinctus, communitèr poſitus ab Authoribus, & non res. Ergo quam negat inter extrema ſe habentia, vt actus, & potentia, eſt idem modus realitèr diſtinctus ab vtroque extremo, & nõ res. Idẽ argumẽtum poteſt fieri circa illam particulam *vinculo extraneo*, quia videtur poſſe hoc modo ſolui argumentum. Tùm ſic. Perſonalitas, & humanitas, quæ ſunt extrema huius vnionis, ſe habent, vt actus, & potentia, eo proportio

na-

Digitized by Google

nali modo, quo materia, & forma ſe habent; etenim ſicut materia prima ſe ipſa eſt informabilis à forma, & forma ſe ipſa eſt informatiua; ita humanitas ſe ipſa eſt perſonabilis, & perſonalitas ſe ipſa eſt perſonatiua, vt ita dicam. Ergo ſicut iuxta Sanct. Thom. poſita actione applicatiua formæ ad materiam, ſe ipſis, & nullo vinculo medio, formalitèr cōiunguntur, & vniuntur; ita ſimilitèr, poſita actione aſſumptiua applicante perſonalitatem Verbi humanitati Christi, ſe ipſis, & nullo vinculo medio formalitèr vnientur, & coniungentur.

Eadem reſolutio rationibus fulcitur.

ARTIC. III.

Reſolutio noſtra, quæ hucuſq; haud leui fundamento fulcita authoritatibus Sanct. Thomæ eſt, iam iam non leuioribus fulcitur rationibus, eaſque deſumo à deſtructione fundamentorū contrariæ ſententiæ, quas ſic compono. Si ex aliquo capite deberet poni modus aliquis vnionis realitèr medians inter humanitatem, & Verbum, ab hiſque extremis realitèr diſtinctus (& idē eſt de quibuſcumque extremis ſe habentibus, vt actus, & potentia) eſt, quia aſſumptio eſt noua actio realis, quæ nouū terminum productum formalem petit habere; vel quia intrinſecè de nouo humanitas mutata eſt per aſſumptionem, quod non poteſt fieri, niſi per aliquid intrinſecum in ipſa receptum, & cum ſit denuo intrinſecè vnita, videtur, quod neceſſariò petat prædictum modum vnionis, à quo, tanquam à forma, prædicta intrinſeca denominatio proueniat; vel quia non poteſt alicui aſsignari ratio termini formalis, ſaltèm vt exprimitur nomine vnitionis, niſi prædicto modo vnionis; vel quia non poteſt permanere in rerum natura aliquis effectus formalis, quin ipſa forma permaneat, cum tamen permaneat effectus formalis vnitæ in humanitate, neceſſariò indiget permanentia vnionis; vel denique vt detur cauſalitas propria, quaſi materialis, & formalis, inter humanitatem, & Verbum, quæ ſe habent, tanquam potentia, & actus quæ cauſalitas debet eſſe diſtincta, ſicut quæ reperitur inter materiam, & formam, cum de eorum eſſentia non ſit actu vniri. Hæc enim ſunt omnia capita, quibus ſe conuincūt Authores oppoſiti ad ponendam vnionem mediam inter extrema etiam ſe habentia, vt actus, & potentia; vt videre licèt apud Araujo hic art. 8. dub. 2. apud Complutenſ. 1 Phyſicor. diſp. 6. quæſt. 2. Sed hæc omnia capita nulla ſunt. Ergo.

Minorem autem, quia plura continet capita, ſigillatim expendo, & vt à primo incipiam, ſic argumentor. Etiam ſi aſſumptio ſit vera, & realis actio de nouo, imò, & virtualitèr tranſiens (vt ſimul impugnetur ſolutio quædam, quā adducere poteſt Araujo loc. citat. num. 27.) non ideò debet habere nouum terminum realitèr productum, ſed ſat eſt, habeat nouum terminum in ratione termini ad extra, quem antea nō habebat, licèt ipſe terminus materialitèr ſumptus, & in eſſe rei antea ſupponeretur; innumeræ enim ſuppetunt actiones, quæ, licèt ad earum nouitatem realem, nouitas etiam requiratur realis termini, non tamen neceſſariò producti, ſed iuxta diuerſitatem, & naturam actionum, termini dicentur, & erunt, ſat enim erit ad conceptum actionis, quod idem terminus præſuppoſitus nouitèr ſe habeat, & nouitèr paſsiuè terminet, qua ratione in ratione terminandi formalitèr, erit realitèr diuerſus pro diuerſitate reali actionis, licèt in ratione eſſendi idem realitèr perſeueret, vt videre licèt, in omnium ſententia, in actione conſeruatiua, quæ vera, & realis eſt actio, cum tamen eius terminus, in eſſe rei conſideratus, idem ſit realitèr, ac terminus actionis primæ productiuæ, & ſolum addit nouam terminationem paſsiuam nouæ terminationi actiuæ reſpondentem; actio item reſurrectiua, & reunitiua animæ ad corpus, quæ diſtincta eſt realitèr ab actione creatiua eiuſdem animæ, cū tamen ad eandem animam reuniendam terminetur, cum ſola nouitate in eſſe terminandi paſsiuè; actio etiam nutritiua hominis diſtincta eſt realitèr ab actione generatiua eiuſdem, & reſpicit eandem animam rationalem, vt terminum formalem *quo*, prout ipſa nouitèr ſe habet in ordine ad diuerſam partem materiæ per nutritionem acquiſitam, quam informat; & in communi Thomiſtarum ſententia, idem contingit in nu-

nutritione equi, cuius anima indiuiſsibilis eſt; & etiam in Thomiſtarum ſententia idem contingit in actione intenſiua, cuius terminus eſt eadem qualitas præexiſtens cum noua terminatione paſſiua; & denique in actione conuerſiua panis in corpus Chriſti, in Thomiſtarum nobiliorum ſententia, quæ eſt ipſum corpus Chriſti, non ſecundum ſe, vtpotè iam tale ſupponitur, ſed prout fit ex pane, ſecundum quam rationem habet nouam terminationem, quam antea non habebat, licèt non nouam entitatem. Quæ omnia docuimus in libris de generat. diſp. 3. quæſt. 2. art. 2. §. *Alia via*, & deinceps. Ergo licèt aſſumptio ſit vera, & realis actio de nouo virtualitèr tranſiens, non ideò debet habere nouum terminum realitèr productum, ſed ſat eſt, habeat nouitatem modo à nobis explicato.

Secundum etiam caput pro contraria ſententia intentum nullum eſſe, eo mihi perſuadeo: Quia optimè poteſt humanitas Chriſti alitèr ſe habere realitèr de nouo ſine receptione alicuius realitatis in ipſa, ſed per ſolam connotationem ad aliquid ſibi applicatum, quod antea applicatum non erat, & realitèr de nouo intrinſecè vniri ſine receptione alicuius formæ intrinſecæ; etenim Verbum etiam realitèr ſe habet diuerſo modo, quando vnitur humanitati, quam antea ſe haberet, & hoc ſine receptione alicuius realitatis in ipſo, ſed per ſuam entitatem, vt connotantem actionem illud applicantem. Ergo humanitas poterit ſe habere realitèr alitèr modò nũc, quam pri⁹, etiam ſi non recipiat aliquã realitatem, ſed ſolum per ſuam entitatem, vt connotantem actionem, qua ipſi applicatur perſonalitas Verbi per modum termini.

Confirmatur. Denominatio vniti, tam intrinſeca ex parte Verbi eſt, quam ex parte humanitatis; de Verbo enim verificatur, eſſe de nouo intrinſecè vnitum humanitati, ſicut èontra, & nihilominus hæc intrinſeca denominatio noua ex parte Verbi, licèt requirat quaſi formam intrinſecam, nimirum, ipſum Verbum præſtans effectum formalem, quem alias præſtaret forma, non tamen requirit nouam formam ſe tenẽtem ex parte Verbi, ſed ſolum ipſum nouitèr per aſſumptionem humanitati in tempore applicatum. Ergo vt dicatur humanitas intrinſecè vnita Verbo de nouo, licèt requirat formam, vel quaſi formam intrinſecam, à qua proueniat talis noua intrinſeca denominatio; non tamen requiret nouam formam, ſed ſolum illam, qua nouitèr paſsiuè terminata eſt per talem aſſumptionem ſibi applicatam.

Nec valet commune effugium ex Araujo loc. cit. nu. 28. quod Verbum eſt incapax mutationis, ac proinde ſine realitate aliqua ſuperaddita poteſt habere prædictas intrinſecas denominationes; ſecus autem humanitas, quæ de ſua natura mutationi ſubiecta eſt. Sed contra. Nam licèt verum ſit, Verbum eſſe incapax mutationis, cuius capax eſt humanitas; non ideò debet hæc capacitas in noſtro caſu exerceri; tùm quia nullum eſt argumentum à potentia ad actum; tùm etiam, quia ex vi actionis, & termini eius primarij non debet expleri talis capacitas ad ſe mutandum, licèt ex vi termini ſecundarij, & conſequentis primariũ, ſcilicèt, relationis, quæ reſultat in humanitate ad Verbum, expleatur; nam hæc aſſumptio primò, & per ſe tendit circa humanitatem, vt conſtituendam in eſſe vnius perſonæ, ſcilicèt Chriſti, per terminationem perſonalitatis Verbi: atqui terminatio formalitèr vt talis, ſiuè paſsiua, ſiuè actiua, nullam dicit mutationem, etiam ſi ſubiectum, in quo exercetur, aliàs ſit capax mutationis, cum mutatio formalitèr, vt talis, non interueniat, niſi receptio vera reperiatur; terminare autem nec terminari, ſecundum quod formalitèr hoc exprimunt, nec eſt recipere, nec recipi; alias enim nec Deus poſſet terminare viſionem beatificam, nec intellectus Beati terminari poſſet ad Deum. Ergo cuicumque ſubiecto applicetur forma terminatiua, non ideò illud mutabit, licèt aliàs mutationis capax ſit.

Vlteriùs ſic argumentor. Nam dato quod humanitas haberet denominationem intrinſecam mutatæ, ſicut, & vnitæ, vnde locus, debere hoc prouenire ab hac vnione intermedia tanquam à forma intrinſeca? plures enim denominationes reperiuntur, quibus ſubiectum creatum intrinſecè mutatur ſine noua forma intrinſeca in ipſo recepta, ſed ſolum per ſuam entitatem, connotando ali-

aliquid extrinſecum; ſic in omnium ſententia, creata voluntas, quæ poſito iudicio ſine indifferentia, intrinſecè neceſſitata manet, ablato tali iudicio, & poſito alio cum indifferentia, intrinſecè libera perſeuerat: In probabiliſsima etiã ſententia non diſtiguente durationem, nec præſentiam, nec relationem à re durante, præſente, & relata, ipſamet res intrinſecè inuariata, nouitèr denominatur intrinſecè hodie durans, huic ſpatio præſens, albedini, v. g. ſimilis, ſolum quia ponatur actio, qua applicetur tempori hodierno, & huic ſpatio, vel qua producatur altera albedo, cui ſimilis dicatur. Ergo poteſt intelligi denominatio mutatæ, & intrinſecè vnitæ de nouo exiſtens in humanitate Chriſti abſq; aliqua forma intrinſeca de nouo in ipſa recepta, ſed per applicationem illius, media actione aſſumptiua ad perſonalitatem Verbi.

Tertium autem caput nullum etiam eſſe, ex eo clarè conſtat; quia adhuc ipſi Authores, cum quibus contendo, etiã ſi concedant prædictum modum vnionis productum, non tamen illi tribuunt rationem termini formalis, vt videre licèt apud Araujo loc. cit. dub. 3. & apud Complutenſes lib. de generat. diſp. 2. quæſtion. 3. Ergo ex eo, quod non ſit aliquid, cui aſsignari poſsit ratio termini formalis huic actioni, non debet poni talis vnio intermedia per actionem producta; quam rationem inferiùs latè expendemus, cum huic actioni, vt exprimitur nomine vnitionis, terminum formalem adſcribamus, qui non ſit vnio.

Quartum autem caput, quod adducit Araujo, pluribus demonſtro, falſum eſſe, aut nullum: etenim plures effectus formales permanere dicuntur in rerum natura, abſque eo quod permaneat forma, à qua formalitèr proueniunt; quod præcipuè verum tenet in ſententia omnium Thomiſtarum; effectus enim formalis diſpoſitionum præparantium materiam, & illam ſigillantium ad hanc formam potiùs, quam illam ſuſcipiendam, permanere dicitur in vltimo inſtanti corruptionis compoſiti præexiſtentis, & in primo introductionis formæ ſubſequentis, cum tamen non permaneant formæ diſponentes, cum iuxta ſententiam omnium Thomiſtarum, ad corruptionem compoſiti præexiſtentis corruptæ fuerint, corpus item Chriſti, prout eſt in Sacramento, permanere dicitur in rerum natura, cum tamen forma, qua conſtituitur in eſſe Sacramentali, non permaneat. Ergo ex eo, quod aliquis effectus formalis permanere dicatur in rerum natura, non ideò neceſſariò permanere dicetur eius forma.

Vlteriùs, licèt dato, verum eſſet antecedens propoſitum, non ideò deficeret forma, vel quaſi forma, quæ permanentèr eſſet in noſtro caſu, vt permaneret effectus formalis vnionis etiam, nã eo ipſo, quod permaneat id, ratione cuius humanitas, & perſona Verbi, quæ ſunt plura, fiunt vnum, permanet etiam forma, à qua permanere dicatur effect⁹ formalis vnionis permanentèr exiſtẽs; non enim videtur aliud eſſe permanere effectum formalem vnionis, quam permanere id, à quo tãquam à forma, quæ ſunt plura, habent eſſe vnum: atqui licèt tranſierit actio vnitiua, à qua tanquam à cauſa efficiente Verbum, & humanitas habent eſſe vnum in perſona, permanere dicitur Verbi perſonalitas, à qua, tanquam à forma eminentiori modo, ac à propria perſonalitate, habet eſſe humanitas vnum in perſona. Ergo ſicut, ſi id haberet à propria perſonalitate ab ipſa tanquam à forma, vel termino formali humanitas, & perſonalitas propria haberent eſſe vnum in perſona permanentèr, dum perſonalitas propria humanitati communicata permaneret, ita id habens à perſonalitate Verbi, quæ eminentiori modo continet effectum formalem perſonalitatis creatæ, potiori ratione ab illa, tanquam à forma, vel termino formali, habebit eſſe vnum permanentèr in perſona, dum permaneat Verbi perſonalitas humanitati communicata.

Quod ſi dicas ex doctrina Araujo loc. citat. num. 32. etiam ſubſiſtentiam indigere, vt actu terminet naturam modo vnionis ſuperaddito, cum de eius eſſentia ſolum ſit terminare, ſicut de eſſentia naturæ ſolum paſsiue terminari. Quod vt probabile docent Complutenſes loc. cit. num. 34. Contra eſt, primo commune Phyloſophorum aſſertum, qui quidem, licèt concedant modum vnionis diſtinctum, vt materia, & forma vniantur, negant tamen illũ, vt ſubſi-

ſiſtentia vniatur, & terminet naturam, & merito, eo quod modus rei, ſi verè eſt modus ſubſiſtentia, non indiget alio modo, vt ſuum tribuat effectum formalem.

Contra eſt ſecundo; nam ex eo quod de eſſentia ſubſiſtentiæ non eſt actu terminare, nec de eſſentia naturæ actu terminari, requiritur, vt actu hæc extrema ſe terminent, modus aliquis medius inter illa, non obſtante, quod vnum extremum ex illis ſit modus alteriùs, vt aſſerunt prædicti Authores, ſed ſicut neque de eſſentia materiæ, v.g. & formæ eſt eſſe actu vnitas; ita neque de eſſentia vnionis eſt actu vnire, cum quælibet ex his ſint cauſæ creatæ, quæ ob ſuam limitationem non habet idemtificatam potentiam cum actu, ad diſtinctionem increatæ cauſæ, quæ ob illimitationem idemtificatum habet actum cum potentia, vt probant Complutenſes num. 24. & 25. loc. cit. & quælibet ex illis cauſis poſſet intelligi quoad ſua prædicata eſſentialia, ſine eo quod illa actu eſſent vnita, nec vnio ea actu vniret, vt patet in morte hominis. Ergo ob eandem rationem, vt vnio actu modificet materiam, & formam, indigebit alio modo intermedio, tam inter materiam, & vnionem, quam inter vnionem, & formam, non obſtante, quod hæc vnio ſit modus vtriuſque extremi, & ſic in infinitũ modos multiplicaremus; nõ enim videtur ratio, quare, vt vnus modus actu modificet rem, cuius eſt modus, requirat aliquem alium modum mediantem inter rem, & modum, & vt alter modus actu modificet res, quarum eſt modus, non requirat alium modum mediantem inter res modificandas, & ipsũ modum modificantem.

Dices cum Araujo (quod eſt quintum caput, quo mouetur ad ſuam ſententiam adſtruẽdam loc. cit. num. 31.) Hanc vnionem requiri, ſicut requiritur in alijs compoſitis ſimilis alia vnio, qua copulentur partes; & ponit exemplum in continuo: vel qua tanquam per cauſalitatem actu cauſent partes; & ponit exemplum in anima rationali, quando informat materiam, quam vnionem exercet, ſeu informationem, media vnione interiecta. quæ ſe habet vt cauſalitas formæ (& idem eſt de materia,) vt exercet ſuam virtutem receptiuam, quam exercere nequit, niſi media prædicta vnione, tanquam cauſalitate etiam ipſius.

Verum denique neque hoc caput aliquid valere ad prædictam vnionem adſtruendam, ſic pluribus ex eius doctrina ſuadeo. Primo enim ipſe inquit in fine huius numeri, quod licèt inter ſubſiſtentiam, & naturam interueniat modus vnionis, non tamen, ait, adſcribenda eſt huic modo ratio cauſalitatis. Ergo licèt daretur modus diſtinctus inter Verbũ, & humanitatem, & inter materiam, & formam, non ideò eſſet, vt daretur vera cauſalitas inter informationem, & receptionem, & inter terminabilitatem, & terminationem.

Nec valet dicere, quod inſinuat, reddens diſparitatem inter naturam, & ſubſiſtentiam ex vna parte, & inter materiam, & formam ex alia, quod inter illa extrema non eſt propria cauſalitas, ſec tamen inter iſta; tamen quia eſt connaturalitas quædam ſubſiſtentiæ ad naturam, & è contra, hinc eſt, quod petant vinculum medium; nam hoc idem poteſt dici de materia, & forma, nam quædam connaturalitas eſt in forma ad materiam, & ècõtra, & nihilominus vnio, quam ipſe requirit inter materiam, & formam, eſt earũ cauſalitas. Ergo vnio, quam requirit inter ſubſiſtentiam, & naturam, erit earum cauſalitas, vel ſi hoc defficit à ratione cauſalitatis propter connaturalitatem, quam extrema habent ad inuicem, quare ibi ob eandem connaturalitatem non defficiet vnio à talis cauſalitatis ratione?

Vlterius, nam ſi ſtandum ſit in doctrina, quam in hoc numero ponit, potius deſtruit ab vnione inter materiam, & formam rationem cauſalitatis, quàm adſtruat, quod eſt quod intendit in ſua quinta ratione; nam ponens diſcrimen inter partes continui, & partes aliorum compoſitorum coaleſcentium ex actu, & potentia, aſſerit, *quod illæ* (verba ſunt ipſius) *copulantur vnico termino communi, quia vna pars non exercet in aliam aliquam cauſalitatem per modum materiæ, & formæ, neque per modum actus, & potentiæ; iſtæ vero copulantur proprijs modis communibus, qui conſiſtunt in proprijs cauſalitatibus, quas in ſe inuicem exercẽt, dum copulantur per modum formæ, & materiæ, ſiuè per modum actus, & potentiæ.*

Digitized by Google

Ex quibus verbis ſic argumentor. Partes, quæ ſe habent per modum materiæ, & formæ, ſiuè per modum actus, & potentiæ, exercent ad inuicem, quando coniunguntur, rationem cauſalitatis, ad diſtinctionem partium, quæ copulãtur in continuo, vt in prædictis verbis aſſerit prædictus Author. Ergo ab vnione, quam adſtruit inter materiam, & formam, actum, & potentiam, potiùs deſtruit rationem cauſalitatis, quam adſtruat. Patet conſequentia, nam ſuis verbis, potiùs tribuit rationem cauſalitatis materiæ, & formæ, actui, & potentiæ ad inuicem, quam vnioni interiectæ; neq; enim alijs terminis vtuntur, qui aſſerunt, cauſalitates materiæ, & formæ, actus, & potentiæ eſſe earum entitates, prout habitudines dicunt ad inuicem, connotando applicationem agentis, tãquam conditionem neceſſariam.

Confirmatur hoc; nam ſi ſic non intelligerentur ſua verba, nullum eſſet diſcrimen, quod aſsignat, inter partes continui, quæ copulantur, & partes, quæ ſe habent, vt actus, & potentia, vel vt materia, & forma, nam etiam partes continui, vt actu copulatæ, & vnitæ dicantur, vltra propriam earum entitatem, requirunt actualem vnionem realitèr intermediam, qua in actu ſecundo dicantur vnitæ, & copulatæ; & nihilominus, licèt hæc vnio ſit exercitium harum partium in eſſe vnitarum, non habet rationem cauſalitatis reſpectu earum. Ergo licèt daretur talis vnio medians inter materiam, & formam, & inter potentiam, & actum, qua dicerentur in actu ſecundo prædictæ partes vnitæ, & copulatæ, non habebit rationem cauſalitatis reſpectu earum. Cuius ratio non poteſt eſſe alia, niſi quia, vt vnio habeat rationem cauſalitatis reſpectu partium, quas vnit, non ſufficit eſſe exercitium, medio quo in actu ſecundo vnitæ, & copulatæ dicantur, ſed requiritur concurſus paſsiuus, & informatiuus, vel terminatiuus, qui concurſus proprij ſunt ſolius materiæ, & formæ, actus, & potentiæ; quo caſu talis vnio, etiam ſi daretur, ſolum ſe haberet per modum conditionis requiſitæ ad proprias cauſalitatis partium, ſicut ſe habet applicatiua agentis actio.

Pro quo perpendendum id, quod diligentèr inueſtigauit quidam doctiſsimus Recentior 2. Phyſic. quæſt. 11. articul. 1. & 2. circa cauſalitatem materiæ, & formæ, quod applicari poteſt noſtris extremis, humanitatis, ſcilicèt, & Verbi, ſecluſis imperfectionibus recipiendi, & informandi; nimirum, quod cum materia ſe ipſa ſit eſſentialitèr pura potentia, & forma ſe ipſa ſit eſſentialitèr actus vnum per ſe conſtituens cum materia, vt communis docet Phyloſophorum definitio, ad hoc quod actu cauſent, cum debeat vna cauſare per potentialitatem, per actualitatem alia, non eſt neceſſaria aliqua vnio medians, quæ de ſe nec exprimit potentialitatem, nec actualitatem; & cum aliàs modus cauſandi in actu ſecundo vtriuſque diuerſus ſit, nequit competere vnioni, quæ, in communiori ſententia, vnica tantum eſſet vtrique communis; recipere enim, propriùs principio receptiuo conuenit, qualis eſt materia, & informare, principio informatiuo, qualis eſt forma, quam vnioni, quæ receptionem, quam dicit, ex materia habet, ſicut, & informationem, quam exprimit, ex forma ſortitur; cauſalitas autem propriè nihil aliud dicit, quam expreſsionem actus primi, licèt ad hoc, quod prædicta expreſsio in actu ſecundo interueniat, aliquas conditiones intercedere neceſſarium ſit, nimirum, vnionem forſis, dato quod detur, & applicationem agentis, qua poſita, per ſuam actionem, & materia recipit, & immutatur de actu primo ad actum ſecundum receptiuum, & forma informat, & immutatur etiam de actu primo informatiuo ad informationem actualem, à qua forma, tanquam à cauſa formali, extrema, quæ antecedẽtèr plura erant, vnum fiunt, ſicut enim à forma materia habet eſſe ens determinatum per ablationem indifferentiæ paſſiuæ, quæ eſt in materia, ita ab eadem forma habet eſſe vnum, cum vnum paſsio ſit entis: vnde S. Th. 2. contr. gent. cap. 58. ratione 5. explicans, per quid, tanquam per cauſam formalem, ea, quæ ſe habent per modũ actus, & potentiæ, fiant vnum, ait: *Hoc autem nõ poteſt eſſe corpus, cum magis corpus vniatur per animam* (id eſt, fiat vnum) *relinquitur ergo, aliquid formalius eſſe, quod faciat ex*

Digitized by Google

iuxta S. Thom. diceretur, quod adhuc corpus leue, vt ſit præſens loco ſurſum, non indiget aliquo modo ſuperaddito, qui ſit præſentia, vel vbicatio, ſed per ſuam entitatem, connotando actionem applicatiuam ad locum, dici præſens; nec motus ille localis alicuius modi dicitur productiuus, ſed ſoliꝰ tantũ loci acquiſitiuus. Sic habet idem Sanct. Tho. 1. part. quæſt. 100. art. 3. dicens: *Mobile ſecundum locum non eſt in potentia ad aliquid intrinſecum, in quantum huiuſmodi, ſed ſolum ad aliquid extrinſecum, ſcilicèt locum*, & 2. cont. gent. cap. 13. ait: *Aliquando denominatur aliquid ab eo, quod eſt extra ipſum, vt à loco dicitur aliquid eſſe alicubi.* Vbi vides denominationem eſſendi in loco non prouenire ab aliquo modo rei locatæ ſuperaddito, ſed ab ipſa re connotante locum, & actionem acquiſitiuam ipſius; quod idem dicimus de anima ſeparata, quæ vt ſit in corpore, vltra propriam ſuam entitatem, connotat corpus, in quo ſit, & actionem agentis applicatiuã, per quam in illo ſit.

Opponunt ſecundo. Si Verbum relinqueret humanitatem, deficeret hoc, quod eſt, extrema eſſe vnita; ſicut in morte hominis deſinit, formam eſſe vnitam materiæ: ſed tunc non deficeret aliquod ex extremis, ſicut neque in caſu poſito. Ergo deficeret aliqua vnio mediã, ac proinde dabitur inter extrema. Verum hoc argumentum nullam aliã maiorem vim habet, quam habet illud, quod ſit ex actione deſumptum. Et ideò reſpondeo, quod ſicut optimè compatitur, quod detur noua actio, qua vniãtur aliqua extrema, ſine eo quod terminus aliquis formalis producatur; ita poteſt intelligi, quod de nouo detur noua quaſi actio corruptiua, vel non conſeruatiua illius vnionis extremorum, ſine eo quod deperdatur aliquid, vel ex extremis, vel ex vnione realitèr mediante; nam ſicut de conceptu actionis vt ſic non eſt producere, ſed terminum habere, modo ſit productum, modo communicatum, modo vnitum; ita de ratione actionis quaſi corruptiuæ vt ſic, non eſt, quod corrumpatur aliquid per illam, ſed quod ratio termini actionis præcedentis deſinat eſſe, modo ſit corrumpẽdo aliquid, modo non conſeruando cõmunicationem, modo non conſeruãdo extrema vnita, ſed relinquendo illa præciſè, vt communicabilia, & vnibilia. Quorum ratio eſt, quam ſæpè tetigimꝰ, quia vnio, non ſolum eſt nuda extremorum entitas, ſed neceſſariò connotat aliquid, quo connotato deficiente, tota deficit vnio. Alia argumenta, quæ contra hanc doctrinam fieri poſſunt, ex doctrina data pro impugnatione contrariæ ſententiæ ſolui poterunt, quia ea ſunt, quæ principaliora fiunt in hac re.

Veritas circa terminum formalem reſolutionibus deciſſa.

ARTIC. V.

Reſolutio prima ſit. Terminus formalis *ad quem* huius actionis, prout nomine *creationis* exprimitur, eſt humanitas Chriſti ſecundum ſe, vt ex nihilo facta; ac proinde terminus *à quo* prædictæ actionis ſic explicatæ eſt, non eſſe humanitatis ſecundum ſe. Ratio vtriuſque eſt, nam creatio formalitèr, ſecundum id, quod exprimit, ſolum terminatur ad terminum, vt ex nihilo faciendũ, ad diſtinctionem actionis eductiuæ, quæ ad ſuum terminatur, vt ex aliquo præſuppoſito ſubiecto fiendum; hoc autẽ in noſtro caſu ſolum poteſt verificari de humanitate ſecundum ſe, vt ex nihilo fit; & aliàs terminꝰ *à quo* nihil eſt aliud, quam non eſſe termini *ad quem*, à quo non eſſe incipit terminus *à quo*. Ergo intentum.

Reſolutio ſecunda ſit. Terminus formalis *ad quem* huius actionis, prout nomine *aſſumptionis* exprimitur, eſt perſona Verbi, vt connotat humanitatem, quam aſſumit. Ratio eſt clara, nam id, quod exprimit aſſumptio formalitèr, vt in hoc art. 8. docet Sanct. Thom. eſt perſona Verbi, quæ ad ſe ſumpſit humanitatẽ, determinando illam ad eſſe perſonæ: *Aſſumptio* (inquit Sanct. Thom.) *determinat terminum à quo, & ad quem; dicitur enim aſſumptio, quaſi ab alio ad ſe ſumptio.* Addo, terminum formalem aſſumptionis *à quo*, vt aſſumptio eſt, eſſe humanitatem, vt aſſumptibilem. Ratio eſt, nam licèt conſiderata ſecundum ſe, ſit ſubiectum, in quo exercetur aſſumptio; vt tamen dicit ordinem ad id, quod illam ad ſe ſumpſit, eſt terminus *à quo*: & hoc voluit Sanct. Thom. cum dixit: *Quaſi ab alio ad ſe ſumptio.* Niſi velis,

quod id: *Quaſi ab alio*, non intelligatur de humanitate, ſed de nō eſſe perſonæ Verbi, vt ad ſe ſumentis humanitatem, & hunc eſſe terminum *à quo*, quia terminus *à quo* ſemper eſt, non eſſe termini *ad quem*; & ideò dixiſſe Sanct. Thom. *quaſi ab alio*, 1y *quaſi* limitans illam particulā *ab alio*, eo quod cum ſit non eſſe perſonæ Verbi aſſumentis, non debet vocari abſolutè eſſe *aliud*, vel *ab alio*, ſed *quaſi ab alio*, quod non abs re, & ingenioſius fortè dici poterat.

Reſolutio tertia ſit. Terminus formalis *ad quem* huius actionis, vt nomine *Incarnationis*, vel *humanationis* exprimitur, eſt ipſa caro, vel humanitas, vt vnita Verbo, & terminus *à quo* eſt non eſſe humanitatis, vt vnitæ. Ratio eſt, quia humanitas eſt forma, vel quaſi forma, à qua determinatur Verbum ad eſſe incarnati, & humanati, quod non haberet, ſi aſſumeret lapidem, vel Angelum. Ergo terminus qui tribuit ſpeciem huic actioni, vt nomine *Incarnationis*, vel *humanationis* exprimitur, erit ipſa caro, vel humanitas, vt vnita Verbo. Addo Capræo. Caiet. & alios Thomiſtas nihil huic reſolutioni contrarium dixiſſe, cum aſſeruerunt, terminum aſſumptionis eſſe perſonam aſſumentem; quia non loquuntur de actione, niſi prout nomine aſſumptionis exprimitur, & nil inconuenit in Thomiſtarum ſententia, eidem actioni reali, ſecundum diuerſas ſui conſiderationes, terminos formales diuerſos adſcribere, vt pluribus poſſet demonſtrari exemplis; ſufficiat modò generatio, & corruptio, generatio, & alteratio, quæ cum eadem ſit indiuiſibilis actio realitèr, iuxta principia Sanct. Thom. diuerſos habet formalitèr terminos, prout diuerſis nominibus ſignificatur.

Reſolutio quarta ſit. Terminus formalis *ad quem* huius actionis vt nomine *vnitionis* exprimitur, nō eſt mod⁹ vnionis extremis ſuperadditus, cum talis modus ſuperadditus non detur, vt in tota hac quæſt. probatum eſt, ſed eſt ipſa perſona Verbi, vt per illam, tanquam per quid formalius, & actualius ex pluribus, ſcilicèt humanitate, & Verbo, fit vnum in perſona. Ratio eſt clara, quia id, à quo hæc extrema habent eſſe forformalitèr vnum, ſola eſt perſona Verbi, à qua tanquam à cauſa formali, determinatur potentia humanitatis ad eſſe vnius ſubſiſtentis; ſicut humanitate determinantur iſta extrema ad eſſe vnius Chriſti formalitèr incarnati. Ergo Addo terminum *à quo* huius actionis, vt ſic explicatæ, eſt non eſſe perſonæ Verbi, vt facientis vnum ea, quæ plura ſunt, propter contrariam rationem.

Obijcies contra hanc reſolutionem: Perſona Verbi eſt terminus formalis huius actionis, vt nomine *aſſumptionis* exprimitur, vt diximus in ſecunda reſolutione. Ergo ſi huic actioni aſsignamus diuerſos terminos formales, ſecundum quod diuerſis nominibus ſignificatur, non poteſt ipſa perſona Verbi eſſe terminus formalis huius actionis, vt nomine *vnitionis* exprimitur. Reſpondeo, quod licèt perſona Verbi ſit terminus formalis prædictæ actionis, vt nomine *aſſumptionis* exprimitur, vt diximus reſolut. 2. benè poteſt eſſe terminus formalis eiuſdem actionis, vt nomine *vnitionis* ſignificatur, ſecundum diuerſas ſui conſiderationes; nam reſpectu aſſumptionis formalitèr eſt terminus formalis, ſecundum quod dicit relationem ad ſe ipſam, vt humanitatem aſſumentem, reſpectu vero actionis, vt vnitionem exprimit, eſt eadem perſona Verbi terminus formalis, ſecundum quod ex pluribus facit vnum, tanquam quid formalius, & actualius inter extrema, & ſecundum hos reſpectus, licèt in eſſe rei ſit eadem perſona Verbi; in eſſe vero termini formalis eſt diuerſa: ſicut eadem anima rationalis, quæ in eſſe rei eſt eadem, ſecundum diuerſos reſpectus eſt terminus formalis generationis, & reunionis, & ipſamet humanitas Chriſti, quæ in eſſe rei eſt eadem, in eſſe vero termini formalis, vt ex nihilo facta, verbi gratia, & ſecundum quod determinat Verbum ad eſſe incarnati, & humanati, eſt diuerſa formalitèr in eſſe termini.

In calcè articuli ſubiungo. Prolixè ſatis Authores communitèr plus temporis, quam par ſit, conſummere in explicando hanc maximam vnionem ſubſtantialem humanitatis, & Verbi fuiſſe factam in perſona, quod tanquam de fide omnes profitentur, negantes, factam fuiſſe in natura; quod ſi

hoc

Digitized by Google

hoc negent aſſerentes, vnam tantũ fuiſſe in Chriſto naturam, ſiuè per conuerſionem diuinitatis in humanitatem, aut è contra, vt fuit error Euticheris, & Neſtorij, vt referunt hic Authores, benè negant communitèr, factam fuiſſe in natura. Si autem ita intelligatur factã fuiſſe in natura, quod permanendo qualibet natura impermixta, fiat vnio, vt de facto fuit facta, benè poteſt concedi factam fuiſſe, non ſolum in perſona, ſed in natura; quod qua ratione intelligendũ ſit, latiori calamo diſp. ſeq. intendemus. Addo poſt hanc vnionem ſic explicatam, perſona Chriſti poteſt dici compoſita, vt notauit, & benè, noſter Auerſa hic quæſt. 2. ſect. 4. licèt hoc magis quæſtio videatur de nomine; dependet enim ex conditionibus, quæ ad veram compoſitionem requiruntur: Vnum tamen mihi certum eſt, in hac vnione reperiri quatuor conditiones, quas requirit Caietan. ad veram compoſitionem; vnde falſo ab aliquibus refertur pro cõtraria ſententia, nimirum, quod componentia realitèr diſtinguantur, & quod realitèr vniantur, & quod non ſecundũ ſitum, vel habitum extrinſecum; & denique quod vnum extremum ſe habeat, vt potentia, & alterum, vt actus, quas conditiones ſeruatas fuiſſe, diſcurrenti conſtabit.

Vtrum vnionem Verbi incarnati aliqua merita præceſſerint?

QVÆSTIO III.

IN Hac re circa meritum Chriſti, licèt omnes conueniant, nulla eius merita de facto ſuam Incarnationem meruiſſe; de potentia tamen abſoluta, non defuerunt, qui concederent, eandẽ Incarnationem potuiſſe mereri per opera ſubſequentia vnionem; quod fieret, caſu quod Deus, ſicut potuit, decreuiſſet, dare humanitati Chriſti hanc vnionem, ſub conditione, quod ipſa Verbo vnita eandem mereretur vnionem. Ita Suar. diſp. 10. ſect. 4. Becan. capit. 14. quæſtion. 6. Pro contraria autem parte ſtat tumultus Scholaſticorum aſſerentium, adhuc de potentia abſoluta, non potuiſſe Chriſtum ſuam vnionem mereri. Ita Caietan. Medin. Aluar. Cabr. hic art. 1. cum omnibus Recentioribus, cũ R. P. M. Fr. Ioan. à Sancto Thoma hic diſp. 5. art. 2.

Circa meritum autem Sanctorum Patrum, qui Chriſtum præceſſerunt, alia qualis maior apud Authores extat difficultas, qui omnes, licèt conueniant in negando meritum de condigno reſpectu Incarnationis, in concedendo tamẽ meritum de congruo, valde diſsident; eo quod aliqui tale meritum ſolum concedant reſpectu aliquarum circunſtantiarum, non reſpectu ſubſtantiæ Incarnationis. Ita Scotus in 4. diſtinct. 2. quæſtion. 1. Bonauentur. in 3. diſt. 4. quæſtion. 1. art. 2. Vazq. diſp. 22. Lorca art. 11. quæſt. 2. Medina vero, Aluarez, Raguſa, & Araujo hic artic. 11. cum alijs quam plurimis Recentioribus, inter quos nouiſsimè R. & Illuſtriſs. M. Godoy loco citato diſp. 13. §. 1. numer. 9. cum R. P. M. Fr. Ioan. à Sancto Thoma loco citato articul. 1. non ſolum concedunt meritum congruum Sanctis Patribus reſpectu circunſtantiarum, ſed etiam reſpectu ſubſtantiæ Incarnationis.

Circa meritum denique B. Virginis aliqui, quos citat Araujo loc. citat. dub. 2. dixerunt, B. Virginem de facto meruiſſe, non quidem Incarnationem, ſed maternitatem Dei. Alij autem dicunt, quod licèt de facto talem maternitatem non meruiſſet, niſi de congruo, de potentia abſoluta merito de condigno illam potuiſſe mereri. Ita Suar. diſp. 10. ſect. 7. Verùm doctiores Theologi, tã de facto, quam de potentia abſoluta negant B. Virgini meritum de condigno reſpectu maternitatis, & admittunt meritum de congruo. Ita Sotus, Valent. Medin. Aluar. Nazar. quos omnes citat, & ſequitur Araujo; quorum aliqui etiam reſpectu Incarnationis concedũt meritum congruum.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo, id, quod ad 1. 2. quæſt. 114. docent communitèr Theologi cum Sanct. Thom. magnum eſſe diſcrimen inter meritum de condigno, & de congruo: nam primum valorem talem intrinſecum habet, quod inducat obliga-

Digitized by Google

tionem in præmiante, vt ex iuſtitia conferat præmium propter æqualitatem cum illo; ſecundum autem, licèt habeat valorem intrinſecum, non tamen talē, quod inducat obligationem in præmiāte ex iuſtitia, ſed ſolum ex quadam decētia, & congruentia; ideò enim primum condignum dicitur, quaſi æquè dignū cum præmio; ſecundum autem congruum, quaſi congruentiam habens, vt præmietur à præmiante.

Obſeruo ſecundo. Hic poſſe nos loqui de Incarnatione, & circunſtantijs, pro illa prima volūtate efficaci Dei, qua decreuit Incarnationem cum omnibus ſuis circunſtantijs per modum intentionis præciſsè conſideratis, & de Incarnatione, & circunſtantijs eius, pro illa ſecunda voluntate efficaci Dei, qua in executione decreuit Incarnationem, & circunſtantias loci, videlicèt, accelerationis, & temporis, prout hic, & nunc hæc omnia executa fuerunt: an videlicèt, aliquo ex meritis aſsignatis potuerit Incarnatio aliquo etiam ex his modis ſumpta ſub meritum Chriſti, Sanctorum Patrum, vel B. Virginis Mariæ cadere. Quibus ſic obſeruatis.

Quidnam dicendum de merito Chriſti circa eius Incarnationem?

ARTIC. II.

PRo cuius lucè ſtatuo priùs. Certum eſſe ſecundum fidem humanitatem Chriſti nunquam priùs tempore extitiſſe, quam vnita fuerit Diuino Verbo, ſed in eodem inſtanti, in quo anima fuit creata, fuit etiam Verbo coniuncta, & in eodem inſtanti, quo caro Chriſti fuit caro humana, fuit caro etiam Chriſti, & Dei; vnde Leo Papa Epiſt. 11. ad Iulianum ait: *Natura noſtra non ſic aſſumpta eſt, vt pri⁹ creata, poſt aſſumeretur, ſed vt ipſa aſſumptione crearetur.* Et Fulgent. lib. de Incarnat. & gratia cap. 3. inquit: *Ipſa quippe acceptio carnis fuit conceptio virginalis.* Cum quo tamen ſtat, quod poſſet Deus talitèr res præordinare, & diſponere, vt humanitas Chriſti priùs tempore extitiſſet, quam coniungeretur Verbo, faciendo, ſcilicèt, quod priùs tempore ſua connaturali exiſtentia, & ſubſiſtentia poleret, & poſtea hac exiſtentia, & ſubſiſtentia expoliata, vniretur Verbo, vel faciendo, quod priùs tempore vnita eſſet Patri, vel Spiritui Sancto, & poſtea, vel hac vnione relicta, vel adhuc perſeuerante, Verbo vniretur, & coniungeretur. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio prima ſit. Si humanitas Chriſti priùs tempore extitiſſet aliquo ex his modis aſsignatis, vt fieri potuit, quam vniretur Verbo, poſſet mereri talem vnionem cum Verbo, de congruo, ſi exiſteret per propriam, & connaturalem exiſtentiam: & de condigo, ſi exiſteret per exiſtentiam Patris, & Spiritus Sancti. Prima pars ex eo conſtat, quia humanitas Chriſti propria exiſtentia exiſtens poterat ellicere operationes ſupernaturales ex gratia habituali à Deo collata ortas; ſed tales operationes, eo quod ſupernaturales, licèt non haberēt condignitatem cum vnione ad Verbū, vtpotè à pura creatura ellicitæ, haberēt tamen congruentiam, & decentiam quandam in ordine ad talem vnionem. Ergo licèt non mereretur illam de condigno, de congruo tamen poſſet illa ſub meritum cadere. Secunda autem pars probatur ex eo, quod operationes, quæ orirentur ab humanitate, vt terminata ſubſiſtentia, & exiſtentia Patris, vel Spiritus Sancti, eſſent theandricæ, & Dei viriles, ac perconſequens valoris ſimplicitèr infiniti. Ergo eſſent æqualis cōdignitatis moralis cum vnione ad Verbum, quantumuis illa ſit infiniti valoris, ac perconſequens, de condigno meritoriæ talis vnionis.

Reſolutio ſecunda ſit. Humanitas Chriſti, nec Chriſtus, vt de facto extitit, meruit, nec mereri potuit, nec de condigno merito, nec merito de congruo, vnionem cum Verbo Diuino, aut ſuam Incarnationem, nec per opera ordine naturæ antecedentia vnionē, nec per opera vnionem ipſam conſequentia. Eſt expreſſa reſolutio Sanct. Thom. hic art. 11. cuius ratio eſt. Nam omnis operatio humanitatis, & Chriſti Domini, vt de facto extiterunt ſubſecuta eſt vnionem, non ſolum in intentione Dei, ſed in executione ipſa, vtpotè, vt commune fert Phyloſophorum axioma, quidquid dicat Vazq. *Actiones ſuppoſitorum ſunt, & exiſtentium, non naturæ, niſi vt quo.* Ergo nulla ei⁹ operatio fuit, nec potuit eſſe meritum vnionis.

Digitized by Google

Confirmatur. Nam id, quod eſt principium omnis meriti, eo modo, quo eſt principium talis meriti, non poteſt eſſe ipſum meritũ, eo enim probant Theologi ad 1. 2. quæſt. 114. primam gratiam non poſſe ſub merito cadere, quia eſt principium meriti: Sed Chriſtus Dominus, non vtcumque eſt principium meriti, ſed vt executus, & exiſtens; in hoc enim differt cauſa finalis à meritoria, quod vt illa cauſet, ſufficit, finalizans, & intentionalitèr præſupponi; vt autē cauſet hæc, illud non ſuficit, ſed exiſtēs requiritur præſupponi; quam differentiam egregie tradidit Angelicus Præceptor quæſt. 29. de verit. art. 6. dicens: *Meritum eſt cauſa præmij, non quidem per modum finis, ſic enim potiùs præmium eſt cauſa meriti, ſed magis ſecundum reductionem ad cauſam efficientem, in quantum meritum facit merentem dignum præmio, & per hoc ipſum ad præmium obtinendum diſpoſuit; id autem, quod eſt cauſa per modum efficientis, neceſſariò debet ante effectum præſupponi.* Ergo cum Chriſtus Dominus, ſi mereri poſſet ſuam vnionem, id efficeret per modum efficientis, implicat, quamlibet eius operationem nòn ſupponere talem vnionem, per quam exiſtens reddebatur: qua ratione benè perſpecta ruunt omnia effugia P. Suarez.

Vnde id, quod prædictus Suarez adducit de milite, cui datus eſt equus ſub conditione meriti futuri in præmio, nihil valet, quia miles poteſt per bonum vſum equi mereri dominium eiuſdem, quia eius bonus vſus, non tam ab ipſo equo, quam ab induſtria, & arte militis equitantis prouenit; tota autem ratio meritorum Chriſti prouenit ab vnione; quæ differentia colligitur ex S. Thom. 1. part quæſt 23. art. 5 in corp. Neque etiam valet id, quod dicitur, non repugnare meritum, & præmium eſſe in eodem inſtanti; nam nos non negamus Chriſto meritũ vnionis, quia repugnet meritum, & præmium eſſe in eodem inſtanti, ſed quia quælibet operatio Chriſti ſubſecuta eſt vnionem, & nihil poteſt mereri ſuum merendi principium.

Obijcies peculiaritèr contra rationē noſtræ concluſionis Chriſtus vt præuiſus in intentione Dei cum ſuis operibus etiam in intentione præuiſis ante realem exiſtentiam vnionis, & operum in tempore, fuit ſufficiens, vt diceretur meruiſſe gratiam antiquis Patribus collatam; eo enim communitèr dicitur, gratiam antiquis Patribus collatam fuiſſe ex meritis Chriſti. Ergo cauſa meritoria, vt cauſet, non requirit exiſtentiam in tempore exercitam, ſed ad ſummum in præuiſione Dei; ac perconſequens, Chriſtus, vt præuiſus cum ſuis operibus in intentione Dei, potuit mereri ſuam vnionem hypoſthaticam per opera abſolutè futura, & ſolum præuiſſa in intentione Dei.

Reſpondeo, diuerſum quid eſſe, Chriſtum meruiſſe gratiam antiquis Patribus collatam, ab hoc quod eſt, Deum præuiſsis meritis in ſua intentione abſolutè futuris Chriſti Domini, motum fuiſſe ex illis ad conferendam Patribus talem gratiam; nam hoc ſecundum eſt verum, primum autem falſum; vnde ſi communitèr dicitur, gratiam antiquis Patribus collatã fuiſſe ex meritis Chriſti, iuxta modum iſtum intelligendum eſt, nimirum, concurſum finalem contuliſſe, ad hoc vt Deus conferret gratiam Patribus antiquis; neque enim ego percipere poſſum, qua ratione opera Chriſti, vt præuiſſa in intentione Dei cauſalitatem potuiſſe exercere moralē in ordine ad gratiam Patribus conferēdam, quidquid dicat Aluarez diſp. 17. cum aliis, cum pro tunc non intelligantur talia opera cum exiſtentia in propria duratione; aliàs enim nullum iudicarem inconueniens, imò congruentiſsimè diceretur, iuxta Suar. ſententiã Chriſtum Dominum per opera ſubſequentia, non ſolum potuiſſe mereri vnionem hypoſthaticam quoad executionem, ſed illam de facto meruiſſe; ſiquidem certum eſt opera ſubſequentia fuiſſe priùs in intentione Dei prædeſtinantis Chriſtum, & ipſa opera, quam ipſe Chriſtus, vt in rerum natura poſitus, ſiquidem omnia ſunt Deo præſentia, antequam noſtris temporibus, & quoad nos præſententur.

Reſolutio tertia ſit. In aliquo vero ſenſu poteſt concedi, quod Chriſtus Dominus, vt de facto exiſtens, meruerit eãdem vnionem hypoſthaticam, qua de facto extiterunt Chriſt⁹, & humanitas; non ita, vt licèt de facto omnis operatio Chriſti ſubſequuta fuerit vnionem, de potentia abſoluta poterit alitèr con-

tin-

tingere, & præcedere ordine naturæ aliquam operationem charitate formatam, qua in eodem inſtanti meruerit aſſummi, vt vult hic Caiet. art. 11, quod præcipuè verificari poteſt in ſententia aſſerente humanitatem Chriſti exiſtere propria exiſtẽtia; nec ita vt in intentione Dei præuiſis eius operibus futuris meruerit executionem ſuæ vnionis, vt voluit Suar. in primo eius caſu, ſicut, & in ſecundo non eſſet humanitas, vel Chriſtus, vt de facto exiſtunt, iuxta probabiliorem ſententiam Thomiſtarum, per exiſtentiam Verbi, ſed ita quod ipſa vnio, vt de facto executa, fuerit principium alicuius operationis, qua eandem vnionem, non ſecundum illam conſiderationem, ſecundum quod fuit operationis principium; ſic enim implicat ipſam mereri, quomodo locuti ſumus reſolutione præcedenti; ſed ſecundum aliud exercitium in ipſa imbibitum, & nondum in humanitate pro illo priori explicatum, donec mediet talis operatio aliquomodo huius exercicij meritoria.

Sic ergo explicata reſolutio, probatur ex pluribus principijs communitèr apud Theologos admiſsis. Primum eſt, Quidquid potuit Chriſtus merito comparare, credendum eſt, de facto ſic illud comparaſſe, & non omni ex parte gratis donatum fuiſſe; id enim decebat ad perfectionem Chriſti: & ideo communitèr admittitur, in primo inſtanti ſuæ conceptionis habuiſſe actum charitatis perfectiſsimum meritorium, quo ſe diſponeret ad exercitium habitualis gratiæ, quæ quidem gratia habitualis erat principium radicale talis actus: ſic etiã communitèr aſſeritur, virtutes morales fuiſſe in Chriſto proprijs actibus cõparatas: Vlteriùs gratia habitualis, quæ in veriori Thomiſtarum ſententia eſt principium contritionis; imò, & in noſtra eſt principium cuiuſcumque ſupernaturalis actus, eſt, & dicitur pro merita, ſaltim de congruo, per ſuas diſpoſitiones ab ipſa ortas, vt ad materiam de merito communitèr dicitur, & cum fundamẽto in S. Thoma (quidquid alij dicant) in 4. diſtinct. 15. quæſt. 1. art. 3. quæſt. 4. vbi docet expreſsè, quod licèt merito condigno non poſsit mereri, merito tamen congruo pro merita eſt. Quorum ratio omnium eſt, quia licèt gratia ſit merendi principium, vt intelligitur in eſſe quaſi inquieto, & fieri, vel in facto eſſe ſecundum aliquam tantum ſui conſiderationem, vel eleuantis, vel conſtituentis principium in eſſe ſupernaturali phyſicè præciſsè, præſcindendo ab alijs muneribus, quæ in eodẽ inſtanti poſita ſua diſpoſitione præſtabit, nõ implicat, quod ſit etiam pro merita, ſaltèm de congruo ab ipſamet diſpoſitione, cuius ipſa gratia eſt principium, quia non eſt pro merita, & terminus meriti ſecundum illam conſiderationem, ſecundum quam erat merendi principium, ſed vt eſt in ſtatu quieto, & in facto eſſe permanenti, & tribuente omnes ſuos effectus formales. Ergo licèt vnio hypoſthatica in Chriſto, vt in executione poſita, fuerit principium omnis actionis meritoriæ Chriſti, poſſumus intelligere, quod in eodem inſtanti vnionis, ipſa, vt in fieri, vel vt in facto eſſe conſtituente humanitatem ſubſiſtẽtem præciſsè in ordine Diuino, ſit cum tali humanitate, merendi principium, eliciens actum aliquem ſupernaturalẽ, medio quo eadem vnio exerceat aliud eius munus pro meritũ ab actu aliquo genere meriti, ſcilicèt, factum eſſe cõpletum conſtituens, non ſolum ſubſiſtẽtem Diuino modo humanitatem, ſed talitèr, videlicèt, perſonali Filij Dei. Conſequentia patet quia tunc ſaluaretur, quod actiones ſunt ſuppoſitorum, etiam ſi pro illo priori non exprimeret Verbum ſuam ſubſiſtentiam in eſſe Verbi; ſicut ſaluatur, quod actiones vegetatiuæ partis in homine ſint ſuppoſitorũ, etiam ſi non intelligantur oriri ad homine, ſecundum vltimum conceptum rationalis: & conſequentia habet vim in ſententia Thomiſtarum admittẽte ſubſiſtentiam abſolutam, præter tres relatiuas, per quam ſubſiſtentiam poſſet natura Diuina humanam aſſumere, & tũc erit aliquid ſubſiſtens; & perconſequens, perſona, vt inquit Sanct. Thom. infra quæſt. 3. art. 3. in corp. & ad 1. de quo ibi latius.

Confirmatur. Nam in relationibus Diuinis, licèt eſſe *in*, & eſſe *ad* ſit idem indiuiſibilis conceptus obiectiuus, ſola diuerſa expreſsio, qua nos illum concipimus, & exprimimus, eſt ſufficiens, vt intelligamus relationem Paternitatis, v.g. in eſſe *in* præſupponi ex parte Patris

tris generantis Filium ad eandem relationem in eſſe *ad*, quod quidem *ad*, vt exerceatur, licèt alias ſit in Patre requirit actionem generatiuam, qua poſita exerceretur iam eſſe *ad*, quod antea non exercebatur, licèt exiſteret. Ergo eadem perſona Verbi, vel perſonalitas, licèt ſit vnita humanitati in facto eſſe, ſecundum omnem ſuam entitatem, & formalitatem obiectiuam, poteſt intelligi, ſecundum aliquam expreſsionem, vt conſtituens, v. g. humanitatem ſubſiſtẽtem Diuino modo, concurrere cum illa ad actum, v. g. amoris, quem habuit Chriſtus in primo conceptionis inſtanti, licèt non concipiatur ipſa, vt conſtituens humanitatem, ſecundum vltimam ſui expreſsionem, ſcilicèt perſonali Verbi; ſicut enim illa expreſsio relationis, ſecũdum eſſe *ad*, licèt ſupponatur re ipſa ex parte ſuppoſiti Diuini operantis, non exercetur, donec mediet actio phyſicè Diuina; ita expreſsio perſonalitatis Verbi humanitatẽ terminantis, licèt ſupponatur re ipſa ex parte humanitatis ſuppoſitæ, & operantis, non exercebitur, niſi ſecundum iſtam rationem, quæ ſolum deficiebat humanitati, vt poſſet operari, & non ſecundum rationem vltimam expreſsionis, filiationis, v. g. vel alterius huiuſmodi, donec mediet actio Diuina moralitèr, qua poſita exerceatur, & ſit pro merita a tali actione.

Obiicies primo. Priùs noſtro modo intelligendi fuit terminata humanitas Chriſti per ſubſiſtentiam Verbi, ſecundum vltimam quamcumque expreſsionem, quam nos concipimus; quam ſecũdum expreſsionem ſubſiſtentiæ Diuinæ præciſsè, vel non vltimam, vt ita dicam, qua eandem ſubſiſtentiam concipimus, cum fuerit terminata perſonalitate, prout determinata, & non prout Patri, & Spiritu Sancto communi, ſicut eſt ſubſiſtentia Diuina. Ergo omnia exercitia perſonalitatis præceſſerunt in humanitate ad ellicientiam cuiuſcumque actionis moralis meritoriæ, ac proinde nullius exercitij vnionis potuit talis actio eſſe meritoria; cum id, quod ſe tenet ex parte principij merendi, eo modo, quo ſe tenet, non poſsit eſſe ipſum meritum, vel promeritum.

Reſpondeo negando antecedens; nam terminatio perſonalitatis in humanitate ex parte recti, non eſt priùs in eſſe terminantis, ſecundum expreſsionem ſubſiſtentiæ, vel ſecundum expreſsionẽ quamlibet à nobis factam; nam cũ terminatio ſolum attendat realitatem, nõ præſcindit ex parte obiecti; nos autem ex parte actus concipimus priùs, & poſteriùs in ipſa terminatione, & ſecundum hunc noſtrum modum concipiendi, ſemper concipimus rationes magis communes eſſe quaſi priores, quam rationes particulares; neque enim poſſumus intelligere Verbi perſonalitatem terminantem, v.g. humanitatem, & vt contrahentem perſonalitatem Diuinã vt ſic, ſine eo quod priùs concipiamus perſonalitatem Diuinam, quæ quaſi cõtrahitur ad eſſe talis perſonæ: Quando autem in argumento dicitur, debere cõcipi perſonalitatem, vt determinatam, & non vt communem, verum eſt, debere ſic concipi; non tamen determinata omni determinatione, & quaſi vltima, ſed determinatione quaſi generica contrahente rationem ſubſiſtentiæ Diuinæ vt ſic ad talitatem ſubſiſtentiæ, quæ licèt ſit Verbi, non exprimitur pro tunc, eo quod ſecundum primam conſiderationem ſufficientèr intelligitur eſſe principium operatiuum vt *quod*, vt potè ſuppoſitum, eo modo, quo in lib. de generat. diximus de indiuiduis genericis, *hoc animal*, v. g. quod ſine eo quod exprimatur vltima talitas, concipimus aliam talitatem contrahentem animal vt ſic, per quam eſt ſufficiens principium ad elliciendas operationes prout animales.

Obiicies ſecundo. Si humanitas, vt intelligitur ſubſiſtens ſubſiſtentia Verbi modo explicato, mereretur ſuam vnionem ſecundum alteram, & vltimam eius conſiderationem, cum id nõ poſſet efficere, niſi media gratia habituali, *ſine qua*, (vt inquit Sanct. Thom.) *meritum eſſe non poteſt*. Intelligeretur humanitas Chriſti priùs cum gratia habituali, quam cum gratia vnionis; hoc autem quam falſum ſit, ex eo cõſtat, quia gratia habitualis eſt conſequens vnionẽ per modum proprietatis, & nullo modo antecedens, vt docet idem S. Tho. in hac 3. part. quæſt. 7. art. 13. ad 2. Vlteriùs filiatio adoptiua naturalem filiationem præcederet. Ne ergo hæc dicamus, dicendum eſt, non poſſe Chriſtum mereri ſuam vnionem hypoſtha-

ticam, ſecundum aliquam conſiderationem.

Reſpondeo. Verum eſſe, neceſſariam eſſe gratiam habitualem ad hoc, vt humanitas pro illo priori elliceret illum actum amoris Dei ſupernaturalem, & meritorium talis vnionis, ſecundum illud exercitium iam explicatum; tamen ipſa gratia non intelligeretur in humanitate Chriſti, ſecundum omnia ſua exercitia, ſed præciſsè vt eſt principium phyſicum ſupernaturale neceſſariò requiſitum ad quemlibet actum phyſicè ſupernaturalem, vt latè diſcutiemus ad quæſt. 7. huius 3. part. Vnde quando S. Thom docet, gratiam habitualem eſſe conſequentem vnionem per modum proprietatis, verum eſt reſpectu vnionis, quoad ſuam ſubſtantiam, & entitatem realem; reſpectu tamen illius, ſecundum aliquod ſui exercitium, nullum eſt inconueniens, quod ſit antecedens; ſicut eadem gratia habitualis, ſecundum aliquam conſiderationem, eſt antecedens ad ſe ipſam, ſecundum aliã; & inter ipſam his modis ſumptam, mediat aliquis actus, qui meritorius dicatur ſui ipſius, ſecundum vltimam conſiderationem. Vnde non datur filiatio adoptiua in Chriſto ante naturalẽ, quia illa gratia habitualis, licèt ſit ex ſe potens facere adoptionem, non facit in Chriſto, propter repugnantiam, quam habet cum filiatione naturali, quæ præſupponebatur, eo ipſo quod vnio quoad ſubſtantiam ſupponeretur in humanitate Chriſti.

Quidnam dicendum de merito Sanctorum Patrum circa Incarnationem?

ARTIC. III.

Reſolutio prima ſit. Patres antiqui non meruerunt, nec mereri potuerunt, adhuc de congruo Incarnationem, neque eius circunſtantias, ſumpta Incarnationem, & circũſtantias, quoad intentionem, pro illa, ſcilicèt, prima voluntate, qua intenta, & prædeſtinata eſt à Deo. Hæc eſt omnium communis reſolutio, & ratio eſt: quia Incarnatio, & circunſtantiæ modo explicato fuerunt præuiſſa, & præfinita à Deo priùs ordine rationis, in genere cauſæ finalis, quam merita, & gratia Sanctorum Patrum; cum fuerit cauſa finalis, exemplaris, & efficiens prædeſtinationis eorum, ſicut, & noſtri, vt docet Sanct. Thom. in hac 3. part. quæſt. 24. & aliàs talia merita ſupponebant Chriſtum in intentione venturum; cum niterentur fide eiuſdem Chriſti venturi. Ergo nullo modo potuerunt illam ſic mereri, adhuc de congruo.

Reſolutio ſecunda ſit contra Vazq. hic diſp. 22. cap. 4. Antiqui Patres, licèt non meruerint ſubſtantiam Incarnationis, neque eius circunſtantias in executione merito de condigno, vtpotè eorũ opera finita, meruerunt tamen illã merito de congruo quoad ſubſtantiam, & circunſtantias in executione. Primo, quia eſt expreſſa mens Sanct. Thom. pluribus in locis, in tertio enim ad Anibald. diſt. 4. quæſt. vnica art. 3. quæſtiuncul. 3. art. 1. ait: *Omnem præparationem ad aliquid habendum, meritum appellari, & ſic congruum eſt, vt facienti quod in ſe eſt, Deus non deneget gratiam*, & in 2. etiã ad Anibald. diſt. 2. quæſt. 1. ar. 4. inquit: *Quod meritum impropriè ſumptum, quale eſt congruum, poteſt dici diſpoſitio, ſeu præparatio ad aliquid accipiendum*, & hoc modo explicat illud Auguſt. de prædeſt. Sanctor. cap. 5. *Quod motus fidei meretur iuſtificationem*. Id eſt, quatenus motus fidei eſt diſpoſitio quædam, & præparatio ad illam. Et denique expreſsis verbis hoc idem dixit in hac quæſt. art. 11. ibi: *Ex congruo tamen meruerunt Sancti Patres Incarnationem, deſiderando, & petendo; congruum enim erat, vt Deus exaudiret eos, qui ei obediebant*. Quam Incarnationem negat meruiſſe de condigno. Ergo ſicut hoc meritum negat circa ſubſtantiam, illud concedit etiam circa ſubſtantiam; ſiquidem vnum alteri contraponit.

Ex ipſis locis formatur ratio pro reſolutione ſic. Quælibet petitio, præparatio, & diſpoſitio ad aliquid habendum, præcipuè ſi ſit ab homine iuſto, appellatur à Sanct. Thom. meritũ de cõgruo: atqui Sancti Patres pluries ſe diſpoſuerunt, & præpararunt ad Incarnationẽ, petendo Chriſtum; dicitur enim Iſai. 45. *Rorate Cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum; aperiatur terra, & germinet Saluatorem* Pſal. 84. *Salutare tuum da nobis*, & Pſal. 105. *Viſita nos in Salutari tuo.*

Er-

Ergo congruum erat, vt Deus has, & ſimiles orationes exaudiret, donando illis Chriſtum in executione; nam oratio (teſte Sanct. Thom. 2. 2. quæſt. 83 articul. 15. ad 2.) ſi fundetur in charitate, eſt meritoria illius, quod petitur a Deo.

Dices cum Vazq. cap. 7. Sanctos Patres ſuis orationibus, & petitionibus ſolum manifeſtaſſe Deo deſiderium, quod habebant, videndi Chriſtum, non autem poſtulaſſe Incarnationis executionem, cum iam eſſet eis certa; ſiquidem omnia eorum opera nitebantur in fide Chriſti venturi. Sed contra eſt, nam etiã erant eis certæ aliquæ circunſtantiæ, vt tempus, quo debebat executioni mandari, ex multis Sacræ Scripturæ teſtimoniis, vt conſtat ex hebdomadibus Dan. 9. quæ abrebiatæ ſunt, *vt vngatur Sanctus Sanctorum*, & ex Pſal. 11. *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus*, & ex Pſal. 108. *Cito anticipent nos miſericordiæ tuæ Domine.* Et nihilominus Patres poſtulando huiuſmodi circunſtantias, quas certas eſſe ſciebant, de congruo illas merebantur, vt fatetur idem Vazq. diſput. 23. cap. 5. Ergo licèt ſubſtantia Incarnationis quoad executionem eis eſſet certa, non oberit, quominus ſe præparando, & diſponendo, illam peterẽt, & petendo, de congruo meruerint.

Et ratio omnium eſt, quia non implicat, quod ea, quæ iam tenetur Deus facere aliquo titulo, velit, vt adipiſcantur mediantibus præcibus; quare de Filio, cui debetur de iure Regnum, & dominatio, dicitur Pſal. 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Dari Filio, cui de iure debetur Regnum, per poſtulationẽ eſt, quaſi, ſcilicèt, expectet Deus præces noſtras, vt hæreditatem, & Regnum, quod nobis iuſtis debet, conferat mediante merito talium iuſtorum.

Obiicies difficili, & ſi communi, argumento. Principium meriti non poteſt cadere ſub merito, ea ratione, qua principium eſt, vt liquet ex art. præced. ſed ſi Patres meruiſſent Incarnationis ſubſtantiam, quoad executionem, principium eius, qua tale, caderet ſub merito; ſiquidem Incarnatio non eſt principium meriti in Sanctis Patribus, niſi in executione poſita; eo enim probabimus in articul. anteced. non poſſe Chriſtum per opera abſolutè futura præuiſa, à Deo mereri ſuam Incarnationẽ, quoad executionem, ob differentiam, quam ex Sanct. Thom. & ex Theologis communitèr aſsignauimus inter cauſam finalem, & meritoriam, quod vt illa cauſet, non requirit aliam exiſtentiam, niſi in intentione operantis, vt iſta vero, requirit realem exiſtentiam extra cauſas, quæ efficientiam exprimat meritoriam; ſecundum iſtam autem rationem, eadem Incarnatio eſt promerita à Sanctis Patribus. Ergo ea ratione, qua eſſet principium meriti, & gratiæ Sanctorum Patrum, ſub merito eorumdem caderet.

Confirmatur; quia ſi meruiſſent Incarnationem; meruiſſent etiam ſuam primam vocationem, & ſuam primam gratiam, cum quidquid eſt cauſa cauſæ, ſit cauſa cauſati. Ergo ſi merita Sanctorũ Patrũ fuerunt cauſa meritoria Incarnationis; & Incarnatio fuit cauſa primæ vocationis, & gratiæ eorum, fuerũt cauſa ſuæ primæ vocationis, & ſuæ primæ gratiæ.

Hoc argumentum, quod difficile ſanè eſt, varie ſoluitur ab Authoribus, relicta vero ſolutione aliquorum aſſerentium, quod principium meriti poteſt cadere ſub merito de congruo, licèt non de condigno, de quo intelligũt illud, quod *principium meriti non poteſt cadere ſub merito*, quam falſiſsimam reputo, eo quod principium meriti, licèt materialitèr ſumptum poſsit ſub merito de cõgruo cadere, non autem formalitèr ſumptum, id eſt, ea ratione, qua principium eſt; qua ergo ſolutione relicta. Aluarez diſp. 17. cum Nazario, & aliis Thomiſtis reſpõdent argumẽto, quod Incarnatio, prout in intentione Dei, eſt cauſa gratiæ, & meritorum Sanctorum Patrum, & prout in executione eſſe terminum, & eſſe promeritam de congruo à Sanctis Patribus, ac proinde, non ſecundum eam rationem, ſecundum quã eſt principium meriti, cadit ſub merito, & eſt promerita. Quam ſolutionem ſequitur R. & Illuſtriſsimus M. Godoy loco ſuperius citato, §. Vltimo numero 76.

Verùm hæc ſolutio mihi non placet: Tum quia non ſoluit argumẽtũ, prout intendit probare aliam exiſtentiam præter in intentione operantis requirere cau-

cauſam meritoriam. Tùm etiam, nam ſi Incarnatio Chriſti, & eius merita in intentione Dei præuiſſa, fuiſſent ſufficientia ad hoc, vt Sancti Patres meruiſſent eandem Incarnationem quoad executionem, non eſſet ratio, quare eadem merita Chriſti in intentione Dei præuiſſa non eſſent ſufficientia ad hoc, vt Chriſtus meruiſſet ſuam Incarnationem quoad executionem; ſi autem dicatur Chriſtum, & eius merita in intentione Dei præuiſſa habuiſſe cauſalitatē moralem effectiuam in ordine ad gratiam, & merita Sanctorum Patrum. Ergo potuerunt etiam illam habere in ordine ad ſuam Incarnationem quoad executionem, ex ſuppoſitione quod non requiratur exiſtentia realis in tempore in operibus, ad hoc, vt moralitèr cauſent, ſed ſufficiat exiſtentia in intentione Dei; ac proinde vera erit Suarez ſententia, quam tantopere renuunt concedere Authores huius ſolutionis.

Vidit quidam ex noſtris efficatiam huius ſolutionis, & ideò in hac diſp. numer. 28. alitèr ſoluit argumentum, dicendo, quod præter primum decretum intentiuum Dei circa Incarnationem Chriſti, dantur alia duo decreta circa executionem Incarnationis; aliud, quod antecedit omnia merita Patrum, & eſt independens ab illis, ex vi cuius Incarnatio executioni mandaretur, etiam ſi nulla eſſent Patrum merita; aliud vero, quod ſubſequitur eadem merita, ex vi cui⁹ Incarnatio aliàs futura ex priori decreto, mandaretur executioni etiā propter merita Patrum: vnde concludit, quod Chriſtus, vt decretus in executione, fuit principium meriti, & gratiæ Sanctorum Patrum; eundem vero Chriſtum, vt dependentem à meritis Patrū, fuiſſe promeritum ab eorum operibus. Quæ decreta etiam diſtinguit Araujo hic num. 46. neſcio tamen, quo iure, vt ſoluat argumentum.

Verùm hæc ſolutio ex eo mihi diſplicuit ſemper, quia dum intendit alitèr ſoluere argumentum, in priorem incidit ſolutionem, quā acritèr impugnat. Quod ſic oſtendo; nam illud decretum executiuum antecedens gratiā, & merita Patrum, non poſſuit Chriſtum exiſtentem in rerum natura, ſed extiturum tantum, etiam ſi non eſſent merita, vt talis Author in verbis docet præcitatis, & tenetur docere, cum gratia, & merita Patrum fuerint plurimum temporis exiſtentia in rerum natura, quam Chriſtus in rerum natura exiſteret. Ergo ſi ideò non potuit Chriſtus, vt futurus ex vi prioris decreti intentiui, cauſalitatem exercere moralem in ordine ad gratiam, & merita Patrum, quia illud decretum intentiuum non poſſuit Chriſtum realitèr in tempore exiſtentem, quod requiritur in eius ſententia ad cauſalitatem moralem, vt docuit num. antecedenti; ob eandem etiam rationem non potuit Chriſtus, vt decretus, & futurus ex vi prioris ſui decreti executiui, cauſalitatem exercere moralem in ordine ad gratiam, & merita Patrum; vel ſi non obſtante, quod hoc decretum executiuum non poſſuit Chriſtum in rerum natura exiſtentem, exercuit cauſalitatem moralem, ex eo quod poſſuit illum infallibilitèr extiturum, non obſtāte etiam, quod illud decretum intētiuū non poſſuerit Chriſtum in rerum natura exiſtentem, exercere potuit cauſalitatem moralem erga gratiam, & merita Patrum, ex eo quod tale decretum, vtpotè efficax, poſſuit illum, vt in rerum natura infallibilitèr extiturū: ac proinde ſolutio hæc nihil diſtinctum à prima ſolutione dicit, ſed ſolum verbis ludit.

His ergo, & alijs ſolutionibus omiſſis, quas referunt, & refutant Suar. & Vazq. vt docet Araujo hic articul. 11. dub. 1. numer. 46. Reſpondeo cum ipſo in hoc loco, quod Chriſtus Dominus, aut Incarnatio, non ea ratione, qua fuit principium meriti, & gratiæ antiquorum Patrum, fuit effectus, & terminus meritorum eorum, nam fuit principiū gratiæ in genere cauſæ finalis præciſè, quatenus præuiſſa in intētione Dei, mota fuit Diuina voluntas ad conferendā gratiam Sanctis Patribus, qua gratia ipſi meruerunt efficientèr moralitèr eandem Incarnationem, quoad executionem realem ipſius, quæ quidem Incarnatio, licèt in executione poneretur, etiam ſi nulla eſſent Patrum merita, nō tollit, quominus ipſa merita concurrāt efficientèr moralitèr ad illam executioni mandandam: nam pluries contingit, adhuc in humanis, rem aliàs faciendam independentèr à precibus amici, executioni mandari, etiam propter eius preces.

Vt-

Vrgebis. Si Chriſtus ſolum exercuit cauſalitatem finalem in ordine ad merita Sanctorum Patrum, & gratiam, & non exercuit cauſalitatem moralem effectiuam. Ergo non meruit gratiam Sanctis Patribus, ac per conſequens, nec fuerunt redempti per Chriſtum, ſed ſolum ſe habuit erga illos, ſicut erga Angelos, erga quorum gratiam ſe habuit, vt cauſa finalis, quod videtur contra commune Theologorum omnium. Vlteriùs, ſi non meruit gratiam Patribus antiquis. Ergo per gratiam, quam habuerunt, non potuerunt ipſi Incarnationem, quoad executionem, mereri: cum quiſquis actus meritorius eſt, à principio ex meritis Chriſti accepto prouenire debeat. Ergo nulla eſt ſolutio noſtra.

Dic; quod propriſsimè loquendo, Chriſtus, vt præuiſſus cum ſuis operibꝰ in quocumque decreto Dei, non meruit aliquam gratiam Patribus antecedentibus ipſum in rerum natura; exiſtentia enim meritorum in æternitate Dei, quam præciſsè habebant Chriſti merita ex vi cuiuſcumque decreti, ſolum poterat mouere Deum, vt ratione illorum, vt in æternitate exiſtentium, & finalitèr præciſsè concurrentium, cõferret Deus gratiam Patribus antecedentibus Chriſtum, & non influxum aliquem moralem effectiuum, qualitèr requiritur ad meritum, quem influxum nũquam Chriſtus habere potuit, quouſque in viſceribus Mariæ formaretur: vnde ſi cõmunitèr dicitur, Chriſtum meruiſſe gratiam Patribus antecedentibꝰ, ſolum eſt, quatenus cauſa finalis eſt, qua motus Deus illam Patribus conferebat.

Pro quo perpendenda eſt doctrina Sanct. Thomæ 3. part. quæſt. 61. art. 3. ad 1. dicens: *Paſſionem Chriſti eſſe cauſam finalem veterum Sacramentorum*. Et conſequentèr gratiæ, quam conferebant, nullam faciens mẽtionem de cauſalitate efficienti morali, quam includit actio meritoria. Quod elegantiùs expreſsit quæſt. 62. art. 6. aſsignans diſcrimen inter modum, quo cauſauit Paſsio Chriſti, & eius actiones noſtram gratiam, & gratiam Sanctorum Patrum, qui ipſum præceſſerunt, dicens: *Quod licèt per fidem Paſsionis Chriſti iuſtificabantur antiqui Patres, ſicut, & nos*, Alitèr tamen, & alitèr; nam cum collata fuit gratia Patribus antiquis, nondum exiſteret Paſsio Chriſti, ſicut exiſtit iã, cum nobis confertur, non habet circa gratiam illorum aliquem influxum effectiuum, deriuando effectiuè aliquam virtutem, per quam iuſtificarentur, vt nobis confertur, & in nos deriuatur; nam vt idem Sanct. Thom. eodem loco: *Id, quod nondum eſt in rerum natura, non mouet ſecundum vſum exteriorum rerum*. Quod pertinet ad cauſam efficientem, ſed ad ſummum poteſt *mouere, ſecundum quod præcedit in actu animæ*, ſcilicèt per apprehenſionem: vnde concludit ad 1. *Quod antiqui Patres habebant fidem de Paſsione Chriſti futura, quæ ſecundum quod erat in apprehenſione animæ* (ac proinde vt finalitèr præciſsè concurrens) *poterat iuſtificare. Sed nos habemus fidem de Paſsione Chriſti præcedenti, quæ poteſt iuſtificare, etiam ſecundum realem vſum Sacramentalium rerum.* Ac proinde vt efficientèr concurrens ad noſtram iuſtificationem; & hoc tantum modo dicitur Chriſtum meruiſſe gratiam antiquis Patribus; nam id quod docet Araujo loc. cit. §. *Dices*, nimirum, quod Chriſtus meruit gratiam Patribus antiquis, prout in tempore exercuit actiones, quibus ſoluit debitum, quo anticipata ſolutione illis collatum erat, non eſt propriè mereri, cum meritum formalitèr, vt tale, ſit via ad terminum; ſi autem iam eſt terminus acquiſitus, non eſt meritum circa illum; aliàs enim, ſi de ratione meriti ſolum eſt, quod ſit via ad terminum, & ad præmium, ſiuè dandum, ſiuè iam datum anticipata ſolutione, vt vult Araujo, non eſſet ratio, quare opera Chriſti Domini, quæ de facto exercuit, non eſſẽt meritoria ſuæ vnionis iam ipſi collatæ anticipata ſolutione. Solum ergo poterat Chriſtus per iſtas actiones in tempore exercitas, gratias Patri æterno agere pro illo ſibi collato beneficio, conferendi, ſcilicèt, gratiam Patribus antiquis, ante quam ipſemet Chriſtus eſſet in ſtatu merendi, ſolũ quia vidiſſet æternus Pater operationes Chriſti ita nobiles, & valorificatas, aut ſuper excellentes, vt eſſent cum ſufficienti valore, vt mouerent finalitèr Patrem, ad conferendam Patribus gratiam, & ſicut ſubſecutæ fue-

Digitized by Google

fuerunt tales operationes ad Patres, antecederent ipſos in rerum natura, non ſolum mouerent Deum ad conferendā illis gratiam, ſed effectiuè illam in illo cauſarent.

Ex quo, ad alia in argumento imbibita dic; quod licèt gratia antiquorum Patrum non fuerit ex meritis Chriſti efficientèr moralitèr concurrentibus ad illam cauſandam; ſufficit tamē, quod fuerit ex meritis Chriſti finalitèr concurrentibus, non vtcumque, ſed per modum Redemptoris, ad hoc vt ipſi redempti eſſent per Chriſtum, quod non habuit reſpectu Angelorum etiam ſi in illis non eſſet conſummata redemptio, donec exiſteret, & diceret *conſummatum eſt*. Sicut, & ad hoc quod per illam gratiam hoc modo Patribus collatam, operationes ſupernaturales, quibus ſe diſponebant ad executionem Incarnationis, meritoriæ eſſent illis, ſufficiebat ille concurſus finalis operationum Chriſti Domini, quia cum prædicti Patres iam exiſterent in rerum natura, poterant per tales operationes exercere cauſalitatem moralem effectiuè in ordine ad ipſam Incarnationem, quoad executionem, quod non habuit Incarnatio præuiſa à Deo, defectu exiſtentiæ in rerum natura in ordine ad gratiam Sanctorum Patrum: Illud autem quod communitèr dicitur, ſcilicèt: *Quidquid eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati*, ac proinde ſi Sancti Patres meruerunt Incarnationem, quoad executionem, meruerunt etiam ſuam primam gratiam, & vocationem; nullius eſt momenti: nam illud axioma ſolum eſt verum, quando cauſa, & cauſatum dependent à cauſa neceſſariò operante; qua ratione, qui cauſat ſolem, cauſat lucem; non autem quando dependent à cauſa liberè operante, vt in præſenti contingit in Chriſto incarnato reſpectu primæ vocationis, & gratiæ cæterorum.

Quidnam dicendum de merito B. Mariæ Virginis?

ARTIC. IV.

Pro cuius luce ſtatuo priùs cum S. Thom. in 3. diſtinct. 4. quæſt. 3 artic. 1. ad 6. & alibi ſæpè: diuerſum quid eſſe, Verbum fieri hominem, imo, & hunc hominem, & eſſe Filium B. Mariæ, & B. Mariam eſſe Matrem eius; primum enim poterat eſſe, & contingere, etiam ſi non formaretur in viſceribus Mariæ; ſed in viſceribus alicuius cuiuſcumque mulieris; cum mulier, iuxta probabiliorem Thomiſtarum ſententiam, ſolum miniſtrando materiam cōcurrat ad generationem. Vel etiam poterat hoc contingere, ſi Deus miniſterio Angelorum præparaſſet aliquam materiam, cui Diuinum Verbum vniretur. Secundum autem, ſcilicèt, eſſe Filium B. Mariæ, & iſtam eſſe Matrē eius, non poteſt contingere, ſine eo quod formetur in viſceribus eius: Vnde de vtroque poteſt eſſe aliqualis controuerſia; an B. Virgo meruerit Verbum fieri hominem, & hunc hominem; vel ex ſuppoſitione, quod futurus eſſet homo, & hic homo, meruerit, quod hoc fuerit in ſuis viſceribus? quod eſt idem ac quærere, an meruerit Incarnationem, & Maternitatem. Quo ſtatuto.

Reſolutio noſtra ſit. B. Virgo non meruit de condigno, nec mereri potuit Incarnationem Verbi, neque Maternitatem, propter improportionem ſuorum operum cum excellentia Incarnationis, & Maternitatis; meruit tamen de congruo Maternitatem, & non Incarnationem. Primo, quia eſt expreſſa mēs S. Thom. in hoc art. ad 3. *Dicendū, quod B. Virgo dicitur meruiſſe portare Dominum omnium, non quia meruit ipſum incarnari, ſed quia meruit, ex gratia ſibi data, illum puritatis, & Sanctitatis gradum, vt congruè poſſet eſſe Mater Dei.* Idem habet in 3. diſt. 4. quæſt. 8. artic. 1. ad 6. ibi: *B. Virgo non meruit Incarnationem, ſed ſuppoſita Incarnatione, meruit, quod per eam fieret, in quantum decebat, quod Mater Dei eſſet puriſſima, & perfectiſſima Virgo.*

Secundo probatur ratione ex ipſis locis Sanct. Thom. deducta. Nam Sanct. Thom. docet in his verbis, B. Virginē meruiſſe non Incarnationem, ſed quod per eam fieret, vt congruè poſſet eſſe Mater Dei: ſed hoc meritum, quod negat de Incarnatione, & concedit Maternitati, non fuit condignum; hoc enim nulla creatura potuit habere reſpectu Incarnationis, & Maternitatis, vtpotè ad ordinem hypoſthaticum attingētia. Ergo meritum, quod concedit, & negat, eſt congruum. Confirmatur; nam ex præſtantia ſuæ virtutis electa fuit in Matrem Dei, præ alijs mulieribus. Ergo quia per ſuos actus placuit Deo, ad huiuſmodi electionem faciendam, ſuppoſito quod Verbum incarnaturum eſſet, quod ſufficit ad meritum de congruo Maternitatis.

Obijcies primo ex Araujo concedente meritum congruum reſpectu Maternitatis, & Incarnationis in hoc art. dub. 2. In hoc quod eſt B. Virginem eſſe Matrem Dei, infallibilitèr includitur hoc, quod eſt, Deum naſci ex illa; eſt enim Mater correlatiuum Filij, ac proinde poſitio vnius ſecum adducit poſitionē alterius: atqui Deum naſci ex Virgine Matre idem eſt, ac ipſum ex ea carnem aſſumere, quod eſt idem ac incarnari. Ergo eadem eſt ratio ad concedēdum, vel negandum meritum congruum B. Virgini reſpectu Incarnationis, & Maternitatis. Hæc eſt obiectio Araujo fidelitèr relata.

Reſpondeo ad illam, negando minorem, quatenus dicit, idem eſſe Deum naſci ex Virgine Maria, ac ipſum incarnari; nam incarnatio poterat fieri, etiam ſi non naſceretur Deus ex Maria, ſed vel ex alia qualibet muliere, vel ſi Deus miniſterio Angelorum aliquam materiam præpararet: Vndè licèt verum ſit, de facto in Maria totum contigiſſe; quia tamen ex diuerſis capitibus hoc habuit, poteſt intelligi, quod fuerit in ea meritum reſpectu Maternitatis, licèt non Incarnationis, quæ præſupponebatur, vt inquit Sanct. Thom. ex qua Incarnatione ortum duxerunt merita B. Mariæ reſpectu ſuæ Maternitatis, quod non habuit, licèt potuerit habere, alia mulier.

Obijcies ſecundo ex Lorca negante meritum congruū adhuc reſpectu Maternitatis hic diſp. 21. à num. 9. Merita Virginis ſupponebant Deum hominē, & hunc hominem; ex Deo enim homine determinato fuerunt orta; atqui Deus homo determinatus ſupponit determinatam Matrem, quæ concurſum præſtaret ad talem generationem determinatam. Ergo ſupponebatur Maternitas Virginis ad actiones eius meritorias; ac perconſequens, non potuit per illas talem Maternitatis gradum mereri; aliàs principium meriti, eo modo quo eſt principium meriti, ſub merito caderet.

Reſpondeo, quod licèt merita Virginis ſupponerent Deum hominem, & hunc hominem, à quo talia merita ortum ducerent, non tamen ex hac muliere determinata, ſed ex hac, vel illa; non enim requiritur hæc, vel illa materia determinatè, vt ſit hic homo determinatus, cum materia nullam determinationem tribuat, vt conſtat ex Phyſica; ac proinde ſuppoſito, quod futurus eſſet Deus homo, & hic homo, nullo merito intercedente, meruit B. Virgo, quod ex eius materia determinata formaretur, quod eſt gradus Maternitatis; ac perconſequens id, quod fuit principium meriti, ea ratione, qua fuit principium, non cecidit ſub merito.

Obijcies tertio ex eodem Authore num. 15. Meritum congruum B. Virginis reſpectu ſuæ Maternitatis, vel eſſet impetratorium, ſicut quod habuerunt Sancti Patres reſpectu Incarnationis, vel eſſet retributionis. Primum non poteſt credi in B. Virgine interceſſiſſe; quia non eſt credibile, quod B. Virgo oraſſet, vt fieret Mater Dei; id enim repugnat Euangelio dicenti, rem hanc, & dignitatem inopinatè Virgini Matri contigiſſe, & quæ nunquam in eius mentem venerat. Vlteriùs propter eius maximam humilitatem non eſt credibile petiiſſe, & impetraſſe dignitatem hanc. Secundum autem meritum, ſcilicèt, retributionis, etiam videtur, non poſſe concedi; nam vt aſſeratur hoc meritum, opportet oſtendere aliquam promiſsionē, qua Deus promitteret dare talē Maternitatē in præmiū ſuorū operum, ſicut oſtenditur promiſsio dandi gloriam iuſtis in præmium ſuorum operum; talis enim promiſsio circa Maternitatem, nec conſtat ex Scriptura,

Digitized by Google

nec hucuſque ab aliquo aſſerta eſt. Ergo nullum meritum poteſt concedi Beati Virgini reſpectu Maternitatis.

Reſpondeo, quod licèt B. Virgo non habuerit meritum impetratorium circa Maternitatem propter rationem in argumento allatam; tamen habuit retributionis meritum, non tamen fundatum in aliqua promiſsione, neque exigens talem promiſsionem; hoc enim eſſet habere meritum de condigno circa eandem Maternitatem obligans ex iuſtitia Deum, vt illam retribueret, ſicut reperitur in gloria reſpectu hominis iuſti; ſed ſolum exigens Maternitatis retributionem, quaſi per modum decentiæ, & congruitatis, non obligantis Deum ad illam conferendam; nam, vt docet Bernar. ſer. de Natiuit. & Folgent. lib. 1. de Incarnat. cap. 7. quos affert Lorca, non ex meritis, ſed ex gratia dignitatem Maternitatis B. Virgini cõtigiſſe, ; hoc autem ſolum meritum de condigno excludit, non congruum.

Obiicies quarto ex eodem Authore num. 16. & 17. Implicat aliquem mereri poſitionem alicuius relationis, quin mereatur poſitionem fundamenti, & termini; etenim vel relatio non diſtinguitur à fundamento, & termino, vt probabilis feret opinio, vel diſtinguitur. Si primum, qui meretur vnum, meretur, & aliud, à quo non differt. Si ſecundum, cum talis ſit connexio inter relationem cum fundamento, & termino, quod non ſit liberum ponere talem relationem poſito fundamento, & termino, ſed libertas, quæ eſt in ponendo fundamento, & termino, eſt in ponenda relatione, & non alia: atqui B. Virgo non meruit adhuc de congruo poſitionem huius extremi, ſcilicèt, Chriſti, cũ non meruerit Incarnationem; neque poſitionem alterius extremi relationis Maternitatis, ſcilicèt, actionem, qua Chriſtum concepit; cum actio, & terminus ita connexa ſint, quod impoſsibile ſit mereri terminum, quin mereatur actio. Ergo nullatenus potuit B. Virgo Maria Maternitatem ſuam, adhuc de congruo, promereri ob argumentationem factam.

Hoc argumentum, quod vrgentiſsimum videtur Authori ſuo, tantũ videtur probare, vt nihil probare iudicem; ex illo enim probaretur, non poſſe gloriam cadere ſub merito de condigno; ſiquidem prima gratia, & donum perſeuerantiæ, cum quibus gloria neceſſariam habet connexionem, non poſsint ſub merito cadere de condigno. Probaretur etiam, quod viſio Beata, qua videtur Omnipotentia, videret etiam omnia poſsibilia, cum quibus neceſſariam habet connexionem. Reſpondeo ergo, quod ſicut optimè communitèr intelligitur, gloriam, qui eſt terminus connexus cum gratia, & perſeuerantia cadere ſub merito de condigno, & non cadere gratiam, & perſeuerantiam: & cõmunitèr intelligitur videri Omnipotentiam, quin videatur id, cum quo neceſſariam habeat connexionem: ita optimè ſaluabitur Beatam Virginem meruiſſe relationem Maternitatis, licèt non meruerit extrema talis relationis, cum quibus infallibilem habet connexionem. Præterquam quod connexio, quam habebat Maternitas B. Mariæ reſpectu Chriſti incarnati, non erat neceſſaria, ſed libera; eo quod poterat eſſe idem terminus, ſcilicèt, Chriſtus, ex alia muliere, vel ex alia materia à Deo præparata, ſine eo quod eſſet terminus relationis Maternitatis Mariæ; primò enim vidit Deus Chriſtum incarnatum in particulari, ex gratia cuius ſic præuiſi operabatur Maria Virgo actiones, ita excellentes, vt mouerint Deum, ad eã eligendam pro Matre Chriſti, potius quam eligendam aliam mulierem præter illam.

DISPVTATIO III.

Circa quæſtionem tertiam Sancti Thomæ.

De perſona Chriſti aſſumente.

POſtquam cum Angelico Præceptore articulis præcedentibus egimus de Verbo vt incarnato, iam in particulari de extremis hanc Incarnationẽ cõponentibus acturi breuitèr ſumus, primo de eis, quæ pertinent ad perſonam aſſumentem; ſecundo de eis quæ pertinent ad naturam aſſumptam; ter-

Digitized by Google

tertio de partibus naturæ aſſumptis; quarto denique de ordine aſſumptionis inter ipſas naturæ partes ſeruato.

Vtrum aſſumere, & terminare naturam alienam, talitèr ſit proprium Dei, vt perſonæ creatæ communicari nequeat?

QVÆST. I.

IN Hac re, licèt nõ defuerint, qui aſſererẽt, imò errarent, dicẽdo quod de facto Angelis naturas corporeas ſibi hyposthaticè aſſumpſerint; & qui, licèt nõ errarẽt, docerent, quod perſona creata, ſaltẽ de potẽtia abſoluta, potuit alienã ſuppoſitare naturam, vt refert Araujo hic artic. 1. dub 1. & noſter Auerſa hic quæſtion. 3. ſect. 1. Commune tamen Theologorum placitum iam diu firmauit, talitèr hoc eſſe proprium Dei, vt nec per potentiam abſolutam poſsit perſona creata, aut creabilis alienã terminare naturam, nec illam aſſumere. Ita communitèr apud Araujo, & Authores, quos ipſe citat loco citato cum R. P. M Fr. Ioan. à Sanct. Thoma hic diſp. 6. art. 1.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo priùs; quod licèt de facto, tanquam de fide, verum ſit, perſonam Verbi, quæ terminauit naturam humanam, eandẽ aſſumpſiſſe; nihilominus tamen ratione diuerſi prædicati virtualis, habuit terminare, & habuit aſſumere (loquor determinatione perſonali) nam quatenus expreſsit munus aſſumptionis, expreſſit munus principij actionis; quatenus expreſsit autem munus terminationis, expreſsit munus termini actionis; nam aſſumere formalitèr actionem ſignificat; terminare autem, non tam actionem, quam ſuſtentationem, vt ita dicam, ſignificat: Vndè perſona Verbi à natura Diuina ſecundum ſe, tanquam à principio *quo*, habuit aſſumere humanam, ſicut, & habet agere media ſua omnipotentia, licèt peteret vt conditionẽ agendi perſonalitatem; à perſonalitate autem, tanquam à ratione formali *ſub qua*, habet terminare, ſicut, & ſubſtentare. Quam doctrinam expreſsit Sanct. Thom. in hac quæſtion. 3. art. 2. dicẽs: *Eſſe aſſumptionis principium conuenit naturæ Diuinæ, ſecundum ſe ipſam, quia eius virtute aſſumptio facta eſt; ſed eſſe terminum aſſumptionis non conuenit Diuinæ naturæ, ſecundum ſe ipſam, ſed ratione perſonæ.* Quo ſic obſeruato.

Quæſtionis reſolutio ex vno capite.

ARTIC. II.

REſolutio noſtra ſit. Aſſumere naturam alienam, talitèr eſt proprium Dei, & perſonæ Diuinæ, vt adhuc inſtrumentalitèr, nulli alteri creaturæ, etiam creabili, conuenire poſsit, etiam de potentia abſoluta. Eſt reſolutio contra Suar. diſp. 10. ſect. 1. qui aſſerit; nõ ſolum poſsibile eſſe, verum de facto cõceſſum fuiſſe Beatæ Mariæ, vt inſtrumentalitèr attingeret vnionem hyposthaticam. Vniuerſalitèr autem probatur reſolutio ſic. De ratione inſtrumenti eſt, quod agat eadem actione, & per eandem virtutem cauſæ principalis, vt paſsim docent Phyloſohpi: atqui nulla creatura poteſt agere eadem actione Dei, qui eſt principalis cauſa huius vnionis, nec per eandem virtutem, vtpotè virtus agendi, & ipſa actio in eodem ordine debent eſſe creato, vel increato cum principio *quod* agenti; ob idq; probauimus præced. diſp. quæſt. 1. articul. 2. actionem Dei, ſicut, & eius virtutem agendi aliquid increatum formalitèr eſſe. Ergo nulla creatura, adhuc creabilis, poteſt attingere, adhuc inſtrumẽtalitèr, vnionem hypoſthaticam, aſſumendo naturam ad eſſe perſonale.

Confirmatur; quia quælibet creaturæ actio debet eſſe circa ſubiectum præexiſtens; eo enim probant communitèr Phyloſophi, nullam creaturam poſſe ad creandum, adhuc inſtrumentalitèr aſſumi, quia de conceptu creationis eſt nõ præſuppoſitio ſubiecti: atqui ſubiectum, quod in caſu poſito poteſt eſſe, neque eſſet Verbum, cum incapax ſit mutationis, nec humanitas, cum nunquam præextiterit ante exiſtentiam Verbi Ergo intentum.

Specialitèr autem de B. Virgine probatur, ex eo quod Luc. 1. cum interro-

gaſſet Angelo ſalutanti: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* reſponſum ab illo accepit: *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſsimi obumbrabit tibi.* Quibus verbis ſola virtute Spiritus Sancti docemur, fuiſſe corpus Chriſti formatum. Vlteriùs, vt docet Sanct. Thom. 3. part. quæſt. 31. art. 5. & quæſt. 32. art. 4. in conceptione Chriſti nihil actiuè operata eſt Virgo Maria; ſed ſolum materiam miniſtrauit, quamuis priùs materiam præparauerit actiuè. Ergo nullatenus operata eſt aliquid actiuè, quo effectiue attingeret hypoſthaticam vnionem.

Cæterum in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij; nam videmus Deũ aſſumere creaturas ad aliquos effectus improportionatos ipſis; vt Sacerdotẽ ad transſubſtãtiationem, & collationẽ gratiæ, quæ virtute Sacramentorum confertur. Ergo idem poſſumus credere de B. Virgine in ordine ad vnionẽ hypoſthaticam. Reſpondeo negando conſequentiam; nam præterquam quod tales effectus non habent tantam improportionem cum creaturis; ſiquidem ſunt in eodẽ ordine creato, ſicut vnio hypoſthatica, quæ eſt in ordine alio increato; dato tamen, quod ex parte effectus tanta eſſet improportio, ac proinde tanta repugnantia, vt à creatura attingi queant; ex parte tamen modi attingendi, non eſt tanta, neque æqualis, vtpotè in vno caſu effectus illi attinguntur à creatura, & ab illa inſtrumentalitèr cauſantur ex præſuppoſito ſubiecto, non autem ſic in noſtro caſu contingit.

Opponunt ſecundo. Congruere videtur dignitati Virginis, vt hæc virtus communicaretur. Reſpondeo negando antecedens; nam ad excellentiam vnionis hypoſthaticæ, cui magis attendebat Deus, magis congruebat, vt talitèr eleuata eſſet, quod nulla creatura poſſet illam attingere: neque ex hoc licèt inferre, Beatam Virginem non eſſe Matrem Dei, ſicut nec infertur, non peperiſſe, & concepiſſe Chriſtum, licèt tantum materiam præparauerit, quia munus B. Virginis, quod in conceptione Chriſti exercuit, non fuit completum, & terminatum aliquo tempore, priùs, quam communicaretur ſubſiſtentia, & exiſtentia Verbi; nam licèt conceptio Virginis, quaſi in fieri, priùs fuerit aſſumptione, per quam communicata fuit ſubſiſtentia; in facto tamen eſſe priùs fuit aſſumptio, & ſubſiſtentia, quam conceptio. De quo latiùs alibi.

Quæſtionis reſolutio ex alio diuerſo capite.

ARTIC. III.

Reſolutio noſtra ſit. Terminare alienam naturam, talitèr eſt propriũ Dei, vt nulli creaturæ, etiam inſtrumẽtalitèr conuenire poſsit, adhuc attenta Diuina virtute: Quod non eſt probandum, ex eo quod perſonalitas eſt modus, vel quaſi modus propriæ naturæ, vt probat Suar. diſp. 13. ſect. 8. nam etiam Diuina perſonalitas, in communiori ſententia, eſt modus, vel quaſi modus propriæ naturæ, & tamen terminat alienam: ſed ex eo quod ad terminandam naturam alienam, requiritur infinitudo ex parte perſonalitatis terminantis, vt docet Sanct. Thom. hic art. 1. ad 2. *Proprium eſt* (inquit) *Diuinæ perſonæ propter eius infinitatem, vt fiat in ea concurſus naturarum.* Atqui nulli alteri, præter Deum, conuenit infinitas, nec conuenire poteſt. Ergo talitèr eſt proprium hoc Dei, quod nulli alteri communicari poſsit. Confirmatur; quia ſi aliqua perſonalitas creata poſſet alienam terminare naturam, poſſet etiam infinitas terminare; non enim videtur ratio, quare ſuus concurſus extendat ad propriam, & alienam, & non ad plures alienas naturas terminandas, & cũ aliàs talis concurſus eſſet quaſi formalis terminatiuus, contineret eminentèr omnes terminationes formales poſsibiles; quod implicantia eſt in natura creata. Ergo, &c. Poteſt etiam confirmari argumentis pro reſolutione præcedenti factis.

Obijcies primo. Non videtur repugnare perſonalitati creatæ, quod terminet alienam naturam, neque ex parte perſonalitatis, eo quod ipſa ex ſe potens eſt formalitèr terminare naturã, cui applicetur; neque ex parte naturæ terminandæ, cum habeat potentiam obedientialem ad quamlibet terminationem. Ergo ex nullo capite. Reſpondeo

Digitized by Google

deo repugnare ex parte vtriuſque, ex parte perſonalitatis creatæ, quia deficit ei infinita virtus terminatiua, quod requiritur, iuxta Sanct. Thom. ad terminandam alienam naturam; & ex parte naturæ terminandæ, quia hæc tantum eſt in potentia obedientiali ad quamlibet terminationem continentem eminentèr terminationem propriam, & connaturalem, quam petit, quod proprium eſt ſolius perſonalitatis Diuinæ.

Obijcies ſecundo. Maior proportio eſt inter perſonalitatem creatam, & alienam naturam creatam, vtpotè vtraque creata, quam inter perſonalitatem Diuinam, & naturam humanam, vtpotè creata iſta, increata illa. Ergo ſicut de facto, non obſtante iſta improportione, perſonalitas Diuina creatam naturã terminat, poterit perſonalitas creata alienam naturam etiam creatam terminare. Reſpondeo, quod licèt in eſſe rei maior ſit proportio in primo, quam in ſecundo caſu, vt probat optimè argumentum, non tamen in eſſe vnibili, & terminabili, vtpotè perſonalitas Verbi, ſicut, & quælibet alia infinita perſonalitas, eminentèr continet quaslibet perſonalitates creatas, ac proinde quaslibet naturas, quas perſonalitates creatæ terminare poſſunt, illa poteſt terminare: perſonalitas autem creata, eo quod finita, limitata eſt ad propriam naturam, nec eminentèr continet perſonalitatem alterius naturæ; ac perconſequens, nec poteſt terminare naturam illam, quam altera perſonalitas terminat.

An vnio Verbi fuerit facta in aliquo abſoluto, vel potuerit fieri?

QVÆSTIO II.

IN Hac re Durandus in 3. diſt. 1. quæſtion. 2. docere videtur vnionem iſtam factam fuiſſe primariò in aliquo abſoluto communi tribus perſonis; ſecundariò autem in aliquo incommunicabili, quod iudicat perſonam addere ſupra abſolutum illud. Econtra autem docuit Capræol. etiam in 3. diſtinct. 1. quæſt. 1. art. 1. concl. 4. & art. 3. in ſolut. ad argũm. contra 4. concluſ. docẽs, primario factam fuiſſe in perſonalitate Filij, ſecundario autem in exiſtentia communi, quam confundit cum illa ſubſiſtentia communi. Fere in idẽ redit alia ſententia, quam refert Medina in hoc art. 2. quæſt. 3. dub. 3. ex Victoria, & Soto aſſerentibus, hanc vnionem factam fuiſſe primariò in exiſtentia, aut ſubſiſtentia communi, non vtcumque, ſed prout modificatur perſonalitate Filij; eo modo, quo eſſentia Diuina eſt principium generationis, non vtcũque, ſed prout modificata perſonalitate Patris.

Verùm ſententia communis duo aſſerere videtur; primum, quod facta fuerit de facto in perſona Verbi, ratione ſolius perſonalitatis. Sic Caiet. Medin. in hoc artic. Aluar. diſp. 21. Nazar. contr. vnic. Suar. & Vazq. quos omnes citat, & ſequitur Araujo quæſt. 3. art. 3. num. 16. & quam plures alios refert, & ſequitur noſter Auerſa hic quæſt. 3. ſect. 7. & R. P. M. Fr. Ioan. à Sancto Thoma hic diſp. 6. art. 2. Secundum, quod aſſerit eſt, quo de potentia abſoluta, aut per noſtram conſiderationem, præciſsis proprietatibus perſonalibus, poſſe intelligi in natura Diuina aliquid abſolutum, per quod poſſet aſſumere, & terminare humanam. Ita omnes Authores, qui ad materiam de Trinitate, præter ſubſiſtentias relatiuas, admittunt aliam abſolutam; & præter hos quam plures alij, qui videri poſſunt apud Recentiores, vt Auerſa hic quæſt. 3. ſect. 2. imò addit, quod aliqui Authores negantes in Diuinis ſubſiſtentiam aliquã abſolutam, adhuc dicunt, quod poteſt natura Diuina aſſumere naturam creatam ratione alicuius communis tribus perſonis, nempè ratione naturæ Diuinæ.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo prius, non eſſe ſermonem in præſenti de eo, ad quod facta fuit hæc vnio, vel potuerit fieri, tanquam ad terminans *vt quod*; hoc enim certum eſt apud omnes, fuiſſe perſonam Verbi de facto; ipſa enim fuit terminans *quod* reſpectu humanitatis, & in caſu poſsibili erit

Digitized by Google

erit *hic Deus*: ſed ſolum eſſe ſermonem de eo, ad quod facta eſt vnio, tanquam ad terminans *vt quo*, id eſt cum in Verbo ſit natura Diuina, ſit perſonalitas, & ſit, ſecundum veriorem quam reputo ſententiam, ſubſiſtentia abſoluta; eſt difficultas, quæ ex his rationibus fuit, vel potuerit eſſe, ſub *qua* huius terminationis. Quo ſic obſeruato.

Proponitur communis doctrina circa id, quod de facto euenit.

ARTIC. II.

RESolutio noſtra ſit. De facto nihil abſolutum, & commune tribus perſonis, quomodocumque explicetur, fuit in quo facta eſt vnio, tanquam in terminans *quo*, ſed hoc exercuit ſola perſonalitas Diuini Verbi. Hæc reſolutio ita certa eſt, & communis, vt ſententia Durand. ferè ab omnibus temeritatis nota inuratur, vel ſaltèm cauenda vt ex Caietano docet nouitèr R. & Illuſtr. M. Godoy hic diſp. 15. §. 1. num. 25. in fine; & per totum, §. Licèt eam impugnet, liberat tamen eam nu. 25. ab hæretica, erronea, & dicit: *Quod ſi quis tenacitèr vellet Durãdo adhærere, & illius ſententiam defendere, poſſet argumẽtis apparentèr occurrere; ob quæ, & quia plures Durandi ſententiam non damnant; alij autem, vt Suarez ſolum improbabilem iudicant, illam damnare non audeo*; hucuſque M. Godoy. Pro hac reſolutione extant plura Concilia, Patres, & rationes, quorum aliqua adducam. Primum ſit ex Concil. Toletano 6. & 11. in confeſ. fidei cap. 1. in vtroque quorum dicitur: *Solus Filius ſuſcepit humanitatem in ſingularitatem perſonæ, non in vnitatem Diuinæ naturæ, id eſt, in eo, quod proprium eſt Filio, non in eo, quod commune eſt Trinitati.* Vbi notanda eſt excluſiua: *Non in eo, quod commune eſt, &c.* Secundum ſit ex 6. Synodo gener. act. 8. verſus finem, vbi dicitur: *Solus Filius aſſumpſit humanitatem; Pater, & Spiritus Sanctus nihil habent in aſſumptione, niſi benigniſſimam voluntatem, & affectionem Incarnationis; terminationem vero eſſe ſolius Filij.* Plura Patrum teſtimonia afferri poſſent: legatur Dioniſ. capit. 2. de Diuin. nomin. par. 2. ex quo deſumpſerunt hanc ſententiam Patres Concilij: Legatur etiam Damaſc. cap. 6. Anſel. de Incarn. Verbi capit. 4. & quam plures alij.

Ratione autem deſumpta ex Sanct. Thom. in hoc art. 2. in corp. & ad 1. & 2. qua etiam vtitur Scotus in 1. diſt. 1. quæſt. 5. ſic fulcitur reſolutio. Nam ſi ratio formalis terminandi vnionem humanitatis eſſet aliquid abſolutum, & commune tribus perſonis, omnes tres perſonæ incarnatæ, paſſæ, mortuæ, & ſepultæ fuiſſent, & homines eſſent; nã in Diuinis quidquid conuenit alicui prædicato communi, cuilibet perſonæ conuenire dicitur; & ideò, quia creare eſt proprium Dei, & naturæ Diuinæ, omnes Diuinæ perſonæ creare dicuntur: atqui abſurdum eſt dicere, Patrem incarnatum, paſſum, mortuum, & ſepultum fuiſſe, & hominem factum eſſe, & idem eſt de Spiritu Sancto. Ergo talis vnio non fuit facta in aliquo abſoluto, quomodocumque explicetur, ſed in aliquo ſolius Filij proprio.

Obijcies primo. Licèt eſſentia Diuina ſit communis omnibus tribus perſonis, nihilominus, prout in Patre, eſt principium *quo* generationis, non autem in Filio, & Spiritu Sancto. Ergo licèt eadem eſſentia, vel exiſtentia, vel ſubſiſtentia abſoluta ſit omnibus perſonis Diuinis communis, prout in Filio erit principium *quo* aſſumptionis, & terminus *quo* eiuſdem aſſumptionis, non autem prout in Patre, & Spiritu Sancto. Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia cum generare ſit agere, & ratio agendi natura ſit, non perſonalitas, ideò licèt eſſentia ſit communis, eſt principium *quo* generationis in Patre, non autem in alia perſona, forſis quia reperit iam terminum adæquatum ſuæ generationis; terminare autẽ non eſt formalitèr agere, ſed ſubſtentare, hoc autem competit propriæ perſonalitati, non naturæ, vel alicui prædicato abſoluto; & ideò non poteſt intelligi aliquid terminare, quin terminet per aliquid proprium perſonæ.

Obijcies ſecundo. In ſententia Thomiſtarum optimè intelligitur, quamlibet perſonam exiſtere per exiſtentiam abſolutam, & communem, ſolum cum diuerſitate in modo exiſtendi, & ſine di-

diuerſitate exiſtentiæ. Ergo optimè intelligetur, quamlibet perſonam ſubſiſtere per ſubſiſtentiam quandam abſolutã, & communem, cum diuerſitate ſolum in modo ſubſiſtendi, & ſine diuerſitate ſubſiſtentiæ relatiuæ. Ergo communicatæ hoc modo proprio Filij, optimè intelligetur, vnionem factam fuiſſe in aliquo abſoluto, licèt non fuerit facta in Patre, & Spiritu Sancto. Reſpondeo, diuerſam eſſe rationem de exiſtentia, & ſubſiſtentia, nam cum in Diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio, & perſonæ Diuinæ oppoſitionem habeant, & non in exiſtentia, neq; in ſubſiſtentia abſoluta, in his enim potiùs habent conuenientiam, debent illã habere in relatiua perſonalitate, quæ terminus eſt productionis Diuinæ; ac proinde neceſſariò multiplicandæ ſunt ſubſiſtentiæ, licèt non exiſtentiæ, propter multiplicationem proceſsionum ad intra; ac per conſequẽs, vt intelligatur, vnionem factam fuiſſe in aliquo relatiuo, ſicut fide credimus, neceſſario fatendum eſt, dari ſubſiſtentias relatiuas ſupra abſolutam.

Expenditur, quam probabilis exiſtat ſententia Durandi, & aliorum Doctorum.

ARTIC. III.

RESolutio noſtra ſit. Licèt reſolutio præcedens ſtrictiorem modum loquendi Conciliorum, & Patrum ob authoritatem tantorum virorum ſeruari videatur; nihilominus ſententiam Durandi probabilem iudico, nimirum factam fuiſſe vnionem in aliquo abſoluto, tanquam in terminans *quo*, & conſtituens Deum hominem, licèt fuerit etiã facta in proprietate perſonali, tanquam in terminans etiam *quo* completiuum perſonæ; ac proinde duplicem vnionem interceſsiſſe in hac aſſumptione; prima, qua vnita fuit humanitas alicui abſoluto prædicato; cum quo non intelligebatur homo Filiꝰ Dei, ſed ſolũ Deus, vel hic Deus homo: altera, qua vnita fuit humanitas prædicato relatiuo, quo intellecto, iam non ſolum intelligitur Deus homo, ſed Filius, & Verbum homo. Hæc eſt ſententia Durandi fidelitèr relata, quam vidi in 3. diſt. 1. quæſt. 2. num. 6. & 13. & perlegi, neque in ea aliquid temeritatis inueni, ſed ſolum diſcrepare à ſententia communi in modo loquendi.

Pro quo aduertendum eſt, quod ſententia communis, nec negat, nec negare poteſt, naturam Diuinam terminare humanitatem, & ipſi vnitam fuiſſe per modum termini, & non ſolum perſonalitatem; & ratione Diuinæ naturæ humanitati vnitæ per modum termini, habuiſſe Chriſtum diuerſa prædicata, & denominationes, ac habuit ratione perſonalitatis, habuit enim ſanctificationem ſubſtantialem per naturam Diuinam, & non per perſonalitatem, iuxta veriorem Thomiſtarum ſententiam, de quo ad quæſt. 7. & habuit rationem perſonæ formalitèr, non à natura Diuina, ſed à perſonalitate, & plura alia huiuſmodi, imò, & ſententia communis non poteſt negare, quod ſicut à diuerſo prædicato formali quælibet habet eſſe Deum, & habet eſſe perſonã, ita à diuerſo prædicato formali communicato, & illi vnito per modum termini, habebit quælibet perſona conſtituere hominem Deum, & conſtituere perſonam; & ſicut intelligeretur in ſententia communi *homo Deꝰ*, ſi per impoſsibile intelligeretur natura tãtũ Diuina vnita humanitati, præcipuè ſi intelligatur in illa ſubſiſtentia abſoluta, quam conferunt communitèr Thomiſtæ, ſine eo, quod intelligeretur perſonalitas relatiua humanitati vnita, & nihilominus tunc non intelligeretur homo perſona Diuina, ſine eo, quod intelligeretur vnita perſonalitas Diuina; ita quod, vt compleretur prima vnio in ratione perſonæ, neceſſariò deſideraretur ſecunda. Ita aſſerit Durandus de facto ſic euentum fuiſſe, vt facta fuerit vnio in illo abſoluto tribus perſonis communi, quo intellecto, intelligeretur *Deus homo*, licèt vt compleretur vnio perſonalis, & verificaretur Verbum eſſe hominem, v.g. vlteriùs requireretur vnio cum his, quæ ſunt propria perſonæ, in quantum perſona, vt ait num. 6. citato in fine.

Sic ergo reſolutione explicata, eius probabilitas probatur primo. Quia ſi propter aliquam rationem ſentẽtia illa non eſſe probabilis, maxime propter loca Conciliorum, & Patrum, & propter inconuenientia, quæ adducit ſententia,

Digitized by Google

tia communis contra illam, quæ latiſsimè refert R. & Illuſtriſ. M. Godoy diſput. 15. §. 1. per totum; ſed hæc omnia non conuincunt, vt improbabilem reddant ſententiam Durandi. Tum, quia Concilia, & Patres non tam clarè loquuntur, vt non poſsint rectè interpretari, imò, & adduci pro ſententia Durandi; etenim Concilia clamant, & Patres, ſolum Filium terminaſſe naturam humanam, & non aliquid commune, quomodocumque explicetur: atqui in Filio inuenitur aliquid commune, & aliquid particulare. Ergo aſſerendo Concilia, & Patres, Filium terminaſſe naturam humanam, non excludunt, vnionem factam fuiſſe in aliquo etiam communi: Vlteriùs, quando addunt illam excluſſiuam: *Non aliquid commune terminaſſe.* Non incongruè explicabitur, imò ad mentem Conciliorum, & Patrum, dicendo, quod ad ſingularitatem perſonæ, id eſt ad conſtituendam hanc perſonam formalitèr, non aliquid commune terminaſſe, ſed materialitèr ſe habuiſſe illud commune; quæ explicatio eſt iuxta verba Concil. Tolet. 6. & 11. art. præcedenti citati: *Solus Filius ſuſcepit humanitatem in ſingularitatem perſonæ.* Vbi denotatur, quod, vt vnio Incarnationis eſſet in ſingularitatem perſonæ, non ſufficit, quod fieret in aliquo communi, nec verbum aliquod reperitur in Concilijs, & Patribus, quod non fateatur ſententia Durandi, potiùs enim ſunt plura Patrum teſtimonia, quæ docent naturam incarnatam fuiſſe, quod non poſſet verificari, ſi non fieret vnio in aliquo abſoluto, & communi. Sic Damaſc. lib. 3. fidei cap. 6. Athanaſ. & Cyril. quos ſequitur, & approbat S. Thom. hic articul. 2. Licèt ergo, vt vnio eſſet completa, in aliquo perſonali requireretur, quod fieret in aliquo perſonæ proprio, vt tamen verificaretur, Deum fieri hominem, quod eſt Deum incarnari, ſufficit vnio in aliquo abſoluto facta, quod eſt commune omnibus perſonis.

Vlteriùs, neque inconuenientia, quæ contra ſententiam Durandi adducuntur, conuincunt aliquid, ad quod nō teneantur oppoſiti Authores reſpondere. Ergo ex inconuenientibus pro communi ſententia adductis contra Durandum non infertur improbabilitas ipſius ſententiæ. Antecedens autem iam iam ex principijs eorum demonſtro; nam ſecluſsis per intellectum proprietatibus perſonalibus, adhuc natura Diuina poteſt aſſumere, & terminare humanam, ſiuè ſit ratione ſubſiſtētiæ abſolutæ, vel ratione ſui, aut ratione exiſtentiæ, vt docet Sanct. Thomas hic art. 3. & nos cum illo artic. ſeq. dicemus, & tenent communitèr Authores communis ſententiæ; ſed dato, quod natura Diuina ſic conſiderata aſſumeret, & terminaret humanam, licèt Deus diceretur homo; non tamen ex hoc in ſua ſententia, & communi diceretur Pater homo, & Filius homo, nec Spiritus Sanctus homo; ſicut nec diceretur, Patrem, Filiū, & Spiritum Sanctum paſſos, mortuos, & ſepultos eſſe, etiam ſi factam intelligant vnionem in aliquo abſoluto, & cōmuni tribus perſonis. Quorum ratio eorum eſt, quia tunc nō intelligeretur Pater, vt Pater aſſumens, & terminans, ſed Pater quaſi materialitèr, id eſt ſubſtractum Paternitatis, & idem de Filio, & Spiritu Sancto. Ergo etiam ſi in ſententia Durandi intelligamus vnionem factam in aliquo abſoluto, & cōmuni, non ſequetur pro illo priori, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum incarnatos, paſſos, mortuos, & ſepultos eſſe, dummodo non intelligamus aliā vnionem, quæ eſt perſonalis, & propria cuiuſcumque perſonæ formalitèr, vt perſonæ. Ergo, cū Durandus aſſerat, quod, vt compleatur ratio vnionis perſonalis, requiritur, quod fiat vnio in aliquo proprio perſonæ, non ſolum nihil improbabile docet, ſed potiùs id, quod omnes tenentur docere.

Dices, magnam eſſe differentiam; nam Authores communis ſententiæ talitèr docent vnionem factam fuiſſe in perſona, quod primariò, & quaſi in recto fieret in aliquo relatiuo; & quaſi ſecundariò, in aliquo abſoluto, quod importatur à perſona, iuxta definitionem Boetij communitèr approbatam: *Perſona eſt indiuidua natura rationalis ſubſtantia.* Vbi rationalis ſubſtantia in obliquo ponitur; Durandus autem talitèr factā fuiſſe, dicit, in perſona, quod primariò, & quaſi in recto fieret in aliquo abſoluto, & ſecundariò, & quaſi in obliquo in relatiuo. Sed contra eſt. Nā licèt, vt verificaretur, Deum eſſe hominem, ſufficiat

Digitized by Google

ciat in ſententia Durandi, quod intelligatur, vnionem factam fuiſſe primariò in aliquo abſoluto, & quaſi de materiali, & ſecundario in relatiuo propter idẽtitatem vnius cum alio; vt tamen verificaretur, Filium, & Verbum eſſe hominem, non ſufficit in ſententia Durandi prima vnio in illo abſoluto, ſed requiritur, quod primario fiat in relatiuo, & de materiali, & ſecundariò in abſoluto, vt docet loc. cit. numer. 13. facit enim hoc argumentum Durandus.

Vbi ratio formalis ſuppoſiti, vel perſonæ non conſiſtit in per ſe ſubſiſtere, nec fundatur in proprietate per ſe ſubſiſtendi (quod eſt illud commune, in quo aſſeruit num. 7. factam fuiſſe vnionem) ſed in aliquo ſuperaddito, vnio per exiſtentiam non ſufficit ad vnionem perſonalem, ſed requiritur vnio in aliquo ſuperaddito, & perſonali: ſed ratio formalis ſuppoſiti, & perſonæ Diuinæ non cõſiſtit in per ſe ſubſiſtere, nec fundatur in proprietate per ſe ſubſiſtendi, ſed conſiſtit in proprietate relatiua. Ergo ad vnionem naturæ humanæ cum perſona Diuina non ſufficit vnio per exiſtentiam; id eſt, per aliquid commune, ſed requiritur vlterior vnio per proprietatem relatiuam. Hæc ratio Durandi.

Tùm ſic. Ratio formalis eſt, quæ primario requiritur ad alicuius conſtitutionem: ſed aſſerit Durandus, quod ad vnionem perſonalem, quæ de facto fuit in humanitate, ratio formalis fuit proprietas relatiua. Ergo re ipſa nihil à ſententia communi dicere videtur; & vt verum fatear ſic eſt, quia Authores communitèr, vt mordicarent Durandum, aſſumunt primam ſuæ concluſionis partem, nimirum, vnionem Verbi factam fuiſſe in aliquo communi, & abſoluto, quod videtur male audiri; & relinquũt alteram concluſionis partem; nimirum perſonalem vnionem factam eſſe neceſſariò in aliquo relatiuo, nec alitèr fieri poſſe: quod ſi vtrumque perpenderent, ſeipſos mordicare intelligerẽt, nec venia digni eſſent, ſi dum erroris carperent Durandum, ſcripta legiſſent, ſed quia in fide Parentum locutos eſſe crẽdo, libentèr parco.

Vlteriùs denique poſitiuè oſtenditur probabilitas ſententiæ Durandi: ex eo quod non eſt improbabile, vnionem factam fuiſſe in aliquo abſoluto, dummodo non negetur, factam fuiſſe etiam in aliquo relatiuo proprio Filij: ſed hoc eſt, quod aſſeritur à Durando, vt conſtat ex locis adductis, quibus expreſsè docet ad vnionem perſonalem non ſufficere vnionem factam in aliquo abſoluto. Ergo, & ſententia Durandi probabiliſsima eſt. Quod autem non ſit improbabile, vnionem factam fuiſſe in aliquo abſoluto, dummodo non negetur, factam fuiſſe in relatiuo, præterquã quod ab omnibus iudico debere concedi, præcipuè docentibus humanitatem Chriſti extitiſſe per exiſtentiam Deitatis, & ſanctificatam fuiſſe per ipſam Deitatẽ; probatur, quia ad hoc vt verificetur, vnionem factam fuiſſe in aliquo abſoluto, ſufficit verificari illud abſolutum poſſe ad ſe ſumere, & terminare humanitatem; hoc autem poteſt facere eo ipſo, quod illud abſolutum ſit per ſe ſubſiſtens, & infinitum, quæ ſunt conditiones neceſſariæ ad terminandam alienã naturam, natura autem Diuina, ſecluſis perſonalibus proprietatibus, per ſuam eſſentiam, & ſubſiſtentiam eſt per ſe ſubſiſtens infinito modo; & non per proprietates relatiuas. Tùm quia ſubſiſtere dicit eſſe ſecundum perfectiſsimum modum eſſendi, qui eſt eſſe *in ſe*, vel *ad ſe*, quod in Diuinis nulli alio conuenit, niſi naturæ, nam proprietates perſonales habent modum eſſendi ad aliud, vt arguit Auguſt. lib. 5 de Trinitat. cap. 7 ſub finem: *Omnis ergo res* (concludit Auguſt.) *ad ſeipſam ſubſiſtit, quanto magis Deus.* Tùm etiam, quia vt idem Auguſt. eodem loco ait: *Si vero aliquis eſſe ad aliud vocet ſubſiſtere, abuſiuè loquitur, ignorans vim vocabuli: eſſe enim ad aliud, quod eſt relatiuum, in quantum huiuſmodi, non importat aliquam perfectionem, ſicut ſubſiſtere importat, alioquin aliqua perfectio eſſet in aliqua perſona, quæ non eſſet in alia, cum aliqua relatio ſit vna in perſona, quæ non eſt in alia, quod eſt inconueniens: ſubſiſtere ergo in Diuinis eſt vnicum, & abſolutum competens omnibus perſonis ratione eſſentiæ.* Cum ergo probabile ſit, iuxta Auguſtinum, naturam Diuinam ſolam eſſe ſubſiſtentem per ſe, & non proprietates perſonales, & probabile ſit, iuxta eundem Auguſtinum, tantum eſſe in Diuinis vnicum ſubſiſtere, & abſolutum cõpetens omnibus perſonis cum ſola diuerſitate in modo ſubſiſtendi, eo modo,

Digitized by Google

do, quo communitèr à Thomiſtis dicitur, tantum eſſe vnum exiſtere in Diuinis, & tantum eſſe vnam eſſentiam cum diuerſitate in modo eſſendi, vel exiſtendi in qualibet perſona; quocumque ex his modis intellecta Durandi ſentētia, probabile erit, in illo abſoluto factam fuiſſe prædictam vnionem.

Quidnam dicendum abſtractis proprietatibus perſonalibus?

ARTIC. IV.

PRo cuius luce ſtatuo priùs; quod dupliciter poſſumus intelligere abſtractionē proprietatum perſonalium; primo talitèr, quod non concipiamus illas in ſuppoſitis Diuinis, licèt aliàs ſint in illis, quod eſt præſcindere illas ab aſſumptione, vel Incarnatione, non à Diuinis; & controuertere tunc, an poſſimus intelligere naturam Diuinam, vel aliquid abſolutum poſſe aſſumere, & vniri naturæ humanæ, etiam ſi non vniatur aliqua proprietas relatiua, quæ aliàs ibi eſt. Secundo talitèr, quod concipiamus, vt fiat circumſcriptio proprietatum perſonalium, non ſolum ab aſſumptione, & Incarnatione, ſed etiam à Diuinis; & hoc adhuc duplicitèr; vno modo, quod circumſcribatur à Diuinis omnis ſubſiſtentia, & perſonalitas; alio modo, quod ſolum circumſcribatur à Diuinis perſonalitas, & ſubſiſtentia relatiua, qualis ponitur ſecundum fidem, & remaneat perſonalitas, & ſubſiſtentia abſoluta, id eſt, natura Diuina per ſe ſubſiſtens, ſicut intelligunt Iudæi, & Gentiles, vt docet hic Sanct. Thom. art. 3. ad 2. Quo ſic obſeruato.

Reſolutio prima ſit. Præciſis per intellectam proprietatibus perſonalibus, poſſet vniri humana natura ſubſiſtenti Diuino, aliàs relato, ſecundum exiſtentiam, vel ſubſiſtentiam tātum abſolutam, etiam ſi non vniretur, ſecundum proprietatem relatiuam, quā aliàs haberet. Ratio eſt, quia intellecta eadem potentia ex parte Dei, & eadem obediētia ex parte creaturæ, poteſt intelligi idem effectus poſsibilis, ſed circūſcriptis proprietatibus perſonalibus, licèt aliàs eſſent in Diuinis, adhuc intelligeretur eadem potentia Dei, quia potentia eſt de abſolutis, & eadem obedientia ex parte creaturæ, eo quod ſupponimus, circa illam nihil fuiſſe immutatum. Ergo erit poſsibilis talis vnio, etiam ſi nō fiat ſecundum illud relatiuū, quod aliàs ibi eſt, vel exiſtit.

Dices, non eſſe poſsibile vnam ſine alia. Sed contra eſt, nam ſi non poſſet fieri vnio naturæ humanæ cum Diuina in ſuppoſito Diuino, aliàs relato, quantū ad aliquid abſolutum, & quantum ad exiſtentiam, vel ſubſiſtentiam, niſi fieret vnio eiuſdem naturæ cum proprietate relatiua, quoad perſonam; hoc eſſet, quia vnio naturarum, ſecundum exiſtentiam, vel ſecundum abſolutum, ſupponeret vnionem perſonalem, vel illam neceſſariò comitaretur, vel ſequeretur; etenim ſi vna vnio non ſupponit, nec comitatur, nec ſequitur neceſſariò aliam, non eſt repugnantia in eo, quod poſsit eſſe ſine illa: ſed nullum eſt iſtorum, vt iam iam probo. Ergo natura humana poteſt vniri ſuppoſito, aliàs relato, quantum ad exiſtentiam, quin vniatur quantum ad perſonam.

Minor probatur quoad primam partem; nam per illud competit perſonæ Diuinæ primariò vniri naturæ aſſumptæ, per quod competi ei dependentiam naturæ aſſumptæ terminare; nam ſicut natura aſſumpta vnitur, quia dependet, ita perſona aſſumens illam ſibi vnit, quia terminat dependentiam illius: atqui perſonæ Diuinæ competit terminare dependentiam naturæ aſſumptæ ratione ſubſiſtētiæ, & alicuius abſoluti, & non relatiui (loquor de aſſumptione, qua fit Incarnatio ſecundum ſe) per id enim, per quod competit ipſi ſubſiſtere per ſe, & non per id, per quod competit ipſi ſubſiſtere ad aliud, competit per ſe primo dependentiam terminare in exiſtentia naturæ aſſumptæ; prius autem eſt in perſona Diuina ad ſe ſubſiſtere, quam ad aliud ſubſiſtere; ſicut in qualibet re prius ſunt prædicata communia, & quæ ad ſubſtantiam illius pertinent, quam particularia, & quæ habent modum accidētis reſpectu illius. Ergo perſonæ Diuinæ potiùs competit primo vniri naturæ aſſumptæ ratione alicuius abſoluti, quam relatiui, ac per conſequens, potiùs vnio naturarum ſecundum exiſtentiam debet ſupponi ad vnionem naturarum ſecundum perſonam, quam ècontra.

Quod

Digitized by Google

Quod autem vnio naturarum ſecundum exiſtentiam non neceſſariò comitetur, nec ſequatur vnionem, ſecundum eſſe perſonale, quod erat altera minoris pars, ſic probatur; nam iſta concomitantia, vel conſequentia ſolum eſſet neceſſaria ex habitudine eſſentiæ Diuinæ ad proprietatem relatiuam; etenim natura humana ſecundum ſe nullam habet neceſſariam habitudinem ad hoc, vt vniatur proprietati relatiuæ, præcipuè alienæ, atque adeò ſi ibi intercedit aliqua neceſsitas, conſurgere debet ex habitudine eſſentiæ Diuinæ ad proprietatem relatiuam, nimirum, quia natura humana vnita eſt Diuinæ, & iſta neceſſariam habet connexionem cum ſua proprietate relatiua, neceſſariò vniri debet etiam natura humana cum proprietate relatiua: atqui hoc non poteſt dici. Tùm quia eandem, imò maiorem connexionem, & intimius vnitur quælibet perſona Diuina cum natura Diuina, quam vnitur natura Diuina cum humana natura; & nihilominus ex hoc nō ſequitur, quod ſi vnitur natura Diuina cuilibet perſonæ Diuinæ, ſit quælibet perſona Diuina vnita perſonalitèr alteri, aliàs enim confuſsio eſſet perſonarum. Tùm etiam quia natura Diuina non ſolum habet neceſſariam habitudinem ad vnam proprietatem relatiuam, ſed ad omnes. Ergo ſi propter neceſſariam connexionem, & habitudinē naturæ Diuinæ cum proprietate relatiua, ſequeretur neceſſariò ad vnionem naturæ humanæ cum Diuina ſecundum exiſtentiam, & ſecundum abſolutum, vnio eiuſdem quoad proprietatem relatiuā, & quoad perſonam; non poſſet fieri vnio naturæ creatæ cum Diuina ſecundum aliquid abſolutum, quin fieret vnio eiuſdem cum qualibet perſona, quia natura Diuina cum qualibet perſona habet neceſſariam habitudinem, & connexionem, & non cum altera tantum; ac perconſequens, vnum ſuppoſitum relatum non poſſet aſſumere ſine alio, quod erroneum eſt. Relinquitur ergo, vt concludit Durandus, cuius eſt hæc ſatis ingenioſa ratio quæſt. 4. num. 5. quod in ſuppoſito Diuino, licèt relato, poſsit fieri vnio naturæ humanæ cum Diuina ſecundum exiſtentiam, dato quod non fieret cum proprietate relatiua quoad perſonam, *ſed tunc certe* (addit ipſe) *talis vnio, non plus fieret in vno ſuppoſito, quā in alio, ſed æqualitèr in omnibus, quia eſſet ſolum ſecundum exiſtere, quod eſt omnibus commune, & non ſecundum aliquid proprium, & perſonale.*

Obijcies, vt obijcit ſibi Durandus; Ex tali vnione naturarum in aliquo abſoluto ſequitur, Deum eſſe hominem, & ècontra: atqui ſi Deus eſt homo, non poteſt non verificari, Patrem, vel Filium, vel Spiritum Sanctum, vel omnes ſimul eſſe homines; cum quidquid conuenit realitèr termino communi, conuenit etiam ſuppoſito; vt patet de homine reſpectu Socratis, & Platonis; ac perconſequens, nequit fieri vnio in ſuppoſito, aliàs relato, ſecundum exiſtētiam, quin fiat ſecundum eſſe perſonale. Reſpondeo cum eodem Durando num. 7. quod licèt verum eſſet in caſu poſito, dicere, *Deus eſt homo*, non tamen Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, vel omnes perſonæ ſimul ſunt homo, niſi cum addito, *in quantum Deus*, quod poteſt concedi, vt inquit Durandus, ſi ſanè intelligatur, ſcilicèt, totum, quod pertinet ad Deitatem, eſt carni vnitum; ſicut dicit Damaſc. lib. 3. fidei: *Perfecta Diuinitas incarnata fuit*, & in hoc ſenſu à pluribus admittitur illa propoſitio, imò ab omnibus admitti debere iudico, præcipuè aſſerentibus, ſecluſis proprietatibus relatiuis, adhuc naturam Diuinam poſſe aſſumere, & terminare humanam, quo caſu diceretur, *Deus homo*; non tamen *Pater homo*, nec *Filius homo*, &c. quia nomine Patris, & Filij, &c. importatur formalitèr id, quod ad relationē pertinet, & ſupponimus talem vnionē non fuiſſe factam in hoc relatiuo. Vlteriùs, ſicut in omnium ſententia hæc eſt vera propoſitio: *Deus generat*, & hæc eſt falſa: *Quælibet perſona Diuina generat*, ita in noſtro caſu erit vera: *Deus eſt homo*, & falſa: *Quælibet perſona eſt homo.* Nec ſimile reſpectu Platonis, & Socratis aliquid valet; nā licèt verū ſit, quod quidquid conuenit termino cōmuni, conueniat etiā ſuppoſito, quando terminus cōmunis diſtribuitur pluralitèr numeralitèr in quolibet ſuppoſito, vt in exemplo de homine patet; non autē quando terminus communis non eſt numeralitèr diſtributus in quolibet ſuppoſito, vt ſe habet natura Diuina reſpectu perſonarū.

Reſolutio ſecunda ſit. Circumſcripta

Digitized by Google

à Diuinis omni perſonalitate, tā abſoluta, quā relatiua, non eſt poſsibilis aſſūptio, ita communitèr Theologi, quos citat, & ſequitur R. & Illuſtriſsimus M. Godoy hic diſp. 15 §. 4. numer. 76. & duo docet in concluſione, primum quod poteſt natura creata vniri huic Deo, vt communi tribus perſonis ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, qua de facto natura diuina ſubſiſtit; ſecundum, quod docet eſt, quod ſi ſubſiſtentia abſoluta in Deo non admittatur, implicare prædictam vnionem. Ratio eſt clara; nam vbi non eſt poſsibile aliquid ſubſiſtens, non eſt poſsibile dari aliquod aſſumēs; etenim aſſumptum non exiſtit in ſe, ſed in aſſumente; ſed circumſcripta à Diuinis omni perſonalitate, tam abſoluta, quam relatiua, non eſſet in Diuinis ſubſiſtens, quæ eſt conditio neceſſaria ad aſſumptionem. Ergo hac ſuppoſitione facta, non eſt poſsibilis aſſumptio.

Reſolutio tertia ſit. Excluſis per intellectum perſonalitatibus relatiuis, quales ponuntur ſecundum fidem, remanente tamen perſonalitate abſoluta, qualem intelligunt Iudæi, & Gentiles, poſsibilis manet aſſumptio humanæ naturæ. Sic in terminis docet Sanct. Thom hic art. 3. ad 1. dicens: *Excluſis per intellectum proprietatibus perſonalibus, remanebit in conſideratione noſtra natura Diuina, vt ſubſiſtens, & vt perſona, & per hunc modum poteſt intelligi, quod aſſumat naturam humanam, ratione ſuæ ſubſiſtentiæ, & perſonalitatis.* Et ratio eſt, quia in hoc caſu natura Diuina eſſet ſubſiſtens, vtpotè perfectiſsima in eſſe ſubſtantiæ, alias infinita, & omnipotens, quæ ſunt conditiones neceſſariæ ad terminandam naturam alienam, etiam eſſet hic Deus, qui poſſet de perſonis prædicari, & qui poſſet res ad extra producere. Ergo poſſet etiam ad extra humanitatem terminare.

Obijcies Ex aſſumente, & aſſumpto fit vnum ſed hoc non poſſet fieri vnum excluſsis proprietatibus perſonalibus; nam non poſſet fieri vnum ſecundum naturam, cum natura humana, & Diuina non fiant vnum; nec ſecundum ſuppoſitum. Tūm quia ſecluſis proprietatibus perſonalibus, nullum eſſet ſuppoſitum Diuinum, cum omnia, quæ remanerent, communicabilia eſſent, quod eſt contra rationem ſuppoſiti. Tū etiam, quia vbi ſuppoſitum, & natura ſunt pœnitus vnum, & idem, non poſſunt aliqua fieri vnum in ſuppoſito, quin fiant vnum in natura. Ergo cum natura Diuina, & humana non poſsint fieri vnum in natura, neque etiam poterunt fieri vnum in ſuppoſito. Reſpondeo, quod ſecluſis proprietatibus perſonalibus, natura Diuina, & humana fierent vnum in noſtro caſu ſecundum ſuppoſitum, non ſecundum ſuppoſitum relatiuum, de cuius conceptu eſt, eſſe incommunicabile, ſed ſecundum ſuppoſitum abſolutum, quod conuenit naturæ Diuinæ ſecundum ſe, eo ipſo quod ſit per ſe ſubſiſtens, & perfecta in eſſe ſubſtantiæ: & quando dicitur, quod vbi ſuppoſitum, & natura ſunt idem pœnitus, non poſſunt aliqua fieri vnum ſecundum ſuppoſitum, quin fiant ſecundum naturam, ita falſum eſt, quod omnes ad illud teneātur reſpondere; nam optimè ſaluatur, & intelligitur ſecundum fidem, quod ſuppoſitum, & natura Diuina ſint pœnitus idem, & nihilominus non ex eo, quod plures ſint vnum in natura, ſunt etiam in ſuppoſito vnum, ratione diſtinctionis virtualis repertæ inter naturam, & ſuppoſitum. Ergo à contrario optimè ſalbauitur, plura eſſe vnum in ſuppoſito, quin ſint vnum in natura, propter eandem diſtinctionem inter ſuppoſitum, & naturam, vel propter diſtinctionem realem naturarum.

In calcè articuli ſubiungo cum S. Thom. hic art. 4. quod licèt vna perſona non potuerit aſſumere ſine alia, quatenus aſſumptio importat actum aſſumentis, qui procedit ex Diuina virtute, quæ communis eſt tribus perſonis; benè tamen vna perſona potuit aſſumere ſine alia, ſicut de facto aſſumpſit Filius, quatenus aſſumptio importat terminum aſſumptionis, qui non eſt communis, ſed peculiaris cuiuslibet perſonæ, quod intelligendum eſt iuxta doctrinam datam in toto hoc articulo, ſcilicèt de aſſumptione perſonali, non vero de aſſumptione abſolutè; ex quo etiam ſequitur alia doctrina, quam adſtruit idem Sanct. Tho. articul. 5. quamlibet perſonam Diuinam poſſe aſſumere naturam humanam, quantum ad terminum aſſumptionis, licèt non quantum ad principium

pium ipſius; & ita ſicut terminauit Filius, propter eandem rationem Pater, vel Spiritus Sanctus poſſent terminare.

Dubia quædam breuitèr expedita.

ARTIC. V.

RESolutio prima ſit cum Sanct. Th. hic artic. 6 & 7. quem ſequuntur omnes Theologi; cum noſtro Aurſa hic quæſt. 3. ſect. 4. & 5. & R. & Illuſtriſſimo M. Godoy hic diſp. 16. §. 1. num. 7. & 10. cum R. P. M. Fr. Ioan. à Sancto Thoma hic diſp. 6. art. 3. Plures perſonæ Diuinæ potuerunt aſſumere, & terminare eandem numero humanitatem, & quælibet perſona potuit etiam plures numero humanitates aſſumere, & terminare. Ratio primi eſt, quia perſonæ Diuinæ talis ſunt conditionis, & naturæ, vt non ſe excludant in communione naturæ, vt patet de facto reſpectu naturæ Diuinæ, cum cuius vnitate numerica ſtat terminatio trium perſonarum, ſed ſolum ſe excludunt à communione eiuſdem perſonæ. Ratio ſecundi eſt, quia Diuina potentia non fuit exhauſta per terminationem vnius naturæ humanæ, cum ſit infinita, tam in ratione agendi, quam terminandi. Ergo ſicut de facto vna perſona terminauit vnam tantum naturam humanam, potuit plures terminare naturas humanas.

Reſolutio ſecunda ſit cum eodem Sanct. Thom. & communitèr Theologis, vt nouitèr R. & Illuſtriſſimo M. Godoy hic diſput. 16. §. 11. num. 183. Caſu, quod plures perſonæ aſſumerent eandem numero humanitatem, dicerentur vnus homo. Sic habet expreſſe ad primũ, cuius ratio eſt, quia de facto tres perſonæ Diuinæ propter vnitatem naturæ dicuntur vnus Deus, licèt aliàs non dicantur vna perſona; ergo in caſu poſito, propter vnitatem naturæ humanæ, dicentur vnus homo, licèt aliàs dicantur plures perſonæ: *Nihil enim prohibet* (dicit Sanct. Thom.) *dicere, quod homines, qui ſunt plures ſimplicitèr in ratione perſonæ, ſint vnum quantum ad aliquid.* Ergo ſimilitèr in noſtro caſu.

Reſolutio tertia ſit. Probabile iudico, etiam iuxta Sanct. Thom. quod in caſu poſito dicerentur plures homines. Primo, quia probabile eſt iuxta Sanct. Thom. imò, & certum in eius ſententia, quod tres perſonæ Diuinæ, etiam ſi habeant vnam numero Omnipotentiam, immenſitatem, & æternitatem, dicantur tres Omnipotentes, tres immenſi, & tres æterni; has enim, & ſimiles propoſitiones concedit 1. part. quæſtion. 39. art. 3. in corp. & illum ſequuntur plures Authores: videantur Complutenſes in Logica capit. de Appellat. Ergo etiam ſi tres perſonæ Diuinæ vnã tantum aſſumerent humanitatem, poſſent in aliquo vero ſenſu dici tres homines.

Dices diuerſam eſſe rationem de terminis numeralibus, quales ſunt duo, tres, quando appellant ſupra nomina adiectiua, quia tunc multiplicant ſignificatum materiale, non formale, & ita verificari poſſunt prædictæ propoſitiones, ſecus autem quando cadunt, & appellant ſupra nomina ſubſtantiua, quorum ſignificatum materiale, & formale multiplicant, qua ratione falſa eſt hæc propoſitio: *In Diuinis ſunt tres Dij*, licèt vera ſit iſta: *In Diuinis ſunt tres Diuini, tres immenſi, &c.* Vndè cum nomen *homo* ſit ſubſtantiuum, dum non ſit multiplicitas humanitatis, non eſt verum dicere, eſſe plures homines, licèt ſint plures perſonæ.

Verum contra hanc ſolutionem, quæ communis, & approbant Complutenſes, ſic argumentor. Nam catenus termini numerales, quando cadunt ſupra nomina adiectiua, verificant prædictas propoſitiones cum ſola multiplicitate ſuppoſiti, & non formæ, quia prædicta nomina adiectiua ſumuntur tunc adiectiuè, & ita ſumpta faciunt hunc ſenſum: *In Diuinis ſunt tres Omnipotentes*, id eſt, *tres habentes Omnipotentiam.* Et ſic de alijs propoſitionibus, qui ſenſus Catholicus eſt; ſi vero prædicta nomina ſumerentur ſubſtantiuè, id eſt pro ſubſtantiuo illorum, ſcillicèt: *Omnipotẽtia, &c.* facerent hunc ſenſum: *In Diuinis ſunt tres Omnipotentiæ.* Qui ſenſus hæreticus eſt, vt probat vtrumque S. Thom. 1. part. loc. citat. explicans Symbolum Athanaſij, vbi dicitur: *Non tres Omnipotentes, nec tres Immenſi, ſed vnus Omnipotens, & vnus Immenſus.* Atqui non obſtante, quod

prædicta nomina adiectiua ſint, poſſint ſumi ſubſtantiuè, & in primo ſenſu verificari propoſitiones, & in ſecundo negari. Ergo non obſtante, quod nomen *homo* ſubſtantiuum ſit, & idem eſt de nomine *Deus*, eo ipſo quod talia nomina concreta ſint, poſſunt ſumi etiã adiectiuè, & in hoc ſenſu verificari propoſitiones, nimirum: *in Diuinis ſunt tres Dij*, id eſt, *tres habentes Deitatem*, nam *Deus habens Deitatem ſignificat*, inquit Sanct. Thom. loc. cit. ad 1. & in noſtro caſu ſunt tres homines, id eſt, *tres habentes humanitatem*, nam homo eſt habens humanitatem, ſicut Deus eſt, habens Deitatem; licèt in alio ſenſu, id eſt, ſi ſumantur ſubſtantiuè, ſcilicèt, pro forma, quam dicit quodlibet ex his concretis, ſcilicèt, *in Diuinis ſunt tres Deitates*. Erunt falſæ, quod ſolum intendit Athanaſius in Symbolo.

Quod autem ſolum hoc intendat, quando dicit: *Et tamen non tres Dij, ſed vnꝰ eſt Deus*, ex eo mihi perſuadeo, quia eodem modo loquitur de iſta propoſitione: *Non tamen tres Dij, ſed vnus eſt Deus*. Ac de alijs, ſcilicèt: *Non tamen tres Omnipotentes, & Immenſi, ſed vnus Omnipotens, & Immenſus: ſicut non tres Increati,* (inquit) *nec tres Immenſi, ſed vnꝰ Increatus, & vnus Immenſus. Ita non tres Dij, ſed vnus eſt Deus*. Atqui talitèr negat tres Increatos, & tres Immenſos, & concedit vnum Increatum, & vnum Immenſum, quod in aliquo ſenſu ſit verum dicere, non ſolum vnum Increatum, & vnum Immenſum, ſed tres Increatos, & tres Immenſos modo explicato. Ergo ſi eodem modo loquitur de illa propoſitione: *Non tres Dij, ſed vnus eſt Deus*, vt denotat illa particula *ita* cõparatiua, dicendum eſt, non ſolum eſſe verum dicere vnum Deum, ſed in aliquo ſenſu, tres Deos, modo explicato, hæc cum Theologis loquor: Non cum alijs, quia, fortè ſcandalizabuntur quod in aliquo ſenſu poſſent dici *tres Dij*, & in modo loquendi adhuc non debemus cum hæreticis conuenire.

Reſolutio quarta ſit. Caſu, quod vna Diuina perſona aſſumeret plures numero humanitates, videtur dicendum, iuxta Sanct. Thom. quem ſequuntur communitèr Thomiſtæ articul. 7. ad 2. apud M. Godoy diſp. 16. §. 8. num 136. & apud Magiſt. Ioan. à Sancto Thoma, qui loco proxime citato à §. Ad vltimũ docet, quod in vtroque caſu eſt difficile videre reſolutionem Sanct. Thomæ, an dicerẽtur tres homines, vel vnus, quod vnus eſſet homo. Ratio eſt, quam videtur inſinuare S. Thom. quia licèt ad vnitatem concreti ſubſtantiui ſufficiat vnitas formæ, ad pluralitatem autẽ non ſufficiat vnitas formæ, ſed requiritur pluralitas ſuppoſitorum: *Nunquam enim nomen ab aliqua forma impoſitum pluralitèr dicitur, niſi propter pluralitatem ſuppoſitorum*. Inquit Sanct. Thom. Ergo cum in noſtro caſu non eſſet pluralitas ſuppoſitorum, ſed potius vnitas, non dicerẽtur plures homines, ſed vnus homo.

Reſolutio quinta ſit. Probabile iudico, etiam iuxta S. Thom. quod in iſto caſu debeant dici plures homines, niſi ſit quæſtio de nomine, quod deduco ex doctrina Sanct. Thom. 1. part. quæſt. 39. art. 3. vbi conſtituit diſcrimen inter nomina concreta ſubſtantiua, & adiectiua, & docet, quod in ſubſtantiuis vnitas, vel pluralitas attendi debet ex vnitate, vel pluralitate formæ; in adiectiuis autem ex vnitate, vel pluralitate ſuppoſiti. Ergo cum nomen *homo* ſit nomen ſubſtantiuum ſignificans formam per modum per ſe ſtantis, & determinantis, & non ab alio determinatam, vt contingit in adiectiuis, ſicut ex vnitate formæ colligimus vnitatem hominis, licèt aliàs ſit pluralitas ſuppoſitorum, ita ex pluralitate eiuſdem formæ colligetur pluralitas hominis, licèt aliàs ſit vnitas ſuppoſiti; ac perconſequens, in noſtro caſu plures eſſent homines.

Expreſsius autem probatur prædicta reſolutio ex eodem Sanct. Thom. in 3. diſtinct. 1. quæſtion. 2. articul. 5. ad 2. vbi ait: *Singularitas termini ſubſtantiui attenditur ſecundum vnitatem, vel pluralitatem naturæ ſignatæ per terminum, & ſecundum vnitatem, vel pluralitatem ſuppoſitorum; quamuis enim Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſint tria ſuppoſita; tamen propter vnitatem Diuinæ naturæ, quam ſignificat hoc nomen Deus, dicuntur vnus Deus; ita è contrario, quamuis Ieſus, & Petrus eſſent vnum ſuppoſitum, tamen propter pluralitatem naturarum aſſumptarum dicerentur duo homines*. Quo nihil clariùs pro hac re inueniri potuit. Idem habet eodem loco ad 3. *Dicendum, quod humana natura aſſumpta ha-*

Digitized by Google

habet quantum ad aliquid rationem accidentis, quamuis ſimplicitèr loquendo non ſit vnio iſta accidentalis; & ideò propter aſſumptionem illius naturæ Dei Filius nõ poteſt dici duo, ſicut nec Socrates poteſt dici duo propter humanitatem, & albedinem: ſed ſi Filius Dei aſſumeret duas humanas naturas, quamuis vtraque illarum haberet rationem accidentis in comparatione ad naturam Diuinam, neutra tamen haberet rationem accidentis in comparatione ad alteram, & ita plures homines, & non vnus homo diceretur.

Nec doctrina data reſol. 4. ex Sanct. Thom. tantam vim habere videtur, quantam putat Lorca hic diſp. 31. quod non poſsit congruentèr exponi iuxta illam proximè allatam ex eodem Sanct. Thom. nam licèt in illo art. 7. ad 2. dicat: *Numquam nomen ab aliqua forma impoſitum pluralitèr dicitur, niſi propter pluralitatem ſuppoſitorum.* Non ita conuincit illam reſolutionem, ſicut conuincũt iſtam ea, quæ dicit Sanct. Thomas in tertio: Quare exponi debet, loqui Sanct. Thom. in illo artic. de nominibus adiectiuis, quæ ſignificant formam per modum alteri adiacentis, quorum pluralitas ex pluralitate ſuppoſitorum colligenda eſt; quod autem de his loquatur, ex eo mihi perſuadeo, quia in illis ponit exemplum, non in ſubſtantiuis, proſequitur enim ſic: *Homo enim, qui eſt duobus veſtimentis indutus, non dicitur duo veſtiti, ſed vnus veſtitus duobus veſtimentis; & qui habet duas qualitates, dicitur ſingularitèr aliqualis, ſecundum duas qualitates.*

Quod ſi iterum dicas, Sanct. Thom. proſequens inquit: *Et ideò perſona Diuina, ſi aſſumeret duas naturas humanas, propter vnitatem ſuppoſiti, diceretur vnus homo habens duas naturas humanas.* Ergo nulla eſt aſsignata reſponſio; ſiquidem ponit exemplum in eo, de quo contendimus. Dic, ex eodem Sanct. Thom. quod quando dicit, *quod eſſet vnus homo habens duas naturas humanas*, non ſumit hominem, nec naturam humanam, quatenus eſt forma conſtituens vnum per ſe, & ad eſſe talis determinans, ſed quatenus dicitur aliquomodo forma adiectiua, & accidentalis reſpectu naturæ Diuinæ; nam vt inquit in loco à nobis adducto ex 3. ſentent. *Natura aſſumpta humana quantum ad aliquid habet rationem accidentis*, imò in hoc artic. 7. eſt ſolutio euidens iuxta hunc modum: *Natura autem humana* (inquit) *quantum ad aliquid ſe habet per modum indumenti, licèt non ſit ſimilitudo quantum ad omnia*, nam ſi ſumeret humanitatem, quatenus eſt forma per ſe conſtituens, & determinans ad eſſe hominis, & non ab alio determinata, ſic non vnus, ſed plures dicerentur homines, iuxta pluralitatem naturarum aſſumptarum, vt expreſsè docuit in loco ex 3. ſentent. adducto.

Niſi velis dicere, quod quando Sanct. Thom. dicit: *Si perſona Diuina aſſumeret duas naturas humanas, propter vnitatem ſuppoſiti, diceretur vnus homo*, ſic intelligendum eſſe, vnum, ſcilicèt, ſuppoſitum, aliàs habens duas naturas humanas ſibi vnitas, quod certiſsimum eſt apud omnes, & propter hoc dixi conſulto in reſolutione: *Niſi quæſtio ſit de nomine*, nam ſicut Sanct. Th. in art. 6. docet ad 1. *Quod ſi tres perſonæ Diuinæ aſſumerent eandem humanitatem, diceretur vnus homo*, ly *vnus* non importans vnitatem perſonæ, quia ſic ſemper eſſet verum dicere tres perſonas, ſed ly *vnus* importans vnitatem in natura, à qua haberet eſſe vnum hominem; ita poſſet dici, quod ſi vna perſona Diuina aſſumeret plures humanitates, diceretur vnus homo, ly *vnus* importans vnitatem perſonæ, quia ſic ſemper verum eſſet dicere, eſſe plures: non enim videtur ratio, quare ſicut phyloſophatur de pluralitate in eſſe perſonæ cum vnitate in eſſe hominis, non phyloſophetur de vnitate in eſſe perſonæ cum pluralitate in eſſe hominis.

DISPVTATIO IV.

Circa quæſtionem quartam Sanct. Thomæ.

De natura aſſumpta.

POſt tractationem de perſona aſſumente, quæ eſt præcipium ex extremis huius mirabilis vnionis; in quæſtione quarta Angelicus Doctor agit de natura aſſumpta, quæ eſt alterum extremũ prædictæ vnionis, & nos cum eo in hac diſputatione ea, quæ ad illam pertinẽt, ſumus breuitèr tractaturi.

Digitized by Google

An quælibet alia natura, præter humanam, ſit aſſumptibilis à perſona Diuina?

QVÆST. VNIC.

IN Hac re iuxta diuerſitatem naturarum varij varia dixere. Primo enim aliqui docuerunt, naturam Angelicam non eſſe aſſumptibilem à perſona Diuina. Sic Albertus in 3.diſt.2.art.2. quem ſequitur Vazq hic diſp.10.cap.4. eamque tribuit Angelico Præceptori. Alij autem, licèt non negent de natura Angelica, negant de qualibet natura irrationali, niſi habeat ordinem ad talem rationalem naturam, vt excipiant corpus Chriſti in triduo mortis vnitum fuiſſe cum perſona Diuina. Ita Bonauent. in 3.diſt.2 artic.1.quæſt.1 Alenſ. 3. part. quæſt.2.membr.7 & quæſt.11. memb. 1.& alij, quos hic citat Araujo. Verum commune Theologorum aſſertum vtrumque docet; eo quod natura Angelica, & irrationalis, dummodo completa ſit, à perſona Diuina aſſumptibilis ſit. Sic Capræol in 3.diſt.2 quæſtion vnic. Caietan. & Medina in hoc artic. Aluarez diſp.22.& plures alii, quos citat, & ſequitur Araujo in hoc dubio, & quos etiam citat, & ſequitur noſter Auerſa quæſt.4.ſect.2.& citat etiam, & ſequitur nouitèr R. & Illuſtriſ. M. Godoy tom.2.de Incarnat. diſput. 18. §.1. nu. 4.& §.4.num.54 inter quos Authores aliquale eſt diſſidium circa partes ſubſtantiales, an ſint aſſumptibiles, modò ſint eſſentiales, vt materia, & forma, modo integrales, vt manus, pes, ſanguis, &c.& circa formas accidentales, vt videri poſſunt apud eundem Araujo, & apud prædictum Godoy latiſsimè in tota diſp.18.citata.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo prius cum Sanct. Thom. in hac quæſtion.art.1. Conuenientiſsimum, ſeu congruentiſsimum fuiſſe, naturam rationalem aſſumi; cuius congruitatis ratio poteſt ſumi: & ſecundum dignitatem, quia humana natura in quantum rationalis eſt, nata eſt aliqualitèr attingere ipſum Verbum per ſuam operationem, ipſum cognoſcendo, & amando, & ſecundum neceſsitatem, quia indigebat reparatione, cum ſubiaceret peccato originali: vtraque autem congruitas ſolum conuenit naturæ humanæ, nam irrationali deeſt prima, Angelicæ, deeſt ſecunda, ſcilicèt, neceſsitatis. Quo ſic obſeruato.

Quæſtionis reſolutio quoad naturam Angelicam, & irrationalem completam.

ARTIC. II.

REſolutio prima ſit. Natura Angelica, licèt non habeat congruitatem neceſsitatis, habet tamen congruitatē dignitatis, ratione cuius potuit aſſumi à Diuina perſona. Eſt expreſſa reſolutio Sanct. Thom. in hoc articul. 1. præcipuè ad 3.& in 3.diſtinct.2.quæſt.1.art. 1.quæſtiun.2 & ratio eſt nam vt docet idem Sanct. Thom. 1. part. quæſt. 50. art.2.ad 3.& quæſt.70. art. 5. ad 4. & infinitis alijs locis, natura Angelica diſtinguitur realitèr à ſuppoſito Ergo poteſt Deus producere aliquam naturam Angelicam abſque propria ſubſiſtentia, & loco illius ſubrogare ſubſiſtentiam alicuius Diuinæ perſonæ. ſicut de facto fecit in natura humana, vel deſtruere ſubſiſtentiam iam productam cum natura Angelica, & loco illius ponere Diuinā ſubſiſtentiam; etenim Deus infinitus eſt in agendo, perſona Diuina in terminando, natura Angelica in obediendo ad omne id, quod non implicat contradictionem. Ergo, &c.

Obijcies pro Vazq. locum S. Thom. ex 4.contr.gent.capit.55.ad 3.& ad 4. & ex 1.part. quæſt.3.art.3. vniuerſalitèr aſſerentis, in abſtractis à materia non diſtingui ſuppoſitum à natura. Ergo cum natura Angelica abſtracta ſit à materia, non diſtinguetur ratio naturæ à ratione ſuppoſiti; ac per conſequens, cum natura Diuina nequeat ſuppoſitum aſſumere, nec naturam, quæ cum ſuppoſito idētificatur, aſſumere poterit. Hoc argumentum eſt, quo Vazq conuictus, iudicauit hanc ſententiam eſſe Sanct. Thom. verum tam longè abeſt, quod ſuperfluū eſſet reſpondere calumniæ. Sanct. Thomæ.

mæ.

Digitized by Google

mæ. Reſpondeo nihilominus ad argumentum; quod numquam Sanct. Tho. docuit ſuppoſitum non diſtingui à natura, adhuc in abſtractis à materia; ſed quod docuit in locis præcitatis, eſt, quod ſingularitas in abſtractis à materia non diſtinguitur à natura ſpecifica eorum, quia non habent aliud principium ſuæ indiuiduationis, ſicut habent, quæ ſunt coniuncta materiæ, quorum indiuiduatio eſt ab ipſa materia, ſicut illa ſe ipſis indiuiduantur; ſuppoſitum autem addit ſupra ſingularitatem naturæ ſubſiſtententiam; quare poterit optimè aſſumi natura Angelica ſingularis, quin perſonalitas, vel ſubſiſtentia eius aſſumatur; vel producendo Deus Angelum ſine propria ſubſiſtentia, cuius loco ſubroget Diuinam, vel deſtruendo propriam, & Diuinam ponendo.

Reſolutio ſecunda ſit. Natura irrationalis, & inſenſibilis, dummodo completa ſit, habet congruentiam, ſaltèm proportionis id eſt, habet omne id, quod requiritur, vt poſsit aſſumi à Diuina perſona, licèt ei deficiat congruentia dignitatis, & neceſsitatis, quæ in humana natura reperiuntur. Eſt expreſſa reſolutio apud Sanct. Thom. locis citatis pro prima reſolutione, præcipuè in 3. ad quæſtiunc. 1. vbi ait: *Quod Deus de potentia abſoluta potuit aſſumere creaturam irrationalem; nec impedit, quod creatura irrationalis perſonalitatem non habeat, nec in ea inueniatur; inuenitur tamen in ea hypoſtaſis; vnio autem facta fuit in hypoſtaſi, & ſuppoſito.* Ratio autem pro hac concluſione eadem eſt, ac pro prima; nam eodem modo ſubſiſtentia diſtinguitur à natura irrationali, potentia Dei eſt infinita in agendo, & terminando, & natura illa eſt infinita in obediendo, & aliàs credimus ſecũdum fidem, corpus Chriſti cadauericũ, licèt inſenſibile fuiſſet, Verbo Diuino intriduo mortis vnitũ. Ergo poteſt terminare, &c.

Obiicies. Natura irrationalis, & inſinſibilis non eſt capax ſupernaturalis operationis, ad quam ordinatur vnio hypoſtatica, nec eſt capax effectus, quem præſtat Diuina perſonalitas, nec tandem diſpoſitionum, quæ ad vnionem hypoſtaticam requiruntur. Ergo neque eſt capax aſſumptionis à Diuina perſona. Reſpondeo, inſtando argumentum in cadauere Chriſti, quod nihil horum habuit, & nihilominus aſſumptum fuit à Verbo. Et ratio omnium eſt, quia licèt ad hoc, vt natura irrationalis haberet congruentiam, quam habet natura humana, hæc omnia neceſſaria eſſent; non tamen ad hoc, vt abſolutè poſſet aſſumi; ſufficit enim habere congruentiam proportionis, quatenus erat capax ſubſiſtentiæ; nam eo ipſo poterat ſuppleri ſubſiſtentia propria à ſubſiſtentia Diuina: nec neceſſarium eſt, quod vnio hypoſtatica ordinaretur ad operandum ſupernaturalitèr, ſed ſolum ad eſſendum ſupernaturalitèr; nec proinde talis eleuatio ad eſſe, eleuatio eſſet ad operari, cum non eſſet mediante principio *quo* operatiuo, nec in natura capaci, nec neceſſarium eſſet, quod conferret perſonalitas diuina effectum perſonandi, ſufficit enim, quod conferret effectũ ſubſiſtendi.

Quæſtionis reſolutio, quoad naturas incompletas, & formas accidentales.

ARTIC. III.

Reſolutio prima ſit. Nulla natura incompleta, quæcumque illa ſit, ſiuè eſſentialis, ſiuè integralis, eſt aſſumptibilis à Diuina perſona (excipio animam rationalem) ſic communitèr cum Araujo in hoc dubio omnes & ratio eſt, nam id, quod non eſt capax ſubſiſtentiæ Diuinæ, non eſt aſſumptibile à Diuina perſona: ſed præter animam rationalem nulla natura incompleta, in ſtatu incompletionis (vt excludam partes integrales, dum à toto ſeparatæ exiſtunt, quæ poſſunt aſſumi) eſt capax ſubſiſtentiæ Diuinæ; etenim quod non eſt capax ex ſe propriæ ſubſiſtentiæ, ſed ſubſiſtit ratione alterius, non eſt capax ex ſe alienæ, ſed ratione alterius eſt capax alienæ; vt videre licèt in formis ſubſtantialibus, quæ in eo diſtinguntur ab anima rationali, vt docet S. Th. 1. par. q. 75. artic. 4 & 6. quod huic cõpetit per ſe, & ratione ſui ſubſiſtere, cæteræ vero ſubſiſtunt ad ſubſiſtentiam totius, vt latè Phyloſophi, & idem eſt de partibus integralibus, dum componunt totum, & de partibus eſſentialibus, vt materia, & forma. Ergo cũ huiuſmodi naturæ non ſint capaces propriæ ſubſiſtentiæ ratione ſui, ſed ratione

Digitized by Google

totius ſubſiſtunt, vt verior Phyloſophia docet, non erunt ratione ſui aſſumptibiles ad ſubſiſtentiam alienam Diuinæ perſonæ, ſed ſolum ratione totius; ac proinde, cũ anima rationalis id habeat ex ſe, conuenit illi eſſe aſſumptibilem à Diuina perſona.

Reſolutio ſecunda ſit. Nulla forma accidentalis eſt aſſumptibilis immediatè ad vnionem hypoſtaticam Diuinæ perſonæ, licèt mediate ad aſſumptionẽ totius, cui inhærent, aſſumi poſſunt, ſicut de facto aſſumpta fuerunt propria accidentia humanitatis Chriſti. Eſt ferè communis reſolutio apud noſtrum Auerſa hic quæſt. 4. ſect. 1. ratio eſt, quidquid alij dicant, ferè eadem, ac pro reſolutione præcedenti, cum nulla natura accidentalis, vel forma ſit capax ex ſe ſubſiſtentiæ alienæ, cum propriæ non ſit ex ſe capax immediatè. Niſi velis dicere male vtendo vocabulo aſſumptionis, quamlibet naturam, quæ potens eſt exiſtere, quomodocumq; habeat hanc potentiam, licèt non ſit potens ſubſiſtere, eſſe aſſumptibilem, non ad perſonã, vel ſuppoſitum Diuinum, ſed ad exiſtẽtiam perſonæ Diuinæ; quo caſu reddetur quæſtio de nomine, & ita iudico eſſe; nam Authores, qui docent, naturam accidentalem eſſe aſſumptibilem, mouentur ex eo, quod poteſt exiſtere per ſe, vt patet in Euchariſtia, licèt non concedant, poſſe eſſe ſuppoſitum, aut perſona; Authores autem, qui negant, poſſe aſſumi, ideo aſſerunt, quia ad aſſũptibilitatem requirunt ſubſiſtentiam cõuenientem propriæ naturæ accidentali, quam poſſit ſupplere Diuina ſubſiſtentia; & hi Authores congruentiori modo loquuntur iuxta Sanct. Thom. qui art. præced. ex loco adducto ex 3. ſentent. docuit, quod licèt ad aſſumptibilitatem non requireretur perſonalitas, requirit tamen hypoſtaſim, aut ſubſiſtẽtiam.

Quid addat ſuppoſitum ſupra naturam ſingularem, & à quo cauſetur?

ARTIC. IV.

PRo cuius luce ſtatuo priùs; quod vt explicent Authores, quomodo Filius Dei non aſſumpſerit perſonam, nec hominem, nec naturam in omnibus indibiduis exiſtentem, nec ab omnibus abſtractam, ſed naturam ſingularẽ, quod docuit Sanct. Thom. in art. 2. 3. 4. & 5. huius q. controuertunt ſolum, quid addat ſuppoſitum ſupra naturam, vt poſſit verificari, aſſumpſiſſe naturam ſingularem, & non ſuppoſitum, vel perſonã, quod de fide credimus. Quæ difficultas, licèt philoſophica magis ſit, vt hoc explicemus, nonnulla prælibabimus. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio prima eſt. Suppoſitum (& idem eſt de perſona) ſupra naturam ſingularem addit aliquid reale realiter diſtinctum. Ratio eſt clara; nam de fide eſt, Verbum Diuinum aſſumpſiſſe naturam humanam ſingularem, & non ſuppoſitum, aut perſonam. Ergo aliquid eſt reale ſuperadditum ſuppoſitum, & perſona ſupra ſingularem naturam, cũ datum fuerit vnum ſeparatum ab alio, quia nullum maius eſt ſignum realis diſtinctionis inter extrema aliqua, quam illorum ſeparatio.

Reſolutio ſecunda ſit contra Scotũ. Hoc reale, quod addit ſuppoſitum ſupra naturam, non eſt negatio, ſed aliquid poſitiuum. Ratio eſt, nam licèt includat ſuppoſitum negationem communicabilitatis, talis negatio eſt quid conſequens, noſtro modo intelligendi, ad illud; ſicut enim negatio equi in homine conſequitur, noſtro modo intelligendi, ad eſſe hominis, & nihilominus non dicimus hominem conſtitui per aliquid negatiuum, ſed per poſitiuum, in quo fundatur talis negatio. Ergo licèt perſonalitas, & ſubſiſtentia dicant in natura incommunicabilitatem alteri, non dicetur naturam in eſſe ſuppoſiti, aut perſonæ conſtitui formalitèr per aliquid negatiuum, ſed per poſitiuum, in quo fundetur talis negatio.

Reſolutio tertia ſit. Licèt probabile ſit cum communi Phyloſophorum, hoc poſitiuum eſſe modum aliquem ſupra naturã, probabilius iudico, cũ aliquibus non infinitæ notæ Thomiſtis, non eſſe modum, ſed rem aliquam ſupra illam. Relictis omnium pro vna, & altera parte rationibus, quæ iam vobis notæ ex Phyloſophia ſunt, ebibite iſtam pro hac parte Marte proprio excogitatam. De fide eſt perſonam humanam non fuiſſe aſſumptam, nec primariò, nec

nec ſecundariò à Verbo Diuino: ſed ſi perſonalitas, & ſubſiſtentia eſſet modus aliquis ſupra naturam, non eſſet hæc cõcluſio de fide; imò probabiliſsimè diceretur, fuiſſe aſſumptam, ſaltèm ſecundariò, perſonam humanam, nam modum diſtingui à re, cuius eſt modus, non ſolum non eſt de fide, ſed probabiliſsimũ eſt, non eſſe realem diſtinctionem inter modum, & rem, cuius eſt modus. Ergo in iſta opinione probabili, eo ipſo quod natura humana ſingularis aſſumpta fuit, non potuit nõ aſſumi eius perſonalitas, quæ realem cum illa habet idẽtitatem; ſicut quia facta fuit vnio naturæ humanæ cum perſona Verbi, non potuit non, ſaltèm ſecundariò, fieri cum natura Diuina, propter idẽtitatem realem Diuinę naturæ cum propria perſonalitate. Ergo ne concluſio de fide infallibili nitatur medio fallibili, qualis eſt opinio, veriùs dicendum eſt, perſonalitatem, & ſubſiſtentiam non eſſe aliquem modum ſupra naturam, ſed rem quandam ſupra ipſam, quæ in nulla opinione idẽtificatur cum alia re.

Reſolutio quarta ſit. Subſiſtentia cauſatur à propria natura in duplici genere cauſæ, materialis, ſcilicèt, & formalis, vt effectus huius ſecundarius. Primum patet ex eo, quod natura eſt quaſi ſubiectum ſubſiſtentiæ. Secundum autem, quia iuxta omnium ſentẽtiam, ſi humanitas relinqueretur à Verbo, ipſa abſq; concurſu alterius cauſæ ſe explicaret in propriam perſonalitatem: Sed non ſe explicaret, illam producendo, vt propriam eius paſsionem, vt communitèr dicitur, per emanationem, vel efficientiam, iuxta diuerſas ſententias; nam propria paſsio tribuit naturæ nouum eſſe ſupra ipſam, quod ſit accidentale, vt patet in riſibilitate, & alijs paſsionibus, quæ ſupponunt naturam completè conſtitutam in ſuo eſſe ſubſtantiali, & nouum eſſe, quod illi conferunt eſt accidentale: Perſonalitas autem, vel ſubſiſtentia nõ ſupponit naturam in ſuo eſſe ſubſtantiali completam, ſed potiùs eſt complemẽtum naturæ totalis in ſuo eſſe ſubſtantiali; ac proinde nouum eſſe, quod tribuit, non eſt accidentale. Ergo ſi oritur ab ipſa, non vt paſsio debet oriri, ſed vt effectus eius formalis, qui, cum nequeat eſſe primarius, cũ iſte ſit dare eſſe eſſentiale compoſito, debet eſſe ſecundarius in eſſe ſubſtantiæ, qui erit dare eſſe ſubſiſtẽtiale, & perſonale.

Hinc fit, quod ſi humanitas relinqueretur à Verbo, ipſa abſque noua actione ſe explicaret in hunc effectum formalem propriæ ſubſiſtentiæ virtute actionis præteritæ creatiuæ ipſius humanitatis; quæ quidem actio, niſi præueniretur ab aſſumptione Verbi, cauſaret propriam ſubſiſtentiam creatam, tanquam effectum intrinſecum complementum ipſius humanitatis in eſſe ſubſtantiali proprio, eo quod illa actio tẽdebat ad complendam ipſam humanitatem, tam in eſſe intrinſeco eſſentiali, quam ſubſiſtentiali, quo intellecto, optimè intelligitur quod intendit S. Thom. in his articulis, ſcilicèt, Verbum aſſumpſiſſe naturam ſingularem, licèt non hominem, nec perſonam.

Subiungo pro cõplemento huius diſputationis, quod humanitas, vt terminata ſubſiſtentia Verbi, non habet appetitum naturalem ad propriam ſubſiſtentiam. Ita noſter Auerſa, qui dicit, hoc eſſe commune Thomiſtarum, hic quæſt. 4. ſect. 6. Ratio eſt, nam cum ſubſiſtentia Verbi ſit ita perfectior propria, quod ſit infinita in eſſendo, & terminando, ſicut humanitas, ſi haberet propriã ſubſiſtentiam, non haberet appetitum naturalem ad illam, ſed ſaciata eſſet, ita habens ſubſiſtentiam Verbi; nã appetitus rectè ordinatus non appetit minus bonum, dum maius poſsidet; & quando dicitur, quod appetitus naturalis eſt potẽtia, quatenus poteſt habere proprium actum, & non habet, falſum eſt, ſi intelligatur, hoc eſſe præciſſe; nam non ſolum eſt hoc, ſed potentia, quatenus habere poteſt, vel proprium actum, vel alium continentem perfectionem proprij, eminentiori modo, & non habet; ac proinde perſonalitas Verbi, cum contineat eminentiori modo perfectionem cuiuſlibet perſonalitatis creatæ, dũ aliqua natura eſt terminata perſonalitate increata, non habet appetitum ad propriam creatam.

Et ſi inſtetur, etiam materia prima, dum eſt cum anima rationali, quæ eminentèr continet perfectionem aliarum formarum, habet appetitum ad alias formas. Ergo etiam humanitas, dum eſt cum ſubſiſtentia Verbi, quæ continet eminentèr perfectionem cuiuſcumque

ſub-

Digitized by Google

ſubſiſtentiæ creatæ, habebit appetitum ad propriam ſubſiſtentiam creatam. Dic, nullam eſſe paritatem, nam licèt anima rationalis contineat omnium formarum perfectiones in eſſendo, non tamen in modo informandi, qui eſt amiſſibilitèr, & ex hoc capite appetit materia alias formas, etiam cum eſt ſub anima rationali; perſonalitas autem Verbi, vtpotè infinita, non ſolum in eſſendo, ſed in terminando, licèt contineat perfectionem omnium ſubſiſtentiarum creatarum, quia inamiſsibilitèr terminat naturam creatam, nequit ipſa natura habere appetitum ad ſubſiſtentiam propriam.

DISPVTATIO V.

Circa quæſtionem quintam Sanct. Thomæ.

De partibus naturæ aſſumptis.

IAm de partibus in particulari agit Sanct. Thom. quæſtione quinta, & nos in hac diſputatione cum ipſo de illis agemus, attingentes aliqualitèr ea, quæ Sanct. Thom. per quatuor articulos comprehendit.

Quaſnam partes humanitatis Diuinum Verbum aſſumpſerit?

QVÆST. VNIC.

IN Hac re, relicto errore Martionis, quem poſtea ſecutos fuiſſe Manichæos, & Priſcilianiſtas, teſtatur Auguſt. lib. de hæreſ. cap. 66. & Epiphan. hæreſ. 66. nimirum Chriſtum Dominum non habuiſſe verum, ſed phantaſticum, & apparens corpus, quorum fundamentum adducit, & ſoluit S. Thom. 4. contr. gent. cap. 29. & relicto etiam errore Valentini, qui, vt referunt prædicti Patres, aſſeruit, Chriſtum attuliſſe verum corpus, tamen ex materia cæleſti compactum, & nihil de B. Virgine accepiſſe, contra quos errores extat Catholica veritas pluribus definita Concilijs, quæ videri poſſunt hic apud Authores. & præcipuè apud Auerſa quæſt. 5. ſect. 1. aſſerens Chriſtum Dominum verum corpus, non cœleſte, ſed carneum eiuſdem rationis cum noſtro attuliſſe, ſicut, & veram animam, & intellectum, vt ſimul etiam excludatur error Apollinaris, contra quem agit Sanct. Thom. in hac quæſt. art. 3. & 4. definiens, Verbum aſſumpſiſſe animam cum intellectu; reſtat inter Catholicos aliqualis difficultas circa aliquas partes corporis, videlicèt, ſanguinem, & alios humores, & ſpiritus vitales, circa quas non nulli apud Araujo hic dub. 2. & 3. negant, aſſumptas fuiſſe à Diuino Verbo, quod de ſanguine docuit Durand. Gabr. & alij, quos citat Araujo: affirmauit vero Capræol. in 4. diſtinct. 10. quæſtion. 2. ad 4. Sotus ibid. quæſt. 1. art. 2. Vazq. diſp. 36. cap. 4. quod Chriſti ſanguis non ſit pars integralis, nec informatur anima rationali; & quod de ſanguine dicunt, de alijs tribus humoribus conſequentèr affirmant. Verum Caiet. hic, & infra quæſtion. 54. art. 2. & Medina in hoc art. & Aluar. diſput. 28. cum maiori parte Theologorum cum noſtro Auerſa hic quæſt. 5. ſect. 2. dixerũt, ſanguinem eſſe vnitum hypoſtaticè Verbo Diuino, eo quod verè informabatur anima rationali, ſaltèm ſecundum quod vegetatiua eſt.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo cum Sanct. Thom. hic artic. 1. & 2. Eatenus Verbum verum corpus carneum, & non cœleſte aſſumpſiſſe, quia Chriſtus verè fuit paſsibilis, imò, & paſſus fuit, eſuriendo, ſitiendo, & mortem ſubſtinendo, corpus autem, quod non eſt verum, & carneum, ſed cœleſte, paſsibile non eſt, vt dicitur 1. de Cœlo tex. 20. ac perconſequens, nec eſſuriret, nec ſitiret, nec mortem ſubſtineret. Addo cum eodem S. Thom. art. 3. & 4. eatenus Verbum aſſumpſiſſe animam, & intellectum, quia aſſumpſit naturam humanam veram, quæ conſtat ex anima, & intellectu, quia Chriſtus fuit capax gratiæ, & meriti, quod non haberet, niſi in illo vera eſſet anima, & intellectus.

Obſeruo ſecundo cum eodem Sanct. Thom. quodlib. 5. art. 5. in corp. duplicem eſſe ſanguinem, nutrimentalem alium,

Digitized by Google

alium, qui non eſt perfectè decoctus, nec ad veritatem naturæ pertinet, vt ait Sanct. Thom. alium autem perfectum, & plenè decoctum, qui ad veritatem pertinet naturæ; & hic eſt propriè, qui effuſus fuit in paſſione Chriſti pro redemptione humani generis, vt docet Sanct. Thom. eodem loco. Quibus ſic obſeruatis.

Deciditur reſolutorie quæſtio.

ARTIC. II.

Reſolutio prima ſit. Sanguis plenè decoctus, & alij humores, qui iuxta diuerſas ſententias Phyloſophorum pertinent ad veritatem, & integritatem humanæ naturæ, fuerunt hypoſtaticè Diuino Verbo vniti. Plura Patrum adducunt communitèr Authores teſtimonia, quæ videri poſſunt apud Cabr. & Araujo; & ratio eſt, nam Verbum Diuinum aſſumpſit humanitatem integrã, & perfectam. Ergo aſſumpſit omnia ea, quæ ad illius integritatem, & veritatem pertinebant, qualis fuit ſanguis perfectè decoctus, & alij humores.

Reſolutio ſecunda ſit. Aliquis ſanguis, ſcilicèt, nutrimentalis, ſicut, & alia, quæ non pertinent ad integritatem naturæ, vt ſaliua, ſudor, &c. non fuit vnitus hypoſtaticè Verbo. Ratio eſt, nã iſte ſanguis non pertinet ad veritatem naturæ humanæ, ſicut nec alia huiuſmodi, vt docet S. Tho. loc. cit. in quodlib. Ergo non fuit vnitus hypoſtaticè Diuino Verbo: de quo ſanguine nutrimentali poteſt intelligi id, quod communitèr creditur, reſeruari modò in aliquibus Eccleſijs, qui quidem ſanguis non fuit reunitus Diuino Verbo in Reſurrectione, cum non pertineat ad integritatem naturæ, ſicut ſanguis perfectè decoctus, qui ad talem integritatem pertinebat, qui totus vnitus fuit in tali Reſurrectione; vel dicendum cum Sanct. Thom. quodlib. 5 quæſt. 3. art. 5. *Quod ſanguis Chriſti, qui in quibuſdam Eccleſijs oſtenditur, dicitur ex quadam imagine Chriſti percuſſæ miraculoſe fluxiſſe.*

Vel probabiliter dici poteſt, quod licèt in principio Incarnationis totus ſanguis aſſumptus fuiſſet, tamen in Reſurrectione, & vnione, non totus, qui effuſus erat reunitus fuit, etiam perfectè decoctus, ſed aliquas particulas, aut guttas modò ſeruari; ac perconſequens, non fuiſſe reunitas. Et quando dicitur: *Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſsit.* Intelligendum eſt de neceſſarijs ad veritatem naturæ, cuius veritas ſaluari poterat in reunione, etiam ſi non reunita fuerit cum toto ſanguine, quo antea aſſumpta fuerat, ſed aliquas in terris particulas reliquerit. Addo tamen, quod cuiuſcumque rationis fuerit ſanguis, qui modo apud nos extat, adorãdus eſt adoratione latriæ propter coniunctionem, quam habuit cum Chriſto Domino ſtrictiorem, & maiorem, quam Crux eius, claui, & lancea, quæ adoratione latriæ adorantur.

Reſolutio tertia ſit. Cæteræ particulæ Chriſti Domini, de quibus piè creditur, apud nos manere, non ſunt modò vnitæ Diuino Verbo, vt de particula præputij, quæ abſciſſa fuit in octaua Natiuitatis eius, de qua, licèt aliqui dubitent, vt Syluester quæſtion. 3. fama eſt, quod ſeruatur nunc Romæ in loco, qui dicitur Sancta Sanctorum apud Baſilicam Lateranenſem, & quod tempore Caroli Magni translata fuerit in Galliã, & collocata fuit in Eccleſia Statis Granenſi, & poſtea tempore Caroli Calui translata fuit iterum Romæ, vbi nunc manet, & ſeruatur prædicto loco. Nihilominus, vt benè Suar. hic licèt talis pars modò apud nos remaneat, corpus tamen Chriſti integrum eſt in Cœlo; tùm quia nimis parum eſt, quod abſciſſum fuit in Circumciſsione; tum etiã, quia ſicut etiam ſi non ſit modo in illo totꝰ ſanguis perfectus, ſed aliquis apud nos maneat, eſt tamen totus Chriſtus perfectus, & integer in Cœlo, quia talis particula, & etiam ſanguinis particula, licèt ſint de integritate naturæ, non tamen præcipua erat pars integralis illiꝰ, de qua ſolum intelligendum eſt illud Damaſcen. 3. fidei: *Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſsit.*

DIS-

Digitized by Google

DISPVTATIO VI.

Circa quæſtionem ſextam Sanct. Thomæ.

De ordine aſſumptionis inter partes ipſas naturæ ſeruato.

POſtquam de partibus aſſumptis, iam denique de ordine aſſumptionis inter ipſas ſeruato agendum eſt cum S. Thom breuitèr in hac quæſt. 6. vt compleatur totum id, quod ad naturam, & ſubſtantiã Incarnationis pertinet, quod per ſex articulos Doctor Angelicus declarat, quorum doctrinam ad cancelos huius ſolius quæſtionis reducere conabimur.

Quemnam ordinem in aſſumptione ſeruauerint humanitatis partes?

QVÆST. VNIC.

IN Hac re aliqui apud Araujo in hoc loco plus quam pars eſt, prædictam diſputationem protendunt, cum vix poſsit inter Authores diſcordia inueniri, cum omnes illi, qui aſſerunt, animã, & mentem fuiſſe aſſumptas à Verbo mediante carne, ferè non opponantur Authoribus, qui aſſerunt, carnem fuiſſe aſſumptam, mediante anima, & ſpiritu, niſi in modo loquendi. quare omiſſa importuna in re tam parui ponderis ſententiarum relatione, id quod clarius, & verius videbitur, breuitèr explanabo; pro quibus modis dicendi videndus eſt Auerſa hic quæſt. 5. ſect. 6.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo priùs. In eodem inſtanti reali temporis Verbum aſſumpſiſſe totam humanitatem. & omnes eius partes; vnde ſolum eſt aliqualis difficultas, an aliqua prioritate naturæ fuerint priùs aſſumptæ eius partes, quam tota humanitas, vel ècontra, ita vt medium aſſumptionis naturæ fuerit aſſumptio partium, vel medium aſſumptionis partium, fuerit aſſumptio naturæ. Quo ſic obſeruato,

Veritas reſolutionibus definita.

ARTIC. II.

REſolutio prima ſit. Secundum ordinem dignitatis, priùs natura aſſumpta fuit à Verbo anima, quam corpus, & caro. Ratio eſt, quia anima eſt quid medium in dignitate inter Deum ex vna parte, & corpus, & carnem ex alia. Addo, ſecundum ordinem etiam cauſalitatis, quaſi formalis, eadem anima fuit priùs etiam aſſumpta, quam caro, & corpus; cuius ratio eſt, nam vt inquit S. Thom. hic art. 1. *Non eſſet aſſumptibilis caro, niſi per ordinem, quem habet ad animam rationalem, ſecundum quem habet, quod ſit caro humana.* Addo etiã, inter gradus ipſius animæ rationalis, priùs ſecundum ordinem dignitatis aſſumpta fuit, prout tribuit gradum rationalis, quam prout tribuit gradum vegetatiui, & ſenſitiui; eo quod vt rationalis, ſe ipſam præcellit, & tribuit effectus vegetandi, & ſentiendi, & hoc eſt, quod docet Sanct. Thom. artic. 2. cum inquit: *Animam aſſumptam fuiſſe à Verbo mediante ſpiritu, ſeu mente* Id eſt, ipſa vt vegetatiua, & ſenſitiua aſſumpta fuit à Verbo, mediante ipſa vt rationalis eſt. Quam reſolutionem tenet, & explicat Auerſa q. 5. ſect. 6. prope finem.

Reſolutio ſecunda ſit cum Medina hic. Subſiſtentia Verbi, quam reſpiciebat aſſumptio, formalitèr vt talis, per modum termini, priùs in executione fuit communicata toti humanitati, quam partibus eius; ac per conſequens, partes non fuerunt medium *quod* in aſſumptione, ſed ſolum medium *quo*, quatenus, ſcilicèt, priùs natura, quam tota humanitas terminata fuiſſet ſubſiſtentia Verbi, partes eiuſdem humanitatis erant medium *quo* cauſatiuum, & conſtitutiuum totius humanitatis, ſecundum eſſe eſſentiale. Concluſio ſic explicata probatur. Nam illi communicata fuit priùs natura vt *quod* perſonalitas Verbi, quod erat capax vt *quod* effectus eius formalis: ſed ſolum tota natura erat capax vt *quod* perſonalitatis, cum illa ſola ſit entitas completa, cui propriè ſolum conuenit ſubſiſtere, cum effectus for-

Digitized by Google

formalis ſubſiſtentiæ ſit conſtituere ſuppoſitum, aut perſonam, partes autem ſolum erant capaces recipiendi ſubſiſtētiam, & exiſtentiam totius, quod componunt per modum rationum *quo*. Ergo tales partes ſolum fuerunt medium *quo* aſſumptionis, & tota humanitas medium *quod*.

Obiicies primo Sanct. Thom. 1. part. quæſt. 76. art. 1. ad 5. aſsignando diſcrimen inter animam rationalem, & alias formas dicentem: *Quod anima rationalis eſt id, quod ſubſiſtit, & quo ſubſiſtit compoſitum, quod non habent aliæ formæ*. Ergo ſentit Sanct. Thom. quod anima rationalis habet ſubſiſtentiam, adhuc dū in toto reperitur; ac perconſequens, erit capax eſſendi medium *quod* in aſſumptione, & non ſolum medium *quo*, quod etiam habent aliæ formæ. Reſpōdeo, quod quando Sanct. Thom. ponit diſcrimen inter animam rationalem, & cæteras formas, ſolum eſt in hoc, quod anima rationalis ſeparata ſubſiſtit, vt *quod*, quod non habent aliæ formæ, cum pereant, vt inquit idem Sanct. Thom. ad corruptionem compoſiti; cum quo tamen ſtat, quod dum eſt in toto, ſolum exercet rationem ſubſiſtendi vt *quo*, id eſt componendo, per modum principij *quo* compoſitum, quod ſubſiſtit vt *quod*, & in hoc conuenit cum alijs formis; ac perconſequens, non fuit niſi medium *quo* aſſumptionis humanitatis Chriſti.

Obiicies ſecundo anima rationalis Chriſti Domini intelligebatur vt *quod* creata, ante quam intelligeretur aſſumptio. Ergo erat capax recipiendi effectū formalem ſubſiſtentiæ, ad quam terminabatur aſſumptio formalitèr; ac perconſequens, medium *quod* talis aſſumptionis. Reſpondeo, quod anima rationalis nunquam intelligebatur vt *quod* creata, antequam intelligeretur aſſumpta; nam creatio illius, per aſſumptionem completa fuit, & ita ad ſummum poterat intelligi increari, & in fieri, in facto autem, & increato eſſe, vt ita dicam, potius fuit intellecta prius ſubſiſtentia Verbi, & ipſa humanitas, vt aſſumpta, quā eadem humanitas ſecundum ſe, quæ aliàs in genere cauſæ materialis, tanquā materia, in qua exercenda erat aſſumptio formalitèr, vt talis præſupponebatur. Pro quo videnda eſt doctrina à nobis data diſput. 2. quæſtion. 2. per totam.

TRACTATVS SECVNDVS AD QVÆSTIONEM SEPTIMAM, & octauam tertiæ partis Sancti Thomæ.

DE GRATIA CHRISTI; TAM ſecundum quod eſt ſingularis homo, quam ſecundum quod eſt caput Eccleſiæ.

PROSEQVIMVR, Diuino fauente numine, poſt tractationẽ de Filio, ſecundum quod pro noſtra ſalute factus fuit homo, ad explicanda ea, quæ pertinet ad perfectionem naturæ humanæ à Filio Dei aſſumptæ. In hoc ergo tractatu gratiam Chriſti, vt ſingularis eſt homo, & vt eſt caput Eccleſiæ, explicare conabimur, cum cæteris virtutibus ipſi conuenientibus; quod facit Sanct. Thom. quæſt. 7. & 8. huius 3. partis; & nos duplici diſputatione hoc idem explicare aggredimur: vtinam benè, ſed quid non benè, ſi, vt moris eſt, in omnibus doctrinam Angelici Præceptoris amplectamur, qui dũ naturam, proprietates, & vitam Chriſti à curatiſsimo calamo perſoluerit, ſingulariſsimo illo fauore. *Benè ſcripſiſti de me Thoma.* Ab illo meruit honorari.

DISPVTATIO I.

Circa quæſtionem ſeptimam Sanct. Thomæ.

De gratia Chriſti, vt eſt ſingularis homo.

POſtquam Sanct. Thomas in hac 3. part. à quæſt. 1. vſque ad 6. de his quæ ad myſterium, & ſubſtantiam pertinent Incarnationis ſui ſolito ingenij acumine diſſeruerat, iam iam ad ea, quæ ad perfectionem pertinet naturæ humanæ à Filio Dei aſſumptæ, vt ipſe loquitur ad prooœmium quæſtionis 7 ſermonem inſtituit; & quia præcipua perfectio naturæ humanæ à Verbo aſſumptæ gratia eſt, ideò de gratia, vt conuenit Chriſto, vt ſingularis homo, & vt caput eſt Eccleſiæ per duas quæſtiones ſermonem protendit; quod etiam facit quæſt. 27. de veritate, & opuſc. 3. cap. 221. noſque illius ſemitas in ſequentes hoc idem in hoc

Digitized by Google

hoc tractatu duplici diſputatione agredimur explicare, vt faciunt communiter Theologi his in locis.

A quonam anima Chriſti Domini fuerit formalitèr ſanctificata?

QVÆST. I.

IN Hac re certū eſt apud Catholicos animam Chriſti Domini fuiſſe ſanctificatam prætioſiori ſanctitate præ cæteris iuſtis, iuxta illud Pſal. 44. vbi de Chriſto dicitur: *Propterea vnxit te De⁹, Deus tuus oleo lætitiæ præ cōſortibus tuis.* Sed non eſt certum inter ipſos, à quo fuerit formalitèr ſanctificata. Alij recurrētes ad ſolam gratiam habitualē, de quo quæſt. ſeq. Alij, quamuis, vt ſaluent prætioſiorem ſanctitatem in Chriſto præ cæteris iuſtis, recurrāt ad gratiam vnionis eleuatiorem gratia habituali, non tamen omnes eodem modo diſcurrunt; nam licèt dicant fuiſſe animam Chriſti ſanctificatam formalitèr à Verbo ſibi vnito, cum tamē in Verbo vnito humanitati, & ſit perſonalitas Verbi, & diuinitas eius, & modus vnionis (ſi fortè datur medius inter humanitatem, & Verbum)

Hinc ortum fuit diſsidium inter ipſos Theologos, alij tribuentes ſanctificationem formalem humanitatis, tam perſonalitati, & diuinitati, & cæteris attributis, quam modo vnionis reperto inter humanitatem, & Verbum; de quorum numero eſt Suarez tom. 1. in 3. par. diſp. 18. ſect. 1. & diſp. 53. ſect. 3. ad quā ſententiam poteſt reduci Lorca, quatenus in hoc loco diſp. 36. num 9. §. *Dico* 4. docet gratiam vnionis animæ Chriſti eſſe ſuppoſitum diuinum illi intimè coniunctum, quamuis nihil clarū apud ipſos repererim, quia iam ſuppoſito diuino, iam perſonalitati, iam deitati, iam modo vnionis tribuunt rationem ſanctificationis; quamuis Lorca loco citato n. 16 & 17. potius inclinari videatur in ſententiam conferentem ſanctificationem humanitatis perſonalitati Verbi, vſurpans, more Patrum, cōcretum pro abſtracto, iuxta illud Ambroſij, & Auguſtini in hymno: *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem.* Quam ſententiam de perſonalitate latè proſequitur Valentia tom. 4. q. 7. diſput. 1. punct. 1. & plures Thomiſtæ, de quorum numero iudico eſſe Aluarez hic, cum ſanctificationem tribuit formalitèr diuino Verbo, & R. P. M. Fr. Ioan. à Sancto Thoma quæſt. 7. diſp. 8. art. 1. §. Dico tertio.

Verum iā celebris facta eſt ſententia tribuens gratiam vnionis formalitèr naturæ diuinæ vt præciſſa intelligitur à perſonalitate Verbi; quam acritèr defendit Vazquez hic diſp. 41. per totam, Raguſa diſp 67. Becanus quæſt. 1. Gaſpar Hurtado diſp. 7 diffic. 2. Araujo in hac q. 7. dub. 2. & quam plures alij Thomiſtæ Salmantini, quamuis aliqui ex his Authoribus etiam tribuant ſanctificationem formalem perſonalitatibus diuinis, & attributis; ad quos poteſt reduci Reuerendiſ. noſter P. Auerſa tom. 1. in 3. part, q. 7. ſect. 1. dum dicit, non oportere in hoc contendere, quia Chriſtus poteſt dici ſanctus, ſiuè natura diuina, ſiuè perſonalitate, ſiuè modo vnionis intermedio. Nouitèr autem R. & Illuſtriſ. M. Godoy hic diſp. 21. §. 1. numer. 4. poſtquam determinauit humanitatem Chriſti fieri formalitèr ſanctam per aliquod donum ſubſtantiale diſtinctum à gratia habitualis, §. Tamen 3. excludit à ratione ſanctitatis modum vnionis medium inter humanitatem, & Verbum; & §. 5. excludit perſonalitatem vt à Deitate præciſſam, & denique, §. 9. concludit ſolam Deitatem vt præciſſam à perſonalitate eſſe formam, vel quaſi formam, qua humanitas formalitèr immediatè ſanctificata dicitur. Addit tamen Vazq. loco citato, hunc modum ſanctificationis deriuatum ab ipſa Deitate, vt à forma, in humanitatem Chriſti, non eſſe phyſicum aliquem effectum, ſed moralem; *nam eſt*, inquit, *quidam reſpectus extrinſecus humanitatis ad Deitatem ipſi vnitam.*

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo, quod licèt Sanct. Thom. in hac quæſt. 7. art. 1. ſolum contendat neceſſariam eſſe poſitionem gratiæ habitualis in anima Chriſti Domini, quod tanquam dogma fidei affirmat Suarez hic diſp. 12. ſect. 2. ex illo Ioann. 1. *Plenum gratiæ*, & Raguſa diſp. 67. §. 4. & Valentia quæſtion. 7. puncto 1. licè-

doceat hoc non eſſe ita certum, ſicut putat Suarez, eſſe tamen probabilius eſſe de fide, vel ad minus, vt inquit Vazq. diſput. 41. capit. 1. abſque temeritatis nota id negari non poſsit; quia tamen non omnium idem eſt ſenſus, ad quid neceſſaria fuerit huiuſmodi gratia habitualis in anima Chriſti; nam aliqui eam ponunt, vt eam formalitèr ſanctificet, quia iudicant à nullo prædicato increato ſanctificari poſſe; alij autem eam ponunt, vt anima Chriſti operationes elliciat ſupernaturales connaturali modo; ideò tot exortæ ſunt difficultates, & opinionum diuerſitas, vt vix poſsit inter Authores diſcordia ſedari, ad quid huiuſmodi gratia fuerit neceſſaria in anima Chriſti, an ad primum munus obeundum, vel ad ſecundum, de quo nos latiori calamo quæſtionibus ſequẽtibus. Non me latet aliam rationem adducere Sanct. Thomam in hic quæſt. 7. artic. 1. ad probandam conuenientiam gratiæ habitualis in anima Chriſti, nimirum propter habitudinem Chriſti ad genus humanum, ratione cuius debebat habere gratiam in alijs redundantem, vt in eius membra, ſecundum illud Ioann. 1. *de plenitudine eius omnes accepimus.* Quia tamen hæc ratio procedit de Chriſto, ſecundum quod eſt caput Eccleſiæ (quidquid in explicatione illi dicat Caietanus) ideò ad duas priores rationes reducitur tota controuerſia quæſtionibus ſequentibus ſoluenda.

Obſeruo ſecundo, vltra gratiam habitualem etiam fuerunt in Chriſto Domino virtutes omnes hanc gratiam cõſequentes, tam infuſſæ, quam morales, quæ ſtatui beatifico non repugnabant, de quibus diſputatione ſequenti. Vlterius neceſſaria fuiſſe in anima Chriſti Domini auxilia, tam ſupernaturalia, quam naturalia ad hic, & nunc operandum ſupernaturalitèr, & naturalitèr, quæ auxilia vocantur gratia actualis; de quo latè diſputant Theologi ad 1. 2. quæſt. 109. & 110. cuius ratio eſt, nam cum anima Chriſti creata fuerit eiuſdem ſpeciei cum noſtra, iiſdem indiguit principiis ad operandum non repugnantibus ſuæ perfectioni. Vlteriùs, quia gratia etiam fuit, imò gratiarum gratia, naturæ humanæ, quod vniretur Verbo, ideò gratia vnionis etiam fuit in Chriſto Domino, imò ſi non eſſet huiuſmodi gratia, non eſſet homo Deus, nec Deus homo, ſiquidem ex vnione humanitatis ad Verbum oritur formalitèr, quod homo ſit Deus, & ex vnione Verbi ad humanitatem formalitèr oritur, quod Deus ſit homo: Vnde neutiquam eſt controuerſia in tota diſputatione circa exiſtentiam harum gratiarum, ſed ſuppoſita earum exiſtentia, cõtrouerſia reducitur, ad quid vnaquæque gratia deſeruiat; & quia, ſaltèm noſtro modo intelligendi, pro aliquo priori naturæ fuit prior in Chriſto Domino gratia vnionis, quam gratia habitualis, & cæteræ gratiæ (de quo etiam poſtmodum latiori calamo redibit ſermo) ideò de gratia vnionis prius, de gratia habituali poſterius eſt nobis diſputandum.

Obſeruo tertio, ex varijs modis quibus ſanctitas ſumitur, principalior eſt, & vt ad præſens ſpectat, prout eſt quoddam donum ita ſuperexcellens, vt ex vi ſui habeat repugnantiam per modum formæ, vel quaſi formæ cum fœditate peccati, ſecundum quem modum definitur a Dioniſio cap. 12. de diuinis nominibus ſic: *Sanctitas eſt puritas quædam ab omni immunditia libera, & perfecta, & omnino incontaminata munditie.* Quam definitionem communitèr approbant Theologi illam intelligentes, non ſolum de dono creato, & ſanctitate participata, ſed etiam de increato dono, & imparticipata ſanctitate.

Obſeruo quarto, huiuſmodi donũ, & ſanctitatem (modo creata ſit, vel increata) poſſe duplicitèr conſiderari, ſcilicèt in eſſe eſſentiæ, & in eſſe naturæ, ita vt licèt vnica ſit indiuiſibilis ſanctitas realitèr, virtualitèr tamen, vel eminentèr hunc duplicem reſpectum habet, videlicèt ad ſubiectũ quod conſtituit formalitèr ſanctum, & ad operationẽ, ad quã in ſubiecto exiſtens ordinem dicit; & ſecundum primum munus exprimit eſſe eſſentiæ ſiſtendo ibi, & ſecundum poſterius exprimit eſſe naturæ conſtituendo ſubiectum in eſſe principij radicalis operationum ſupernaturalium; eo modo quo in naturalibus anima dicitur: *Actus corporis phyſici, & organici*, & dicitur etiam *quo primo viuimus, mouemur, & intelligimus*, quas definitiones poſſuit Ariſtoteles pro eadẽ indiuiſibili anima, quæ in ordine ad corpꝰ, cuiꝰ eſt actꝰ, explicat eſſe eſſentiæ, quæ eſt in ordine ad ſub-

ſubiectum; in ordine autem ad operationes viuendi, &c. explicat eſſe naturæ, quia natura formalitèr, vt talis, ordinem dicit ad operationem, ſecundum definitionem datam ab Ariſtotele 2. Phyſic. *Natura eſt principium motus, & quietis*. Quam approbant communitèr Phyloſophi.

Obſeruo quinto, quod ſtat benè, quod aliqua forma realitèr communicetur ſubiecto, & non ſemper cōferre illi omnes ſuos effectus formales, ſed vnū, vel alteram iuxta capacitatem ſubiecti; ſic in ſententia communiori Thomiſtarū, eſſentia diuina cōmunicatur intellectui beati in ratione ſpeciei intelligibilis, & non communicatur illi in ratione intellectionis, licèt ratio ſpeciei intelligibilis, & intellectionis in eſſentia diuina realitèr ſit idemtificata, quod nec formalē habeant diſtinctionem ex parte obiecti; item perſonalitas Verbi habet pro effectu primario conſtituere perſonam, & nihilominus, ſi vniretur lapidi, non cōſtitueret lapidem perſonam, ſed ſolum ſuppoſitatum, licèt ratio perſonalitatis & ſuppoſitalitatis in Verbo non diſtinguantur, non ſolum realitèr, verum nec formalitèr, vlteriùs gratia habitualis habet pro effectu formali conſtituere filiū adoptiuum, & tamen communicata Chriſto Domino non conſtituit illū filium adoptiuum, licèt tribuat alios effectus formales poſtea explicādos. Quibus ſic obſeruatis.

Quidnam dicendum de vnione hypoſtatica præciſſa ab extremis?

ARTIC. II.

Reſolutio noſtra ſit. Modus vnionis (ſi datur medius inter humanitatē Chriſti, & Verbi perſonalitatem) non eſt formalitèr gratia vnionis, à qua anima Chriſti Domini redditur ſancta, & pura in eſſe eſſentiæ, nec in eſſe naturæ ſubſtantialitèr. Probatur efficacitèr. Id, quod non eſt ſanctitas formalis ſubſtantialis vt *quo* in eſſe eſſentiæ, neque in eſſe naturæ, non poteſt reddere ſubiectū formalitèr, & ſubſtantialitèr ſanctū vt *quod* in modo eſſendi, neque in modo operandi; ſicut id, quod non eſt calidum formalitèr vt *quo*, nō poteſt reddere ſubiectum calidum formalitèr vt *quod*: atqui modus vnionis (ſi forte datur medius) non eſt ſanctitas formalis ſubſtātialis vt *quo*, neque in eſſe eſſentiæ, neq; in eſſe naturæ; etenim ea parte qua eſt quid creatum, non eſt ſanctitas per eſſentiā, neq; in eſſe eſſentiæ; neq; in eſſe naturæ, ea autē parte, qua non eſt formalis participatio ſanctitatis per eſſentiā, ſed idētitatis eſſentiæ cū relationibus, non eſt ſanctitas per participationē, nec in eſſe eſſentiæ, nec in eſſe naturæ, cū ſanctitas participata formalis ſit participatio ſanctitatis per eſſentiam. Ergo intentum.

Cōfirmatur. Id, quod eſt modus mūditiæ, & puritatis, non eſt munditia, & puritas formalitèr: atqui modꝰ vnionis eſt quidam modus munditiæ, & puritatis Dei, ſcilicèt ſui termini increati, ſicut modus vnionis (ſi forte datur) inter mūditiam, & puritatem creatam ex vna parte, & animam rationalē ex alia. Ergo ſicut huiuſmodi modus nō eſt ſanctitas creata formalitèr, ſed nexus, & modus ſanctitatis creatæ, tam in eſſe eſſentiæ, quam naturæ, ita ſimilitèr alter modus non erit ſanctitas increata formalitèr, ſed nexus, & modus increatæ ſanctitatis, tam in eſſe eſſentiæ, quam naturæ, ſi fortè ſic communicatur.

Cæterū in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij plura Patrū teſtimonia, quibus affirmare videntur, humanitatē eſſe delibutam, vnctam, & Deificatā ipſa vnione ad Verbū. His terminis expreſſe tenet Nazian. orat. 42. & Damaſc. orat. 1. de imagin. & lib. 3. de fide cap. 17 & 34. & lib. 4. cap. 16. Ergo ex mēte horum Patrum, modus vnionis eſt gratia vnionis, à qua formalitèr humanitas Chriſti ſubſtantialitèr ſanctificatur. Cōfirmatur; quia eſſe formalitèr ſanctā humanitatem Chriſti, nihil aliud eſſe videtur, quam eſſe ſine peccato, & eſſe vnitā ſibi, & applicatam puritatem & munditiā per eſſentiā: atqui hoc habet formalitèr ex vi vnionis, cum ex vi illius maneat, non ſolum ſine peccato, ſed impeccabilis, vt contra Scotum omnes Theologi vnanimi cōſenſu ad q. 15. huius 3. p. tenēt, & ex vi eiuſdem vnionis habet ſibi vnitam, & applicatam munditiā, & puritatem per eſſentiam. Ergo ex vi huius formalitèr ſubſtantialitèr ſanctificatur. Reſpōdeo, quod relati Patres in ſua propoſitione ſolum volunt affirmare, quod ratione vnionis humanitas Chriſti eſt delibuta, vncta, & Deificata,

Digitized by Google

tanquam à conditione neceſſaria, ſine qua non, non autem, tanquam à cauſa formali ſanctitatis, propter rationem à nobis datam. Per quod patet ad confirmationem.

Opponunt ſecundo. Huiuſmodi vnio, vt eſt quid creatum, & in humanitate receptum, eſt quid perfectius ipſa gratia habituali; hæc autem quoddam accidens eſt, illa autem ſubſtantia: atqui gratia habitualis formalitèr ſanctificat Chriſti humanitatem, vt poſtea videbimus. Ergo potiori titulo ſanctificabitur ab huiuſmodi vnione. Reſpondeo, negando maiorem; nam licèt vnio ſubſtantialis ſit entitatiue, gratia autem habitualis accidentalis; in eſſe tamen ſanctitatis formalitèr ſimplicitèr, perfectior eſt gratia habitualis (cum ſit formalis Diuinæ naturæ participatio) ipſa vnione, quæ talem rationem non participat. Vel ſi mauis, dic, quod licèt ſit perfectior vnio hypoſtatica ipſa gratia, nõ ideò ſi gratia ſanctificat formalitèr, & vnio formalitèr ſanctificabit, ſicut licèt gratia nobilior ſit anima rationali, non valet, ergo dabit eſſe materiæ potiori titulo, quam anima rationalis: Quare licèt hæc vnio eleuet humanitatem Chriſti ad eſſe ſupernaturale, cum hæc eleuatio ſit per modum nexus, non ponit in numero cum eleuatione formali.

Opponunt tertio. Ab hac vnione redditur Chriſtus Filius Dei naturalis, cũ reddátur Filius, & non adoptiuus, vt definitur in Concil. Fancofordienſi ſub Adriano Papa. Ergo redditur iuſtus, & ſanctus formalitèr ſubſtantialitèr. Conſequentia patet. Quia ſi forma conſtituens Filium Dei adoptiuum, conſtituit ſubiectum formalitèr iuſtum, & ſanctum, quia reddit ſubiectum, quod informat, hæredem vitæ æternæ accidentalitèr; meliori ratione forma conſtituens Filium Dei naturalem formalitèr, reddet ſubiectum, quod informat, iuſtum, & ſanctum, quia conſtituit illũ hæredem vitæ æternæ ſubſtantialitèr. Reſpondeo enim negando maiorem; neque enim ex hoc, quod non reddatur Chriſtus ab hac vnione Filius Dei adoptiuus, reddendus eſt naturalis, nec vnũ facit, nec aliud, ſed connectere filiationem naturalem formalem generationis æternæ cum Chriſti humanitate, ratione cuius connexionis, tanquam à *quo* præ requiſito, Chriſtus dicitur, etiam vt homo, Filius Dei naturalis, ly *vt* non cadens ſupra humanitatem, vt dicemus q. 24.

Quidnam dicendum de perſonalitate, vt à Deitate præciſſa, & de Verbo Diuino adæquate ſumpto?

ARTIC. III.

Reſolutio prima ſit. Perſonalitas Verbi, vt à Deitate præciſſa, licèt terminet primo, & per ſe humanitatem Chriſti, non tamen eſt gratia vnionis, à qua, tanquam à forma, reddatur humanitas Chriſti formalitèr ſancta, neque in eſſe eſſentiæ, neque in eſſe naturæ. Hanc reſolutionem ſemper vt veram tenui, iuxta principia Sanct. Thom. ad materiam de Trinit. vbi relationibus Diuinis, vt ab eſſentia præciſis, perfectionem negat, ac proinde vnica eſt perfectio, ſicut vnica exiſtentia in Deo, ſcilicèt, perfectio, & exiſtentia eſſentiæ Diuinæ, ratione cuius tres perſonæ Diuinæ perfectionem dicunt, & exiſtentiam habent. Ergo cũ ſanctitas perfectio debeat eſſe, ſiuè eſſentialis, ſiuè attributalis, iuxta diuerſa Authorum ſenſa, vnica tantum erit in Diuinis, ſicut eſt vnica tantum exiſtentia, & perfectio.

Probatur ergo noſtra reſolutio ratione apud me ſatis efficaci; nam perſonalitas Diuina, vt ab eſſentia præciſſa, nõ eſt ſanctitas in eſſe naturæ, cum non ſit principiũ *quo* natura Diuina, nec humana efficit ſuas operationes, ſed tantum eſt conditio neceſſaria, vt agens agat; nam principium *quo* operandi ſolum eſt natura, non ſubſiſtentia, vt contra Scotum docent communitèr Phyloſophi ex illo Damaſc. libr. 3. de fide capit. 15. *Actio eſt ſubſtantialis naturæ motus, & actiuum principium naturæ.* Vlteriùs nec perſonalitas, vt ab eſſentia præciſſa, eſt ſanctitas in eſſe eſſentiæ, quia ſi ſic eſſet, quodlibet attributum, & prædicatum Diuinum eſſet ſanctitas in eſſe eſſentiæ, cum non ſit maior ratio vnius, quam alterius; hoc autem quam falſum ſit, ſic efficacitèr oſtendo: nam ſanctitas creata eſt formalis participatio ſanctitatis increatæ, vt in confeſſo eſt apud omnes.

Er-

Digitized by Google

Ergo quot fuerint formales participationes creatæ attributorum, relationũ, & quorumcumque prædicatorum in Deo exiſtentium, tot erunt ſanctitates participatæ, & creatæ; ac proinde tot erunt ſanctitates creatæ formalitèr, quot fuerint virtutes ſupernaturales, & auxilia, imò, & quot fuerint entia creata, cum quodlibet ex his ſit formalis participatio alicuius prædicati Diuini, vt patet in bonitate, veritate, & entitate, & ſic de alijs creatis prædicatis, quæ ſunt formales participationes bonitatis, veritatis, & entitatis increatæ; quod eſt expreſſum contra Trident. ſeſſ. 6 capit. 7. vbi definitur: *Vnicam tantum eſſe cauſam formalem noſtræ iuſtificationis.* Id eſt ſanctitatis. Ergo intentum.

Cæterum in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij illud Ioan. 10. *Quem Pater ſanctificauit* (id eſt Chriſtum, vt explicat Hilar. 7. de Trinitat.) *& miſsit in mundum, vos dicitis, quia blaſphemat, quia dixit, Filius Dei ſum.* Ergo formalitèr à Patre Chriſtus ſecundum humanitatem ſanctificatus fuit. Vlteriùs, eo ipſo quod intelligatur ſubſiſtentia Diuina terminans humanitatem Chriſti, intelligitur obiectum congruum Diuini amoris, quo ei tantum bonum communicauit. Ergo intelligitur formalitèr ſancta. Reſpondeo, in primis non eſſe certum. Hunc locum debere intelligi de Chriſto, ſecundum humanitatem, ſed aliqui Patres illum intelligunt de Chriſto ſecundum Diuinitatem, quam accepit per æternam generationem; ac proinde, idem eſſe, Patrem ſanctificare Chriſtum, ac illum, ſecundum quod eſt Deus generare, vt docet Auguſt. tract. 48. in Ioan.

Dato tamen quod de Chriſto intelligatur ſecundum humanitatem, vt vult Hilar. non ex hoc colligitur, ſubſiſtentiam Diuinam eſſe formam ſanctificantem Chriſti humanitatem; quia Ioannes tantum docet, Chriſtum eſſe ſanctificatum à Patre, & ideo poſſe Filium Dei nominari; quod blaſphemiam vocabant Iudæi; nec verbum innuit Euangeliſta, ex quo colligatur ſanctificatum fuiſſe à Patre, ita vt ſubſiſtentia eſſet forma eius ſanctificatiua; ſed, quod Pater efficientèr ſanctificauit Chriſtum, vel conferendo illi habitualem gratiã, vel vniendo Diuinam naturam humanitati eius; quæ Diuina natura ſola eſt forma ſanctificans, ratione cuius poterat nominari Filius, quia habebat eandem naturam Diuinam cum Patre, per quã fiebat Chriſtus, vt homo, etiam ſimilis Patri per naturam humanitati communicatam, quod petitur ad rationem Filij: ſi autem intelligeretur præciſſe communicata ſubſiſtentia, nec poſſet per illam Filius Dei nominari, quia non intelligebatur ſimilitudo in natura cum Patre, nec per illam intelligeretur ſimplicitèr obiectum congruum Diuini amoris, quod requiritur ad rationem ſanctitatis; ſed ſolum ſecundum quid eſſet obiectum congruum, quia haberet aliquod prædicatum, ſcilicèt, ſubſiſtentiam Diuinam oppoſitum peccato, licèt non per modum formæ ſanctificãtis. Per quod etiam patet ad confirmationem argumenti.

Opponunt ſecundo. Subſiſtentia Verbi, vt præciſſa à Deitate, conſtituit humanitatem Chriſti in ordine ita Diuino, & ſupernaturali, vt ſit principium operationis Diuinæ, & ſupernaturalis; etenim à ſuppoſito debent oriri, iuxta commune proloquium: *Actiones ſunt ſuppoſitorum*, ipſique debentur debito connaturalitatis virtutes ſupernaturales, gratia etiam, & gloria. Ergo ſicut quia hoc competit gratiæ habituali, forma dicitur formalitèr ſanctificãs: obid etiam ſubſiſtentia dicetur forma ſanctificatiua; ac perconſequens, communicata præciſè humanitati, illam formalitèr ſanctam reddet. Reſpondeo, negãdo antecedens quoad omnia, quæ includit: etenim ſubſiſtentia Verbi, vt à Deitate præciſſa, non conſtituit humanitatem Chriſti in ordine Diuino formalitèr, ſed ſuppoſitalitèr; nec illam conſtituit principium *quod* operationis ſupernaturalis, per modum principij *quo*, quod neceſſarium erat ad hoc, vt eſſet forma ſanctificans, ſaltèm per modum naturæ; ſed vt conditio mera ſe habet ad operandum, quod de omni ſubſiſtentia docui in lib. de ortu, & interitu, q. 2. art. 2. & 3. neque ipſi etiam debentur, tanquam formæ ſanctificanti virtutes ſupernaturales, gratia, & gloria, quod neceſſarium erat, vt ſanctificaret formalitèr; etenim etiam lumini gloriæ debetur gratia conſummata, & virtutes ad illam pertinentes, & nec eſt formalis

ſan-

Digitized by Google

ſanctitas, nec formalitèr ſanctificat.

Opponunt tertio. Subſiſtentia Verbi, vt præciſſa (& idem eſt de quolibet alio attributo Diuino) eſt puriſsima ab omni labe peccati. Ergo ſanctitas ſanctitate ſibi propria, ac proinde communicata humanitati illam formalitèr sãctam reddet. Reſpondeo, quod ſicut relationes Diuinæ, vt ab eſſentia præciſſæ, nullam dicunt, iuxta Thomiſtarum ſententiam, perfectionem; ita nec ſubſiſtentia Verbi, vt præciſſa, (& idem eſt de attributis) ſanctitatem dicunt, cum nequeat eſſe ſanctitas, niſi ſit perfectio; ac proinde, etiam ſi humanitati cõmunicetur, non reddet illam formalitèr ſanctam, ſed effectum ſolum ſibi proprium communicabit, ſcilicèt ſubſiſtere: nec proinde inferas, iniuſtam, & immundam eſſe ſubſiſtentiam, & reliqua attributa; nam ſicut non bene infertur imperfectam eſſe, eo quod non dicant in ſuo conceptu formali perfectionem, ſed ab vtroque præſcindere; ita non bene infertur, immundam, & impuram eſſe, eo quod non ſint ſanctitates formalitèr, ſed ab vtroque præſcindere.

Et ſi iterùm inſtes. Ratione ſubſiſtentiæ Verbi, ſicut ratione cuiuslibet attributi (ſi vniretur) redditur humanitas Chriſti impeccabilis. Ergo formalitèr ſancta. Dic, reddi impeccabilem tanquam ab impedimento negatiuo, & poſitiuo, à negatione, ſcilicèt, principij *quod* defectibilis, videlicèt, ſubſiſtẽtis creati, & ab affirmatione, & poſitione principij *quod* indefectibilis, ſcilicèt, ſubſiſtentis increati; non autem reddi impeccabilem à perſonalitate, tanquam à forma ſanctificante; etenim hoc non habet perſonalitas, vt patet ex noſtra reſolutione, nec ſanctitas ex ſuo formali conceptu hoc expoſcit, vt patet in gratia habituali, cum qua compatitur potentia ad peccandum.

Reſolutio ſecunda ſit. Verbum Diuinum adæquatè ſumptum, vt includens, ſcilicèt, eſſentiam Diuinam, & ſubſiſtentiam, non eſt gratia vnionis formalitèr, nec reddit humanitatem Chriſti formalitèr ſubſtantialitèr ſanctam ſanctitate in eſſe eſſentiæ, nec naturæ. Quæ reſolutio non eſt alitèr probanda, quã ex fundamẽtis prioris reſolutionis, quæ æquè conuincunt vnum, & aliud, & vberius art. ſeq. in quo Deitatem ſolam eſſe formam ſanctificantem formalitèr ſubſtãtialitèr in Diuinis latè proſequemur; ac proinde ſola illa humanitati communicata conſtituet illam formalitèr ſubſtãtialitèr ſanctam. Nec argumenta contra iſtam reſolutionem aliquid probãt, quam contra præcedentem facta, & art. ſeq. facienda, ob idque miſſa facio; etenim omnes Authores, qui ratione ſuppoſiti, aiunt, humanitatem Chriſti ſanctificatam fuiſſe, nihil aliud intendunt, quam illam ſanctificari à ſuppoſito, ſed tanquam à forma ſanctificatiua formalitèr à perſonalitate in ipſo ſuppoſitoincluſſa; contra quos latè diximus in hoc articulo, & in ſequenti dicemus.

Quidnam dicendum de Deitate, vt præciſſa à perſonalitate?

ARTIC. IV.

PRo cuius lucè ſtatuo prius. In hoc artic. ſolũ nobis eſſe controuerſiã cũ Authoribus initio quæſtionis relatis negantibus poſſe competere rationem ſanctitatis Diuinitati formalitèr, comparatæ cum perſonalitate, & cum reliquis perfectionibus Diuinis, abſtrahendo modo de ipſa Deitate cum gratia habituali comparata, de quo quæſtione ſequenti. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio prima ſit. Sola Deitas eſt formalitèr gratia vnionis, à qua humanitas Chriſti Domini ex vi mediatæ communicationis redditur formalitèr ſubſtantialitèr ſancta. Sic præter Authores ſupra citatos, tenet Mag. Araujo dub. 2. huius 7. quæſt. & eam apud alios plures in ſuis manuſcriptis etiam inueni, & meritò quidem, vtpotè conformior eſt principijs Sanct. Thomæ, & Thomiſtarum, qui dum de ſanctitate increata ſermonem inſtituunt, omnes vnanimi conſenſu ſoli Deitati hanc rationem formalitèr tribuunt, non relationibus, neque attributis, ſicut ſoli ipſi exiſtentiam, & perfectionem concedunt, relationibus autem, & attributis ratione illius. Ergo ſi ex Thomiſtica veritate habetur, ſolam Deitatem eſſe formalitèr ſanctitatem in Diuinis, non relationes, neque attributa, ex eodem capite etiam habebitur, quod ipſa ſola huma-

manitati communicata reddet illam formalitèr ſanctam, non perſonalitas, nec alia Diuina perfectio.

Probatur etiam loco expreſſo Sanct. Thom.in diſput.quæſt.29. art.1.vbi dicit: *Quod animæ Chriſti ad Deum duplex eſſe poteſt coniunctio*, (id eſt ſanctitas) *vna ſecundum eſſe in perſona, quæ ſingularitèr eſt animæ Chriſti; alia ſecundum operationem, quæ conuenit omnibus cognoſcentibus, & amantibus*. Et primam coniunctionem tribuit gratiæ vnionis, ſecundam habituali gratiæ, & ad primam inquit ad 7. *Quod vnio Diuinitatis ad animam Chriſti ſufficit ad hoc, quod eſt*, ſcilicèt ad eſſe ſanctæ formalitèr. Ergo ex mente Sanct. Thomæ ſola Diuinitas eſt, quæ formalitèr ſufficit ad ſanctificationem formalem humanitatis Chriſti.

Probatur etiam poſitio noſtra ex pluribus Patrum teſtimonijs, qui generali quadam locutione in vnum videntur conſpirare, cum de forma ſanctificante humanitatem Chriſti locuntur; nihil enim communius apud ipſos inueniemus, quam humanitatem Chriſti eſſe ſanctam Deitate, vnctam, & vnguento delibutam, vnum autem, vel alterum adducam huius veritatis teſtimonium; cætera autem videri poterunt apud Vazq.3.part.diſp.41.cap.4. Ait enim Nazianz.orat. 4. de Theolog. quæ eſt in ordine 36. num. 93. *Chriſtus dicitur propter Diuinitatem; ea enim humanitatis vnctio eſt, non operatione, vt in alijs Chriſtis, id eſt, iuſtis ſanctificans, ſed ſolius vnguenti præſentia*. Quæ verba à Deo clara ſunt pro noſtra reſolutione, vt niſi valdè torqueatur ſenſus, explicari queant. Ex quibus ſic arguo Nazianzenus aſſerit, humanitatem Chriſti eſſe ſanctificatam, non operando ſanctitatem, vt facit in alijs iuſtis, qui vocantur ad ipſo *Chriſti*, & hoc non à quacumque Diuini Verbi perfectione, ſed à Deitate, cui ſoli rationem vnguenti tribuit. Ergo illam ſanctificat formalitèr, per modum cauſæ formalis, ſic enim tantum non ſanctificat alios Chriſtos, id eſt, iuſtos; ac perconſequens, cum diſcrimen ponat in modo ſanctificandi Deitatis reſpectu Chriſti, & reſpectu iuſtorum, humanitatem illius formalitèr ſanctificauit, ſicut animas iuſtorum efficientèr ſanctificat, cauſando, ſcilicèt, ſanctitatem formalitèr.

Ferè eadem verba habet Damaſc.lib. 3.de fide cap 4.in confirmationem noſtræ reſolutionis, ait enim loquens de Chriſto: *Ipſe enim ſe ipſum vnxit, vngẽs quidem vt Deus ſua Deitate, vnctus autem vt homo, nam per ſe eſt hoc, & illud, ſiquidem Deitas eſt humanitatis vnctio*. Quæ ſic pondero. Vnctio in ſacris litteris ſanctificationem ſignificat, vt aduertit Vazq. loc. cit. capit. 3. §. *Ex quibus omnibus*. Ex Cyrilo in Epiſt. ad vitam ſolit.exercẽt, & Fulg.lib.3.ad Traſim. & ſic explicat illud Pſal. 44. de Chriſto: *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præconſortibus tuis*. Id eſt prætioſiori ſanctitate ſanctificauit Deus Chriſtum, ſcilicèt Deitate, quæ vnguentum dicitur, & oleum, quam alios naturæ Diuinæ conſortes, id eſt, iuſtos: atqui Damaſc.docet, Verbum Diuinum per id, per quod ipſum ſanctum eſt, humanitatem eius ſanctificaſſe, id per modum vnguenti applicando. Ergo ſicut ipſum ſanctum eſt ſanctitate per eſſentiam, ſcilicèt Deitate, quæ ſola ſanctificatio eſſentialis, & imparticipata eſt, ſicut ſola vnguentum; per eandem met ſanctificata fuit formalitèr humanitas Chriſti Domini.

Ratione deinde probatur reſolutio noſtra. Id formalitèr eſt gratia vnionis ſubſtantialis, à qua formalitèr debet ſanctificari humanitas Chriſti Domini ſubſtantialitèr, quod eſt ſanctitas ſubſtantialis formalitèr; ſicut illa eſt gratia vnionis accidentalis, à qua accidentalitèr ſanctificatur, quæ eſt ſanctitas accidentalis: atqui ſola Deitas eſt ſanctitas ſubſtantialis formalitèr, non autem perſonalitas, nec aliud Diuinum attributum: vtporè illa ſolum dicitur ſanctitas ſubſtantialis, cuius ſanctitas accidentalis eſt formalis participatio; ſanctitas autem accidentalis ſolius Deitatis eſt participatio formalis, qua ratione iam vt commune próloquiũ habetur, quod gratia habitualis, quæ eſt ſanctitas accidentalis, ſit formalis participatio Diuinæ naturæ, non autem perſonalitatis, aut attributi alicuius; etenim ſicut Diuina natura habet conſtituere Diuinam perſonam ſubſtantialitèr, & quaſi formalitèr, per eſſentiam ſanctam & eſſe per illam principium radicale operandi operationes Diuinas intellectus, & vo-

voluntatis, ſcilicèt, increatæ Beatitudinis, & increati amoris; ita gratia habitualis habet conſtituere animam accidentalitèr, & per participationem ſanctam formalitèr, & eſſe per illam principium radicale operandi operationes Diuinas, & ſupernaturales intellectus, & voluntatis, ſcilicèt, creatæ beatitudinis, & creati amoris, & fruitionis Dei, Ergo ſicut gratia habitualis ſola eſt gratia vnionis accidentalis, quæ ſanctificat animam formalitèr accidentalitèr, & per participationem; ita Deitas ſola erit gratia vnionis ſubſtantialis, quæ ſola ſanctificauit formalitèr ſubſtantialitèr humanitatem Chriſti, licèt mediatè cõmunicetur.

Hoc argumentum ita præmit P. Lorca hic diſp. 36. vt viſſa eius difficultate, deboret inconueniens admittendi plures ſanctitates in Diuinis in ſolutione, quam adhibet num. 26. ſed quia vidit, ſe manifeſtè aduerſari principijs Sact. Thom. aliam excogitauit ſolutionem nu. ſequenti. Inquit enim Lorca, quod licèt natura Diuina ſola ſit forma ſanctificans in Diuinis; relatio tamen poteſt tribuere humanitati Chriſti eſſe ſãctam formalitèr ſubſtantialitèr, licèt non ſit apta, eam tribuere Deo, vel perſonæ Diuinæ. Sed quis non videat, hoc petitionem eſſe principij, de hoc enim eſt quæſtio; quare ſi non eſt apta perſonalitas tribuere denominationem ſanctificationis Deo, erit apta, eam humanitati tribuere? Contra quod ſic argumentor. Id, quod ex ſe non eſt ſanctitas vt *quo*, nullum ſubiectum poteſt vt *quod* ſanctũ denominare; ſicut id, quod non eſt album vt *quo*, nullum ſubiectum vt *quod* album denominare formalitèr valet: atqui perſonalitas, iuxta hanc ſolutionem, non eſt ſanctitas vt *quo* ex ſe, vt ipſe ſupponit, ne incidat in primæ ſolutionis inconueniens, & ex ſe patet, iuxta à nobis dicta in tota hac quæſtion. præcipuè §. præced. Ergo nec animæ Chriſti poteſt huiuſmodi denominationem ſanctæ ſubſtantialitèr formalitèr tribuere.

Confirmatur vlteriùs, & efficacitèr poſiti nostra; nam quia ſola perſonalitas Verbi terminans naturam Diuinam, eſt forma, vel quaſi forma conſtituens cum natura Diuina ſecundam perſonã Trinitatis, & verbum Diuinum forma litèr ſubſiſtens, communicata humanitati conſtituit Chriſtum, & humanitatem eius formalitèr ſubſiſtentem. Ergo quia ſola Deitas, & natura Diuina eſt ſanctitas ſubſtantialis in Diuinis, ipſa ſola communicata humanitati conſtituet illam formalitèr ſubſtantialiter ſanctam.

Dices ex doctrina contrariorum; nõ quamlibet communicationem formæ, vel quaſi formæ ſubiecto eſſe ſufficientem ad tribuendam eius denominationem, ſed immediatam ſolum, quod in noſtro caſu non cernitur; quia Deitas mediate ſolum humanitati communicatur, perſonalitas autem immediatè, ac proinde non mirum, quod hæc conſtituat ſecundam Trinitatis perſonam, & humanitatem Chriſti ſubſiſtentem, non autem illa humanitatem ſubſtantialitèr ſanctam. Sed contra eſt. Communicatio mediata formæ ſubiecto, ſi aliàs ſubiectum capax ſit denominationis formæ, non officit ad tribuendam talem denominationem, vt videre licet iuxta Patrum teſtimonia pro reſolutione relata, in quibus aſſerunt, quod licèt Deitas media perſonalite communicetur humanitati, reddit illam formalitèr Deificatam, & vnguento delibutam; & in omnium ſententia, in communicatione albedinis ad ſubiectum ſubſtantiale, in quo recipitur, quæ communicatio fit media quantitate in materia, vel in toto recepta, iuxta Authorũ diuerſa placita: & in ſententia Thomiſtarum, exiſtentia creata communicatur ſubiecto ſubſtantiali media ipſius ſubſiſtentia; & etiam exiſtentia Verbi Diuini, ratione cuius, in eorundẽ Thomiſtarum ſententia, exiſtit humanitas Chriſti Domini, mediante perſonalitate Verbi communicatur humanitati: & nihilominus hæc mediatio non officit, quominus albedo tribuat ſuam denominationem formalem ſubiecto; & exiſtẽtia creata ſuam etiam denominationẽ formalem exiſtentiæ; & denique exiſtẽtia Verbi ſuam denominationem formalem exiſtendi humanitati Chriſti; quia ſubiecta hæc capacia ſunt talium denominationum. Ergo licèt natura Diuina mediatè ſolũ humanitati Chriſti communicetur, non oberit quominus ſuum effectum formalem ſanctificandi ſubſtantialitèr ipſi formalitèr tribuat;

Digitized by Google

bunt, quia humanitas Chriſti non minus capax eſt talis denominationis, quã aliarum, ſcilicèt, Deificationis, &c. ſicut enim non ponit in numero illa mediatio ad effectus illos formales, quia non eſt in numero id, quod mediat, cũ ipſa forma, quæ communicari debet; ita nec in noſtro caſu ponet in numero mediatio perſonalitatis ad effectum ſanctificandi naturæ Diuinæ, quia perſonalitas quæ mediat, non ponitur in numero cũm natura Diuina.

Si autem dicas; In caſibus poſitis, licèt forma communicetur ſubiecto, & ſuum tribuat effectum formalem mediante aliquo in eſſe rei, non autem mediante aliquo in eſſe vnibilis; qua ratione dici communitèr ſolet, quod licèt forma ſubſtantialis communicetur materiæ mediãte modo vnionis in eſſe reali, immediatè vnitur illi, quia in eſſe vnibilis immediatè recipitur à materia, & hanc etiam illa immediatè reſpicit. Dicam etiam, & ego, quod licèt natura Diuina vniatur humanitati Chriſti, mediante aliquo in eſſe rei, ſcilicèt perſonalitate; non tamen mediante aliquo in eſſe vnibilis per modum ſanctitatis formalis, ſed hoc modo immediatè reſpici ab humanitate Chriſti, & natura Diuina in hoc genere vnibilitatis per modum formæ ſanctificantis immediatè reſpicere Chriſti humanitatem.

Et ſi iterum dicas; humanitatem Chriſti nõ eſſe capacem ſanctitatis per eſſentiam qualis eſt ſanctitas naturæ Diuinæ. Contra eſt. Nam in ſententia Thomiſtarum, cum quibus modò contendo, natura Diuina, cui ſolum competit exiſtentia, cum in eorum opinione non detur niſi vnica exiſtentia in Diuinis, eſt exiſtentia per eſſentiam; & nihilominus huius exiſtentiæ capax eſt humanitas Chriſti Domini, & in omnium ſententia ſubſiſtentia Diuina eſt ſubſiſtentia per eſſentiam; & nihilominus humanitas Chriſti Domini capax eſt effectus formalis illius. Ergo licèt natura Diuina ſit ſanctitas per eſſentiam, humanitas Chriſti Domini capax erit effectus formalis illius.

Dices vlteriùs: Ideò humanitatem Chriſti eſſe capacem effectus formalis exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ per eſſentiã, quia ad huiuſmodi effectus non eſt neceſſarium, vt concurrant formæ, per modum formæ, ſed termini; ad effectũ autem ſanctificationis neceſſario deſideratur, quod ſanctitas ſit forma ſubiecti ſanctificandi; Deitas autem nullius creaturæ poteſt eſſe forma, vt docet S. Thom. 1. part. quæſt. 3. art. 8. & 3. part. quæſt. 2. ar. 1. ac proinde, licèt ſit capax illorum effectuum, non autem iſtius ſanctificationis formalis. Sed contra eſt. Nam licèt exiſtentia, & ſubſiſtentia non ſint formæ humanitatis Chriſti, præſtant effectus formales, ac ſi formæ eſſent, quia eminentèr, & ſecluſis imperfectionibus continent effectus, quos in creatis cauſant exiſtentia, & ſubſiſtentia per informationem ſubiecti. Ergo licèt natura Diuina, & ſanctitas per eſſentiã non ſit forma humanitatis Chriſti, præſtabit illi effectum formalem ſanctificandi ſubſtantialitèr, ac ſi forma eſſet, quia eminentiori modo, & ſecluſis imperfectionibus effectum continet, quem in creatis cauſat ſanctitas participata per ſubiecti informationem.

Confirmatur hoc, nam licèt ſpecies impreſſa creata ob imperfectionẽ creatæ ad tribuendum ſuos effectus formales potentiæ, petat informationem potentiæ eſſentia tamen Diuina, quia eminentiori modo præhabet effectus, quos præhabet ſpecies creata, præſtat illos formalitèr potentiæ, præciſſe per vnionem cum ipſa, & ſecluſſa informatione. Ergo, licèt ſanctitas creata, ob imperfectionem creatæ, ad tribuendum ſuos effectus formales ſubiecto, petat informationem; ſanctitas tamen increata, & Diuina, quia eminentiori modo continet effectus, quos præhabet ſanctitas creata, præſtabit illos ſubiecto formalitèr præciſsè per vnionem cum ipſo & ſecluſſa informatione. Præterquã quod non videtur ratio, quare ſubſiſtentia, & exiſtentia Diuina, vt tribuant ſuos effectus formales, ſufficit, quod communicentur per modum termini, & vt ſanctitas tribuat ſuum formalem effectum, non ſufficiat communicatio ipſius per modum termini.

Ar-

Digitized by Google

Argumenta contra reſolutionem ſoluta.

ARTIC. V.

CÆterum in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij Sanct. Thom. in 3. diſt. 13. quæſt. 1. art. 1. interrogantem: *Vtrum in Chriſto fuerit gratia habitualis?* Sic in corp. alloquentem: *Reſpondeo dicendum, quod gratia principalitèr duo facit in anima; primo enim perficit ipſam formalitèr in eſſe ſpirituali, ſecundum quod Deo aſſimilatur, vnde, & vita animæ dicitur; ſecundo perficit eam ad opus, ſecundum quod à gratia emanant virtutes, & vires, vt ab eſſentia animæ, quia non poteſt eſſe operatio perfecta, niſi progrediatur à potentia perfecta per habitum, & propter hæc duo opportet ponere gratiam in anima Chriſti, quia cum ſit perfecta in eſſe ſpirituali, opportet, quod ſit aliquid perficiens illam formalitèr in eſſe illo; Deitas autem non eſt formalitèr ſed effectiuè perficiens ipſam; vnde opportet aliam formam creatam in ipſa ponere, qua formalitèr perficiatur, & hæc eſt gratia.* Eadem ferè verba habet in ſcripto ad Anibald. ſupr. 3. diſt. 13. quæſt. 1. artic. 1. cuius titulus: *Vtrum aliqua gratia in Chriſto fuerit creata?* Ergo ex mente Sanct. Thom. forma ſanctificans formalitèr humanitatem Chriſti non eſt Deitas. Reſpódeo quod Sanct. Thom. in his locis ſolum contendit, neceſſariam eſſe poſitionem alterius formæ ſanctificantis in alio ordine, ſcilicèt, creato, vt liquet ex titulis articulorum, & ex vltimis illis verbis: *Vnde opportet aliam formam creatam in ipſa ponere.* Ex quibus colligo, vltra hanc aliam cognoſci à S. Doctore, licèt illius non meminerit, quia ad propoſitum nõ pertinebat, quod nos etiam concedimus, & latè probabimus quæſt. ſequen. Quando autem Sanct. Thom. docet, illa munera non poſſe prouenire formalitèr à Deitate, verum docet, ſecundum quod illa munera ordinantur ad perfectam operationem *progrediendam per habitum*, vt ipſe loquitur, & ſic formalitèr non cauſari à Deitate, ſed effectiuè, quatenus cauſat efficientèr habitum creatum, à quo progrediantur perfectæ operationes in eſſe ſupernaturali; non tamen negat alterum genus cauſandi formalitèr Deitatis in anima Chriſti Domini, ſanctificationis, ſcilicèt, præciſſè ſubſtantialis in eſſe eſſentiæ, quod genus ſanctificationis ex ſuo conceptu non ordinatur ad operationes perfectè elliciendas, vel ſi ordinatur ſolum eſt in ſubiecto capaci; humanitas autem non eſt capax operandi per actiones Diuinas Deitatis, cum de conceptu harum, cum ſint vitales, vtpotè intellectionis, & volitionis, ſit, quod maneant in principio, à quo proueniunt.

Opponunt ſecundo. Vnio humanitatis non eſt facta in natura Diuina, vt definiunt Concilia, Calcedon. act. 5. Lateran. conſul. 5. Florent. in litteris vnionis, tria Toletana 4. 6. & 11. Hiſpal. 2. & plura Patrum teſtimonia teſtantur, quæ omnia erudite tractata videri poſſunt apud Bellarm. tom. 1. lib. 3. de Chriſto. Ergo humanitas Chriſti nequit formalitèr per naturam Diuinam ſanctificari, non enim ſanctitas ſanctificare valet formalitèr, niſi ſit vnita formalitèr. Reſpondeo vnionem mediatam ſufficere ad hoc, vt natura Diuina humanitatem Chriſti formalitèr ſanctificet, vt liquet ex toto artic. præced. & præcipuè ex §. *Dices ex doctrina.* Quam vnionem, nec Concilia, nec Patres negauere vnquam diuinæ naturæ reſpectu humanitatis.

Inſtabis. Si ſola vnio mediata ſufficeret, vt natura Diuina redderet ſanctam humanitatem Chriſti, etiam eadem mediata vnio reperta inter Immenſitatẽ, Omnipotentiam, Æternitatem, Immortalitatem, & id genus alia, cum humanitate, eſſet ſufficiens, vt illam Immenſam, Omnipotentem, Æternam & Immortalem formalitèr redderent; non enim videtur maior ratio vnius, quam alterius: atqui huiuſmodi mediata vnio non eſt ſufficiens ad hos effectus formales tribuendos, vt in confeſſo eſt apud omnes. Ergo neque illa ad effectum ſanctificationis formalem. Inſto argumentum in omnium ſententia. Licèt perſonalitas Diuina infinitum diſtet ab humanitate, & qua communicata mediatè communicantur cætera in argumento relata, cum non videatur maiorem vim habere naturam, vt ipſa communicata, attributa illa communicentur, quam perſonalitatem, vt hac communicata, attributa illa, ſaltèm cum aliqua

Digitized by Google

qua maiori mediatione, humanitati cõmunicentur; & nihilominus in omnium ſententia, perſonalitas Diuina tribuit effectum ſuum formalem humanitati, & non tribuunt ſuos effectus formales numerata attributa; ac proinde argumentum in omnium currit ſententia; diſparitatem, quam illi adduxerint, adducam. Ergo.

Reſpondeo ergo pro omnibus. Solam vnionem mediatam formæ, vel quaſi formæ cum ſubiecto ſufficere, vt forma illi tribuat ſuum effectum formalem, ſi aliàs ſubiectum capax ſit illi*, vt conſtat ex hac quæſt. art. 1. §. *Obſeruo tertio*. Imò ſi ea vnio immediata eſſet, ſi aliàs ſubiectum non eſſet capax effectus, illum non tribueret, vt art. ſeq. dicemus de hac ſanctitate, quæ licèt re ipſa communicata fuerit humanitati, tribuit illi effectum ſanctitatis per modum eſſentiæ, & non tribuit per modum naturæ; quia tamen natura humana capax eſt infinitæ ſubſiſtentiæ, (vt fide magiſtra omnes concedunt) & infinitæ ſanctitatis, ſaltèm in eſſe eſſendi, ita vt aliqui gratiæ habituali hanc infinitatem tribuant, & nos etiam cum illis inferius, ideò huiuſmodi formæ, vel quaſi formæ tribuunt ſuos effectus formales: Ex attributis autem enumeratis, cũ alia ſint primariò ordinata ad operationẽ, vt de Omnipotentia, & repugnet humanitatem omnia poſſe, aliàs ſe ipſam produceret; ideò huiuſmodi effectꝰ formalis repugnat illi, licèt intercedat mediata vnio; alia autem, licèt non ordinentur primariò ad operationem, humanitas tamen habet conditionem effectibus repugnantem, vt communitèr dicitur de gratia habituali, quod licèt ſit illius proprium conſtituere filium adoptiuum, quia tamen Chriſtus Dominus habet conditionem effectui repugnantem, ſcilicèt, eſſe Filium naturalẽ, ideò, licèt illi communicetur, non tribuit illi huiuſmodi effectum formalẽ, & idem eſt de alijs attributis enumeratis; humanitas enim habet conditionem omnino repugnantem effectui formali Immenſitatis, & Immortalitatis, ex qua parte ab intrinſeco eſt circumſcripta localitèr, quia creata, repugnat illi effectus formalis Immenſitatis, qui eſt reddere ſubiectum incircumſcriptum localitèr; qua etiam parte ab intrinſeco eſt mortalis, & corruptionis capax, habet conditionem repugnantem ad effectum formalem Immortalitatis, qui eſt reddere ſubiectum immortale, & corruptionis incapax.

Opponunt tertio. Vt aliqua forma, vel quaſi forma communicet ſubiecto ſuum effectum formalem, debet vniri cum illo in ratione talis formæ formalitèr; eo enim ſi à Diuino Verbo natura lapidis aſſumeretur, non conſtitueret lapidem perſonam, ſed ſubſiſtentem, quia perſonalitas Diuina non vniretur formalitèr lapidi in eſſe perſonalitatis, ſed ſubſiſtentiæ, cum eſſe perſonalis incapax ſit quæcumque natura, quæ non ſit rationalis: atqui Deitas, vel natura Diuina non vnitur humanitati Chriſti in eſſe Deitatis, & naturæ formalitèr, cum illam non conſtituat formalitèr Deam, nec principium operandi actiones intelligendi, & volẽdi increato modo, quod petit conceptus naturæ in illo ordine, in quo talis eſt. Ergo humanitas Chriſti Domini nequit formalitèr à Deitate ſanctificari.

Hoc argumentum ita præſſit Magiſtrum quendam Salmantinum, vt propter hoc iudicet impoſsibile, humanitatem Chriſti à Deitate formalitèr ſanctificari. Verùm parum mihi videtur difficultatis habere; quare reſpondeo, quod Deitas ſolum ſanctificat humanitatem Chriſti ſanctificatione formali quoad eſſe eſſentiæ, quatenus illam conſtituit in tam ſupremo gradu immaterialitatis, & ſpiritualitatis, quod ſit formalitèr Deificata; quod autem dicatur Dea, vel non, vocum magis, quam rerum eſt litigium: non autem ſanctificat illam ſanctificatione formali quoad eſſe naturæ propter incapacitatem ſubiecti ad operandum Diuino, & increato modo, licèt ratio ſanctitatis in eſſe eſſentiæ, & in eſſe naturæ formalitèr identificentur in Deitate, ſicut in exemplo ab ipſo in argumento adducto de perſonalitate Verbi cernere liquet; quare formalitèr vnitur humanitati Deitas, prout exprimit munus ſanctitatis in eſſe eſſentiæ formalitèr, non autem vnitur prout exprimit munus ſanctitatis in eſſe naturæ formalitèr; quod autem petit natura eſt, quod ſit principium operandi, quando in eſſe talis forma-

litèr vnitur, & in ſubiecto capaci, ſecus autem quando, nec vnum habet, nec aliud.

In calcè articuli ſubiungo; quod ſicut ad hoc quod Verbum Diuinum dicatur formalitèr ſanctum ſanctitate per eſſentiam, ſcilicèt, per Deitatem formalitèr, petitur, vt conditio neceſſaria, quod ſit intime vnita cum ſubſiſtentia Verbi, aliàs enim non magis ſanctificaretur ſubſtantialitèr per illã, quam Pater, & Spiritus Sanctus; ita ad hoc quod ipſa ſanctitas per eſſentiam ſanctificet humanitatem Chriſti, petitur, vt conditio, quod ſit perſonalitas Verbi vnita hypoſtaticè humanitati, aliàs enim non magis ſanctificaret Chriſtum, quam reliquos iuſtos, cum quibus vnitur, vel per illapſum, vt vult Gandauenſis, per inhabitationem, ſcilicèt, Deitatis in eorum ſubſtantijs, vel per habitationem in cordibus eorum per charitatem, vel per alios modos, quibus Diuinitas vnitur, nimirum per vnionem corporis Chriſti, & ſanguinis cum ſuſcipiente digno, per vnionem, quam habebat corpus Chriſti cum ſua Beatiſsima Matre in ſuis viſceribus; in quibus caſibus, non alia de cauſa poſſumus colligere, non ſanctificari animas Deitate vltra ſanctificationem, quam per gratiam habitualem haberent, niſi quia in omnibus deficiebat conditio neceſſaria ad ſanctificationem, nimirum, hypoſtatica vnio inter Deitatem, & humanitatem reperta: & hoc argumentum non pugnat ſpecialitèr contra noſtram reſolutionem, ſed contra quãlibet aſsignantem ſanctitatem Diuinam reſpectu humanitatis Chriſti, vt plane conſtat.

Quæſtio vndique deciſſa.

ARTC. VI.

Reſolutio prima ſit. Humanitas Chriſti Domini non ſanctificatur formalitèr per gratiam vnionis, ſeu per Deitatem ſanctitate in eſſe naturæ formalitèr, ſed ſolum in eſſe eſſentiæ ſanctitatis. Primo, quia eſt expreſſa mens Sanct. Thom. quotieſcumque aſsignat rationem, propter quam ponenda eſt gratia habitualis in Chriſto, ferè ſemper id probat propter neceſsitatem operationis creatæ ſupernaturalis. quæ non poterat oriri, niſi ab aliqua ſanctitate, quæ ſe haberet in eſſe naturæ, & principij talis operationis. Sic tenet in hac quæſt. 7. articul. 1. in corp. & ad 2. & quæſt. 8. articul. 5. in corp. & ad 3. per hæc verba aſsignans diſcrimen inter gratiam vnionis, & gratiam capitis, quæ eſt gratia habitualis, vt poſtea videbimus: *Gratia capitis ordinatur ad aliquem actum, gratia autem vnionis non ordinatur ad actum.* Id etiam expreſsit in diſput. quæſt. vltim. quæ eſt de gratia Chriſti art. 1. in concl. ſic ait: *Præter gratiam vnionis increatam, fuit alia habitualis gratia animæ eius neceſſaria, qua Deo vniretur per actum fruitionis.* Idem habet in toto corp. & ad 7. dicit: *Quod vnio Diuinitatis ad animam Chriſti ſufficit ad hoc, quod eſt.* Et eadem ferè verba habet in 3. diſt. 13. quæſt. 2. articul. 1. ad 7. aſsignans diſcrimen inter vnionem gratiæ cum humanitate, quantum ad operationem, & quantum ad eſſe; primam tribuit gratiæ habituali, ſecundã Deitati in perſona Diuina incluſſæ. Ergo iuxta mentem Sanct. Doctoris, humanitas Chriſti Domini non ſanctificatur formalitèr per Deitatem ſanctitate in eſſe naturæ, ſiquidem ad hoc alĩa Sanct. Thom. requirit ſanctitatem, ſed ſolum ſanctitate formali in eſſe eſſentiæ, ad quam, cum non ordinetur ad actum, ſed ad eſſe, vt docet Sanct. Th. *ſufficit vnio Diuinitatis ad animam Chriſti*; vt verbis ipſius concluſionem deducam.

Secundo probatur poſitio noſtra ratione mihi ſatis efficaci. Sanctitas formalis in eſſe naturæ eſt illa, quæ talitèr elleuat ſubiectum, vt ex vi huius eleuationis operationes elliciat, ita ſupernaturales, vt meritoriæ euadant ſupernaturalis præmij, vt conſtat ex hac q. artic. 1. §. *Obſeruo ſecundo.* & ex communi omnium Theologorum, & Phyloſophorum aſsignantium diſcrimen inter eſſentiam formalitèr, & naturam, explicantium iſtam in ordine ad operationem, cuius eſt principium; iuxta definitionem naturæ ab Ariſtotel. 2. Phyſicor. adductam: *Natura eſt principium motus, & quietis, &c.* illam autem in ordine ad ſubiectum: atqui ex vi eleuationis humanitatis per Dei-

Digitized by Google

tatem, non poteſt humanitas operationes ellicere ſupernaturales, nec meritorias ſupernaturalis præmij; etenim operari nequit per Deitatem, tanquam per eius principium *quo* operandi, cuius actus capax non eſt humanitas Chriſti, propter differentiam naturæ, vt docet S. Thom. in hac quæſt. 7. art. 1. ad 2. ac proinde, nec principij actus per modũ naturæ. Præterquam quod cum ſpecificatio operationum à principio *quo* dependeat, qua parte hoc haberent, dicerentur phyſicè increatæ, ſicut ipſũ principium *quo*, aliàs, quia ab humanitate ellicerentur phyſicè, creatæ fuiſſent. Ergo ſi humanitas Chriſti Domini ſan. ctificata fuit formalitèr ſanctitate per eſſentiam, ſcilicèt, per Deitatem, vt toto art. præc. probauimus, ſolùm fuit ſanctificata ſanctitate in eſſe eſſentiæ formalitèr, non autem in eſſe naturæ.

Confirmatur. Quia non repugnat, immo pluries contingit in formalitatibus Diuinis, quòd licèt ſummam identitatem, adhuc formalem, habeãt, propter ſuam eminentiam, vnam, & eãdem vniri, ſecundum quod vnum munus exprimit, non vnita ſecundum quod exprimit aliud, vt ad hanc quæſt. art. 1. §. *Obſeruo tertio.* Docui, præcipuè ſi ſubiectum, cui vnitur, non ſit capax vtriuſq; muneris. Ergo non implicabit, immo congruenter dicetur, quod licèt ratio eſſentiæ, & naturæ in Deitate per modum formæ formalitèr ſanctificantis, adhuc formalitèr idemtificentur, quod ſecũdum munus ſanctitatis in eſſe eſſentiæ præciſſe communicetur, incõmunicata ſecundũ munus ſanctitatis in eſſe naturæ, præcipuè cum humanitas incapax ſit huius generis ſanctitatis.

Cæterum in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij. Humanitas Chriſti Domini ratione huius ſanctitatis habet ius ad Beatitudinem; de conceptu enim cuiuſcumque ſanctitatis eſt illud habere, & ſic illud habent iuſti, & ſancti ſanctitate participata: atqui hoc ius ad beatitudinem non eſt, niſi medio principio operatiuo in eſſe talis formalitèr, & media operatione ab hoc, vt tali formalitèr ellicita, hoc enim modo gratia habitualis illud habet. Ergo ſi humanitas Chriſti Domini habet hoc ius ratione Deitatis ſibi formalitèr vnitæ, non ſolum vnitam habet in eſſe eſſentiæ ſanctitatis, ſed in eſſe naturæ, per quã formalitèr elliciat operationes ad beatitudinem conducentes. Facit etiam pro hac parte, quod ratione huius ſanctitatis dicitur Chriſtus Filius Dei naturalis, ſicut ratione ſanctitatis creatæ dicitur homo filiꝰ adoptiuus; Filio autem naturali debentur bona Paterna, ſcilicèt beatitudo meliori titulo, quam filio adoptiuo. Ergo intentum.

Reſpondeo; quod Humanitas Chriſti Domini ratione Deitatis habet ius ad beatitudinem, quaſi formale, non autẽ ius effectiuum, quod ſolum dicit ordinem ad beatitudinem media operatione, & vtrumque reperitur in homine iuſto ratione gratiæ habitualis, propter conuenientiam ſubiecti cum forma ſanctificante; primum enim ſolum reperitur in humanitate Chriſti ratione ſanctitatis prouenientis à Deitate. Per quod patet ſolutio ad confirmationem Filio enim naturali debentur bona Paterna eo modo, quo naturalis dicitur; nam ſi dicatur naturalis, quia habet naturã Patris, cõſiderata natura præciſſe in eſſe eſſentiæ, dicetur habere ius quaſi eſſentiale, vel formale ad bona Paterna, & huiuſmodi bona illi deberi debito formali; ſi autẽ dicatur naturalis, quia habet naturam Patris, conſiderata natura, non ſolũ in eſſe eſſentiæ, ſed in eſſe naturæ formalitèr, dicetur habere ius quaſi effectiuũ ad bona Paterna, & huiuſmodi bona illi deberi debito effectiuo; homini autẽ ratione gratiæ habitualis, & filiationis adoptiuæ debentur bona Paterna debito formali, & effectiuo; nõ tamen ideò meliori titulo deberi, quã naturali Filio.

Pro quo alta mente conſiderandum eſt id, quod ex doctrina S. Thom. in hac quæſt. ar. 1. ad 2. diligentèr inueſtigaui, nimirum, quod Chriſtus Dominus habet ius ad bona Paterna pluribus titulis, & totidem etiam titulis debetur ipſi æterna hæreditas, primo enim Chriſtus habet naturam eandem Patris æterni intimè vnitã, & idẽtificatã cũ perſonalitate ex vi generationis æternæ, hoc modo ſanctus eſt eadẽ ſanctitate Patris, ſcilicèt Deitate, non ſolum ſumpta in eſſe eſſentiæ ſanctitatis, ſed naturæ, qua ratione, & habet ius, nõ ſolũ eſſentiale, vel formale, ſed effectiuum; ratione que hu-

Digitized by Google

huius debentur ipſi debito formali, & effectiuo hæreditas æterna, & Paterna bona, quæ eſt ipſa beatitudo increata, cum ipſa Deitas in perſona Verbi (quæ aliàs naturam humanam terminat) ſit principium *quo* cognitionis, & amoris Dei, quo Pater ſe ipſum cognoſcit, & amat, vt in hoc loco dicit Sanct. Thom. & hoc modo nulli dubium, quod meliori titulo debeātur bona Patris Filio naturali, quā adoptiuo; nam licèt vtique debeantur debito formali, & effectiuo fundato in vtroque iure; naturali tamen Filio debentur debito formali, & effectiuo increato, & infinito in eſſe phyſico fundato in vtroque iure increato etiā, & infinito quaſi phyſicè; adoptiuo autem Filio ſolum debētur bona Patris debito formali, & effectiuo creato, & phyſico, ſaltē in eſſe phyſico fundato in vtroq; iure creato etiā, & finito quaſi phyſicè, vel in eſſe phyſico, quidquid de morali ſit.

Alio etiam capite Chriſtus Dominus habet ius ad bona Paterna, ipſique debetur æterna beatitudo, quæ ſunt bona Patris, nimirum, quia habet naturam Diuinam ſibi vnitam, & per illam tanquam per formam ex vi Incarnationis humanitas eius eſt formalitèr ſanctificata, & ratione huius ſanctificationis habet etiam ius ad bona Paterna, ſcilicèt ad æternam beatitudinem; ſed quia huiuſmodi ius ſolum eſt formale, quod reſpicit ſubiectum ſanctificatum, præſcindendo à modo operandi, non autem effectiuum, quod ſolum attenditur pœnes ordinem ad actum, quem poteſt ſubiectum talitèr ſanctificatum elicere, cuius actus capax non erat anima Chriſti Domini propter differentiam naturæ, vt docet Sanct. Thom. ideo Chriſto Domino hoc modo conſiderato, ſcilicèt, ex vi huius ſanctificationis à Deitate, ſolum debentur bona Patris, ſcilicèt, æterna beatitudo debito formali, iuri etiam formali correſpondenti; debito autem effectiuo ſolum debetur ipſi beatitudo ratione habitualis gratiæ, ex vi cuius, tanquam ſanctitate in eſſe naturæ, attingeret Deum per actū fruitionis creatum, vt in eodem loco docet S. Thom. ac proinde Chriſto, etiam vt homini ſumpto, non debetur beatitudo inferiori titulo, quam cuilibet Filio adoptiuo, ſed multo excellentiori; ſiquidem vltra id, quod eſt deberi ipſi debito formali, & effectiuo, ſicut cuilibet iuſto debitum tamen formale Chriſti eſt in altiori ordine ſupra debitum formale iuſtorum, vtpotè illum immediatè in Deitate fundatum, hoc autem in habituali gratia, imò, & effectiuum, nam licèt vtrumque in gratia habituali fundetur, ipſa tamen gratia habitualis maiorem quandam dignitatem importat in Chriſto, propter coniunctionem Deitatis, quam in cæteris iuſtis. Imò addo, etiam ſi ſolum haberet Chriſtus ius formale à Deitate proueniens, & careret iure effectiuo à gratia habituali orto, adhuc deberetur æterna beatitudo meliori titulo, quam cæteris iuſtis, eo quod ius illud formale, & formale debitum erat ita ſuper excellens, & eminens, vt in illo, tanquam in perfectiori, contineretur quodlibet ius, vel debitum creatū in ordine ad beatitudinē.

Opponunt ſecundo. Humanitas Chriſti Domini formalitèr ſanctificatur ſanctitate illa per eſſentiam, cuius noſtra ſanctificatio eſt formalis participatio: atqui noſtra ſanctificatio formalis eſt participatio ſanctitatis per eſſentiam, non ſolum in eſſe eſſentiæ, ſed naturæ; ſiquidem per illam non ſolum elleuati ſumus prima ſpiritualitate, ſed conſtituti principio operationum ſupernaturalium, quæ æternæ beatitudinis meritoriæ ſint, vt ex ſe liquet, ergo humanitas Chriſti Domini, non ſolum eſt ſanctificata per Deitatem ſanctitate in eſſe eſſentiæ, ſed naturæ.

Reſpondeo; quod humanitas Chriſti Domini ſanctificatur ſanctitate per eſſentiam, cuius noſtra in eſſe eſſentiæ præciſſe conſiderata eſt formalis participatio, non autem ſanctificatur ſanctitate per eſſentiam, cuius noſtra in eſſe naturæ conſiderata eſt formalis participatio, propter repugnantiam naturæ humanæ ad operandum per Deitatem, quod autem noſtra ſanctitas ſit formalis participatio Diuinæ ſanctitatis, tam in eſſe eſſentiæ, quam naturæ conſideratæ, non facit, quod ſi humanitati communicatur, cōmunicetur ſecundum omne id, ſecundū quod participabilis eſt, communicatur enim reſpectiuè ad capacitatem ſubiecti: quan-

do

do autem dicitur communitèr, noſtrã ſanctificationem eſſe formalem participationem Diuinæ ſanctitatis, & naturæ, intelligenda eſt diuina natura, & ſanctitas Diuina, prout exiſtit in tribus perſonis; qua ratione operatiua etiam eſt per ſuos actus voluntatis, & intellectus increatos, ſicut noſtra ſanctitas per actus intellectus, & voluntatis creatos; non autem prout in ſubiecto creato exiſtit, qua ratione munus operandi non exercet.

Sanctificatio à Deitate proueniens non eſt merè extrinſeca, & moralis, ſed intrinſeca, & phyſica.

ARTC. VII.

RÉſolutio noſtra ſit, partim contra Lorca, & partim contra Vazquez locis ſuperius citatis. Deitas nõ eſt forma merè extrinſeca, & moralis reſpectu humanitatis Chriſti, ſed intrinſeca, & phyſica. Probatur reſolutio; nam Deitas vnita humanitati reddit illam intrinſecè ſanctam, & phyſicè Deificatam; etenim licèt in eſſe rei conſiderata Deitas extrinſeca ſit humanitati, & forma merè moralis, potens, ſcilicèt, dignificare ſubiectũ, in eſſe tamẽ ſanctificationis, & prout vnibilis cũ humanitate, vel vt meliꝰ dicã, in eſſe ſanctificantis, & quaſi vnita cũ illa, forma eſt, vel quaſi forma intrinſeca, & phyſica intrinſecè, & phyſicè cõſtituẽs humanitatẽ ſãctã; eminentiori enim modo continet Deitas quidquid forma intrinſeca, & phyſica poteſt efficere vnita ſubiecto. Ergo ſicut ſi forma phyſica, & intrinſeca vniretur ſubiecto, phyſicè, & intrinſecè illud denominaret eo genere denominationis, quo à forma peteretur, & proinde illa forma non eſſet merè extrinſeca, & moralis, ſed intrinſeca, & phyſica in eſſe formæ; ita ſimilitèr Deitas humanitati vnita conſtituit illam intrinſecè, & phyſicè, ſcilicèt, in eſſe formæ, ſanctam, & non merè moralitèr, & extrinſecè.

Confirmatur hæc ratio, prout facit contra Lorcam. Omnia, quæ præſtat perſonalitas (quæ in eius ſententia eſt, quæ ſanctificat humanitatem Chriſti) ad hoc vt ſanctificet humanitatẽ Chriſti, præſtat altiori modo Deitas, nam ſi perſonalitas terminat naturam humanam, etiam natura, & Deitas ſaltèm ſecundariò terminat, quod non obeſt ad tribuendum effectum formalem, vt liquet ex art. 5. §. *Reſpondeo ergo*. Si perſonalitas ſe habet per modum formæ, licèt non ſit forma, & propter ſuam eminẽtiam præſtat effectus, quos in creatis præſtat forma, vt ipſe fatetur; etiam Deitas, licèt non ſit forma, poterit propter ſuam eminentiam effectus præſtare, quos in creatis præſtat forma; etenim nulla in eſſe rei conſiderata eſt intrinſeca humanitati. Exiſtentia item Diuina etiam extrinſeca eſt humanitati, imò, & ſubſiſtentia Diuina, & nihilominus illa in Thomiſtarum ſententia reddit humanitatem Chriſti formalitèr intrinſecè exiſtentem; iſta in omnium ſententia formalitèr intrinſecè ſubſiſtentem. Ergo licèt Deitas in eſſe rei conſiderata ſit extrinſeca reſpectu humanitatis, poterit illi præſtare effectum formalem intrinſecum ſanctitatis.

Quod ſi cum Lorca loc. cit. numer. 15. dicas, quod licèt perſonalitas ſit extrinſeca reſpectu humanitatis, quia tamen vnio, & cauſatio eſt intrinſeca, poteſt tribuere effectum formalem intrinſecè. Contra eſt, meo iudicio, euidentèr. Licèt perſonalitas ſit quaſi forma extrinſeca reſpectu humanitatis, quia tamen cauſatio eſt intrinſeca, poteſt in eius ſententia tribuere effectum formalem intrinſecum? Ergo licèt Deitas ſit quaſi forma extrinſeca reſpectu humanitatis, quia tamen eius cauſatio eſt intrinſeca, poterit tribuere humanitati effectum formalem intrinſecum ſibi proportionatum: nec video quid poſsit reſpondere, niſi recurrat ad mediatam, vel immediatam vnionem, contra quod plura diximus art. 4. præcipuè, §. *Dices ex doctrina*.

Confirmatur vlteriùs concluſionis ratio, prout contra Vazq. facit, aſſerentem, Deitatem ſolum eſſe formam moralitèr ſanctificantem humanitatem Chriſti, non phyſicè. Nam forma ſanctificatiua in ordine ad ſubiectum arctiori vinculo ſe habet quam in ordine ad operationes, quas ſubiectum elicit; etenim cum his nullam habet vnionem phyſicam, ſed moralem, dignificando illas poſt ellicientiam; cum ſubiecto autem

 non

non ſolum vnionem moralem habet, illud formalitèr dignificando, ſed phyſicam, illud phyſicè ſanctum conſtituendo, vt clarè cernitur in forma ſanctificatiua creata, quæ in ordine ad opera à ſubiecto ellicita ſolum ſe habet vt forma moralis illa dignificans per ellicientiã; dignitas enim non concurrit efficientèr, ſi vt talis formalitèr conſideretur, cum ſecundum hoc munus ad genus cauſæ formalis pertineat, non efficientis; in ordine tamen ad ſubiectum, in quo eſt informando, arctiori vinculo, & vnione ſe habet, conſtituendo illud formalitèr, & phyſicè ſanctum: atqui Deitas in ordine ad operationes, quas humanitas elliciebat, ſe habet vt forma moralis, illas dignificando moralitèr infinito modo, vt communis fert Thomiſtarum ſenſus, vel ſaltèm finito modo ſimplicitèr, vt reliqui Doctores ad quæſt. 1. huius 3. part. volunt. Ergo in ordine ad humanitatem, cum qua tam intimã habent vnionem, arctiori vinculo per modum formæ ſe habeat, ac proinde phyſicè conſtituendo humanitatem ſanctam, & non ſolum moralitèr dignificatam, cum non repugnet cauſare effectus formæ phyſicæ, vt conſtat ex §. Præcedenti.

Vlterius ſic efficacitèr argumentor contra Vazq. Nam ſi Deitas ſolum eſſet forma moralis (quam in reſpectu extrinſeco humanitatis ad illam cõſtituit ipſe) moralitèr ſanctificans Chriſti humanitatem, nõ eſſet ratio, quare B. Virgo, dum Chriſtum Dominum ſuis portauit viſceribus, non ſanctificaretur ipſa Deitate in corpore Chriſti incluſſa, & ſuſcipientes Euchariſtiam digne; etenim, & B. Virgo dicebat reſpectum extrinſecum ad Deitatem, quam portabat, ſaltèm mediante corpore Chriſti, ſicut modo humanitas Chriſti dicit reſpectum ad Deitatem ſibi vnitam mediante perſonalitate Verbi, quæ mediatio non obeſt, vt ipſe docet, ad ſanctificationem moralem; & ſuſcipientes digne Euchariſtiam dicunt reſpectum ad Deitatem mediante corpore Chriſti, quæ non obeſt etiam ad ſanctificationẽ moralem; non enim videtur, minorẽ vnionem habere B. Virginem. & ſuſcipientes Euchariſtiam cũ Diuinitate, in qua poſsit fundari extrinſecus reſpectus ad illam, quam humanitatem Chriſti cum Diuinitate; ſiquidem hæc ſolum eſt, in eius ſententia, vnio moralis, & extrinſeca, qua nulla eſt alia minor; imò etiã ſi ſit phyſica, non oberit ad hoc, quod ſaltèm ſuſcipientes digne Euchariſtiã, Deitate ſanctificentur; etenim in eius ſententia, quam ſequitur tom. 3. in 3. part. diſp. 204. inter ipſos, & Chriſtũ, non ſolum datur vnio affectiua, quæ poteſt dici moralis, ſed phyſica, & ſubſtantialis. Ergo ſi Deitate humanitas Chriſti Domini ſolum moralitèr extrinſecè ſanctificatur, etiam B. Virgo, & ſuſcipientes Euchariſtiam Deitate ſubſtantialitèr ſanctificabuntur.

Dices cum Vazq. hoc argumentum etiam poſſe in terminis fieri contra noſtram ſententiam, in qua, vnionem mediatam ſufficere ad ſanctificationem Deitatis, diximus, vt liquet ex art. 4. §. *Dices ex doctrina*. Cæterum licèt poſsit fieri, non poteſt vim habere; tùm quia non quæuis mediatio ſufficit ad hoc, vt Deitas formalitèr ſanctificet, ſed mediatio fundata in vnione hypoſtatica, vt conſtat ex art. 5. §. *In calcè*. Quod non reperitur in caſibus adductis. Deinde quia mediatio, quam nos ponimus inter humanitatem, & Deitatem, non excludit reſpectum intrinſecum humanitatis ad Deitatem, nec tollit à Deitate, quod ſe habeat in ordine ad humanitatem per modum formæ phyſicæ; quod omne excludit mediatio à Vazq. poſita in humanitate ad Deitatem, vel inter humanitatem, & Deitatem. Prætèr quàm quod, vnio reperta inter B. Virginem, dum Chriſtum in viſceribus portabat, & Diuinitatem, & reperta inter ſuſcipientes Euchariſtiã, & ipſam Deitatem, non eſt phyſica, ſed affectiua, & moralis, ratione cuius non poteſt hos phyſicè ſanctificare: diffi cultèr autem poteſt obuiari ſanctificatio moralis à ponentibus in Deitate ſolam ſanctificationem moralem, modò ſit moralitas reſpectus extrinſecus, vt vult Vazq. modò aliquid intrinſecum morale in humanitate repertum, vt volunt aliqui Salmanticenſes.

Quod ſi dicas; non eſſe, vnde colligatur, quod neceſſarium ſit, vt Deitas ſanctificet, & quod ſe habeat per modum formæ phyſicæ, & phyſicè ſit vnita ſubiecto, & non ſufficere ſe habere per modum formæ moralis, & moralitèr

Digitized by Google

tèr eſſe vnitam ſubiecto. Dic, quod ex duplici capite poteſt hoc colligi. Tum ex ipſa Deitate in tribus perſonis exiſtente, & illas per eſſentiam ſanctificante, in quibus, ac ſi eſſet forma phyſica, ſe habet, & cum tali vnione phyſica, quod identificata ſit cum illis. Tum etiam ex ſanctitate participata, quæ phyſica forma eſt, & phyſicam vnionem requirit, vt ſubiectum, in quo reperitur, formalitèr ſanctificet; quidquid autem habet participata ſanctitas, eminentiori modo reperiri debet in ſanctitate per eſſentiam, cuius illa eſt formalis participatio.

An gratia habitualis præſtet humanitati Chriſti aliquod ſanctificationis genus?

QVÆST. II.

IN Hac re, præter Authores, quos præcedenti quæſtione retulimus, negantes naturæ Diuinæ rationem ſanctificationis reſpectu humanitatis Chriſti, illam concedentes, iam perſonalitati Verbi, iam ipſi Verbo, iam vnioni intermediæ; ſuperſunt alij in hac quæſtione, qui licèt conueniant cum illis, quatenus negant rationem ſanctitatis reſpectu humanitatis naturæ Diuinæ, non tamen conueniunt cum illis in aſsignãda forma ſanctificatiua formalitèr illius; aiunt enim, impoſsibile eſſe, humanitatem Chriſti formalitèr ſanctificari aliqua ſanctitate increata, ſed neceſſariam ad hoc eſſe poſitionem gratiæ habitualis, à qua præciſè reddatur formalitèr iuſta, & ſancta. Sic tenet Palud. in 3. diſt. 13. quæſt. 2. in 4. opinione, quam ipſe ſequitur concluſ. 1. Ricard. ſup. artic. 8. §. *Occurrit hic*, Marſil. in 3. quæſt. 10. artic. 1. concl. 1. Durand. in 3. diſt. 12. quæſt. 2. num. 5. Capræol. eadem diſt. quæſt. vnic. art. 3. in princ. & nonnulli Thomiſtæ Recentiores, vt Medina 3. part. quæſt 7. art. 1. Cabr. 3. part. quæſt. 7. art. 1. diſp. 2. §. 3. & plures alij in ſuis manuſcriptis.

Præter Authores autem, qui nobiſcum conuenere quoad ſanctificationem humanitatis Chriſti per Deitatem, extant etiam, qui nobiſcum diſconuenere acritèr defenſantes, non ſanctificari Chriſti humanitatem per habitualem gratiam (licèt non ideò illam excludãt à Chriſto Domino, imò, neceſſario admittendam eſſe, dicant, ad varia munera exercenda) circa quod ſolum eſt diſſidium ad quæſt. ſeq. examinandum; addunt tamen aliqui ex illis, ad hoc eſſe neceſſariam, vt anima Chriſti Domini eſſet ſancta, non abſolutè, & ſimpliciter, ſed eo genere ſanctitatis, quo à gratia habituali petitur, vt nullum genus ſanctitatis Chriſto deeſſet. Sic in terminis Hurtado Complut. diſp. 7. diffic. 3. §. *Fuit ergo.* Ad quam ſententiam poteſt reduci P. Suar. quatenus hoc art. diſp. 18. ſect. 1. & 2. aſſerit neceſſariam fuiſſe poſitionem gratiæ habitualis in anima Chriſti ad debitam illi⁹ diſpoſitionem, & ad perfectam participationem Diuinitatis, & conſummatam iuſtificationem; ad eandem etiam poteſt reduci Lorca hic diſp. 37. num. 13. §. *Dicendum.* Quatenus dicit, conſtituendam eſſe huiuſmodi gratiam habitualem in humanitate Chriſti, vt eſſet ornata intrinſecè hac perfectione, & ſanctitate, quæ maxima eſt, & multum eleuat naturam creatam, denique R. & Illuſtriſsimus M. Godoy cum pluribus, quos citat, docet diſp. 23. §. 1. num. 6. quod gratia habitualis fuit neceſſaria in anima Chriſti domini, vt elliceret connaturalitèr actus ordinis ſupernaturalis, & R. P. M. Fr. Ioann. à Sanct. Thoma hic diſp. 8. artic. 2. docet gratiam habitualem fuiſſe in Chriſto neceſſariam, ad plures effectus, ad aliquos ſimplicitèr, ad alios cõnaturalitèr.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo; quod ſicut anima rationalis, indiuiſibilis cum ſit, habet ex ſe tribuere materiæ diuerſos effectus formales, iuxta diuerſas virtualitates, quas habet, nimirum, vegetandi, ſentiendi, & ratiocinandi, & præter hos, quos in ordine ad ſubiectum exprimit, habet conſtituere compoſitum formalitèr in eſſe principij radicalitèr operandi actiones ſibi proprias, vegetandi, ſcilicèt, ſentiẽdi, & ratiocinandi; & ſecundum primũ munus exprimit eſſe eſſentiæ, & ſecundum poſterius exprimit eſſe naturæ; ita ha-

habitualis gratia, etiam ſi indiuiſibilis ſit, habet ex ſe tribuere animæ, quæ ſe habet vt materia, diuerſos effectus formales, iuxta diuerſas virtualitates, quas præhabet, nimirum reddere illam formalitèr participem Diuinæ naturæ, iuxta illud 2. Petri 1. *Maxima, & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt per eam efficiamur Diuinæ naturæ conſortes.* Et conſtituere filium Dei adoptiuum, iuxta illud ad Rom. 8. *Quicumque ſpiritu Dei aguntur* (ſcilicèt, per inhabitantem in illis Spiritus Sancti gratiam) *hi ſunt filij Dei.* Conſtituere etiam animam hæredem vitæ æternæ, iuxta illud etiam ad Rom. 8. *Quod ſi Filius, & hæres per Deum*, & denique conſtituere illam in ordine ita eleuato, & ſpirituali, vt ſit obiectum congruum amicitiæ, & Diuinæ dilectionis ſimpliciter, & ſi qui ſunt alij effectus, modò primarij, modo ſecundarij ad 1.2 quæſt. 113. explicandi, & præter hos habet conſtituere animam formalitèr in eſſe principij radicalitèr operationis ſupernaturalis; etenim cum, vt docet Sanct. Thom. in 3. diſt. 13. quæſt. 1. art. 1. *Gratia habitualis vita animæ dicatur, ſicut anima vita corporis.* Sicut in ordine naturali datur aliqua forma, media qua formalitèr viuat corpus, & formalitèr ſit principium radicalitèr operandi, & proximè medijs ſuis potētijs, ita in ordine ſupernaturali datur aliqua forma, media qua anima, quæ comparatione huius vitæ mortua eſt, viuat, & ſit principium formalitèr radicalitèr operandi actiones ſupernaturales, & proximè medijs ſuis virtutibus, quæ ab ipſa oriuntur, ſicut potentiæ ab eſſentia animæ, vt docet idem Sanct. Thom. 1.2. quæſt. 100. art. 4. per hæc verba: *Ad primum ergo dicendum, quod ſicut ab eſſentia animæ efluunt eius potentiæ, quæ ſunt operum principia; ita etiam ab ipſa gratia efluunt virtutes in potentias animæ, per quas potentiæ mouentur ad actus*, & ſecūdum primum munus exprimit eſſe eſſentiæ, & ſecundum poſterius exprimit munus naturæ. Etenim vt docet idem Sanct. Doctor 1.2. quæſt. 111. artic. 2. *Gratiæ habitualis duplex eſt effectus; primus eſt eſſe; ſecundus operatio: in quantum igitur gratia habitualis animam ſanat, vel iuſtificat, ſiuè gratam Deo facit, dicitur gratia operans* (id eſt ſe ſola per modum cauſæ formalis) *in quantum vero eſt principium operis meritorij, dicitur gratia cooperans*, (id eſt efficientèr cum anima illam prius in eſſe naturæ informando.)

Obſeruo ſecundo; non eſſe idem aliquam formam habere vim ex ſe ad tribuendum aliquem effectum formalem ſubiecto, & illum formalitèr tribuere, ſi communicetur; nam poteſt ſubiectum eſſe impeditum aliquo impedimento, ratione cuius, etiam ſi forma illi communicetur, non exerceat ſuam cauſalitatem formalem, vel poteſt non eſſe capax talis effectus formalis, & ſic non communicari in eſſe talis formæ formalitèr, licèt aliàs forma in eſſe reali communicetur; qua ratione communitèr dicitur ad materiam de Trinitate, quod licèt communicetur cum natura Diuina Paternitas Filio, non tribuit ſuum effectum formalem, conſtituendo Filium Patrem, & idem de Spiritu Sancto, cui licet Paternitas, & Filiatio communicentur, Spiritus Sanctus, nec Pater dicitur, nec Filius, quia non communicantur in eſſe Paternitatis, & Filiationis; in Chriſto etiam Domino, licèt reperiatur gratia habitualis, quæ de ſe habet vim conſtituere filium Dei adoptiuum, illum talitèr non conſtituit, licèt ipſi communicetur, quia habet impedimentum, ſcilicèt, Filiationem naturalem, ratione cuius, etiam ſi gratia huiuſmodi vim habeat, non exercet ſuā cauſalitatem formalem, quoad hoc munus; & in alijs quam plurimis exemplis poteſt hoc demonſtrari, ex quibus aliqua à nobis dicta ſunt quæſtione præc. art. 1. §. *Obſeruo tertio.*

Obſeruo tertio. Forma, quæ in ordine ad aliquod munus exercendum, formalem effectum præſtat, poteſt in ordine ad alium effectum radicalem ſolum præſtare; ſic enim anima adhuc in eſſe naturæ conſiderata, & vitæ præciſè, poteſt dici conſtituere corpus formalitèr in eſſe principij motus, & quietis ſibi proportionati, & poſtea compoſitum ſic in ordine principij formalitèr conſtitutum, radicalem ſolum influxum, ratione animæ, in operationes præſtare, prout ly *radicalem* influxui opponitur proximo, quo gaudent potentiæ ſuperadditæ, iuxta principia Sanct. Thom. quæ nos latè proſecuti ſumus lib. 1. de ani-

anima diſp.2.quæſt.1.artic.1. per totum; ita ſanctitas in eſſe naturæ præciſe conſiderata, poteſt dici conſtituere formaliter animam, cuius eſt actus in eſſe principij formaliter motus ſibi proportionati, & poſtea anima in ordine principij ſic formaliter conſtituta, radicalem ſolum influxum, ratione gratiæ, in operationes præſtare, prout *radicalem* opponitur influxui proximo, quo gaudent ſuperadditæ potentiæ ſupernaturales, iuxta doctrinam etiam Sanct. Thom. etenim cum iuxta illam in 3.diſt.13.q.1.artic.1. gratia vita animæ dicatur, cuius eſt perfectio, ſicut anima corporis, & ab ipſa, ſicut ab eſſentia animæ, efluāt virtutes in potentias, quæ ſunt operum principia, vt docet 1.2.quæſt.110.ar.4. ad 1. eodem proportionali modo phyloſophandum eſt, de gratia, ſaltèm prout in eſſe naturæ conſiderata reſpectu animæ, ac de ipſa anima in eſſe naturæ conſiderata reſpectu corporis.

Primo ex capite quæſtio reſoluitur.

ARTIC. II.

PRo cuius lucè ſtatuo priùs; quod gratia habitualis vim habet ex ſe ad tribuendum effectum ſanctitatis, tam in eſſe eſſentiæ, quam naturæ; etenim cum ſit formalis Diuinæ naturæ participatio, ſicut natura Diuina vim habet ex ſe ſanctificandi formaliter Patrem, Filiū, & Spiritum Sanctum, tam in eſſe eſſentiæ, quia eſt prima ſpiritualitas, in qua, vt docet Sanct. Thom. 3. part. quæſt. 34. art. 1. ſanctitas formaliter conſiſtit; & in eſſe naturæ, quia ratione illius Pater, Filius, & Spiritus Sanctus elliciunt operationes increati ordinis; ita habitualis gratia ex ſe habet vim ſanctificandi formaliter animam, tam in eſſe eſſentiæ, quia ipſa eſt prima ſpiritualitas participata; & in eſſe naturæ, quia ratione illius anima ellicit operationes ſupernaturales ordinis creati, & totum ſanctitatis genus exhauſtum manet in hoc duplici aſsignato. Quo ſtatuto.

Reſolutio noſtra ſit. Gratia habitualis non præſtat humanitati Chriſti effectum formalem ſanctitatis ad eſſe eſſentiæ pertinentem, neque ad hoc munus fuit neceſſaria in Chriſto Domino. Primo, quia eſt expreſſa mens Sanct. Thom. à nobis adducti tota quæſt. præced. & plurimorum Patrum, cum quibus probauimus, Deitatem eſſe formam formalitèr ſanctificantem humanitatem Chriſti, ſaltèm in eſſe eſſentiæ, vt liquet art. 4. per totum. Secundo ſic. Prætioſiori ſanctitate, ſaltèm in eſſe eſſentiæ, debet ſanctificari humanitas Chriſti Domini formalitèr, quam cæteri iuſti, qui ſunt naturæ Diuinæ conſortes; iuxta illud Pſal. 44. *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Vt explicat Fulgent. lib. 3. ad Traſimund. Atqui cæteri iuſti, & conſortes Chriſti ſanctificantur formalitèr gratia habituali ſanctitate in eſſe eſſentiæ, & ad hoc munus illis confertur, vt in confeſſo eſt apud omnes. Ergo ſi Chriſtus Dominus debet ſanctificari prætioſiori ſanctitate, quam conſortes illius, vt denotat particula illa *præ*, non debet formalitèr ſanctificari ſanctitate in eſſe eſſentiæ à gratia habituali, neque ad hoc munus eſt tribuenda Chriſto, vel eius humanitati.

Confirmatur primo. Licèt natura Diuina habeat ex ſe, poſſe ſanctificare formalitèr, quoad eſſe eſſentiæ, & naturæ ſanctitatis; reſpectu tamen animæ Chriſti, ſolum præſtat effectum ſanctitatis quoad eſſe eſſentiæ, non præſtito effectu ſanctitatis quoad eſſe naturæ, vt conſtat ex quæſt præced artic. 5. & 6. propter diſtinctionem virtualem, vel eminentialem, quæ reperitur in ipſa, vt potente cauſare vtrumque effectum. Ergo licèt gratia habitualis habeat ex ſe, poſſe ſanctificare formalitèr, quoad eſſe eſſentiæ ſanctitatis, & naturæ; at reſpectu humanitatis Chriſti poterit ſolum præſtare effectum formalem ſanctitatis in eſſe naturæ, non præſtito quoad eſſe eſſentiæ, propter diſtinctionem virtualem, vel eminentialem, quæ reperitur in ipſa, vt potente cauſare vtrumque effectum.

Confirmatur ſecundo. Non repugnat, aliquam formam vniri ſubiecto, & non tribuere illi ſuum effectum formalem, quoad omnia, quæ poteſt, vel quia non vnitur in eſſe talis formæ formalitèr, vel ſi vnitur, non eſt capax ſubiectū ad illum recipiendum, modò ſit hæc incapacitas propter aliquam conditionē, quam ſubiectum habet, ratione cuius dicit repugnantiam cum huiuſmodi effe-

Argumenta contra reſolutionem ſoluta.

ARTIC. V.

CÆterum in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij Sanct. Thom. in 3. diſt. 13. quæſt 1. art. 1. interrogantem: *Vtrum in Chriſto fuerit gratia habitualis?* Sic in corp. alloquentem: *Reſpondeo dicendum, quod gratia principalitèr duo facit in anima; primo enim perficit ipſam formalitèr in eſſe ſpirituali, ſecundum quod Deo aſſimilatur, vnde, & vita animæ dicitur; ſecundo perficit eam ad opus, ſecundum quod à gratia emanant virtutes, & vires, vt ab eſſentia animæ, quia non poteſt eſſe operatio perfecta, niſi progrediatur à potentia perfecta per habitum; & propter hæc duo opportet ponere gratiam in anima Chriſti, quia cum ſit perfecta in eſſe ſpirituali, opportet, quod ſit aliquid perficiens illam formalitèr in eſſe illo; Deitas autem non eſt formalitèr ſed effectiue perficiens ipſam; vnde opportet aliam formam creatam in ipſa ponere, qua formalitèr perficiatur, & hæc eſt gratia.* Eadem ferè verba habet in ſcripto ad Anibald. ſupr. 3. diſt. 13. quæſt. 1. artic. 1. cuius titulus: *Vtrum aliqua gratia in Chriſto fuerit creata?* Ergo ex mente Sanct. Thom. forma ſanctificans formalitèr humanitatem Chriſti non eſt Deitas. Reſpódeo quod Sanct. Thom. in his locis ſolum contendit, neceſſariam eſſe poſitionem alterius formæ ſanctificantis in alio ordine, ſcilicèt, creato, vt liquet ex titulis articulorum, & ex vltimis illis verbis: *Vnde opportet aliam formam creatam in ipſa ponere.* Ex quibus colligo, vltra hanc aliam cognoſci à S. Doctore, licèt illius non meminerit, quia ad propoſitum nō pertinebat, quod nos etiam concedimus, & latè probabimus quæſt ſequen. Quando autem Sanct. Thom. docet, illa munera non poſſe prouenire formalitèr à Deitate, verum docet, ſecundum quod illa munera ordinantur ad perfectam operationem *progrediendam per habitum*, vt ipſe loquitur, & ſic formalitèr non cauſari à Deitate, ſed effectiuè, quatenus cauſat efficientèr habitum creatum, à quo progrediantur perfectæ operationes in eſſe ſupernaturali; non tamen negat alterum genus cauſandi formalitèr Deitatis in anima Chriſti Domini, ſanctificationis, ſcilicèt, præciſſe ſubſtantialis in eſſe eſſentiæ, quod genus ſanctificationis ex ſuo conceptu non ordinatur ad operationes perfectè elliciendas, vel ſi ordinatur ſolum eſt in ſubiecto capaci; humanitas autem non eſt capax operandi per actiones Diuinas Deitatis, cum de conceptu harum, cum ſint vitales, vt potè intellectionis, & volitionis, ſit, quod maneant in principio, à quo proueniunt.

Opponunt ſecundo. Vnio humanitatis non eſt facta in natura Diuina, vt definiunt Concilia, Calcedon. act. 5. Lateran. conſul. 5. Florent. in litteris vnionis, tria Toletana 4. 6. & 11. Hiſpal. 2. & plura Patrum teſtimonia teſtantur, quæ omnia erudite tractata videri poſſunt apud Bellarm. tom. 1. lib. 3. de Chriſto. Ergo humanitas Chriſti nequit formalitèr per naturam Diuinam ſanctificari, non enim ſanctitas ſanctificare valet formalitèr, niſi ſit vnita formalitèr. Reſpondeo vnionem mediatam ſufficere ad hoc, vt natura Diuina humanitatem Chriſti formalitèr ſanctificet, vt liquet ex toto artic. præced. & præcipuè ex §. *Dices ex doctrina.* Quam vnionem, nec Concilia, nec Patres negauere vnquam diuinæ naturæ reſpectu humanitatis.

Inſtabis. Si ſola vnio mediata ſufficeret, vt natura Diuina redderet ſanctam humanitatem Chriſti, etiam eadem mediata vnio reperta inter Immenſitatē, Omnipotentiam, Æternitatem, Immortalitatem, & id genus alia, cum humanitate, eſſet ſufficiens, vt illam Immenſam, Omnipotentem, Æternam & Immortalem formalitèr redderent; non enim videtur maior ratio vnius, quam alterius: atqui huiuſmodi mediata vnio non eſt ſufficiens ad hos effectus formales tribuendos, vt in confeſſo eſt apud omnes. Ergo neque illa ad effectum ſanctificationis formalem. Inſto argumentum in omnium ſententia. Licèt perſonalitas Diuina infinitum diſtet ab humanitate, & qua communicata mediatè communicantur cætera in argumento relata, cum non videatur maiorem vim habere naturam, vt ipſa communicata, attributa illa communicentur, quam perſonalitatem, vt hac communicata, attributa illa, ſaltèm cum ali

qua

Digitized by Google

qua maiori mediatione, humanitati cõmunicetur; & nihilominus in omnium ſententia, perſonalitas Diuina tribuit effectum ſuum formalem humanitati, & non tribuunt ſuos effectus formales numerata attributa; ac proinde argumentum in omnium currit ſententia; diſparitatem, quam illi adduxerint, adducam. Ergo.

Reſpondeo ergo pro omnibus. Solam vnionem mediatam formæ, vel quaſi formæ cum ſubiecto ſufficere, vt forma illi tribuat ſuum effectum formalem, ſi aliàs ſubiectum capax ſit illiꝰ, vt conſtat ex hac quæſt. art. 1. §. *Obſeruo tertio*. Imò ſi ea vnio immediata eſſet, ſi aliàs ſubiectum non eſſet capax effectus, illum non tribueret, vt art. ſeq. dicemus de hac ſanctitate, quæ licèt re ipſa communicata fuerit humanitati, tribuit illi effectum ſanctitatis per modum eſſentiæ, & non tribuit per modum naturæ; quia tamen natura humana capax eſt infinitæ ſubſiſtentiæ, (vt fide magiſtra omnes concedunt) & infinitæ ſanctitatis, ſaltèm in eſſe eſſendi, ita vt aliqui gratiæ habituali hanc infinitatem tribuant, & nos etiam cum illis inferius. ideò huiuſmodi formæ, vel quaſi formæ tribuunt ſuos effectus formales: Ex attributis autem enumeratis, cũ alia ſint primariò ordinata ad operationẽ, vt de Omnipotentia, & repugnet humanitatem omnia poſſe, aliàs ſe ipſam produceret; ideò huiuſmodi effectꝰ formalis repugnat illi, licèt intercedat mediata vnio; alia autem, licèt non ordinentur primariò ad operationem, humanitas tamen habet conditionem effectibus repugnantem, vt communitèr dicitur de gratia habituali, quod licèt ſit illius proprium conſtituere filium adoptiuum, quia tamen Chriſtus Dominus habet conditionem effectui repugnantem, ſcilicèt, eſſe Filium naturalẽ, ideò, licèt illi communicetur, non tribuit illi huiuſmodi effectum formalẽ, & idem eſt de alijs attributis enumeratis; humanitas enim habet conditionem omnino repugnantem effectui formali Immenſitatis, & Immortalitatis, ex qua parte ab intrinſeco eſt circumſcripta localitèr, quia creata, repugnat illi effectus formalis Immenſitatis, qui eſt reddere ſubiectum incircumſcriptum localitèr; qua etiam parte ab intrinſeco eſt mortalis; & corruptionis capax, habet conditionem repugnantem ad effectum formalem Immortalitatis, qui eſt reddere ſubiectum immortale, & corruptionis incapax.

Opponunt tertio. Vt aliqua forma, vel quaſi forma communicet ſubiecto ſuum effectum formalem, debet vniri cum illo in ratione talis formæ formalitèr; eo enim ſi à Diuino Verbo natura lapidis aſſumeretur, non conſtitueret lapidem perſonam, ſed ſubſiſtentem, quia perſonalitas Diuina non vniretur formalitèr lapidi in eſſe perſonalitatis, ſed ſubſiſtentiæ, cum eſſe perſonalis incapax ſit quæcumque natura, quæ non ſit rationalis: atqui Deitas, vel natura Diuina non vnitur humanitati Chriſti in eſſe Deitatis, & naturæ formalitèr, cum illam non conſtituat formalitèr Deam, nec principium operandi actiones Intelligendi, & volẽdi increato modo, quod petit conceptus naturæ in illo ordine, in quo talis eſt. Ergo humanitas Chriſti Domini nequit formalitèr à Deitate ſanctificari.

Hoc argumentum ita præſſit Magiſtrum quendam Salmantinum, vt propter hoc iudicet impoſsibile, humanitatem Chriſti à Deitate formalitèr ſanctificari. Verum parum mihi videtur difficultatis habere; quare reſpondeo, quod Deitas ſolum ſanctificat humanitatem Chriſti ſanctificatione formali quoad eſſe eſſentiæ, quatenus illam conſtituit in tam ſupremo gradu immaterialitatis, & ſpiritualitatis, quod ſit formalitèr Deificata; quod autem dicatur Dea, vel non, vocum magis, quam rerum eſt litigium: non autem ſanctificat illam ſanctificatione formali quoad eſſe naturæ propter incapacitatem ſubiecti ad operandum Diuino, & increato modo, licèt ratio ſanctitatis in eſſe eſſentiæ, & in eſſe naturæ formalitèr idemtificentur in Deitate, ſicut in exemplo ab ipſo in argumento adducto de perſonalitate Verbi cernere liquet; quare formalitèr vnitur humanitati Deitas, prout exprimit munus ſanctitatis in eſſe eſſentiæ formalitèr, non autem vnitur prout exprimit munus ſanctitatis in eſſe naturæ formalitèr; quod autem petit natura eſt, quod ſit principium operandi, quando in eſſe talis forma-

Digitized by Google

litèr vnitur, & in ſubiecto capaci, ſecus autem quando, nec vnum habet, nec aliud.

In calcè articuli ſubiungo; quod ſicut ad hoc quod Verbum Diuinum dicatur formalitèr ſanctum ſanctitate per eſſentiam, ſcilicèt, per Deitatem formalitèr, petitur, vt conditio neceſſaria, quod ſit intime vnita cum ſubſiſtentia Verbi, aliàs enim non magis ſanctificaretur ſubſtantialitèr per illā, quam Pater, & Spiritus Sanctus; ita ad hoc quod ipſa ſanctitas per eſſentiam ſanctificet humanitatem Chriſti, petitur, vt conditio, quod ſit perſonalitas Verbi vnita hypoſtaticè humanitati, aliàs enim non magis ſanctificaret Chriſtum, quam reliquos iuſtos, cum quibus vnitur, vel per illapſum, vt vult Gandauenſis, per inhabitationem, ſcilicèt, Deitatis in eorum ſubſtantijs, vel per habitationem in cordibus eorum per charitatem, vel per alios modos, quibus Diuinitas vnitur, nimirum per vnionem corporis Chriſti, & ſanguinis cum ſuſcipiente digno, per vnionem, quam habebat corpus Chriſti cum ſua Beatiſsima Matre in ſuis viſceribus; in quibus caſibus, non alia de cauſa poſſumus colligere, non ſanctificari animas Deitate vltra ſanctificationem, quam per gratiam habitualem haberent, niſi quia in omnibus deficiebat conditio neceſſaria ad ſanctificationem, nimirum, hypoſtatica vnio inter Deitatem, & humanitatem reperta: & hoc argumentum non pugnat ſpecialitèr contra noſtram reſolutionem, ſed contra quālibet aſsignantem ſanctitatem Diuinam reſpectu humanitatis Chriſti, vt plane conſtat.

Quæſtio vndique deciſſa.

ARTC. VI.

Reſolutio prima ſit. Humanitas Chriſti Domini non ſanctificatur formalitèr per gratiam vnionis, ſeu per Deitatem ſanctitate in eſſe naturæ formalitèr, ſed ſolum in eſſe eſſentiæ ſanctitatis. Primo, quia eſt expreſſa mens Sanct. Thom. quotieſcumque aſsignat rationem, propter quam ponenda eſt gratia habitualis in Chriſto, ferè ſemper id probat propter neceſsitatem operationis creatæ ſupernaturalis. quæ non poterat oriri, niſi ab aliqua ſanctitate, quæ ſe haberet in eſſe naturæ, & principij talis operationis. Sic tenet in hac quæſt. 7. articul. 1. in corp. & ad 2. & quæſt. 8. articul. 5. in corp. & ad 3. per hæc verba aſsignans diſcrimen inter gratiam vnionis, & gratiam capitis, quæ eſt gratia habitualis, vt poſtea videbimus: *Gratia capitis ordinatur ad aliquem actum, gratia autem vnionis non ordinatur ad actum.* Id etiam expreſsit in diſput. quæſt. vltim. quæ eſt de gratia Chriſti art. 1. in concl. ſic ait: *Præter gratiam vnionis increatam, fuit alia habitualis gratia animæ eius neceſſaria, qua Deo vniretur per actum fruitionis.* Idem habet in toto corp. & ad 7. dicit: *Quod vnio Diuinitatis ad animam Chriſti ſufficit ad hoc, quod eſt.* Et eadem ferè verba habet in 3. diſt. 13. quæſt. 2. articul. 1. ad 7. aſsignans diſcrimen inter vnionem gratiæ cum humanitate, quantum ad operationem, & quantum ad eſſe; primam tribuit gratiæ habituali, ſecundā Deitati in perſona Diuina incluſſæ. Ergo iuxta mentem Sanct. Doctoris, humanitas Chriſti Domini non ſanctificatur formalitèr per Deitatem ſanctitate in eſſe naturæ, ſiquidem ad hoc aliā Sanct. Thom. requirit ſanctitatem, ſed ſolum ſanctitate formali in eſſe eſſentiæ, ad quam, cum non ordinetur ad actum, ſed ad eſſe, vt docet Sanct. Th. *ſufficit vnio Diuinitatis ad animam Chriſti*; vt verbis ipſius concluſionem deducam.

Secundo probatur poſitio noſtra ratione mihi ſatis efficaci. Sanctitas formalis in eſſe naturæ eſt illa, quæ talitèr elleuat ſubiectum, vt ex vi huius eleuationis operationes elliciat, ita ſupernaturales, vt meritoriæ euadant ſupernaturalis præmij, vt conſtat ex hac q. artic. 1. §. *Obſeruo ſecundo.* & ex communi omnium Theologorum, & Phyloſophorum aſsignantium diſcrimen inter eſſentiam formalitèr, & naturam, explicantium iſtam in ordine ad operationem, cuius eſt principium; iuxta definitionem naturæ ab Ariſtotel. 2. Phyſicor. adductam: *Natura eſt principium motus, & quietis, &c.* illam autem in ordine ad ſubiectum: atqui ex vi eleuationis humanitatis per Dei-

ta-

Digitized by Google

tatem, non poteſt humanitas operationes ellicere ſupernaturales, nec meritorias ſupernaturalis præmij; etenim operari nequit per Deitatem, tanquam per eius principium *quo* operandi, cuius actus capax non eſt humanitas Chriſti, propter differentiam naturæ, vt docet S. Thom. in hac quæſt. 7. art. 1. ad 2. ac proinde, nec principij actus per modũ naturæ. Præterquam quod cum ſpecificatio operationum à principio *quo* dependeat, qua parte hoc haberent, dicerentur phyſicè increatæ, ſicut ipſũ principium *quo*, aliàs, quia ab humanitate ellicerentur phyſicè, creatæ fuiſſent. Ergo ſi humanitas Chriſti Domini ſanctificata fuit formalitèr ſanctitate per eſſentiam, ſcilicèt, per Deitatem, vt toto art. præc. probauimus, ſolùm fuit ſanctificata ſanctitate in eſſe eſſentiæ formalitèr, non autem in eſſe naturæ.

Confirmatur. Quia non repugnat, immo pluries contingit in formalitatibus Diuinis, quòd licèt ſummam identitatem, adhuc formalem, habeãt, propter ſuam eminentiam, vnam, & eãdem vniri, ſecundum quod vnum munus exprimit, non vnita ſecundum quod exprimit aliud, vt ad hanc quæſt. art. 1. §. *Obſeruo tertio.* Docui, præcipuè ſi ſubiectum, cui vnitur, non ſit capax vtriuſq; muneris. Ergo non implicabit, immo congruenter dicetur, quod licèt ratio eſſentiæ, & naturæ in Deitate per modum formæ formalitèr ſanctificantis, adhuc formalitèr identificentur, quod ſecũdum munus ſanctitatis in eſſe eſſentiæ præciſſe communicetur, incõmunicata ſecundũ munus ſanctitatis in eſſe naturæ, præcipuè cum humanitas incapax ſit huius generis ſanctitatis.

Cæterum in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij. Humanitas Chriſti Domini ratione huius ſanctitatis habet ius ad Beatitudinem; de conceptu enim cuiuſcumque ſanctitatis eſt illud habere, & ſic illud habent iuſti, & ſancti ſanctitate participata: atqui hoc ius ad beatitudinem non eſt, niſi medio principio operatiuo in eſſe talis formalitèr, & media operatione ab hoc, vt tali formalitèr ellicita, hoc enim modo gratia habitualis illud habet. Ergo ſi humanitas Chriſti Domini habet hoc ius ratione Deitatis ſibi formalitèr vnitæ, non ſolum vnitam habet in eſſe eſſentiæ ſanctitatis, ſed in eſſe naturæ, per quã formalitèr elliciat operationes ad beatitudinem conducentes. Facit etiam pro hac parte, quod ratione huius ſanctitatis dicitur Chriſtus Filius Dei naturalis, ſicut ratione ſanctitatis creatæ dicitur homo fili⁹ adoptiuus; Filio autem naturali debentur bona Paterna, ſcilicèt beatitudo meliori titulo, quam filio adoptiuo. Ergo intentum.

Reſpondeo; quod Humanitas Chriſti Domini ratione Deitatis habet ius ad beatitudinem, quaſi formale, non autẽ ius effectiuum, quod ſolum dicit ordinem ad beatitudinem media operatione, & vtrumque reperitur in homine iuſto ratione gratiæ habitualis, propter conuenientiam ſubiecti cum forma ſanctificante; primum enim ſolum reperitur in humanitate Chriſti ratione ſanctitatis prouenientis à Deitate. Per quod patet ſolutio ad confirmationem Filio enim naturali debentur bona Paterna eo modo, quo naturalis dicitur; nam ſi dicatur naturalis, quia habet naturã Patris, cõſiderata natura præciſſe in eſſe eſſentiæ, dicetur habere ius quaſi eſſentiale, vel formale ad bona Paterna, & huiuſmodi bona illi deberi debito formali; ſi autẽ dicatur naturalis, quia habet naturam Patris, conſiderata natura, non ſolũ in eſſe eſſentiæ, ſed in eſſe naturæ formalitèr, dicetur habere ius quaſi effectiuũ ad bona Paterna, & huiuſmodi bona illi deberi debito effectiuo; homini autẽ ratione gratiæ habitualis, & filiationis adoptiuæ debentur bona Paterna debito formali, & effectiuo; nõ tamen ideò meliori titulo deberi, quã naturali Filio.

Pro quo alta mente conſiderandum eſt id, quod ex doctrina S. Thom. in hac quæſt. ar. 1. ad 2. diligentèr inueſtigaui, nimirum, quod Chriſtus Dominus habet ius ad bona Paterna pluribus titulis, & totidem etiam titulis debetur ipſi æterna hæreditas, primo enim Chriſtus habet naturam eandem Patris æterni intimè vnitã, & idẽtificatã cũ perſonalitate ex vi generationis æternæ, hoc modo ſanctus eſt eadẽ ſanctitate Patris, ſcilicèt Deitate, non ſolum ſumpta in eſſe eſſentiæ ſanctitatis, ſed naturæ, qua ratione, & habet ius, nõ ſolũ eſſentiale, vel formale, ſed effectiuum; ratione que

huius debentur ipſi debito formali, & effectiuo hæreditas æterna, & Paterna bona, quæ eſt ipſa beatitudo increata, cum ipſa Deitas in perſona Verbi (quæ aliàs naturam humanam terminat) ſit principium *quo* cognitionis, & amoris Dei, quo Pater ſe ipſum cognoſcit, & amat, vt in hoc loco dicit Sanct. Thom. & hoc modo nulli dubium, quod meliori titulo debeãtur bona Patris Filio naturali, quã adoptiuo; nam licèt vtique debeantur debito formali, & effectiuo fundato in vtroque iure; naturali tamen Filio debentur debito formali, & effectiuo increato, & infinito in eſſe phyſico fundato in vtroque iure increato etiã, & infinito quaſi phyſicè; adoptiuo autem Filio ſolum debẽtur bona Patris debito formali, & effectiuo creato, & phyſico, ſaltẽ in eſſe phyſico fundato in vtroq; iure creato etiã, & finito quaſi phyſicè, vel in eſſe phyſico, quidquid de morali ſit.

Alio etiam capite Chriſtus Dominus habet ius ad bona Paterna, ipſique debetur æterna beatitudo, quæ ſunt bona Patris, nimirum, quia habet naturam Diuinam ſibi vnitam, & per illam tanquam per formam ex vi Incarnationis humanitas eius eſt formalitèr ſanctificata, & ratione huius ſanctificationis habet etiam ius ad bona Paterna, ſcilicèt ad æternam beatitudinem; ſed quia huiuſmodi ius ſolum eſt formale, quod reſpicit ſubiectum ſanctificatum, præſcindendo à modo operandi, non autem effectiuum, quod ſolum attenditur penes ordinem ad actum, quem poteſt ſubiectum talitèr ſanctificatum elicere, cuius actus capax non erat anima Chriſti Domini propter differentiam naturæ, vt docet Sanct. Thom. ideo Chriſto Domino hoc modo conſiderato, ſcilicèt, ex vi huius ſanctificationis à Deitate, ſolum debentur bona Patris, ſcilicèt, æterna beatitudo debito formali, iuri etiam formali correſpondenti; debito autem effectiuo ſolum debetur ipſi beatitudo ratione habitualis gratiæ, ex vi cuius, tanquam ſanctitate in eſſe naturæ, attingeret Deum per actũ fruitionis creatum, vt in eodem loco docet S. Thom. ac proinde Chriſto, etiam vt homini ſumpto, non debetur beatitudo inferiori titulo, quam cuilibet Filio adoptiuo, ſed multo excellentiori; ſiquidem vltra id, quod eſt deberi ipſi debito formali, & effectiuo, ſicut cuilibet iuſto debitum tamen formale Chriſti eſt in altiori ordine ſupra debitum formale iuſtorum, vtpotè illum immediatè in Deitate fundatum, hoc autem in habituali gratia, imò, & effectiuum, nam licèt vtrumque in gratia habituali fundetur, ipſa tamen gratia habitualis maiorem quandam dignitatem importat in Chriſto, propter coniunctionem Deitatis, quam in cæteris iuſtis. Imò addo, etiam ſi ſolum haberet Chriſtus ius formale à Deitate proueniens, & careret iure effectiuo à gratia habituali orto, adhuc deberetur æterna beatitudo meliori titulo, quam cæteris iuſtis, eo quod ius illud formale, & formale debitum erat ita ſuperexcellens, & eminens, vt in illo, tanquam in perfectiori, contineretur quodlibet ius, vel debitum creatũ in ordine ad beatitudinẽ.

Opponunt ſecundo. Humanitas Chriſti Domini formalitèr ſanctificatur ſanctitate illa per eſſentiam, cuius noſtra ſanctificatio eſt formalis participatio: atqui noſtra ſanctificatio formalis eſt participatio ſanctitatis per eſſentiam, non ſolum in eſſe eſſentiæ, ſed naturæ; ſiquidem per illam non ſolum eleuati ſumus prima ſpiritualitate, ſed conſtituti principio operationum ſupernaturalium, quæ æternæ beatitudinis meritoriæ ſint, vt ex ſe liquet, ergo humanitas Chriſti Domini, non ſolum eſt ſanctificata per Deitatem ſanctitate in eſſe eſſentiæ, ſed naturæ.

Reſpondeo; quod humanitas Chriſti Domini ſanctificatur ſanctitate per eſſentiam, cuius noſtra in eſſe eſſentiæ præciſſe conſiderata eſt formalis participatio, non autem ſanctificatur ſanctitate per eſſentiam, cuius noſtra in eſſe naturæ conſiderata eſt formalis participatio, propter repugnantiam naturæ humanæ ad operandum per Deitatem, quod autem noſtra ſanctitas ſit formalis participatio Diuinæ ſanctitatis, tam in eſſe eſſentiæ, quam naturæ conſideratæ, non facit, quod ſi humanitati communicatur, cõmunicetur ſecundum omne id, ſecundũ quod participabilis eſt, communicatur enim reſpectiuè ad capacitatem ſubiecti: quan-

do

Digitized by Google

do autem dicitur communitèr, noſtrã ſanctificationem eſſe formalem participationem Diuinæ ſanctitatis, & naturæ, intelligenda eſt diuina natura, & ſanctitas Diuina, prout exiſtit in tribus perſonis; qua ratione operatiua etiam eſt per ſuos actus voluntatis, & intellectus increatos, ſicut noſtra ſanctitas per actus intellectus, & voluntatis creatos; non autem prout in ſubiecto creato exiſtit, qua ratione munus operandi non exercet.

Sanctificatio à Deitate proueniens non eſt merè extrinſeca, & moralis, ſed intrinſeca, & phyſica.

ARTIC. VII.

Reſolutio noſtra ſit, partim contra Lorca, & partim contra Vazquez locis ſuperius citatis. Deitas nõ eſt forma merè extrinſeca, & moralis reſpectu humanitatis Chriſti, ſed intrinſeca, & phyſica. Probatur reſolutio; nam Deitas vnita humanitati reddit illam intrinſecè ſanctam, & phyſicè Deificatam; etenim licèt in eſſe rei conſiderata Deitas extrinſeca ſit humanitati, & forma merè moralis, potens, ſcilicèt, dignificare ſubiectũ, in eſſe tamẽ ſanctificationis, & prout vnibilis cũ humanitate, vel vt meliꝰ dicã, in eſſe ſanctificantis, & quaſi vnita cũ illa, forma eſt. vel quaſi forma intrinſeca, & phyſica intrinſecè, & phyſicè cõſtituẽs humanitatẽ ſãctã; eminentiori enim modo continet Deitas quidquid forma intrinſeca, & phyſica poteſt efficere vnita ſubiecto. Ergo ſicut ſi forma phyſica, & intrinſeca vniretur ſubiecto, phyſicè, & intrinſecè illud denominaret eo genere denominationis, quo à forma peteretur, & proinde illa forma non eſſet merè extrinſeca, & moralis, ſed intrinſeca, & phyſica in eſſe formæ; ita ſimilitèr Deitas humanitati vnita conſtituit illam intrinſecè, & phyſicè, ſcilicèt, in eſſe formæ, ſanctam, & non merè moralitèr, & extrinſecè.

Confirmatur hæc ratio, prout facit contra Lorcam. Omnia, quæ præſtat perſonalitas (quæ in eius ſententia eſt, quæ ſanctificat humanitatem Chriſti) ad hoc vt ſanctificet humanitatẽ Chriſti, præſtat altiori modo Deitas, nam ſi perſonalitas terminat naturam humanam, etiam natura, & Deitas ſaltèm ſecundariò terminat, quod non obeſt ad tribuendum effectum formalem, vt liquet ex art. 5. §. *Reſpondeo ergo*. Si perſonalitas ſe habet per modum formæ, licèt non ſit forma, & propter ſuam eminẽtiam præſtat effectus, quos in creatis præſtat forma, vt ipſe fatetur; etiam Deitas, licèt non ſit forma, poterit propter ſuam eminentiam effectus præſtare, quos in creatis præſtat forma; etenim nulla in eſſe rei conſiderata eſt intrinſeca humanitati. Exiſtentia item Diuina etiam extrinſeca eſt humanitati, imò, & ſubſiſtentia Diuina, & nihilominus illa in Thomiſtarum ſententia reddit humanitatem Chriſti formalitèr intrinſece exiſtentem; iſta in omnium ſententia formalitèr intrinſecè ſubſiſtentem. Ergo licèt Deitas in eſſe rei conſiderata ſit extrinſeca reſpectu humanitatis, poterit illi præſtare effectum formalem intrinſecum ſanctitatis.

Quod ſi cum Lorca loc. cit. numer. 15. dicas, quod licèt perſonalitas ſit extrinſeca reſpectu humanitatis, quia tamen vnio, & cauſatio eſt intrinſeca, poteſt tribuere effectum formalem intrinſecè. Contra eſt, meo iudicio, euidentèr. Licèt perſonalitas ſit quaſi forma extrinſeca reſpectu humanitatis, quia tamen cauſatio eſt intrinſeca, poteſt in eius ſententia tribuere effectum formalem intrinſecum? Ergo licèt Deitas ſit quaſi forma extrinſeca reſpectu humanitatis, quia tamen eius cauſatio eſt intrinſeca, poterit tribuere humanitati effectum formalem intrinſecum ſibi proportionatum: nec video quid poſsit reſpondere, niſi recurrat ad mediatam, vel immediatam vnionem, contra quod plura diximus art. 4. præcipuè, §. *Dices ex doctrina*.

Confirmatur vlteriùs concluſionis ratio, prout contra Vazq. facit, aſſerentem, Deitatem ſolum eſſe formam moralitèr ſanctificantem humanitatem Chriſti, non phyſicè. Nam forma ſanctificatiua in ordine ad ſubiectum arctiori vinculo ſe habet quam in ordine ad operationes, quas ſubiectum elicit; etenim cum his nullam habet vnionem phyſicam, ſed moralem, dignificando illas poſt ellicientiam; cum ſubiecto autem

non ſolum vnionem moralem habet, illud formalitèr dignificando, ſed phyſicam, illud phyſicè ſanctum conſtituendo, vt clarè cernitur in forma ſanctificatiua creata, quæ in ordine ad opera à ſubiecto ellicita ſolum ſe habet vt forma moralis illa dignificans per ellicientiã; dignitas enim non concurrit efficientèr, ſi vt talis formalitèr conſideretur, cum ſecundum hoc munus ad genus cauſæ formalis pertineat, non efficientis; in ordine tamen ad ſubiectum, in quo eſt informando, arctiori vinculo, & vnione ſe habet, conſtituendo illud formalitèr, & phyſicè ſanctum: atqui Deitas in ordine ad operationes, quas humanitas ellicìebat, ſe habet vt forma moralis, illas dignificando moralitèr infinito modo, vt communis fert Thomiſtarum ſenſus, vel ſaltèm finito modo ſimplicitèr, vt reliqui Doctores ad quæſt. 1. huius 3. part. volunt. Ergo in ordine ad humanitatem, cum qua tam intimã habent vnionem, arctiori vinculo per modum formæ ſe habeat, ac proinde phyſicè conſtituendo humanitatem ſanctam, & non ſolum moralitèr dignificatam, cum non repugnet cauſare effectus formæ phyſicæ, vt conſtat ex §. Præcedenti.

Vlterius ſic efficacitèr argumentor contra Vazq. Nam ſi Deitas ſolum eſſet forma moralis (quam in reſpectu extrinſeco humanitatis ad illam cõſtituit ipſe) moralitèr ſanctificans Chriſti humanitatem, nõ eſſet ratio, quare B. Virgo, dum Chriſtum Dominum ſuis portauit viſceribus, non ſanctificaretur ipſa Deitate in corpore Chriſti incluſa, & ſuſcipientes Euchariſtiam digne; etenim, & B. Virgo dicebat reſpectum extrinſecum ad Deitatem, quam portabat, ſaltèm mediante corpore Chriſti, ſicut modo humanitas Chriſti dicit reſpectum ad Deitatem ſibi vnitam mediante perſonalitate Verbi, quæ mediatio non obeſt, vt ipſe docet, ad ſanctificationem moralem; & ſuſcipientes digne Euchariſtiam dicunt reſpectum ad Deitatem mediante corpore Chriſti, quæ non obeſt etiam ad ſanctificarionẽ moralem; non enim videtur, minorẽ vnionem habere B. Virginem, & ſuſcipientes Euchariſtiam cũ Diuinitate, in qua poſsit fundari extrinſecus reſpectus ad illam, quam humanitatem Chriſti cum Diuinitate; ſiquidem hæc ſolum eſt, in eius ſententia, vnio moralis, & extrinſeca, qua nulla eſt alia minor; imò etiã ſi ſit phyſica, non oberit ad hoc, quod ſaltèm ſuſcipientes digne Euchariſtiã, Deitate ſanctificentur; etenim in eius ſententia, quam ſequitur tom. 3. in 3. part. diſp. 204. inter ipſos, & Chriſtũ, non ſolum datur vnio affectiua, quæ poteſt dici moralis, ſed phyſica, & ſubſtantialis. Ergo ſi Deitate humanitas Chriſti Domini ſolum moralitèr extrinſecè ſanctificatur, etiam B. Virgo, & ſuſcipientes Euchariſtiam Deitate ſubſtantialitèr ſanctificabuntur.

Dices cum Vazq. hoc argumentum etiam poſſe in terminis fieri contra noſtram ſententiam, in qua, vnionem mediatam ſufficere ad ſanctificationem Deitatis, diximus, vt liquet ex art. 4. §. *Dices ex doctrina*. Cæterum licèt poſsit fieri, non poteſt vim habere; tùm quia non quæuis mediatio ſufficit ad hoc, vt Deitas formalitèr ſanctificet, ſed mediatio fundata in vnione hypoſtatica, vt conſtat ex art. 5. §. *In calcè*. Quod non repetitur in caſibus adductis. Deinde quia mediatio, quam nos ponimus inter humanitatem, & Deitatem, non excludit reſpectum intrinſecum humanitatis ad Deitatem, nec tollit à Deitate, quod ſe habeat in ordine ad humanitatem per modum formæ phyſicæ, quod omne excludit mediatio à Vazq. poſita in humanitate ad Deitatem, vel inter humanitatem, & Deitatem. Præter quam quod, vnio reperta inter B. Virginem, dum Chriſtum in viſceribus portabat, & Diuinitatem, & reperta inter ſuſcipientes Euchariſtiã, & ipſam Deitatem, non eſt phyſica, ſed affectiua, & moralis, ratione cuius non poteſt hos phyſicè ſanctificare: difficultèr autem poteſt obuiari ſanctificatio moralis à ponentibus in Deitate ſolam ſanctificationem moralem, modò ſit moralitas reſpectus extrinſecus, vt vult Vazq. modò aliquid intrinſecum morale in humanitate repertum, vt volunt aliqui Salmanticenſes.

Quod ſi dicas; non eſſe, vnde colligatur, quod neceſſarium ſit, vt Deitas ſanctificet, & quod ſe habeat per modum formæ phyſicæ, & phyſicè ſit vnita ſubiecto, & non ſufficere ſe habere per modum formæ moralis, & moralitèr

tèr eſſe vnitam ſubiecto. Dic, quod ex duplici capite poteſt hoc colligi. Tum ex ipſa Deitate in tribus perſonis exiſtente, & illas per eſſentiam ſanctificante, in quibus, ac ſi eſſet forma phyſica, ſe habet, & cum tali vnione phyſica, quod identificata ſit cum illis. Tum etiam ex ſanctitate participata, quæ phyſica forma eſt, & phyſicam vnionem requirit, vt ſubiectum, in quo reperitur, formalitèr ſanctificet; quidquid autem habet participata ſanctitas, eminentiori modo reperiri debet in ſanctitate per eſſentiam, cuius illa eſt formalis participatio.

An gratia habitualis præſtet humanitati Chriſti aliquod ſanctificationis genus?

QVÆST. II.

IN Hac re, præter Authores, quos præcedenti quæſtione retulimus, negantes naturæ Diuinæ rationem ſanctificationis reſpectu humanitatis Chriſti, illam concedentes, iam perſonalitati Verbi, iam ipſi Verbo, iam vnioni intermediæ; ſuperſunt alij in hac quæſtione, qui licèt conueniant cum illis, quatenus negant rationem ſanctitatis reſpectu humanitatis naturæ Diuinæ, non tamen conueniunt cum illis in aſsignãda forma ſanctificatiua formalitèr illius; aiunt enim, impoſsibile eſſe, humanitatem Chriſti formalitèr ſanctificari aliqua ſanctitate increata, ſed neceſſariam ad hoc eſſe poſitionem gratiæ habitualis, à qua præciſè reddatur formalitèr iuſta, & ſancta. Sic tenet Palud. in 3. diſt. 13. quæſt. 2. in 4. opinione, quam ipſe ſequitur concluſ. 1. Ricard. ſup. artic. 8. §. *Occurrit hic*, Marſil. in 3. quæſt. 10. artic. 1. concl. 1. Durand. in 3. diſt. 12. quæſt. 2. num. 5. Capræol. eadem diſt. quæſt. vnic. art. 3. in princ. & nonnulli Thomiſtæ Recentiores, vt Medina 3 part. quæſt 7. art. 1. Cabr. 3. part. quæſt. 7. art. 1. diſp. 2. §. 3. & plures alij in ſuis manuſcriptis.

Præter Authores autem, qui nobiſcum conuenere quoad ſanctificationem humanitatis Chriſti per Deitatem, extant etiam, qui nobiſcum diſconuenere acritèr defenſantes, non ſanctificari Chriſti humanitatem per habitualem gratiam (licèt non ideò illam excludãt à Chriſto Domino, imò, neceſſario admittendam eſſe, dicant, ad varia munera exercenda) circa quod ſolum eſt diſſidium ad quæſt. ſeq. examinandum; addunt tamen aliqui ex illis, ad hoc eſſe neceſſariam, vt anima Chriſti Domini eſſet ſancta, non abſolutè, & ſimpliciter, ſed eo genere ſanctitatis, quo à gratia habituali petitur, vt nullum genus ſanctitatis Chriſto deeſſet. Sic in terminis Hurtado Compl. diſp. 7. diffic. 3. §. *Fuit ergo.* Ad quam ſententiam poteſt reduci P. Suar. quatenus hoc art. diſp. 18. ſect. 1. & 2. aſſerit neceſſariam fuiſſe poſitionem gratiæ habitualis in anima Chriſti ad debitam illius diſpoſitionem, & ad perfectam participationem Diuinitatis, & conſummatam iuſtificationem; ad eandem etiam poteſt reduci Lorca hic diſp. 37. num. 13. §. *Dicendum.* Quatenus dicit, conſtituendam eſſe huiuſmodi gratiam habitualem in humanitate Chriſti, vt eſſet ornata intrinsecè hac perfectione, & ſanctitate, quæ maxima eſt, & multum eleuat naturam creatam, denique R. & Illuſtriſsimus M. Godoy cum pluribus, quos citat, docet diſp. 23. §. 1. num. 6. quod gratia habitualis fuit neceſſaria in anima Chriſti domini, vt elliceret connaturalitèr actus ordinis ſupernaturalis, & R. P. M. Fr. Ioann. à Sanct. Thoma hic diſp. 8. artic. 2. docet gratiam habitualem fuiſſe in Chriſto neceſſariam, ad plures effectus, ad aliquos ſimplicitèr, ad alios cõnaturalitèr.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo; quod ſicut anima rationalis, indiuiſibilis cum ſit, habet ex ſe tribuere materiæ diuerſos effectus formales, iuxta diuerſas virtualitates, quas habet, nimirum, vegetandi, ſentiendi, & ratiocinandi, & præter hos, quos in ordine ad ſubiectum exprimit, habet conſtituere compoſitum formalitèr in eſſe principij radicalitèr operandi actiones ſibi proprias, vegetandi, ſcilicèt, ſentiẽdi, & ratiocinandi; & ſecundum primũ munus exprimit eſſe eſſentiæ, & ſecundum poſterius exprimit eſſe naturæ; ita ha-

Digitized by Google

anima diſp. 2. quæſt. 1. artic. 1. per totum; ita ſanctitas in eſſe naturæ præciſsè conſiderata, poteſt dici conſtituere formaliter animam, cuius eſt actus in eſſe principij formalitèr motus ſibi proportionati, & poſtea anima in ordine principij ſic formalitèr conſtituta, radicalem ſolum influxum, ratione gratiæ, in operationes præſtare, prout *radicalem* opponitur influxui proximo, quo gaudent ſuperadditæ potentiæ ſupernaturales, iuxta doctrinam etiam Sanct. Tho. etenim cum iuxta illam in 3. diſt. 13. q. 1. artic. 1. gratia vita animæ dicatur, cuius eſt perfectio, ſicut anima corporis, & ab ipſa, ſicut ab eſſentia animæ, effluãt virtutes in potentias, quæ ſunt operum principia, vt docet 1. 2. quæſt. 110. ar. 4. ad 1. eodem proportionali modo phyloſophandum eſt, de gratia, ſaltèm prout in eſſe naturæ conſiderata reſpectu animæ, ac de ipſa anima in eſſe naturæ conſiderata reſpectu corporis.

Primo ex capite quæſtio reſoluitur.

ARTIC. II.

PRo cuius lucè ſtatuo priùs; quod gratia habitualis vim habet ex ſe ad tribuendum effectum ſanctitatis, tam in eſſe eſſentiæ, quam naturæ; etenim cum ſit formalis Diuinæ naturæ participatio, ſicut natura Diuina vim habet ex ſe ſanctificandi formalitèr Patrem, Filiũ, & Spiritum Sanctum, tam in eſſe eſſentiæ, quia eſt prima ſpiritualitas, in qua, vt docet Sanct. Thom. 3. part. quæſt. 34. art. 1. ſanctitas formalitèr conſiſtit; & in eſſe naturæ, quia ratione illius Pater, Filius, & Spiritus Sanctus elliciunt operationes increati ordinis; ita habitualis gratia ex ſe habet vim ſanctificandi formalitèr animam, tam in eſſe eſſentiæ, quia ipſa eſt prima ſpiritualitas participata; & in eſſe naturæ, quia ratione illius anima ellicit operationes ſupernaturales ordinis creati, & totum ſanctitatis genus exhauſtum manet in hoc duplici aſsignato. Quo ſtatuto.

Reſolutio noſtra ſit. Gratia habitualis non præſtat humanitati Chriſti effectum formalem ſanctitatis ad eſſe eſſentiæ pertinentem, neque ad hoc munus fuit neceſſaria in Chriſto Domino. Primo, quia eſt expreſſa mens Sanct. Tho. à nobis adducti tota quæſt. præced. & plurimorum Patrum, cum quibus probauimus, Deitatem eſſe formam formalitèr ſanctificantem humanitatem Chriſti, ſaltèm in eſſe eſſentiæ, vt liquet art. 4. per totum. Secundo ſic. Pretioſiori ſanctitate, ſaltèm in eſſe eſſentiæ, debet ſanctificari humanitas Chriſti Domini formalitèr, quam cæteri iuſti, qui ſunt naturæ Diuinæ conſortes, iuxta illud Pſal. 44. *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Vt explicat Fulgent. lib. 3. ad Traſimund. Atqui cæteri iuſti, & conſortes Chriſti ſanctificantur formalitèr gratia habituali ſanctitate in eſſe eſſentiæ, & ad hoc munus illis confertur, vt in confeſſo eſt apud omnes. Ergo ſi Chriſtus Dominus debet ſanctificari pretioſiori ſanctitate, quam conſortes illius, vt denotat particula illa *præ*, non debet formalitèr ſanctificari ſanctitate in eſſe eſſentiæ à gratia habituali, neque ad hoc munus eſt tribuenda Chriſto, vel eius humanitati.

Confirmatur primo. Licèt natura Diuina habeat ex ſe, poſſe ſanctificare formalitèr, quoad eſſe eſſentiæ, & naturæ ſanctitatis; reſpectu tamen animæ Chriſti, ſolum præſtat effectum ſanctitatis quoad eſſe eſſentiæ, non præſtito effectu ſanctitatis quoad eſſe naturæ, vt conſtat ex quæſt præced artic. 5. & 6. propter diſtinctionem virtualem, vel eminentialem, quæ reperitur in ipſa, vt potente cauſare vtrumque effectum. Ergo licèt gratia habitualis habeat ex ſe, poſſe ſanctificare formalitèr, quoad eſſe eſſentiæ ſanctitatis, & naturæ; at reſpectu humanitatis Chriſti poterit ſolum præſtare effectum formalem ſanctitatis in eſſe naturæ, non præſtito quoad eſſe eſſentiæ, propter diſtinctionem virtualem, vel eminentialem, quæ reperitur in ipſa, vt potente cauſare vtrumque effectum.

Confirmatur ſecundo. Non repugnat, aliquam formam vniri ſubiecto, & non tribuere illi ſuum effectum formalem, quoad omnia, quæ poteſt, vel quia non vnitur in eſſe talis formæ formalitèr, vel ſi vnitur, non eſt capax ſubiectũ ad illam recipiendum, modò ſit hæc incapacitas propter aliquam conditionẽ, quam ſubiectum habet, ratione cuius dicit repugnantiam cum huiuſmodi effe-

fectu, vt quæſt. 1. art. 1. §. *Reſpondeo ergo*, diximus; modò ſit hæc incapacitas ſubiecti, quia iam ſuam capacitatem, in illo ordine effectus, perfectiori modo expletam habet; ſicut ſi poſt vnionem animæ rationalis cum materia, vniatur forma aliqua vegetatiua, aut ſenſitiua, quo caſu non tribuerent ſuos effectus formales, quia iam illos tributos ab anima rationali perfectiori modo reperirent. Ergo non repugnabit, imò congruentèr dicetur, quod licèt gratia habitualis habeat vim ad tribuendum effectum ſanctitatis in eſſe eſſentiæ, quod vnita humanitati Chriſti illum non tribuat, quia humanitas Chriſti Domini habet expletam ſuam potentialitatem in ordine ad ſanctitatem, quoad eſſe eſſentiæ, per Deitatem, quæ perfectiori modo, quam gratia habitualis, illũ formalitèr cauſat.

Dices cum Cabr. 3. part. quæſt. 7. ar. 1. diſp. 1 num. 38. & 39. quod licèt quã do aliqua forma continet effectus alterius eminentiori aliquomodo, ſi huiuſmodi continentia eſt per modum formæ, ſuperfluit alia inferior forma ad præſtandum huiuſmodi effectus, vt probat exemplum de anima rationali; quando autem continentia eminentialis eſt ſecundum rationem principij effectiui (verbis ipſius loquor) vel quaſi effectiui, benè compatitur ipſa inferior forma cum eminentiori, ſicut riſibilitas compatitur cum rationalitate, in qua eminẽ tèr continetur, per modum principij, à quo emanat. In propoſito ergo, ait, gratia vnionis ſecum compatitur gratiam habitualem in Chriſto, quia continentia virtualis, & eminens, qua illam continet, eſt poſterioris generis.

Verùm hæc ſolutio in pluribus peccat, & præcipuè contra ipſum Authorem. Peccat in primis dicendo, continẽ tiam, qua Deitas gratiam habitualem continet, & effectum eius, non eſſe continentiam eminentialem per modum formæ; etenim continentia eminentialis per modum formæ reſpectu alicuius effectus formalis alterius formæ non ita ſuperexcellentis, nihil aliud eſſe videtur, quam cauſare formalitèr eminẽtiori quodam modo effectum inferioris formæ, vt cernere licèt in exemplo animæ rationalis ab ipſo poſito: atqui Deitas terminans humanitatem Chriſti formalitèr cauſat eminentiori quodam modo effectum formalem ſanctificationis, quem præſtare debebat habitualis gratia, ſi ad hoc munus daretur, non minus, ac in ſententia eiuſdem exiſtentia Diuina cauſat eminentiori quodam modo effectum formalem exiſtentiæ creatæ, quam debebat habere humanitas Chriſti Domini, ſi iuxta modum connaturalem, & ab ipſa petitum ſe haberet, vt teſtatur ipſe in hac 3. par. quæſtion. 17. art. 2. diſp. 1. §. 1. Ergo ſicut hæc continentia eminentialis exiſtentiæ Diuinæ formalis eſt, & in eſſe formæ reſpectu exiſtentiæ creatæ, cum nequeat eſſe per modũ principij actiui, ſiquidẽ exiſtentia actiua nõ eſt; ita continentia Deitatis reſpectu habitualis gratiæ, & eius effectus formalis, erit continentia formalis, & in eſſe formæ; ac proinde, ſi continentia eminentialis in eſſe formæ, eſt ſufficiens ad hoc, quod ſuperflue ponatur ad huiuſmodi genus cauſæ formalis altera inferior forma; in noſtro caſu erit ſufficiens ad hoc, quod ſuperflue ponatur habitualis gratia in humanitate Chriſti, ad hoc munus ſanctitatis in eſſe eſſentiæ obeundum.

Peccat ſecundo ſupra dicta ſolutio; quia dum ipſis terminis cupit noſtræ reſolutionis vitare Carybdim, incidit in Scylam eius; etenim continentia eminẽtialis Deitatis, reſpectu gratiæ habitualis per modum principij effectiui, ſolũ eſt petitio quædam naturalis, quam Deitas habet poſitionis gratiæ habitualis, vt per iſtius poſitionem dignus ſit Chriſtus, vt ſecundum proportionem naturalem, & connaturalem, elliciat operationes ſupernaturales; nam vt teſtatur ipſe in hac quæſt. art. 1. diſp. 2. §. 4. num. 24. licèt fieri poſsit à Deo, quod Chriſtus Dominus ellicere operationes ſupernaturales ex auxilio tantum ſpeciali; tamen, vt perfecta omnino, & connaturalis eſſet operatio ſupernaturalis, non poſſet fieri ſine gratia habituali, & hoc eſt (ait ipſe) quod dicit Sanct. Thom. in reſponſ. ad 2. *Hanc gratiam eſſe neceſſariam, vt Chriſti operatio eſſet perfecta*, & in ſolut. ad 3. *vt eſſet conſummata.* Atqui ad hoc genus obeundum, quod ipſe intendit ex ſua ratione, & authoritate Sanct. Thom. neceſſaria fuit gratia habitualis in Chriſto, iuxta noſtram etiam ſententiam, vt articul. 4.

la-

latè proſequemur. Ergo ex allata ſolutione, nihil minus ſequitur, quam quod intendit.

Argumenta contraria ſoluuntur.

ARTIC. III.

Cæterum in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij Sanct. Thomæ plura teſtimonia, quibus docere videtur, gratiam habitualem præſtare humanitati Chriſti effectum formalem ſanctitatis in eſſe eſſentiæ; ait enim Angelicus Doctor in 3. diſt. 13. quæſt. 1. art. 1. in argumento, *Sed contra. Sicut anima eſt perfectio corporis, ita gratia habitualis eſt perfectio animæ.* Atqui anima ita eſt corporis perfectio, vt det illi ſuum effectum formalem, quoad eſſe eſſentiæ, cũ eſſentialitèr ſit actus corporis, &c. Ergo gratia ita erit animæ perfectio, vt det illi ſuum effectum formalẽ, quoad eſſe eſſentiæ ſanctitatis, cum etiam ſit eius actus, ac proinde ad hoc munus ponenda eſt in Chriſto Domino.

Reſpondeo, quod ſicut anima, licèt ſit perfectio corporis, quoad eſſe eſſentiæ, tamen ſi detur aliqua anima, quæ eminentiori modo contineat effectum, quoad eſſe eſſentiæ alterius animæ non ita perfectæ, non eſt neceſſaria poſitio huius, vt patet in exemplo allato de anima rationali; ita licèt gratia ſit perfectio animæ, quoad eſſe eſſentiale illius; quia tamen datur aliqua gratia, quæ eminentiori modo continet effectum hujus, nimirum Deitas terminans humanitatem Chriſti, non eſt neceſſaria poſitio illius. Propoſitio autem Sanct. Thomæ, vel intelligitur de anima, & gratia habituali, ſecundum ſe, præſcindendo ab alia anima, vel gratia perfectiori, ita vt ſenſus ſit, quod ſicut anima ex ſe habet vim ad perficiendum corp⁹, cuius eſt actus, quod quidem corpus erat aliàs in potentia ad talem perfectionem; ita gratia habitualis habet vim ex ſe ad perficiendam animam, cuius eſt actus, quæ quidem anima erat aliàs in potentia ad talem perfectionem: vel intelligitur ita vt, ſicut anima eſt perfectio corporis in eſſe viuentis formalitèr per principium formale vitæ naturalis, quod principium formale eſt radicalitèr operatiuum omnium motuum naturalium; ita gratia habitualis ſit perfectio animæ in eſſe viuentis formalitèr per principium formale vitæ ſupernaturalis, quod principium formale eſt radicalitèr operatiuum omnium motuum ſupernaturalium.

Opponunt ſecundo eundem S. Doctorem eodem in loco in corp. vbi concludit: *Quod propter duo eſt neceſſariò ponenda gratia habitualis in Chriſto, nimirum, vt eius anima formalitèr perficiatur in eſſe ſpirituali, ſecundum quod Deo aſſimilatur, vnde, & vita animæ dicitur; & vt vires proportionatas habeat ad ellicientiam actus ſupernaturalis, medijs ſuis potentijs.* Eodem etiam modo loquitur in ſcripto ad Anibald. ſup. 3. diſtinct. 13. quæſt. vnica art. 1. vbi inquirit: *Vtrum aliqua gratia in Chriſto fuerit creata?* & reſpondet: *Ad hoc dicendum, quod gratia creata principalitèr duo facit in anima: primo perficit eam in ſe, quantum ad eſſe ſpirituale, ſecundum quod Deo aſſimilatur: ſecundo in reſpectum ad operationes per virtutes, quæ ab eius eſſentia fluunt, ſicut potentiæ ab eſſentia animæ, & quia decebat humanam naturam in Chriſto maximè perfectam eſſe; ideò in eo propter hoc duplex gratiæ perfectio fuit neceſſaria, quia quantum ad hæc duo Diuinitas eam formalitèr non perficiebat.* Similia etiam verba habet in hac 3. part. quæſt. 6. art. vlt. in corp. & quæſt. 7. art. 1. & quæſt. 34. art. 1. & de veritate quæſt. 29. articul. 1. Ergo iuxta doctrinam Sanct. Thom. neceſſaria fuit poſitio habitualis gratiæ in Chriſto Domino ad effectum formalem ſanctitatis ad eſſe eſſentiæ pertinentem; aliàs enim non diſtingueret illos duos modos, propter quos ponenda venit.

Reſpondeo, quod quando S. Thom. his in locis neceſsitatem arguit ponendi gratiam habitualem in Chriſto propter duo, verum eſt, ſed hæc duo pertinent ad lineam operatiuam, nullum autem ad lineam eſſendi; & ita illa priora verba, ſcilicèt: *Vt eius anima formalitèr perficiatur in eſſe ſpirituali, ſecundũ quod Deo aſſimilatur.* In quibus præcipua vis conſiſtit argumenti, ſic intelligenda veniunt, vt formalitèr eius anima perficiatur in eſſe ſpirituali operatiuo, ſecundum quod Deo aſſimilatur in eſſe etiã operatiuo formalitèr cõſiderato. Quod autem hæc ſit eius mens, ex eo mihi per

ſua-

ſuadeo, quia ex his verbis infert: *Vnde, vita animæ dicitur.* Quod propriè conuenit principio operatiuo, ſecũdum quod hoc munus formalitèr exprimit; viuere enim eſt formalitèr à ſe moueri, vt dicit Ariſtotel. & poſtea explicat aliud munus operatiuum etiam, ſed non ex ſe ſolum, ſed medijs potentijs ſuis ſupernaturalibus: nihil autem docet de neceſsitate ponendi gratiam habitualem, vt exprimit formalitèr ordinem ad ſubiectum, cum hoc per Diuinitatem poſideret humanitas; & propter hoc iudico, aduertentèr dixiſſe Sanct. Thom. *Neceſſariam eſſe ſecundæ gratiæ perfectionem, quia quantum ad hæc duo*, ſcilicèt operandi per modum vitæ formalitèr radicalis, quod ſoli conuenit gratiæ habituali, & per modum vitæ formalitèr proximæ, quod ſolum conuenit ſuis potentijs ſupernaturalibus; eam *formalitèr Diuinitas non perficiebat.* Quia licèt ad perfectionem eſſendi formalitèr ſanctitatis Diuinitas ſufficeret, quantum tamen ad hæc duo numerata, Diuinitas non perficiebat.

Opponunt tertio. Si non poneretur gratia habitualis in anima Chriſti Domini ad effectum formalem ſanctitatis ad ordinem eſſendi pertinentem, Verbũ Diuinũ nõ eſſet magis ſanctũ ſanctitate in eſſe eſſentiæ, quam humanitas Chriſti, vtporè eadem ſanctitate formalitèr per eſſentiam, & Verbum Diuinum ſanctificaretur, & humanitas, ſcilicèt, Deitate; ac proinde, ſicut Verbũ Diuinũ ſanctũ dicitur ſanctitate per eſſentiam, quia ſanctum eſt ſanctitate, quæ per eſſentiam eſt ſanctitas: ob id etiã humanitas dicetur ſãcta per eſſentiã atqui hæc omnia ſatis abſurda ſunt, vt ex ipſis terminis liquet. Ne ergo in hæc incidamus, dicendum eſt, humanitatem Chriſti formalitèr ſanctificari, quoad effectum ſanctitatis in eſſe eſſentiæ, per gratiam habitualem; ac perconſequens, ad hoc munus ponenda erit in Chriſto Domino.

Hoc argumentum inſtari poteſt, & contra ipſos ſic retorqueri. Si humanitas Chriſti Domini ſanctificaretur in ordine eſſentiæ per gratiam habitualem, ac proinde ad hoc munus ipſi tribueretur, non eſſet humanitas Chriſti magis ſancta ſanctitate in eſſe eſſentiæ, quam cæteri iuſti, vtporè eadem ſanctitate formalitèr per participationem, & humanitas Chriſti, & cæteri iuſti ſanctificarentur: hoc autem etiam eſt abſurdum, & contra illud Pſal. 44. *Propterea vnxit te* (id eſt *ſanctificauit te*, vt explicant Patres) *Deus Deus tuus oleo lætitiæ*, (id eſt *ſanctitatis vnguento*, vt communitèr etiam Patres interpretantur, iuxtà à nobis dicta quæſt. 1. art. 4. §. *Probatur*, & ſeq.) *præ conſortibus tuis.* Vbi prætioſiori ſanctitate, innuit Regius Vates, ſanctificatam fuiſſe Chriſti humanitatem, quam cæteros ſuos conſortes, ſcilicèt iuſtos. Ne ergo in hoc abſurdum incidamus, dicendum eſt, humanitatem Chriſti non fuiſſe formalitèr ſanctificatam ſanctitate, quoad eſſe eſſentiæ, per gratiam habitualem, ſed per aliam prætioſiorem ſanctitatem; ac perconſequens ad hoc munus non fuit ponenda in Chriſto Domino. Solutionem autem, quam meo diſcurſui tribuent illi, & ſuo tribuam ego.

Reſpondeo ergo, quod ſicut Authores oppoſitæ ſententiæ tenentur dicere in caſu poſito, quod eadem ſanctitate in eſſe eſſentiæ ſanctificatur humanitas Chriſti Domini, & cæteri iuſti, cum ſola differentia quoad modum ſanctificandi eiuſdem ſanctitatis, vel quia modus, quo habitualis gratia ſanctificabat Chriſti humanitatem, erat infinitus in genere moris, ſaltèm propter excellentiam naturæ, & propter coniunctionem cum Infinita ſanctitate, & per eſſentiã, à qua participata ſanctitas infinito quodam modo moralitèr dignificatur. Ita, & ego in noſtro caſu dicam, quod eadem ſanctitate, quoad eſſe eſſentiæ, ſanctificatur humanitas Chriſti, & Diuinũ Verbum, cum ſola differentia in modo ſanctificandi, quia, ſcilicèt, quatenus Verbum ſanctificabat, illud talitèr ſanctificabat, vt eſſet ab illa infinito modo phyſicè ſanctum, & per ſanctitatem ſecum realitèr identificatam, quod eſt eſſe ſanctum per eſſentiam; humanitatem autem Chriſti ſolum ſanctificabat infinito modo quaſi meritorio, & morali, non phyſico, & per vnionem realem cum illa, quæ arguit diſtinctionem realem extremorum; hoc autem non eſt eſſe ſanctum per eſſentiam, ſed habere ſanctitatem ſibi vnitam, quæ eſt per eſſentiam talis. Per quod patet ad omnia.

Opponunt denique nobis argumentum

tum ex Cabr. deſumptum loc. ſupr. cit. §. 3 n. 26. Quia reddere naturam gratam Deo formali gratitudine eſt effectus formalis gratiæ, & primarius. Ergo ex vi ſolius gratiæ vnionis, prout ordine naturæ antecedit gratiam habitualem, non poteſt Chriſtus Dominus eſſe ſimplicitèr gratus formali gratitudine. Probat conſequentiam; quia effectus formalis primarius eſt inſeparabilis à forma. Melius quidem, iudico, probaret eam ſic; quia effectus formalis primarius alicuius formæ non præhabetur in alia diuerſæ ſpeciei, cum non diſtinguatur re, aut ratione ab ipſa forma. Antecedens autem probat; tum ex S. Thom. 1. 2. quæſt. 110. art. 1. vbi ait, quod gratia ſecundum eſſentiam habet conſtituere hominem in eſſe ſupernaturali, ratione cui⁹ habet proportionem, & dignitatem reſpectu vitæ æternæ; tũ etiam ex Trident. ſeſſ. 6 cap. 7. vbi definitur, gratiam eſſe cauſam formalem noſtræ iuſtificationis.

Reſpondeo, reddere naturam formalitèr gratiam Deo formali gratitudine eſſe effectum formalem, & primarium gratiæ, non tamen particularem, & infimum, ſed communem, & ſubalternum; effectus autem primarius, communis, & ſubalternus, nec inſeparabilis eſt à forma, nec in alia diuerſæ ſpeciei repugnat contineri, vt patet in effectu formali animæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ, qui quidem effectus ſeparantur ab his formis, & in alia diuerſæ ſpeciei continentur.

Secundo ex capite quæſtio reſoluitur.

ARTC. IV.

RESolutio noſtra ſit. Gratia habitualis præſtat humanitati Chriſti effectum formalem ſanctitatis ad eſſe naturæ pertinentẽ, ac proinde ad hoc munus neceſſariò ponenda fuit in Chriſto Domino, vt omne genus, & ſpeciem ſanctitatis perfectæ haberet. Hanc reſolutionem ſolum intendere S. Thom. iudico, quotieſcumque de hac re agit, imò, & quos vidi affirmantes, requiri ad ſanctificationem formalem, dum concluſionem probant, nihil aliud, quam vt à nobis explicatur, intendunt: intentum autem concluſionis ex probatione dependet; plures enim concluſiones abſolutè prolatæ veræ ſunt, & plures falſæ, quæ quidem, probatæ abſolutè non ſunt veræ, neque abſolutè falſæ, ſed cum addito; quia probatio non eſt abſoluta, ſed cum addito; vera enim eſt abſolutè hæc propoſitio: *Anima eſt actus corporis conſtitutiuus in eſſe.* Si autẽ probetur hoc, quia eſt principium operandi, falſa eſt formalitèr, licèt materialitèr vera, eo quod eſſe actum pertinentem ad lineam eſſendi & eſſe actum pertinentem ad lineam operandi in creatis virtualitèr diſtinguntur, licèt realitèr identificentur. Vlteriùs hæc propoſitio abſolutè prolata falſa eſt: *Verbum Diuinum aſſumpſit hominem.* Si autem probetur, quia aſſumpſit humanitatem, quæ eſt homo, ſumpto metaphyſicè, ſcilicèt, quoad naturam completam, non includendo ſubſiſtentiam, iuxta quem modum intelligendi ſunt Ambroſius, & Auguſtinus, cũ in Hymno: *Te Deum laudamus*, abſolutè profeꝛunt: *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem.* Vera eſt, quia in probatione excluditur id, ſcilicèt, ſubſiſtentia, quam *homo* abſolutè prolatus includit, ratione cuius reddebatur falſa. Sic in noſtro caſu, & reſolutione; hæc propoſitio abſolutè prolata à Doctoribus oppoſitis: gratia habitualis ſanctificat formalitèr humanitatem Chriſti. Abſolutè vera eſt; tamen illam probare ex eo, quod eſt principium motus ſupernaturalis, eo modo, quo in naturalibus anima eſt principium motus naturalis, falſa eſt formalitèr, ex vi huius probationis; quia non eſt idem formalitèr, eſſe principium operandi ſupernaturalitèr, & eſſe principium eſſendi; & quod intendunt in propoſitione, non ſolum eſt humanitatem ſanctam eſſe formalitèr per gratiam habitualem ſanctitate in eſſe naturæ, ſed in eſſe eſſentiæ.

Sed ne videantur huiuſmodi dicta ſine fundamento, probanda ſunt nobis. Primò ex Sanct. Thom. Secundo ex rationibus contrariorum, vt appareat, quod quando abſolutè profeꝛunt, gratiam habitualem neceſſariò requiri ad ſanctificationem humanitatis Chriſti, talitèr, vt ea ſecluſa

Digitized by Google

non maneret ſancta formalitèr, ex illorum probatione reddunt falſam abſolutè propoſitionem, & ſolum cum addito veram, ſcilicèt, ſanctitate in eſſe naturæ, quam nos intendimus. Probatur ergo ex Sanct. Thom. omnibus in locis, quibus quæſt. præced. art. 6. probauimus, humanitatem Chriſti non ſanctificari formalitèr ſanctitate in eſſe naturæ per Deitatem; & vlteriùs ex ratione ſecunda art. 1. huius 7. q. vbi neceſsitatem ponendi gratiam habitualem in anima Chriſti probat: *Propter nobilitatem* (verbis vtor S. Tho.) *illius animæ.* Et ne aliquis putaret, hanc nobilitatem eſſe pertinentem ad ordinem eſſendi, proſequitur ſic rationem: *Cuius operationes opportebat propinquiſsimè attingere ad Deum per cognitionem, & amorem, ad quod neceſſe eſt eleuari naturam rationalem per gratiã.* Et clariꝰ habet in ſolutione ad 1. & 2. & q. 8. art. 5. in corp. & in diſput. q. 27. art. 1. & q. 29. artic. 1. cuius hæc ſunt adeo præclara verba, & nihil aptius ad propoſitum: *Reſpondeo dicendum, quod neceſſe eſt ponere in Chriſto gratiam creatam; cuius ratio neceſsitatis hinc ſumi poteſt, quod animæ ad Deum duplex eſſe poteſt coniunctio; vna ſecundum eſſe in perſona, quæ ſingularitèr eſt animæ Chriſti; alia ſecundum operationem, quæ eſt communis omnibus cognoſcentibus, & amantibus Deum: Prima quidem coniunctio ſine ſecunda ad Beatitudinem non ſufficit, quia neque ipſe Deus Beatus eſſet, ſi ſe non cognoſceret, & amaret; non enim in ſe ipſo delectaretur, quod ad Beatitudinem requiritur. Ad hoc ergo, quod anima Chriſti ſit Beata, præter vnionem ipſius ad Verbũ in perſona, requiritur vnio per operationẽ, vt ſcilicèt, videat Deum per eſſentiam, & videndo fruatur: hoc autem excedit naturalem potentiam cuiuslibet creaturæ; ſoli autem Deo ſecundum naturam ſuam conueniens; opportet igitur ſupra naturam humanam Chriſti aliquid ſibi addi, per quod ordinetur ad prædictam Beatitudinem, & hoc dicimus gratiam; vnde neceſſe eſt in anima Chriſti ponere gratiam creatam.*

Fauet etiam Sanct. Thomas eodem loco ad 2. & 3. vbi dicit, primam vnionem ordinari ad eſſe, ſecundam ad fruitionem; & quæſt. 29. de verit. art. 1. in corp. & ad 4. & in 3. diſt. 13. quæſt. 2. artic. 1. ad 7. per hæc verba: *Ad ſeptimum dicendum, quod vnio, quæ eſt perfruitionem, eſt vnio per operationem, & quia ad operationem perfectam non poteſt natura humana, niſi aliquo habitu, ideò opportet, aliquam habitualem gratiam eſſe, quæ ſit principium illius vnionis.* Ex quibus verbis ita videtur mihi colligere ſententiam eſſe Sanct. Thom. vt dubitationĩ non relinquatur locus; etenim ex hac parte hæc omnia video, & ex alia non, niſi duo loca à nobis adducta art. præced. §. *Cæterum*, & ſequenti, quæ quidem non ita contraria ſunt noſtræ reſolutioni, vt non explicentur congruentiſsimè ad illam, vt liquet ex eodem loco, & § *Reſpondeo.* Ergo iuxta mentem Sanct. Thom. gratia habitualis tribuit humanitati Chriſti effectum formalem ſanctitatis præciſſe in eſſe naturæ, ac proinde ad hoc munus ponenda venit in Chriſto.

Secundo probatur noſtra concluſio ex contrariorum rationibus, vt appareat, quod quando dicunt, gratiam habitualem requiri ad ſanctificationem formalem humanitatis Chriſti, nihil aliud intendere, quam quod noſtra poſitio docet, nimirum, ſolum ſanctificarĩ humanitatẽ Chriſti formalitèr per gratiam habitualem ſanctitate in eſſe naturæ. Præcipuus enim noſtræ reſolutionis contrarius eſt Cabrera in hac quæſt. 7. diſp. 2. artic. 1. §. 3. & 4. num. 26. probans, ſolam gratiam habitualem requiri ad formalem gratitudinem, ex eo, quod in ſecunda eius annotatione oſtenſum eſt, quod dare connaturalitatem ad vitam æternam eſt effectus formalis primarius gratiæ habitualis, vt conſtat ex Sanct. Thom. qui in 1. 2. quæſt. 110. art. 1 docet, quod gratia ſecundum eſſentiam habet, conſtituere hominem in eſſe ſupernaturali, ratione cuius habet proportionem, & dignitatem reſpectu vitæ æternæ; & §. 4. n. 29 ex eo probat, quod Chriſtus, in quantũ homo, adhuc de potentia abſoluta, nõ potuit eſſe gratus Deo formali gratitudine abſque gratia habituali; quia licèt poſſet habere operationes ſupernaturales ex auxilio tãtum Dei ſpeciali prouenientes; tamẽ vt dignꝰ connaturalitèr, & ſecũdũ proportionẽ. & operatio ſupernaturalis ſit omnino perfecta, ſine gratia habituali fierĩ nõ poteſt, & hoc eſt, proſequitur prædictus

Digitized by Google

ctus Author) quod dixit S. Thom. in reſponſ. ad 2. hanc gratiam eſſe neceſſariã: *Vt Chriſti operatio eſſet perfecta.* & in ſolut. ad 3. *vt eſſet conſummata.* Atqui huiuſmodi rationes ſolum conuincunt, neceſſariam fuiſſe gratiam habitualem in Chriſto, vt eſſet ſanctus ſanctitate in eſſe naturæ, quæ ſola eſt, quæ ordinẽ dicit ad operationes ſupernaturales, vt ex eius probatione clare conſtat. Ergo dum ſuã concluſionem probat, vt noſtræ contrariam, in noſtram incidit poſitionem.

Tertio probatur noſtra reſolutio ex rationibus eiuſdem Magiſtri Salmanticenſis Mag. Ouiedo, qui cùm Gabr. conſentit in concluſione, & licèt aliàs Doctiſsimi, in eadem inconuenientia incidit, dum ſuam probat concluſionem; pluribus enim in locis intendens, non poſſe formalitèr humanitatem Chriſti per aliquam ſanctitatem increatam ſanctificari, ac proinde ad formalem ſanctificationem neceſſariam eſſe habitualẽ gratiam, ſine qua non eſſet Chriſtus Dominus formalitèr ſanctus; ex eo probat, quia nulla ſanctitas increata, & Diuina poteſt reddere humanitatẽ Chriſti Domini Diuinam formalitèr, nec ſanctam; cum non reddatur (verba ſunt ipſius) principium primum actiuum operationis Diuinæ, vnde humanitas ratione ſanctitatis Diuinæ non eſt principium actiuum alicuius operationis, cuius antea non eſſet. Hæc eius probatio in hac materia dubitat. 2. §. *Pro reſolutione.* Eadẽ ferè formaliſsima verba habet ad ſuum intentum probandum dubitat. 3. §. *Probatur huiuſmodi concluſio,* & dubitat. 4. §. *Pro reſolutione.* Ex quibus colligit in 5. dubit. neceſſariã fuiſſe gratiam habitualem in anima Chriſti, vt eſſet iuſta, & ſancta formalitèr, & ſimplicitèr: atqui huiuſmodi rationes ſolum conuincunt gratiam habitualem formalitèr ſanctificare animam Chriſti Domini ſanctitate in eſſe naturæ, & ad hoc ipſi neceſſariam eſſe, cum illa ſolum ſit, quæ per modum principij *quo* conſtituit humanitatem Chriſti in eſſe principii actiui operationum ſupernaturaliũ. Ergo dum prædictus Magiſter noſtram abſolutè diffitetur concluſionem, in ſua probatione eam expreſsè profitetur.

Poſitio noſtra ratione à priori comprobata.

ARTIC. V.

RESolutio noſtra, quæ hucuſque ex mente Sanct. Thomæ, & contrariorum rationibus fulcita eſt, iam iam ratione à priori efficacitèr fulcitur. Humanitas Chriſti Domini, vtpotè perfectiſsima inter omnes humanitates, debet habere perfectiſsimam in omni genere ſanctitatem, tam ad ordinem eſſentiæ pertinentem, per quam conſtituatur in eſſe quodam ita ſupernaturali, vt ex vi huius ſit formalitèr Deificata, quam ad ordinem naturæ, per quam cõſtituatur in eſſe quodam ita ſpirituali, vt ex vi huius ſit principium operum vitalium ſupernaturalium, quæ meritoria ſint ſupernaturalis præmij: atqui primum munus ſanctitatis habet ratione Deitatis ſibi vnitæ, vt à nobis probatum eſt quæſtione tota præcedenti: ſecundum munus nequit habere ab alio, quã à gratia habituali; etenim cum nulla ſit ſanctitas, niſi increata Deitas, & creata habitualis gratia, & nequeat hoc munus ſanctitatis à Deitate deriuari, vt ex quæſt. præced. artic. 6 §. *Reſolutio, & ſecundo.* Probatur, clare conſtat, neceſſario deriuari debet à gratia habituali, à qua tanquam à principio *quo* vitalium operum ſupernaturalium habeat eſſe humanitas Chriſti Domini principium actiuum *quod* in ordine ſupernaturali, ſicut corpus ab anima in ordine naturali. Ergo gratia habitualis præſtat humanitati Chriſti effectum formalem ſanctitatis ad ordinem naturæ pertinentem; ac proinde ad hoc munus fuit neceſſariò ponenda in Chriſto Domino.

Confirmatur primo. Sola gratia habitualis eſt principium motus ſupernaturalis, qua ſupernaturalis prima ſupernaturalitate phyſica creata; etenim licèt Deitas etiam ſit principium motus, vel quaſi motus ſupernaturalis, qua ſupernaturalis primæ ſupernaturalitate etiam phyſica; non tamen motus creati, ſed increati ſibi proportio-

nati; motus enim cum principio *quo* proportionem habere debet, à quo præciſſe oritur eius ſpecificatio, vt docet Sanct. Thom. 1. 2. quæſt. 1. articul. 3. & licèt cæteri habitus ſupernaturales etiã ſint principia motus ſupernaturalis ſupernaturalitate phyſica, & creata, non tamen prima, ſed ſecunda ſupernaturalitate; etenim huiuſmodi habitus, non tam infunduntur ad ellicientiam actus ſupernaturalis, qua ſupernaturalis formalitèr, quam vt elliciant actus diuerſæ ſpeciei, videlicèt, Fidei, Spei, & Charitatis, &c. & conuenientes in eadem generica ſupernaturalitate, & prima, correſpondere habituali gratiæ, quæ eſt prima ſupernaturalitas animæ in eſſe principii, vtpotè prima vita in ordine ſupernaturali, vt docet Sanct. Thom. locis pluries citatis. Ergo ſi ſola gratia habitualis eſt principium motus ſupernaturalis, qua ſupernaturalis prima ſupernaturalitate, ipſa ſola erit ſanctitas in eſſe naturæ, ac proinde ad hoc ponenda erit in Chriſti humanitate.

Confirmatur ſecundo. Nã nõ repugnat, quod licèt Deitas ſit in ſe ſanctitas in eſſe eſſentiæ, & in eſſe naturæ, quod communicetur humanitati Chriſti ſecundum munus eſſentiæ ſanctitatis, nõ communicata ſecundum munus ſanctitatis in eſſe naturæ, propter incapacitatem humanitatis ad operandum per illam, quod petit ratio naturæ, vt talis, vt conſtat ex quæſt. præced. art. 6. §. *Reſolutio noſtra, & Secundo probatur.* Ergo non repugnabit, quod licèt gratia habitualis ſit ſanctitas in eſſe eſſentiæ, & in eſſe naturæ, quod communicetur humanitati Chriſti ſecundum munus ſanctitatis in eſſe naturæ, non communicata ſecundum munus in eſſe eſſentiæ, propter excellẽtiorem ſanctitatem in eſſe eſſentiæ, quam per Deitatem habet antecedentèr. Patet conſequentia. Tũ quia ex vtroque capite poteſt prouenire, quod aliqua forma vniatur ſubiecto, & non tribuat omnem effectum formalem, quem tribuere poteſt, vt docui quæſt. præced. articul. 1. §. *Obſeruo tertio*, & ad hanc quæſt. art. 1. §. *Obſeruo ſecundo*, & artic. 2. §. *Confirmatur*, & ſeq. Tùm etiam, quia non minus habitualis gratia habet vim ad ſanctificandum ſubiectum ſanctitate in eſſe eſſentiæ, quam ad illum conſtituendum Filium Dei adoptiuum: atqui quia reperit Chriſtũ Dominum iam Filium excellentiori Filiatione, ſcilicèt, naturali, non exercet illã vim, quam ex ſe habet. Ergo quia reperit etiam Chriſtum Dominum iam ſanctum excellentiori ſanctitate in eſſe eſſentiæ, ſcilicèt Deitate, non exercebit illam vim, quam ex ſe habet, ſed ſolam alteram in eſſe naturæ, quam non reperit in Chriſto exercitam, ac proinde ad hoc præciſsè munus tributa fuit eius humanitati.

Cæterum in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij Sanct. Thom. 3. par. quæſt. 8. art. 5. in corp. vbi dicit: *Quod quia vnumquodque agit in quantum eſt ens actu, opportet, quod idem ſit actus, quo aliquis eſt actu, & quo agit; ſicut idem eſt calor, quo ignis eſt calidus, & quo calefacit.* Ergo idem eſt actus, quo humanitas Chriſti eſt ens actu in eſſe ſanctitatis, & quo agit operationes ſanctas, & ſupernaturales per Deitatem, ſiquidem per illam actu ſancta eſt; vel ſi illas agit per grátiam habitualem, per hanc etiam ſancta eſt vtroque genere ſanctitatis. Reſpondeo, quod quando Sanct. Thom. docet, quod vnumquodque agit in quantum eſt ens actu, ly *actu* intelligitur de operatiuo, non autem de actu eſſendi; actus enim eſſendi formalitèr vt talis, non dicit ordinem ad operationem, nec eſt, quo ſubiectum agit; quod autẽ hæc ſit genuina mens Sanct. Thomæ, colligitur clare. Tũ ex eius doctrina, in qua humanitas Chriſti Domini exiſtit per exiſtentiam Diuinam, & per illã actu eſt in ordine eſſendi, & non eſt per illam operatiua, ſicut nec aliquod ſubiectum operatiuum eſt per ſuam exiſtentiam, licèt illam requirat per modum conditionis ad agendum. Tùm etiam ex exẽplo, quod ponit de calore, qui de ſe actu operatiuus eſt, & quo ignis calefacit, nõ autem quo ignis, ignis eſt. Tùm deniq; clariſsimè ex verbis ſubſequentibus, quia dicit: *Non tamẽ omnis actus, quo aliquid eſt actu, ſufficit ad hoc, quod ſit principium agendi.* Nimirũ quia licèt, vt principium agat, ſit neceſſarius actus eſſendi, non tamen ſufficiens, niſi habeat actum operandi; ac per conſequens in noſtro caſu, licèt per Deitatem ſit humani-

nitas Chriſti Domini actu ſancta, quia tamen eſt in ordine eſſendi formalitèr, non erit ſufficiens hic actus, vt ſit principium agendi, ſed ad hoc deſiderabitur habitualis gratia, quæ eſt actus, vt ſit principium agendi quo conſtituitur in ordine operatiuo phyſicè ſupernaturalitèr, quod commune eſt in omnibus habitibus ſupernaturalibus, vt docet Sanct. Thom. in diſp. quæſt. 19. articul. 1. in fine concluſ. 2. & hoc modo verificatur, quod opportet, quod idem ſit actus, quo aliquid eſt actu, & quo agit.

Opponunt ſecundo. Vbi eſt coniunctio rei per eſſentiam, non eſt neceſſaria coniunctio per ſimilitudinem; ſicut enim licèt ad cognoſcendum requiratur vnio cognoſcibilis ad rem cognitã, tamen quando aliqua ſunt in anima per ſui eſſentiam, non eſt neceſſarium, quod ſint in ea per ſimilitudinem, vt patet in Deo, quia per ſui eſſentiam eſt in anima, vel in intellectu Beati per modũ ſpeciei, non eſt in illo per aliquam ſimilitudinem creatam: atqui Deitas eſt animæ Chriſti vnita per ſui eſſentiam realitèr in vnitate perſonæ. Ergo non requiritur, quod vniatur per gratiã, quæ eſt vnio per ſimilitudinem, ac proinde non eſt ponenda gratia habitualis in Chriſto, adhuc ad eſſe ſanctitatis in eſſe naturæ.

Hoc argumentum propoſuit ſibi S. Thom. in diſp. quæſt. 19. artic. 1. quod eſt ſecundum in ordine. Ad quod reſpondeo ex eius doctrina in reſponſione ad illud; quod ratio iſta procedit, quando vnio per eſſentiam, & per ſimilitudinem ad idem ordinantur, vt in exemplo poſito patet; quia vnio per ſpeciem, quæ eſt ſimilitudo obiecti, ad idem ordinatur, ac ipſum obiectum, quod per ſuam eſſentiam eſt cognoſcibile: *Hoc autem* (inquit Sanct. Thom.) *non eſt in propoſito, nam realis vnio Diuinitatis ad animam Chriſti, ordinatur ad vnitatem perſonæ* (videlicèt ad ſanctitatem quoad eſſe) *vnio autem per ſimilitudinem gratiæ, ad fruitionem Beatitudinis*. Ac perconſequens, iuxta Sanct. Thom. ad hoc eſt poſita gratia in Chriſto, vt eius humanitas ſit principium Beatitudine fruendi.

Opponunt tertio. Plus ſuperat bonitas increata bonitatem gratiæ, quam lumen ſolis lumen candelæ: ſed ille, cui adeſt lumen ſolis, non indiget lumine candelæ. Ergo Chriſtus, cui adfuit bonitas gratiæ increatæ, non indiguit bonitate gratiæ creatæ. Reſpondeo, quod lumen Solis, & lumen candelæ ad idem ordinantur, videlicèt ad legendum, vel ad aliud ſimile; ac proinde, qui habet primum, non indiget ſecundo: bonitas autẽ gratiæ, increatæ, ſcilicèt, Deitatis, & bonitas gratiæ creatæ, ſcilicèt, habitualis, non ordinantur ad idem, vt loquitur Sanct. Thom. eodem loco ad 6. & ideò, licèt Chriſtus habuerit primam bonitatem, ſcilicèt, increatam gratiã, non ideò ſuperflua fuit in ipſo ſecunda, ſcilicèt, habitualis.

Opponunt quarto. Vel vnio Diuinitatis ad animam Chriſti ſufficit illi, vel non. Si hoc ſecundum. Ergo imperfecta fuit. Si primum. Ergo ad nihil indiguit habituali gratia. Vlteriùs, qui ſcit aliquid notitia ſuperiori, & nobiliori, ſcilicèt per medium demonſtratiuum, nõ indiget, vt cognoſcat illud notitia minus nobili, videlicèt medio probabili; atqui Chriſtus Dominus erat ſanctus ſanctitate nobiliori, & nobiliſsima per Deitatem. Ergo non indiguit, vt eſſet ſanctus ſanctitate minus nobili, ſcilicèt, gratia habituali.

Hæc argumenta etiam ſibi propoſuit Sanct. Thom. loc. cit. in diſp. quæ ſunt in ordine 7. & 8. quorum ſolutio ita eſt ad noſtrum propoſitum, vt firmitatem magnam accipiat noſtra reſolutio. Reſpondet ergo: *Ad ſeptimum dicendum, quod vnio Diuinitatis ad animam Chriſti ſufficit ad hoc, quod eſt*. Nimirum ad eſſe ſanctæ per illam ſanctitate in eſſe eſſentiæ, hoc enim denotat particula illa: *Ad hoc, quod eſt*. Non tamen ſufficit ad hoc, quod operatiua ſit humanitas eius in ordine ſupernaturali, ad quod gratia habitualis ordinatur; nec proinde illa prima vnio imperfecta eſt, quia habet omne id, quod ipſi debetur in linea eſſẽdi; imperfectio autem ſtat in hoc, quod ex eis, quæ alicui debentur in aliqua linea, deficiat aliquid: neque enim imperfectio eſt in equo, non habere rationalitatem, quia ipſi in ſua linea non debetur rationalitas. Ad confirmationem autem reſpondeo, quod ſcientia nobilior, & ignobilior ad idem ordinantur, ſcilicèt, ad cognitionem rei; non autẽ

ita eſt in propoſito, vt docet S. Thom. quia, videlicèt, gratia vnionis ordinatur ad eſſe, quæ ſingularitèr conuenit Chriſto; gratia vero habitualis ad operationem, quæ eſt omnibus cognoſcentibus, & amantibus Deum, vt expreſſe docet in reſponſione ad articulum.

Opponunt quinto. Gratia habitualis non poteſt conſtituere humanitatem Chriſti formalitèr ſanctam ſanctitate in ordine, vel ad ordinem naturæ pertinente, quin priùs illam conſtituat ſanctam formalitèr ſanctitate pertinente ad ordinem eſſendi; prior enim eſt noſtro modo intelligendi actus eſſendi, quàm operandi actus: atqui illam non conſtituit ſanctam formalitèr ſanctitate in ordine, vel ad ordinem eſſendi pertinente, vt art. 2. huius quæſtionis per totum diximus. Ergo nec poteſt illam formalitèr ſanctam conſtituere ſanctitate ad ordinem naturæ pertinente, vel ſi illam hoc modo conſtituit ſanctam formalitèr, etiam conſtituet ſanctam ſanctitate ad ordinem eſſendi pertinente. Hoc argumentum (quod difficile ſanè eſt iuxta mea principia) mihi obiecit, dum in noſtro Collegio hanc materiam præſiderem Salmanticæ, R. & ſapientiſſimus tunc M. Fr. Ioan. de Toledo ex nobiliſsima, & religioſiſsima familia ſancti Hyeronimi; nunc autem Epiſcopus Legionenſis.

Reſpondeo ergo ſicut tunc reſpondi; gratiam habitualem non poſſe conſtituere ſubiectum ſanctum formalitèr sãctitate ad ordinem naturæ pertinente, niſi prius conſtituat illud ſanctum formalitèr ſanctitate pertinente ad ordinẽ eſſendi, quando tale ſubiectum non intelligitur antecedẽtèr ſanctum alia ſanctitate nobiliori ad ordinem eſſendi pertinente; quando autem intelligitur iam ſanctum nobiliori alia ſanctitate, ſicut de facto intelligitur humanitas Chriſti Domini ratione Deitatis, poteſt illud formalitèr ſanctum conſtituere ſanctitate ad ordinem naturæ pertinẽte, quin prius illud conſtituat ſanctum ſanctitate ſpectante ad ordinem eſſendi: vnde quamuis prior ſit actus eſſendi, quam operandi actus, non tamen neceſſariò ab ea forma, à qua prouenit eſſendi actus, & operandi prouenire debet, niſi quando forma, quæ habet vim exercendi vtrunique munus, informat ſubiectum vtroque expoliatum, vt cernere licèt in ſanctificatione noſtra à gratia habituali proueniente.

Opponunt ſexto ex Illuſtriſsimo Magiſtro Godoy, qui in 3. part. tract. 5. diſput. 21. §. 11. à num. 2. quæſt. 6. Hanc noſtram diſtinctionem ſanctitatis in eſſe eſſentiæ, & in eſſe naturæ reijcit primo ſic; non minus repugnat Deitati præſtare animæ Chriſti rationẽ Deæ quoad eſſe, quam quoad operari increatas, & diuinas operationes, ſed ob hoc ſecundũ non vnitur animæ Chriſti ſub conceptu ſanctitatis per modum naturæ iuxta traditam doctrinam, & diſtinctionem ſanctitatis in eſſe eſſentiæ, & in eſſe naturæ, ergo ob primam repugnantiam, non poterit illi vniri ſub conceptu ſanctitatis per modum eſſentiæ. Secundò reijcit prædictam diſtinctionem ſic, nam ideirco repugnat Diuinitati vniri cum anima Chriſti, vt eſt ſanctitas per modum naturæ, quia non poteſt vnam naturam conſtituere, ſed neque poteſt cum illa vnam conſtituere eſſentiam, ergo non poterit communicari, ſeu cum illa vniri per modum eſſentiæ, vel ſub conceptu eſſentiæ. Denique talem diſtinctionẽ reijcit ſic, nam ratio quare non poteſt Diuinitas eſſe vita animæ per modum naturæ, & principij *quo* radicalitèr operatiui eſt, quia operari ſequitur ad eſſe eſſentiæ, vt ad rationem formalem, Diuinitas autem non poteſt animam conſtituere in aliquo eſſe eſſentiæ, quia ad hoc exigeretur phyſica illius informatio, vel identitas cum illa, quorum vtrumque Diuinitati repugnat, ergo admiſſo poſſe Diuinitatem vniri cum anima Chriſti ſub conceptu eſſentiæ, illamque in eſſe ſpirituali Diuino per modum eſſentiæ conſtituere; nulla eſt ratio, cur non poſſit formalitèr illi vniri ſub conceptu naturæ, & principij *quo* radicalitèr operatiui.

Hæc ſunt fundamina verbalitèr quibus noſtram diſtinctionem ſanctitatis in eſſe eſſentiæ, & eſſe naturæ reijcit Illuſtriſsimus Dominus, & miror ſatis tantum Magiſtrum ſemper mihi veneratione digniſsimum non ſolum modo, ſed cum Salmanticæ degebamus ſimul familiari communicatione talia argumenta conuiciſſe, vt noſtram reijceret diſtinctionem ſanctitatis in eſſe eſſentiæ, & in eſſe naturæ, quæ à nemine mihi

mco

meo iudicio poteſt negari, cum eſſe eſſentiæ in quacumque forma, vel quaſi forma in ordine ad ſubiectum attendatur, ſicut eſſe naturæ in ordine ad operationem, etiam ſi eſſe eſſentiæ, & eſſe naturæ eadem indiuiſibilis formalitas ſit, vt patet in qualibet forma ſubſtantiali præcipuè animata ob quod duplici definitione eam explicuit Ariſtoteles, vna in ordine ad corpus, cuius eſt actus, & dat eſſe eſſentiæ, altera in ordine ad operationem, ratione cuius corpus conſtituit in ratione principij radicalis viuendi, & in gratia habituali, cuius munus eſt reddere ſubiectum ſanctum, & illud conſtituere radicale principium viuendi ſupernaturali vita, ſolũ que poterat reijci prædicta diſtinctio ſanctitatis in quantum tam in ſanctitate ſubſtantiali per gratiam vnionis, quã in ſanctitate accidentali per gratiam habitualem, quæ ſanctitates ſanctificant animam Chriſti Domini in noſtra, & ſua ſententia, quia animæ Chriſti vnitæ fuerunt, an poſſet vna ſanctitas præſtare vnum effectum, & alia alterum; licèt quælibet ex ſe vim habeat ad tribuendum vtrumque.

Verùm quod neque hoc modo poſſit negari talis diſtinctio ex ſuiſmet principijs efficacitèr probo, ipſe enim num. 257 explicans, quod in natura diuina vna formal'tèr, & indiuiſibilis cum ſit, duplex reperiri munus, primum radicis phyſicè actionum vitalium, ſecundum obiecti dilectionis Dei amicabilis, & hæc diſtinctio munerum (inquit ipſe) ſufficit, vt vnum formalitèr communicetur humanitati, alio manente in communicato formalitèr, & probat diuerſis inſtantijs, vt in eſſentia Diuina, quæ communicatur intellectui Beati in ratione ſpeciei intelligibilis, & non in ratione intellectionis, licèt ratio ſpeciei intelligibilis, & intellectionis in eadem eſſentia Diuina ſolum diſtinguantur pœnes diuerſa munera; & probat etiam in perſonalitate Verbi vnita naturæ bruti, quæ illam ſuppoſitum, & non perſonam redderet. licèt ratio ſuppoſitandi, & perſonandi ſolum pœnes explicitum, & implicitum diſtinguantur, ergo paritèr licèt ratio vitalitatis, & ratio ſanctitatis in natura Diuina ſolum virtualitèr inadæquate pœnes diuerſa munera diſtinguantur, poterit natura Diuina vniri formalitèr humanitati Chriſti ſub conceptu ſanctitatis, non vnita formalitèr ſub conceptu vitalitatis: & ratio omnium vna eſt, nẽpè quia in ſubiectis, quibus communicantur, eſt capacitas ad vnum, & non ad aliũ conceptum, ſeu effectum, vel quaſi effectũ ſuſcipiendum: hæc eius doctrina ferè verbalitèr, ex qua infero, ergo noſtra diſtinctio ſanctitatis in eſſe eſſentiæ & in eſſe naturæ admittenda eſt, non ſolum quoad talem diſtinctionem, ſed quoad modum communicandi ſe ſecundũ vnum munus, & non ſecundum alterũ, eo modo quo in natura Diuina docet ipſe communicari formalitèr humanitati Chriſti ſecundum munus ſanctitatis, & non ſecundum munus vitalis, nam illi termini re ipſa, & formalitèr ſunt idem, quod nos explicamus per modum ſanctitatis in eſſe eſſentiæ, & in eſſe naturæ, quorum omnium ratio eſt, quam ipſe adducit, & nos in tota hac quæſt. adduximus, quia in ſubiectis: *Quibus communicatur* (vt terminis ipſius vtar) *eſt capacitas ad vnum, & non ad alterum conceptum, ſeu effectum, vel quaſi effectum ſuſcipiendum.*

Vlterius num. 265. vt ipſe reſpondeat tertiæ obiectioni, ait, quod quamuis munus ſanctificandi in natura Diuina ſupponat munus radicandi, & conceptum vitæ radicalis, poteſt nihilominus humanitati vniri formalitèr ſub conceptu, & munere ſanctificantis, non vnita formalitèr ſub conceptu, & munere phyſicè radicantis, & vitalizantis ob capacitatem humanitatis ad vnum, & incapacitatem ad aliud, & concludit prædictum numerum 265. his verbis: *Quod ſi cum capacitate ad ſecundarium effectum eſſet in ſubiecto incapacitas ad primarium effectum recipiendum, poſſet ſecundarium præſtare effectu primario non præſtito.* Ex quibus verbis ſubſumo contra ipſum impugnantẽ noſtram diſtinctionem ſanctitatis in eſſe eſſentiæ, & in eſſe naturæ, quod ipſe etiam tenetur talẽ diſtinctionem concedere, ſiquidem cõcedit in natura Diuina munus radicantis, & vitalizantis, quod nos vocamus ſanctitatem in eſſe naturæ, quæ ordinem explicat ad actionem vitalem; & concedit etiam munus ſanctificantis in ipſa, quod nos vocamus ſanctitatem in eſſe eſſentiæ, quia non exprimit ordinẽ

ad

ad actionem vitalem, ſed ad ſubiectum humanitatis, ſcilicèt, ſanctificandæ, & docet, quod nos, ſcilicèt, quod ſecundũ munus vitalizantis, (etiam ſi in eius ſententia ſit primus conceptus in natura Diuina) non poteſt communicari humanitati Chriſti; ſic autem ſecundum munus ſecundarium (in eius ſententia,) ſcilicèt ſanctitatis, ergo dum noſtram diſtinctionẽ impugnat, in ipſam velit, nolit, incidit, & in modum ſe communicãdi; imò potiùs aſſerit, quod etiam ſi effectus, vel quaſi effectus ſecundarius ſit poteſt communicari, non communicato primariò; ex quo non parum roboris tribuit noſtræ reſolutioni datæ ad quintum præcedens argumentum factum de gratia habituali, ſcilicèt, quod licèt primariùs eius effectus eſſet, conſtituere ſubiectum ſanctum in eſſe eſſentiæ, & ſecundariùs conſtituere illũ principium radicale operandi vitalitèr ſupernaturalitèr, quod eſt conſtituere illum ſanctum in eſſe naturæ, præſtet humanitati Chriſti hunc ſecundarium, quin præſtet illum primarium, quia præſtitũ reperit à Deitate mediatè illi vnita, vt diximus in reſponſione præcedenti, vel quia poteſt effectus ſecundariùs præſtari à forma non præſtito eius primario, quia ſubiectum capax eſt ſecundarij effectus, & non primarij, vt hic docet Illuſtriſsimus D. Godoy.

Ex quibus ſic diſcuſsis facilis erat ſolutio ad tria argumenta, quibus noſtrã impugnat diſtinctionem ſanctitatis in eſſe eſſentiæ, & in eſſe naturæ Illuſtriſsimus Dominus Mag. Godoy, ſed ex abũdantia doctrinæ. Reſpondeo ad primũ, quod licèt æqualitèr repugnet Deitati cõſtituere humanitatẽ Chriſti Deã, ac principium radicale operandi actiones increatas, non tamen æqualitèr repugnat conſtituere illam deificatam, per cõmunicationem naturæ diuinæ mediatam ſanctificantem ſubſtantialitèr illam ſanctitate præciſſe in ordine ad eſſe; & ad hoc etiam ipſe tenetur reſpondere, eo ipſo quod in eius ſententia Deitas ſit forma, vel quaſi forma ſanctificans humanitatem Chriſti, & non in eſſe principij radicantis, nec vitalizantis, nam inquiro, an per iſtam ſanctitatem conſtituatur humanitas Chriſti Dea in eius ſententia, vel ſolum deificata? quid quid ipſe reſpondeat, dicam ego; certè dicet, quod nec conſtituatur humanita principium radicale *quo* operandi, nec Dea in hoc ſenſu, quod humanitas ſit Dea, id eſt Deus per eſſentiam, ſed per communicationem Deitatis, quod eſt eſſe deificatã deificatione ſuperiori præ cæteris iuſtis, qui Dij etiam appellantur participatiue per gratiam iuxta illud Chriſti: *Ego dixi, Dij eſtis.*

Ad ſecundum ſuum argumentum reſpondeo, quod non ideo repugnat Diuinitati vniri cum anima Chriſti, vt eſt ſanctitas per modum naturæ, quia non poteſt cum illa vnam naturam conſtituere; quia in hoc ſenſu neque etiam poſſet vniri cum illa per modum eſſentiæ conſtituendo vnam eſſentiam cum illa; ad quod argumentum etiam ipſe reſpondere tenetur; nam inquiro, quomodo poteſt cum illa vniri in ratione ſanctitatis, & non in ratione principij radicalis operatiui vt *quo*? Certè reſpondebit, quod licèt natura Divina ſit in ſe principium radicale vitalitèr operandi vt *quo* in Patre, Filio, & Spiritu Sancto, non tamen hunc effectum præſtat humanitati vnita, quia humanitas non poteſt conſtitui principium vitalizandi per aliquid increatum proptèr incapacitatem eius: cum ergo in eius ſententia conſtituatur ſancta per Diuinitatẽ, & non ſanctitate per modum naturæ, cum non ſit capax humanitas vitalizandi per Diuinitatem, fateri tenetur conſtitui ſanctam, & non conſtituendo cũ illa vnam eſſentiam, ſed communicando ſe per vnionem ſaltem mediatam humanitati, hunc ergo effectum vocamus nos ſanctitatem in eſſe eſſentiæ, nõ quod Deitas conſtituat vnam eſſentiã cum humanitate, ſicut nec conſtituit vnam naturam, ſed quod ipſa Deitas, quæ eſt ſanctitas ſubſtantialis vt *quo* per eſſentiam in Deo; & conſtituit Deum ſanctum vt *quod* & à ſe, ipſa ſic communicata humanitati conſtituat ſanctam vt *quod* non à ſe, ſed per communicationem eius; eo modo, quo conſtituitur ſubſiſtens in omnium ſententia, & exiſtens in Thomiſtarum per ſubſiſtentiã, & exiſtentiam Diuinam, increatam, & à ſe.

Ad tertium denique ſuum argumentum etiam ipſe tenetur reſpondere, etenim in eius ſententia Diuinitas tribuit aliquod eſſe sãctitatis humanitati Chri

ſti,

Digitized by Google

ſti, & non ſanctitatis per modum vitæ, & principij *quo* radicalis, quod ordinẽ explicat ad operationem; inquiro tũc, hoc operari, vel principij *quo* operandi ſequitur ad illud eſſe ſanctitatis, quod tribuit Diuinitas humanitati? certe reſpondebit quod non, aliàs Deitas conſtitueret humanitatem per modum principij *quo* operandi vitalitèr, ſed dicet, quod illud operari, vel principij *quo* operandi radicalitèr confertur humanitati ab alio principio creato ſibi proportionato, licèt ſequuto ad illud eſſe ſanctitatis, quod collatum eſt humanitati per Deitatem non informantem, ſed vnitam ipſi humanitati; neque enim requiritur, aut exigitur phyſica informatio, aut identitas ad tribuendum illud eſſe ſanctitatis à Deitate præſtitum humanitati, ſed vnio cum illa ſufficit, vt patet in ſubſiſtentia, & exiſtentia Diuina cõmunicata humanitati ſine phyſica informatione, aut identitate, ſed per ſolam vnionem cum tali humanitate; & ita quando dicitur, quod operari ſequitur ad eſſe, verum eſt, ſed non ſemper ab eodem principio, à quo confertur eſſe, confertur, & operari, quod Illuſtriſsimus Dominus non poteſt negare, ſiquidem eſſe ſanctitatis confertur à Deitate in eius ſententia, & non confertur ab eodem principio humanitati, quod ſit operatiua radicalitèr vitalitèr, ſed ab alio principio creato ſibi proportionato, qualis eſt gratia habitualis, vel auxilium.

An ſanctitas in eſſe naturæ à gratia habituali proueniens ſit Chriſto neceſſaria, vt operationes elliciat ordinis Diuini?

QVÆST. III.

IN hac re, negant quam plures communitèr, iam aſſerentes, neceſsitatem gratiæ habitualis in anima Chriſti ad operandum Diuino, & ſupernaturali modo, ſolum eſſe iuxta modum connaturalem, & ſuauem Dei diſpoſitionem. Sic Suar. tom. 1. in 3. part. quæſt. 19. diſput. 39. ſection. 1. §. *Quarta ex parte.* Vazquez diſp. 41. cap. 5 §. *Reſtat.* Sotus lib. 3. de nat. & grat. cap. 6. & in 4. diſt. 19. quæſt. 1. art. 2. Vega ſupr. Trident. lib. 7. cap. 6. Medina hic §. *Eſt aliud dubium.* concluſ. 3. Hurtado Complut. diſp. 7. diffic. 3. §. *Secundo gratia.* Et quam plurimi Recentiores Salmanticenſes, inter quos nouiſsimè R. & Illuſtriſsimus M. Godoy, diſput. 22. §. 1. num. 6. Aſt pro negatiua parte ſtat Antiquorum tumultus aſſerentium talitèr eſſe neceſſariam habitualẽ gratiam in anima Chriſti ad operandũ Diuino, & ſupernaturali modo, vt ſit neceſsitas ſimplicitèr, ita vt adhuc de potentia abſoluta ſine illa huiuſmodi operationes non ellicerct. Ita Durand. in 3. diſt. 18. Capræol. ibid. diſt. 19. Driedo de captiuitate, & redemptione generis humani tract. 2. cap. 2. part. 3. Idem tenentur defendere omnes Authores aſſerentes animam rationalem, nec potentias poſſe eleuari per auxilium extrinſecum ad opera ſupernaturalia elicienda, ſed habitus ſupernaturales eſſe totas rationes agendi, quod iam eſt receptum apud omnes Thomiſtas: Eam etiam defendere tenentur, ſi conſequentèr loquantur, affirmantes gratiam habitualem eſſe ſimplicitèr neceſſariam ad meritum apud Deum, vt Bonau. in 3. diſt. 13. art. 1. Palud. etiam in 3. q. 2. & communitèr Recentiores, & eam defendunt plures, quos ſuppreſſo nomine citat Cabr. hic diſp. 3. nu. 14. quos in parte ſequitur num. 18. Salmantinos etiam vidi huius ſententiæ acritèr defenſores in ſuis manuſcriptis, de quorũ numero ſunt Mag. Cornejo, & Mag. Ouiedo, ex Auguſtiniana familia, vterque Primarius in Salmantina Academia, vterque etiam in materia de Gratia Chriſti, ille dub. vltim. cuius titulus: *In quo examinatur quædam ſententia peculiaris de quidditate gratiæ.* Iſte dubitat. etiam vlt. primæ diſput. §. *Pro reſolutione.*

Præambula deciſio ad præcipuam quæſtionem.

ARTIC. I.

REſolutio noſtra ſit contra Lorca 3. part. quæſt. 7. diſp. 37. num. 11. & alios, quos ipſe citat. Gratia habitualis eſt principium vniuerſale, & quaſi fontale omnium motuum ſupernaturaliũ per participationem. Primò, quia eſt expreſſa mens Sanct. Thom. pluribus in

Digitized by Google

in locis aſſerentis, gratiam habitualem eſſe vitam ſupernaturalem animæ, ſicut anima eſt vita naturalis corporis. Sic habet 1. 2. quæſt. 111. art. 4. & de verit. quæſt. 27. art. 3. ad 21. & in 3. diſt. 13. quæſt. 1. art. 1. in argument. *Sed contra.* & in corp. atqui anima eſt vniuerſale principium, & fontale omnium motuum naturalium, quos medijs ſuis principijs proximis ellicit, vt in confeſſo eſt apud omnes Phyloſophos ſequentes Principem Phyloſophiæ 3. de anima text. 24. definientem illam: *quo primo viuimus, ſentimus, &c.* Ergo gratia habitualis, quæ eſt anima, & vita ſupernaturalis erit principium fontale, & vniuerſale, quo primò viuimus Diuino, & ſupernaturali modo.

Probatur etiam vrgentiùs iuxta S. Thomæ doctrinam, in qua idem lumē gloriæ quoad ſpeciem eſt principium vniuerſale, & fontale cuiuſcumque viſionis Dei, ſiue ſit conſtitutiua Beati, vt eſt, quæ in patria reperitur, ſiue Beati formalitèr, & ſimplicitèr non ſit conſtitutiua, qualis fuit, quæ Paulo communicata fuit in raptu, vt docet 2. 2. quæſtion. 175. art. 3. ad 2. vbi poſtquam probauerat, non poſſe videri Deum ſine lumine gloriæ ex illo Pſal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen*, concludit, quod ex modo nobiliori exiſtendi in intellectu, & concurrendi ad viſionem, colligi debet, conſtituere Beatum formalitèr, & ſimplicitèr; nam ſi exiſtat per modum nobiliorem, quo poteſt, ſcilicèt, permanentèr, & ſecundum omnem ſuam excellentiam, Beatum ſimplicitèr conſtituet; ſi tamen non ita perfectè exiſtat, ſed per modum tranſeuntis, ſimplicitèr Beatum non conſtituit, ſed ſecundum quid, & inchoatè, *Et primo modo* (inquit) *reperitur in patria; ſecundo in Paulo, quando raptus eſt.* Ergo ab eodem etiam principio ſupernaturali, ſcilicèt, gratia habituali, orientur etiam quicumque actus phyſicè ſupernaturales, ſi diuerſo modo ſe habeant in ordine ad vnos, ac alios, & ſic etiam conſtituent ſimplicitèr ſanctum, vel ſecundum quid, iuxta diuerſitatem exiſtendi, & concurrendi; ac perconſequens, ſicut lumen eſt vniuerſale principium cuiuſcumque viſionis ſupernaturalis Dei; ita gratia habitualis erit vniuerſale principium, & fontale cuiuſcumque actus ſupernaturalis.

Secundo probatur poſitio noſtra ratione; etenim natura Diuina, quæ eſt ſanctitas per eſſentiam, eſt vniuerſale, & fontale principium *quo*, ſaltèm virtuale, omnium operationum Diuinarum ſupernaturalium increatarum, & per eſſentiam: atqui habitualis gratia eſt ſanctitas per participationem, & illius formalis participatio. Ergo erit etiam vniuerſale, & fontale principium *quo* reale operationum omnium ſupernaturalium Diuinarum creatarum, & per participationem; id enim, quod ſanctitas per eſſentiā habet in ordine ad ſuas operationes proportionatas, etiam habere debet ſanctitas per participationem in ordine ad ſuas.

Obijcies. Plures actus ellicit peccator ſupernaturales, quibus connatur ſe ad iuſtificationem diſponere, vt actus Fidei, & Spei informes: atqui huiuſmodi actuum non eſt principium primum *quo* habitualis gratia; aliàs enim non dicerentur informes, ſed formati. Ergo gratia habitualis non eſt principium vniuerſale omnium motuum ſupernaturalium. Confirmatur, quia ſi hoc verū eſſet, verificaretur etiam gratiam habitualem ſimul cum peccato permanere, ac proinde peccator vita ſupernaturali viueret, vtpotè gratiam habitualem habens, quæ eſt vita animæ, & non viueret ſupernaturali vita, vtpotè habens peccatum, quod mors eſt animæ.

Huic argumento reſpondet quidam ex noſtris ad materiam de charitate, adhuc ipſos actus in argumento numeratos oriri à gratia habituali, non tamen ab illa, quæ communitèr aſsignatur ab Auctoribus, ſed ab alia, quæ ſimul infunditur in prima iuſtificatione, per quam anima ſupernaturalium omniū motuum principium ſit, & huiuſmodi gratiam ſemper perſeuerare in peccatore, quia ſolū datur, vt viuat vita phyſica ſupernaturali, non autem vt vita meritoria viuat, ſed ad hanc infunditur gratia habitualis communitèr dicta, ac proinde manere iſtos actus informes, prout informitas (vt ita dicam) dicit non habere vitam meritoriam, non tamen manere informes, prout informitas dicit, non habere vitam ſupernaturalem, ſaltèm phyſicam, ac proindè nō repugnare, peccatorem viuere vita ſuper-

pernaturali phyſica ab hac gratia proueniente, & non viuere vita ſupernaturali meritoria à gratia poſita communitèr ab Authoribus, cum qua ſolum peccatum incompoſsibile eſt.

Fateor equidem diſtinctionem huius duplicis gratiæ habitualis facilè parare viam ad ſoluendum abſolutè argumentũ; & fateor etiam, abſolutè loquendo, difficilè poſſe hunc modum falſitatis conuinci, niſi ex eo, quod aliàs liceret cuilibet, ſicut licèt illi, multiplicare habitum gratiæ, vnum, qui ſit principium, & vita phyſica, alterum moralis, & meritoria vita, quod ex habitibus infuſis, qui gratiã conſecuntur in infuſione, alios eſſe principia proxima ſupernaturalitatis, qui gratiam hoc modo etiam ſumptam ſecuntur, & alios principia moralia proxima, & meritoria, qui ſecuntur alteram gratiam, quæ eſt principium morale, & vita meritoria, & ſaltèm multiplicandum eſſe duplicem habitum charitatis, ſicut multiplicatur duplex habitus gratiæ, iuxta hãc ſententiam mihi certum videtur; quia charitas non ſolum eſt principium proximum ſupernaturalitatis phyſicæ actus, ſed etiam eſt principium morale meritorium, à qua, tanquam à forma, cæteri actus cuiuſcumque virtutis formati dicuntur; eo enim dicitur communitèr charitatem eſſe formam omnium virtutum. Ergo ex eodem fundamento, ex quo gratia habitualis multiplicatur, debet, & charitas multiplicari.

Verùm quia non ſolum ſtandum eſt vniuſcuiuſque diſcurſui, ſed principijs communibus, tam in omnium ſententia, quam in Thomiſtica, quam ipſe tantopere profitetur, ideò quia deſtruit principia communia, in quibus non agnoſcitur, niſi vnica gratia habitualis, quæ eſt cauſa formalis noſtræ iuſtificationis & de qua ſolum loquimur in præſenti; & etiam deſtruit principia Sanct. Thomæ, & omnium Thomiſtarum, iuxta quæ aliqui actus ſupernaturales oriuntur ab habituali gratia, quæ eſt vita meritoria, & non ſolum vita phyſica, vt patet in contritione perfecta, quæ in eorum ſententia oritur ab eadem gratia habituali, ad quam diſponit, & non ab alia antecedenti; aliàs enim non ita difficilem reddidiſſent hanc quæſtionem communiter Authores.

Alitèr reſpondeo ad argumentum ſupraallatos actus à gratia habituali communitèr dicta oriri, non tamen ab illa vt eſt principium morale, & vita meritoria, ſed prout eſt principium phyſicum ſupernaturale, & vita phyſica in eodem ordine; & à ſuis principijs proximis, etiam in eſſe phyſico conſideratis, à qua gratia ſic conſiderata habet anima eſſe principium primum vitale ſupernaturale omnium motuum ſupernaturalium, qua talium formalitèr, & phyſicè, ſicut ab anima habet corpus eſſe principium primum vitale naturale omnium naturalium motuum, qua talium, naturalitèr, & phyſicè, & à principijs ſuis proximis eſſe tale principiũ talium motuum determinate, quoad ſpeciem, & ab auxilio, quoad determinationem indiuidualem; nec inconueniens eſt, gratiam ſimul naturalitèr manere cum peccato, non enim habet incompoſsibilitatem cum illo, ſecũdum eſſe phyſicum conſiderata, & ſecundũ quod conſtituit animam viuam in eſſe phyſico ſupernaturali, ſecundum quã ſolum rationem eſt principium horum actuum; ſed ſecundum quod conſtituit illam viuam in eſſe meritorio ſupernaturali, ſecundum quam rationem non concurrit ad hos actus, neque eſt in anima, niſi ſolum materialitèr, ſicut eſſet intellectio, ſi in lapide reciperetur.

Secundo reſponderi poteſt, quod talis gratia habitualis detur præciſſè per modum tranſeuntis ad prædictos actus elliciendos, eo modo, quo datur in ſententia Thomiſtarum ad ellicientiam contritionis, quæ eſt vltima diſpoſitio ad gratiam; & eo modo, quo datur lumen gloriæ ad viſionem tranſeuntem, ſicut quæ fuit in Paulo; & ita ſaluatur, quod gratia non ſit ſimul cum peccato, quia cum non detur, niſi ad elliciendos actus, non eſt inconueniens, quod tranſeunter ſit gratia habitualis in ſubiecto habente peccatum. Quod ſi quæras: ad quid ergo deſideratur habitualis gratia ad iſtos actus, & non ſufficiat aliquod auxilium tranſiens, ſuppoſito, quod gratia habitualis ſolum confertur per modum tranſeuntis? Dico, quod ideò deſideratur illa gratia, & non ſufficit auxilium, quia cum tales actus ſint vitales ſupernaturalitèr, debẽt oriri à ſuo principio, non ſolum proximo, ſed radicali

li, vitali, ſupernaturali; hoc autem non eſt aliud, quam gratia habitualis, quæ eſt prima vita ſupernaturalis eleuans animam; auxilium vero, quatũ eſt ex ſe, non eſt niſi applicatio virtutis iam ſuppoſitæ ad operandum hic, & nunc in indiuiduo; ac proinde non ſufficit ad ellicientiam prædictorum actuum.

Vrgebis. Huiuſmodi actus oriuntur à gratia habituali per modum cuiuſdã vniuerſalis, & fontalis principij totius ſupernaturalitatis, ita vt dicantur ab illa ortum ducere, quatenus diſtincta eſt in eſſe principij à quolibet alio auxilio ſupernaturali, quod non eſt vniuerſale principium totius ſupernaturalitatis, ſed particularis illius ſupernaturalitatis actus, ad quem datur: atqui gratia habitualis, vt ſic, diſtincta à quolibet alio auxilio, includit formalitèr eſſe vitam, non ſolum phyſicam, hanc enim quodlibet auxilium habet eleuando animam, & potentias, conſtituendoque illas in ordine ſupernaturali, ad actus ſupernaturales elliciendos, ſed meritoriam, per quam vltimo diſtinguitur à cæteris principijs ſupernaturalibus, quæ vita meritoria non dicuntur, cum non ſint actus dignificatiua. Ergo ſi non oriuntur prædicti actus à gratia habituali, vt vita meritoria, cum aliàs formati dicerentur; neque ab ipſa vt vita phyſica oriri debēt, ſed eo modo, quo à quolibet ſupernaturali auxilio prouenire poſsēt.

Reſpondeo, veram eſſe maiorem propoſitionem, ſcilicèt, quod huiuſmodi actus oriuntur à gratia habituali, prout eſt quid diſtinctum in eſſe principij ſupernaturalis à quolibet alio ſupernaturali principio. Minorem autem eſſe falſam, nimirum, non diſtingui à quolibet alio auxilio, vel principio ſupernaturali, niſi prout includit vitam meritoriã; etenim antecedentèr ad hanc vitam intelligitur vita phyſica prima animæ in eſſe ſupernaturali, vtpote illa in iſta fundata, prima autē vita ſupernaturalis habitualis eſt gratia, prout diſtincta eſt in eſſe vitæ à quolibet alio auxilio, vel ſupernaturali principio, quod etiam ſi vita ſupernaturalis diceretur, non tamen prima, ſed ſecunda, vel per modum proprietatis primæ vitæ, quod conuenit habitibus infuſis à gratia ortis; eo modo, quo in naturalibus corpus dicitur viuere vita ſecunda per potentias animæ; vel per modum determinationis & applicationis vtriuſque vitæ, quod conuenit auxilijs actualibus ſupernaturalibus; eo modo, quo in naturalibus dicitur, corpus viuere vita per modum determinationis per auxilia naturalia, quibus hic, & nunc operationes ellicit naturales.

Vrgebis vlteriùs. Hæc vita prima gratiæ habitualis debet eſſe vita meritoria formalitèr, ſiquidem debet eſſe vita, vt diſtincta à cæteris modis viuendi ſupernaturali vita; per aliud autem nõ intelligimus diſtingui gratiam à cæteris ſupernaturalibus principijs, & ſaltē illis, quæ habent eleuare per modum habitus; vim habet argumentum. Ergo intentum. Reſpondeo, non ſolum rationem primæ vitæ meritoriæ conuenire gratiæ habituali præciſè, quia ſola illa moralitèr dignificat opus prima dignificatione, & per illam diſtinguitur à cæteris modis viuendi ſupernaturali modo, qui non ſunt vita meritoria, ſed etiam rationem vitæ ſupernaturalis phyſicæ, prout intelligitur in gratia habituali antecedentèr ad meritoriam vitam, dici primam vitã in illa, & prout ſic conſideratam à cæteris modis phyſicè viuendi ſupernaturali modo diſtingui; nam licèt videantur æqualitèr conuenire, quia omnia principia ſupernaturalia eleuare habent ad eſſe ſupernaturale formalitèr, & cæteri habitus non ſolum conueniant cum gratia quoad eleuationem, vt ſic, ſed quoad talem eleuationem, ſcilicèt habitualem, in hoc etiam modo adhuc eſt diſtinctio in eleuãdo, & conſtituendo principium vitale phyſice ſupernaturale, nam gratia conſtituit principium vitale phyſicum ſupernaturale habitualitèr primariò, ſcilicèt, per modum principij vniuerſalis totius ſupernaturalitatis phyſicæ, ſine eo quod determinet ad hanc ſpeciem, nec indiuiduationem motus ſupernaturalis, quia nimirum, vltra rationem datam §. præcedenti, reſpicit animam tanquam ſubiectum, quæ proportionabilitèr eſt primum principium vniuerſale totius motus naturalis, ſine eo quod determinet ad hanc ſpeciem, nec indiuiduationem motus naturalis, & quæ, vt ſic, coaptationem habet vniuerſalem ad ſupernaturalitatem vniuerſalē; cæteri autem habitus, licèt habeāt conſtitue-

Digitized by Google

tuere principia vitalia phyſica ſupernaturalia habitualitèr, non tamen primario, ſed ſecũdario, ſcilicèt, per modum principiorum proximorum determinãtium ad ſpeciem motus ſupernaturalis, quia, nimirum, reſpiciunt potentias tanquam ſubiecta, quæ proportionabilitèr ſunt principia proxima determinantia ad ſpeciem motus naturalis, & quæ, vt ſic, coaptationem habent particularem cum peculiari ſupernaturalitate.

Et ſi iterum dicas. Hanc determinationem à gratia prouenientem determinatam eſſe, ſiquidem non attenditur gratia, vt ſic, ſed vt in ſubiecto, à quo accidentia determinationem habẽt iuxta doctrinam Angelici Doctoris, quam in libris de ortu, & interitu ſæpiùs inculcauimus. Dic, eſſe determinationẽ, qua ſi genericam contrahentem illam rationem eleuandi, & conſtituendi, vt ſic, per modum habitus, quæ communis eſt omnibus habitibus, non autem ſpecificam; niſi per ſpecificam intelligas ſubalternam, ſi autem infimam, non eſſe determinationem ſpecificam, vſque quo vltima contractio fiat in gratia, quæ eſt per meritoriam vitam. Pro quo recollenda eſt doctrina loco citato diſputatione 1. tradita, & præcipuè art. 3. quæſtionis primæ.

Vrgebis denique. Implicat, quod ab eodem principio oriantur actus ita diuerſi, vt vnus meritorius ſit præmij ſupernaturalis, alter talis præmij non ſit meritorius; aliàs enim principium, à quo ortum ducũt, eſſet principium meriti, & non eſſet principium meriti, quod implicantiam dicit: atqui à gratia habituali oriuntur plures actus, qui meritorij ſunt ſupernaturalis præmij, imò omnes, qui meritorij dicuntur, à gratia habituali ortum ducunt, vt ad 1. 2. quæſtion. 114. docent communitèr Theologi. Ergo enumerati actus ſupernaturales in argumento nequeunt à gratia habituali oriri, ac proinde iſta non erit vniuerſale, & fontale principium totius ſupernaturalitatis creatæ.

Reſpondeo, quod licèt tot diuerſitas actuum, vt vnus dicatur meritorius, altèr non, non poſſit ab eodem principio prouenire, eodem modo conſiderato; ſecus tamen ſi reſpectu illorum diuerſimode conſideretur; etenim habitualis gratia reſpectu actus ſupernaturalis meritorij, nõ ſolum habet concurſum per modum vitæ ſupernaturalis phyſicæ, ſed per modum etiam vitæ meritoriæ, dignificando moralitèr animam, ratione cuius dignificationis, actus, qui aliàs meritorius non eliceretur, iam talis eliciatur; reſpectu tamen actus ſupernaturalis non meritorij, vt ſunt in præcipuo argumento annumerati, ſolum habet concurſum per modum vitæ phyſicæ ſupernaturalis, ratione cuius actus, qui aliàs ſupernaturalis non eliceretur, iam talis eliciatur; ac proinde tantum abeſt, quod implicantiam dicat, in gratia eſſe principium meriti, & non eſſe tale principium, quod neceſſariò admittendum ſit in ea diuerſimode conſiderata.

Pro quo, & quæſtionis intelligentia obſeruandum venit, quod ſicut in naturalibus eadem anima eſt principiũ *quo* radicale, ita diuerſarum operationum in perfectione ſe excedentium, vt ratione aliquarum homo, v. g. non videatur induere rationem hominis, nec vt talis ratione animæ ad illas concurrere, vt potè ita imperfectæ in linea naturali, vt inſenſatas illas iudicemus communitèr, ac ſi ab aliquo principio merè naturali oriantur, quia ad illas non habuit concurſum anima ſecundum ſuam excellẽtiam, ſecundum quam concurrere poterat; & ab eadem etiam oriuntur aliæ ita perfectæ in eſſe naturali, & morali ad hanc lineam pertinenti, tãquã à principio etiam *quo* radicali, ſed diuerſo modo conſiderato; nã ad iſtas concurrit ſecundum quod habet quandam excellentiam, & dignitatem in linea naturali, ratione cuius concurſus eas talitèr nobilitate præditas elicit, quod ſoleamꝰ dicere, actiones huiuſmodi mereri nomen æternum, & illum, qui illas elicit, perennari; & nihilominus tantum abeſſe, vt hoc implicantiam dicat, quin potiùs, ſi res ita non ſe gererent, implicantiam diceret; eo enim dicitur anima vniuerſale principiũ totius eſſe naturalis. Ita ergo ſimilitèr in ſupernaturalibꝰ plures ſunt actiones ita imperfectæ in hac linea, vt non videantur eſſe elicitas à gratia habituali, vt talis eſt formalitèr, quia in ordine ad illas ſolũ præſtat concurſũ imperfectũ, ſcilicèt, ſupernaturalitatis, & vitalitatis phyſicè, à qua, tanquã à prima radice, omnis vitalitas ſupernaturalis, tanquam à tota virtute agendi, ortum du-

Digitized by Google

ducit; ac proinde huiuſmodi actiones præciſſe remanent ſupernaturales, & vitalis phyſicæ; aliæ autē ita nobiles ſūt in linea ſupernaturalitatis, vt gratia habitualis, non ſolum concurrat ad illas phyſicè, & efficientèr, vt eſt principium effectiuum vitalitatis, & ſupernaturalitatis phyſicæ actionis, ſed etiā vt eſt principium morale, & dignificatiuum moralitèr formalitèr, ratione cuius cōcurſus tales actiones, non ſolum remanent ſupernaturales, ſed ita dignæ, & nobilitate ſupernaturali prǽditæ, vt meritorias eſſe dicamus præmii ſupernaturalis ſine eo, quod diuerſitas operationum implicantiam inuoluat in gratia habituali; quæ omnium eſt principium radicale; imò implicantiam inuolueret, ſi res non ita ſe gereret, eo enim gratia habitualis principium radicale dicitur totius ſupernaturalitatis actus.

Præcipuæ quæſtionis reſolutio.

ARTIC. II.

RESolutio noſtra ſit. Huiuſmodi ſanctitas in eſſe naturæ à gratia habituali proueniens neceſſaria fuit ſimplicitèr, & non ſolum iuxta ſuauem Dei diſpoſitionem, in humanitate Chriſti, vt per illam tanquam per principium *quo* primum, & radicale operationes eliceret phyſicè vitales ſupernaturales. Hāc reſolutionem iudico expreſſam apud Sanct. Thom quotieſcumque de neceſſitate ponendi gratiam habitualem in Chriſto agit; pro qua faciunt omnia loca à nobis adducta quæſt. præced. art. 2. §. *Peccat ſecundo*, & art. 3. §. *Cæterum*, & ſequentibus, & vberius art. 4. per totū. Et nunc probatur ex quæſt. 29. de veritate ar. 5. ad 4. vbi dicit: *Quod quamuis meritum Chriſti habeat quandam infinitatem ex dignitate perſonæ, rationem tamen meriti habere ex gratia habituali, ſine qua meritum eſſe non poteſt.* Quem locum adducit Cabr hic diſp. 3. num. 19. illum intelligens adhuc de potentia abſoluta; neſcio tamen qua ratione tam cito ſuī immemor ſit, ſiquidem num. anteced. ſtatuit concluſionem: quod licèt adhuc de potentia abſoluta fieri non poſsit, vt opera Chriſti Domini ſint meritoria vitæ æternæ ſine aliqua gratia creata, non tamen exigit ipſe, quod habitualis ſit, ſed vel iſta, vel actualis: atqui ex loco S. Thom. ab ipſo adducto, & vt ab ipſo explicatur, colligitur planè, ſolam neceſſariam eſſe habitualem gratiam ſimplicitèr, vt denotant illa verba: *Sine qua meritum eſſe non poteſt.* Ergo ex hoc loco potiùs firmat noſtram concluſionem, quam ſuum probet intentum.

Probat ſuam vlterius concluſionem Cabr. loc. cit. num. 26. ſui etiam immemor. Secluſſa gratia habituali à Chriſto, non eſſet homo ſimplicitèr gratus. Ergo neque eius opera ſimplicitèr Deo grata. Meliùs colligeret ex antecedenti. Ergo talitèr neceſſaria eſt gratia habitualis ad elicienda opera ſupernaturalia, & Deo grata, vt illa ſecluſſa talia non manerent, ac per conſequens, ſimplicitèr eſt neceſſaria ipſa, & non quæcumque alia, vt in concluſione intēdit. Confirmat vlteriùs num. ſeq. ſic. Charitas eſt prima radix totius meriti, vt docet S. Thom. 1. 2. quæſt. 114. art. 4. ſed gratia habituali à Chriſti humanitate ſecluſſa, non maneret charitas. Ergo nō maneret prima radix meriti. Atqui huiuſmodi ratio noſtram potius firmat concluſionem, ſiquidem ex ea ſolam gratiam habitualem colligitur neceſſariam eſſe, ad quam ſolum ſequitur charitas, & nullam aliam ſufficere actualē, cum ad iſtam non ſequatur charitas. Ergo prædictus Author vnum ſtatuit, & aliud ſuis rationibus probat.

Alia ergo via probatur poſitio noſtra. Repugnat, quod Chriſtus Dominus eliciat operationes vitales ordinis Diuini, & phyſicè ſupernaturales abſque principio vitali phyſico eiuſdem ordinis, ſicut repugnat ab illo elici actiones vitales ordinis naturalis phyſici abſque principio vitali, & phyſico eiuſdem ordinis, principium enim vitale in ordine ad operationes inſuplebile eſt, vtpotè agens per illud ab intrinſeco ſe mouet: atqui abſque ſanctitate in eſſe naturæ à gratia habituali proueniente, non maneret in Chriſto principium intrinſecū vitale ordinis Diuini, & phyſicè ſupernaturale; ſicut abſque anima rationali non maneret in eo principium *quo* radicale (de quo ſolum eſt ſermo) intrinſecum ordinis naturalis, & phyſicum; etenim ſicut anima conſtituit Chriſtum in eſſe viuentis, & ſe mouentis primo ab intrinſeco in ordine ad actiones naturales phyſicè; ita habitualis gratia

ii-

Digitized by Google

illum conſtituit in eſſe viuentis, & ſe mouentis primo ab intrinſeco in ordine ad actiones phyſicè ſupernaturales: Qua ratione dicitur à S. Tho locis pluries à nobis citatis, gratiam habitualem vitam eſſe animæ, ſicut anima vita corporis; & alias Deitas nequit habere rationem talis principij, phyſicè ſupernaturalitèr operans in humanitate, cum non conſtituat illam ſanctam formalitèr ſanctitate in eſſe naturæ, quæ ſola dicit ordinem ad operandum, vt q. 1. art. 6. probatum eſt, neque quodlibet aliud ſupernaturale auxilium, nec quilibet alius habitus infuſſus; etenim tã habitus alius infuſſus à gratia, quam auxilium ordinis Diuini, & ſupernaturalis phyſicè ex ſuo conceptu eſſentiali ſupponunt aliam vitam in ordine Diuino, quæ prima dicitur, & radicalis, cum ſe habeant in ordine ad illam, vt eius potentiæ, ſicut habitus infuſi ſupernaturales, vel vt applicationes ad hic, & nunc operandum; quo pacto ſe habent auxilia ſuper naturalia, non minus, ac in ordine naturali potentiæ animæ, & auxilia naturalis ordinis ex ſuo conceptu ſupponunt vitam primam, & radicalem eiuſdem ordinis, in ordine ad quam ſe habent, vt virtutes proximæ, qualitèr ſe habẽt potentiæ, vel vt applicationes ad hic, & nunc operandum in eodem ordine, vt ſe habent auxilia. Ergo ſicut repugnat operationes naturales phyſicæ abſque principio radicali phyſico eiuſdem ordinis ortas eſſe, quæ eſt vita naturalis phyſica, & radicalis; ita repugnabit operationes ſupernaturales phyſicè abſque phyſico principio radicali ſupernaturali, quod ſit vita ſupernaturalis phyſica, & radicalis, qualis ſola eſt gratia habitualis in Chriſto Domino.

Dices primo ex doctrina Suar tom. 1. in 3. par. diſp. 31. ſect. 6. §. *Reſpondetur.* Optimè poſſe animam Chriſti elicere operationes vitales ſupernaturalis ordinis, ex eo præciſſe, quod eleuetur per auxilium extrinſecum, ratione, ſcilicèt, aſsiſtentiæ Diuinæ virtutis ſupernaturalitèr applicatæ. Sed contra eſt quia in illo caſu, quo anima Chriſti haberet hoc auxilium extrinſecum, & careret gratia habituali, nõ ſe moueret Diuino modo ex ſe ipſa; etenim operari ex ſe, eſt à principio intrinſeco operari, licèt hoc principium intrinſecum ſit acceptum ab alio; nam vt docet S. Th. 1. p. q. 105. ar. 4. ad 2. *Moueri voluntarie* (quod eſt vitali modo moueri) *eſt moueri ex ſe, id eſt à principio intrinſeco, ſed illud principium intrinſecum poteſt eſſe ab alio principio extrinſeco.* Atqui huiuſmodi aſsiſtẽtia Diuinæ virtutis ſolũ poterat humanitatem Chriſti in eſſe ſupernaturali extrinſeco conſtituere. Ergo cũ in tali caſu non haberet aliquod principium intrinſecum operatiuum Diuinarũ actionum acceptum ab alio principio extrinſeco, ſcilicèt, Deo, non poſſet vitalitèr ſupernaturalitèr moueri; eo enim modo ſe debet habere ſupernaturalitas in actu ſecundo in actibus reperta, ac ſe habet ſupernaturalitas in actu primo, quæ in principio reperitur.

Dices ſecũdo. Cũ in Chriſto Domino aliquæ eſſent operationes in ordine ſupernaturali non ita perfectæ phyſicè, ac aliæ, poſſe intelligi, eas ſaltèm ab aliqua gratia nõ ita perfecta, qualis eſt habitualis, oriri; ac proinde non erit hæc ſimplicitèr neceſſaria ad omnes actiones ſupernaturales, ſed hæc, vel alia qualitas ſupernaturalis. Sed contra efficacitèr. Etiam in Chriſto Domino fuerunt aliæ actiones ordinis naturalis phyſicæ non ita perfectæ, ac aliæ; neque enim in eſſe phyſico neceſſariũ fuit, quod æquè perfectæ fuiſſent, licèt in eſſe morali æqualitatem haberent; & nihilominùs, tam primæ, quam ſecundæ neceſſariò oriebantur ab eodem principio *quo* radicali, ſcilicèt, vita prima naturali. Ergo etiam ſi in Chriſto Domino fuiſſent plures actiones inæquales in perfectione phyſica ſupernaturali, neceſſariò orirẽtur ab eodem principio radicali *quo* ſupernaturali, quæ eſt prima vita ſupernaturalis, ſcilicèt, habitualis gratia. Facit etiam pro hac parte doctrina à nobis dato articulo præcedenti.

Dices vlteriùs. Vitam phyſicam radicalem per modum principij *quo* radicalis ſupernaturalis operationis, animæ Chriſti Domini præciſſe competere; ac proinde ſecluſſa gratia habituali, poſſe elicere operationes per modum principij radicalis ſupernaturalis; & ſi ſimul detur aliquod auxilium ſupernaturale, videtur facilè componi, quod operatio euadat phyſicè ſupernaturalis. Sed contra eſt, nã vita radicalis, & proxima debent eſſe in eodẽ ordine, vt cernitur in

Digitized by Google

naturalibus: Atqui vita proxima in caſu poſito ſupernaturalis eſſet, nēpè auxilium. Ergo, & radicalis; ac proinde nequit animæ Chriſti ratio vitæ ſupernaturalis, adhuc radicalis, formalitèr competere. Præterquam quod, vt actus ſupernaturalis phyſicè euadat, debent eſſe eleuata phyſicè omnia eius comprincipia; alias enim, ſi vnum eleuatum eſſet, ineleuatum alterum, mixtum fieret in effectu ex naturalitate, & ſupernaturalitate: atqui vnum ex principijs ad actum ſupernaturalem concurrentibus erat anima Chriſti Domini, imò, & præcipuum. Ergo ſecluſſa eius eleuatione, quæ fit per gratiam habitualem, cū auxilium potentiam præciſſe reſpiciat, non euadet actus omni ex parte phyſicè ſupernaturalis.

Soluuntur contraria fundamenta.

ARTIC. III.

CÆterum in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij ex Sanct. Th. pluribus in locis, præcipuè 1. 2. quæſt. vltima docente, meritum fundari in acceptione Diuina: atqui non repugnat Deum acceptare opera Chriſti Domini, etiam ſi à gratia habituali non procederent; neque enim adſtrictus eſt Deus ad illa per hoc medium acceptanda. Ergo eſſent meritoria, ſecluſſo influxu gratiæ habitualis; ac proinde ſupernaturalia, cum meritum operis in ſupernaturalitate fundetur. Reſpōdeo, verum eſſe, quod docet S. Th. meritum fundari in acceptatione Diuina, ſed hæc acceptatio debet eſſe intrinſeca, id eſt, à gratia habituali proueniens, ratione cuius opera à ſubiecto, & in noſtro caſu, à Chriſto, elicita, acceptantur ad Beatitudinem; ſi enim Deus ordinaret dare Beatitudinem Chriſto Domino per opera eius naturalia, non conferret illam per modum præmij, cum vt docet idem S. Thom 1. 2. q. 114. art. 2. præmiū formalitèr vt tale in proportione operum cum illo neceſſariò fundetur.

Opponunt ſecundo. Vt opus ſit meritorium, ſufficit, quod ſit ſtudioſum, & bonum moralitèr, & ſuppoſitum, à quo progreditur, ſit gratū formalitèr Deo: atqui Chriſtus Dominus abſque gratia habituali plura eliceret opera ſtudioſa, & moralitèr bona, & eſſet nobiliori gratitudine gratus Deo, ſcilicèt, per gratiā vnionis, quam foret per habitualē gratiam. Ergo operationes ab illo elicitæ eſſent meritoriæ ſupernaturalis præmij; ac proinde ſupernaturalitatem haberent, ſecluſſa habituali gratia. Confirmatur. Sanctitas illi proueniens à gratia vnionis perfectior eſt, quā proueniēs à gratia habituali, vt de ſe liquet. Ergo ſi hæc ſufficit ad hoc, quod operationes eius ſint meritoriæ, ad idem illa ſufficeret.

Reſpondeo, non ſufficere ad meritū ſupernaturalis præmij quancumque bonitatem moralem actus, ſed bonitatem moralem ſupernaturalem ſupernaturalitate phyſica à principio ſupernaturali phyſicè influente in actum; quare licèt Chriſtus, ſecluſſa habituali gratia plura eliceret opera bona moralitèr bonitate naturali morali, quæ quidem etiam opera ſupernaturalia eſſent ſupernaturalitate proueniente à ſuppoſito Diuino, cum non eſſet ab illo hæc ſupernaturalitas orta medio aliquo principio quo phyſicè ſupernaturali, non haberent ſupernaturalitatem requiſitam ad meritum; etenim, cum meritum debeat proportionari cum præmio, ſicut hoc eſt phyſicè, & moralitèr ſupernaturale, ita illud hanc duplicem ſupernaturalitatem habere debet; ſecluſſa autem habituali gratia, licèt haberet moralem, non tamen phyſicam. Vndè ad cōfirmationē dic, quod licèt ſit perfectior gratia vnionis in Chriſto vt homine, quam habitualis, in eſſe tamē principij effectiui ſupernaturalitatis phyſicæ actus, non eſt perfectior, ſed huiuſmodi perfectio vnicè gratiæ habituali competit, vtpotè illa ſola ſanctitas in eſſe naturæ humanitatis eſt Chriſti.

Opponunt tertio. Gratia vnionis non ſolum ſanctificat moralitèr humanitatē Chriſti, ſed phyſicè, iuxta à nobis dicta q. 1. ar. 7. §. *Reſolutio noſtra*, & ſequētibus. Ergo ſecluſſa gratia habituali, habebunt opera Chriſti Domini ſupernaturalitatē à gratia vnionis, non ſolum moralem, ſed phyſicā. Patet conſequētia; quia eatenus haberēt moralem, quatenus procedebāt, à quodam principio morali: ſed hoc principium etiam erat phyſicum. Ergo ab illo etiam participabūt ſupernaturalitatem phyſicam. Reſpondeo, quod licèt gratia vnionis non ſolum moralitèr ſanctificet humanitatem Chriſti, ſed phyſicè ſanctitate in eſſe eſſentiæ, non tamen ſicut participa-

tur

Digitized by Google

tur ab operibus ſupernaturalitas moralitas, & phyſica etiam debet participari; etenim ſupernaturalitas moralis in gratia vnionis non concurrit phyſicè influxu aliquo ad cauſam efficientem pertinente, ſed morali, qui quidem non requirit tantam vnionem cum re moralizanda, ac phyſicus cum re producenda; ac proinde poteſt participari ab actibus, & ſi illa dignitas moralis in ſuppoſito ſit; ſupernaturalitas vero phyſica in principio reperta concurrere debet phyſicè influxu phyſico ad cauſam efficientem pertinente; ac proinde cum repugnet, gratiam vnionis influxum phyſicum præſtare in operationes ab humanitate Chriſti eliciendas, propter repugnantiam naturæ, vt pluries ex S. Thom. docui, ideò licèt communicetur operibus ſupernaturalitas moralis à gratia vnionis, non ideò debet communicari ſupernaturalitas phyſica in ipſa gratia reperta. Præterquam quod ſupernaturalitas phyſica operum debebat participari phyſicè à gratia vnionis, ſecundũ quod hæc ſanctitas erat in eſſe naturæ, cum ſola hæc ſanctitas ordinem explicet ad operationes; cum ergo non ſanctificet gratia vnionis humanitatem Chriſti ſanctitate in eſſe naturæ, vt eadem quæſtione art. 6. § *Reſolutio noſtra.* Docui, etiam ſi aliàs ſanctitas ſit in eſſe naturæ; non ideò ſicut communicatur ſupernaturalitas moralis, & phyſica cõmunicari debet operibus.

Opponunt quarto. Concurſus præſtitus à gratia habituali in operationes Chriſti eſt concurſus in genere cauſæ efficientis, cum ſit per modum naturæ, & principium motus ſupernaturalis: atqui concurſus cauſæ efficientis poteſt à Deo ſuppleri, qua ratione ſuppleuit, ne ignis Babilonicus tres pueros combureret. Ergo de potentia abſoluta poteſt elici actus ſupernaturalis à Chriſto Domino, ſecluſſa gratia habituali. Reſpondeo, quod non ſolum eſt concurſus in genere cauſæ efficientis concurſus gratiæ habitualis in operationes Chriſti, imò propriè non eſt concurſus efficiẽtis cauſæ, ſed quaſi efficientis, ſed etiam concurſus formalis cauſæ conſtituentis per modum formæ humanitatem Chriſti in eſſe principij vitalis ſupernaturalis phyſicè operandi; concurſus autem vitalis nequit à Deo ſuppleri; neque enim Deus poteſt facere hominem intelligere ſine principio intrinſeco intelligendi, qui eſt modus vitalis operandi in ordine naturali; & ita nequit Deus facere, quod Chriſtus Dominus eliciat operationes phyſicè ſupernaturales ſine principio intrinſeco phyſicè ſupernaturali, quæ eſt gratia habitualis, vtpotè prima vita in ordine ſupernaturali; quod non currit in igne Babilonico.

Opponunt quinto. Videtur ſequi ex noſtra doctrina in tota hac quæſtione præhabita, quod gratia habitualis ſit vita ſubſtantialis, per quam ſubſtantialitèr viuit anima in ordine ſupernaturali, ſicut viuit vita ſubſtantiali in eſſe naturali quodlibet ſubiectum anima naturali præditum; etenim ideò homo vita ſubſtantiali in ordine naturali viuit per animam, quia anima eſt vita prima, qua *primo viuimus*, &c. in ordine naturali; gratia autem habitualis etiam eſt prima vita, & qua primò viuimus in ordine ſupernaturali, iuxta à nobis pluries dicta, & eſt principium radicale in ordine ſupernaturali, ſicut anima eſt radicale principium in naturali ordine. Ergo ſicut nulla eſt anima, quæ non ſit ſubſtãtialis vita in ordine naturali, à qua radicalitèr oriantur operationes vitales ordinis naturalis, nulla erit habitualis gratia, quæ non ſit ſubſtantialis vita in ordine ſupernaturali, à qua radicalitèr oriantur operationes vitales ordinis ſupernaturalis. Hoc autem, quam abſurdum ſit, ex eo cõſtat, quia omnes Theologi dum de gratia habituali locuntur, perfectionem, dicunt, eſſe accidentalẽ animæ, & merito, iuxta Sanct. Thom. doctrinam 1. 2. quæſt. 110. art. 4. affirmantis: *Gratiã habitualem eſſe in anima, tanquam in ſubiecto*, quod propriè ſolum conuenit formis accidentalibus. Ergo ne in tot incommoda contra omnes Theologos incidamus, dicendum eſt, gratiam habitualem, non ideò ponendam eſſe in Chriſto, vt per illam ei9 humanitas ſimplicitèr cõſtituatur principium *quod* operatiuum radicalitèr totius operis ſupernaturalis.

Non defuit ex noſtris, qui ſequellã concederet in ſua materia de Charitate: dicit enim P. Sebaſtianus Sarmiento, gratiam habitualem vitam eſſe ſubſtantialem in ordine ſupernaturali, ſi-

cut anima vita ſubſtantialis eſt in ordine naturali; quando autem in ipſum inſurgit authoritas Sanct. Thom. affirmãtis, eſſe gratiam habitualem accidens, vtpote exiſtentem in anima, vt in ſubiecto; reſpondet, quod licet San. Thom. dicat, eſſe accidens, intelligi debet, quoad modum, eo quod habeat modũ accidentis, quod eſt in eſſe, quoad rem tamen eſſe ſubſtantiam, vtpote iuxta doctrinam eiuſdem Sanct. Thom. in eodem loco, principium dicitur radicale, a quo emanant principia proxima ſupernaturalia, ſicut ab eſſentia animæ effluunt eius potentiæ naturales, quæ ſunt operum principia; ac proinde cum nequeat in naturalibus aliquid eſſe principium radicale, à quo principia proxima eiuſdem ordinis emanant, quin ſit ſubſtantia in eſſe naturali; ita nequit in ſupernaturalibus aliquid eſſe principium radicale, à quo principia proxima eiuſdem ordinis oriantur, quin ſit ſubſtantia in eſſe ſupernaturali.

Verum, licet non vacet modo illum ad longum refutare; ferre non poſſum, prædictum Authorẽ contẽdere, ſententiam ſuam eſſe ex mente Sanct. Thomæ ex prædicto loco deductam. Quare cõtra hoc intentum ſic vrgentèr inſurgo. Sicut in hoc loco dicit Sanct. Thomas, quod *gratia habitualis eſt principium omnium motuum ſupernaturalium, quod proprium eſt ſubſtantiæ*. Ita etiam dicit, *illam eſſe in eſſentia animæ tanquam in ſubiecto*. Quod proprium eſt formarum accidentalium. Ergo ſicut ex loco Sanct. Thom. colligit, eſſe principium ſubſtantiale ſupernaturale, etiam debet colligere ex eodem loco, illam eſſe formam accidentalem: Dicere autem, eſſe formam accidentalem quoad modum, dicere eſt, ſed non fundare in loco S. Thom. eadem enim ratione poſſemus dicere cum fundamento in Sanct. Tho. gratiam habitualem, quia eſt in anima, tanquã in ſubiecto, eſſe accidens quoad rem; & quia eſt principium radicalitèr operandi Diuino, & ſupernaturali modo, eſſe quoad modum ſubſtantiam: ſicut ergo hoc in ſua ſententia non debet colligi ex verbis Sanct. Thom. neque illud ex illius verbis colligere debuit. Vndè argumentum, quatenus in verbis Sanct. Thomæ fundatur, commune eſt vtrique ſententiæ; ac proinde ſolutione indiget in ſua, quæ poterit ſic, mutatis terminis, pro noſtra applicari.

Reſpondeo ergo, quod in verbis S. Thomæ æquè poteſt colligi vnum, & aliud; vnde ex alio capite penſanda eſt ſolutio; modo autem mihi occurrit hoc; quod ſicut de facto videmus plura accidentia creata, quæ licèt re ipſa, & quoad rem accidentia ſint; habent tamen quendam modum ita eleuatum ſupra ſuam naturam, vt dicantur per ſe exiſtere, quod proprium eſt ſubſtantiæ (modo ſit per aliquem modum ſubſtantialem ſupperaditum, modo per carentiam inhæſionis, vt probabilius iudicaui, diſp. 2. quæſt. 1. art. 3. §. *Reſolutio ſecunda*, in libris de anima, de accidentib⁹ ſeparatis à ſubiecto) ita ſimilitèr gratia habitualis, licèt accidens ſit creatũ ſupernaturale re ipſa, & quoad rem, habet tamen propter ſuam nobilitatem quendam modum ita eleuatum ſupra ſuam naturam accidentalem, quod videatur ſubſtantia, licèt re ipſa ſubſtantia non ſit, ſcilicèt, eſſe principium radicale omnium motuum ſupernaturalium; nulla autem ſubſtantia occurrit mihi creata, quæ modum habeat ſimilem accidentibus, ex quo exemplari poſſim deuenire, vt eodem modo, philoſophandum ſit de gratia habituali, & aliàs ſtat pro hac parte tota Theologorum doctrina, & cætera, ac proinde maiori cum fundamento dicetur gratia habitualis, quoad rem, accidens, & quoad modum, ſubſtantia, quam à contrario. Vnde licèt nullum ſit ſubiectum, quod non viuat vita ſubſtantiali per animam, quæ vita ſubſtantialis eſt in ordine naturali, & quod nõ viuat per ſubſtantiam, quæ re ipſa ſubſtantia ſit; benè tamen poteſt intelligi, quod ſubiectum viuat vita ſupernaturali radicali, & quod hæc vita ſupernaturalis ſubſtantia non ſit, quoad rem, ſed propter ſuam maximã excellentiam habeat quendam modum vitæ ſubſtantialis, ſcillicèt, eſſe principium radicale operandi, quod eſt propriũ vitæ ſubſtantialis, ac proinde quod dicatur ſubſtantia, quoad modum: etenim formæ alicuius ordinis inferioris non repugnat, quod adiungatur, & communicetur illi quidam modus ordinis ſuperioris, vt in exemplo poſito clarè conſtat: formæ autem ordinis ſuperio-

ris

Digitized by Google

ris repugnat, quod ei adiungatur, & cõmunicetur modus proprius ordinis inferioris, nec de hoc habemus aliquod exemplum.

Vtrum gratia, habitus, & auxilium ſint tota ratio agendi actus ſupernaturalis.

QVÆSTIO IV.

IN Hac re P. Molina 1. part. quæſt. 12. diſp. 1. dubio: *An poſsit fieri potentia diuina, vt intellectus ſine lumine gloriæ videat diuinam eſſentiam?* Docuit lumen gloriæ non eſſe totam rationem agendi. Idem docuit Suarez tom. 1. in 3. part. diſp. 31. ſect. 6. Herice 1. part. tract. 4. diſp. 4. num. 53. quem ſequitur Hurtado 2. 2. diſp. 124. ſect. 2. qui falſo imponit Authoribus contrariæ ſententiæ aſſerere voluntatem non influere actiuè in actus ſupernaturales, ſic ſupponit dicta diſputatione ſect. 3. §. 34. tenet etiam Ripalda de ente ſupernaturali lib. 2. per multiplices ſectiones, & generalitèr hoc defendunt omnes PP. Societatis Ieſu. Aſt quod gratia, habitus, & auxilium ſint totæ rationes agendi actus ſupernaturalis, tenent Caietanus 1. part. quæſt. 12. artic. 5. & Ferrara 3. contra gentes cap. 53. Bañez. Nazarius, Alvarez, Albelda, & generalitèr eam defendunt omnes Thomiſtæ tanquam irrefragabilem veritatem cum R. P. M. Fr. Ioanne à Sanct. Thoma 1. part. quæſtion. 12. diſp. 14. art. 2. & noſtro Hurtado in præcurſorio Theologico pluribus in locis.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRO quæſtionis intelligentia obſeruo primo, quod ideo in titulo quæſtionis inquirimus de gratia, ſcilicèt, habituali, de habitibus, & auxilijs ſupernaturalibus; quia cum ad actus ſupernaturales elliciendos non ſolum debeat concurrere anima eleuata, ſed potentiæ etiam eleuatæ per ſua principia ſupernaturalia proportionata, & principium proportionatum eleuans animam ſit gratia habitualis, *quæ eſt vita animæ*, vt pluriès docuimus ex Sanct. Thoma, quæ eleuat illam ad eſſe ſupernaturale in tota ſua latitudine; & principium proportionatum potentiarum eleuans illas ſint virtutes ſupernaturales gratiam conſequentes, qui ſunt habitus, ad eſſe ſupernaturale ſpecificum determinantes, qui quidem habitus, alij ſunt in potentia intellectiua, ſicut lumen gloriæ, & habitus fidei; alij in potentia voluntatis, vt habitus charitatis, v.g. & cum per huiuſmodi principia ſupernaturalia, nondum intelligatur anima, nec potentiæ determinatè ad eſſe ſupernaturali indiuiduali, quod requiritur in quolibet actu ſupernaturali, & ad hoc indiuiduale actus ponantur auxilia ſupernaturalia, ideò generalitèr in titulo quæſtionis inquirimus de gratia, habitibus, & auxilijs ſupernaturalibus, an quodlibet ex his principijs in ſua linea ſit tota ratio agendi actus ſupernaturalis; quem anima, nec potentiæ ſecundum ſua principia naturalia vires habent efficiendi.

Obſeruo ſecundò, id, in quo omnes concertantes conuenire debent, ſcilicèt quod omnia iſta principia ſupernaturalia, vnumquodque in ſua linea, ſunt totæ rationes eleuandi; tam animam in ratione principij radicalis, quam potentias, in ratione principij proximi; & diſsidium reſtat, an, ſicut ſunt totæ rationes eleuandi; ſint etiam totæ rationes agendi actuum ſupernaturalium; vel ſupponatur in anima; vel in intellectu, aut voluntate aliqua virtus radicalis, aut proxima connaturalis ipſis, vi cuius mediatè, vel immediatè ſimul cum gratia, habitu, vel auxilio eliciant ſupernaturalem actum. Vlteriùs à nullo ex concertantibus negari poteſt eſſe in anima, & potentijs adhuc eleuatis virtutem, & actiuitatem innatam, tanquam rationem agendi radicalitèr, vel proxime conſtitutis in linea, & ſerie potentiarum naturalium agentium actus naturales ſibi proportionatos: diſidium autem modo eſt. An quando anima, intellectus, & voluntas conſtituuntur radicalitèr, & proxime potentes ellicere operationes ſupernaturales, conſtituantur habitibus, vel auxilijs ſupernaturalibus tanquam adæquatis virtutibus agendi, an vero tantum in adæquatè hæc principia ſupernaturalia concurrant ſimul cum virtute proxima innata

po-

Digitized by Google

potentiæ ad eliciendum actum ſupernaturalem.

Obſeruo tertio ex Magiſtro Curiel 1.2. dubit. vnica circa artic. 5. quæſt. 5. quod licèt quælibet potentia, tam cognoſcitiua, quam volitiua ſit principiũ *quo* proximum operationis, debet tamen in ea diſtingui, & eſſentia potẽtiæ, & quantitas virtutis eius, vel virtus agendi, ſeu efficatia intenſiua, & vtraque ratio reperta in potentia debet explicari pœnes ordinem ab obiectum, diuerſimode tamen; nam eſſentia potentiæ conſiſtit in quadam coaptatione ad attingendum obiectum per actus à ſe elicitos ſecundum totam latitudinem obiecti, & hæc coaptatio ab aliquibus nominatur *commenſuratio*, ſeu *proportio geometrica*. At vero quantitas virtutis conſiſtit in efficacia potentiæ, ſeu in virtute efficaci illius ad eliciendos actus circa obiectum ſpecificatiuum, vel adæquatè, quantum ad omnem latitudinẽ eius, vel inadæquatè, quantum ad eius aliquam partem, ratio autem, quare ponimus hanc diſtinctionem, eſt, quia habent diuerſa diſtinctiua; coaptationes autem diſtinguntur pœnes obiecta terminatiua, qua talia; quantitates vero virtutis pœnes obiecta motiua: & ita intellectus Angelicus, & humanus, & ſi in coaptationibus eſſentialibus conueniant, & ideò vterque poſſit attingere totam latitudinem entis, diſtinguntur tamen pœnes quantitates virtutis, quia intellectus humanus in hoc ſtatu ſolum poteſt attingere quidditates rei materialis, Angelicus vero etiam ſubſtantias ſeparatas, vt docet Sanct. Thom. 1. part. quæſt. 12. art. 4. & expreſsiùs Caiet. 1. etiam part. quæſt. 79 art. 7. vbi diſtinguit in intellectu efficaciam intenſiuam ab eſſentia, quibus nominibus intelligit, quod nos per coaptationem eſſentialem, & quantitatem virtutis.

Obſeruo quarto, quod in actione ab intellectu, vel voluntate eleuatis per habitus, vel auxilia ſupernaturalia, & inuenitur vitalitas in actu ſecundo, & ſupernaturalitas: ratio in promptu eſt; nã cum talis actio ſit exercitium potentiæ vitalis in actu primo, & eleuatæ, neceſſario debet ſapere conditionem ſui acti primi, cuius exercitium eſt, neque in hoc poteſt eſſe controuerſia: in quo autem eſt inter Authores, an ſicut ſupernaturalitas in actu ſecundo actionis correſpondet principio ſupernaturali in actu primo eleuanti potentiam, ita vitalitas in actu ſecundo reperta in actione correſpondeat etiam potentiæ vitali in actu primo, talitèr, quod huiuſmodi formalitates correſpondeant ſingulæ ſingulis principijs, vnaquæque in ſua linea, ita vt partialitèr ſe habeãt ad actionem vitalem, & ſupernaturalem, vel talitèr actio vitalis ſupernaturalis oriatur ab illo principio adæquato vt *quod* productiuo, ratione ſolum partis eleuãtis adæquatè ſe habente per modum virtutis *quo* agẽdi, ſicut ſe habet per modũ virtutis *quo* eleuandi, quibus ſic obſeruatis.

Oſtenditur habitus ſupernaturales, vel auxilia eſſe totas rationes agendi actuum ſupernaturalium.

ARTIC. II.

Reſolutio noſtra ſit, gratia habitualis, habitus ipſam conſequentes, & auxilia ſunt totæ rationes agendi, vnũquodque in ſua linea, actuum ſupernalium, ac proinde, licèt anima & potentiæ naturales effectiuè concurrant ad tales actus ſupernaturales, eleuatæ per prædicta principia ſupernaturalia, non tamen concurrunt aliquo concurſu partiali, ratione propriæ virtutis innatæ, ſed tota ratio, & virtus concurrendi eſt à principijs eleuantibus. Primo quia eſt expreſſa mens Sanct. Thom. 3. contra gentes cap. 70. in fine vbi ait: *Quod non ſic effectus cauſæ naturali, & diuinæ virtuti attribuitur, quaſi partim Deo, & partim à naturali agente fiat*; quod antea docuerant Auguſt. & Bernard. ille libro de prædeſtinat. ſanct. c. 2. vbi reprehendit Semi Pelagianos: *Eo quod velint à ſe ipſo ſibi eſſe, quod credidit homo, quaſi componat cum Deo, vt partem fidei ſibi vendicet, atque illi partem relinquat*. Bernard autem de gratia, & libero arbitrio ſic ait: *Quod à ſola gratia cæptum eſt, paritèr ab vtreque perficitur, vt mixtum, non ſigillatim ſimul, non viciſſim per ſingulos profectus operetur, non partim gratia, partim liberum arbitrium, ſed totum ſingula ope-*

Digitized by Google

opere in individuo peragunt, totum quidem hoc, & totum illa, & ſicut totum in illo, ſic totum ex illa. Præclara verba, & tanti Doctoris digna ad rem noſtram.

Ex quibus prædictorum Patrum verbis ſic compono diſcurſum pro noſtra reſolutione: actus ſupernaturales, qui effectiuè oriuntur ab anima, & potentijs eleuatis per principia ſupernaturalia ipſis proportionata, nō partim Deo, & partim cauſæ naturali, & libero arbitrio tribuitur, ſed totum in indiuiduo, peragunt Deus, & potentiæ naturales, totum quodlibet, & ſicut totum in libero arbitrio, ſic totum ex gratia, ergo tales potentiæ, & principia ſupernaturalia nō concurrunt partialitèr ad act⁹ ſupernaturales, aliàs partim actus tribueretur Deo, & partim potentijs, & non totum tribueretur arbitrio, & totum tribueretur gratiæ, vt inquit Bernard. & non ſicut totum in arbitrio, ſic totum ex gratia, ſed partim vtrique, quod negant prædicti PP. reſtat ergo, vt totus actus ab vtroque procedat, ſed ratione vnius tantum virtutis agendi, qui ſit habitus, vel auxilium ſupernaturale, cum, quidquid in actu ſupernaturali reluceat, ſupernaturale ſit.

Dices, in ipſo actu relucere vitalitatem, quæ, licèt re ipſa ſupernaturalis ſit, non exprimit eſſe ſupernaturale, ac proinde poteſt oriri à potentia ratione ſui, licèt alias eleuata; ſed contra eſt, nam licèt vitalitas reperta in actu ſupernaturali non exprimat ſupernaturalitatem re ipſa, imò, & formalitèr obiectiuè ſupernaturalis ſit, non poteſt oriri à potentia, aliàs eleuata, ratione ſuæ innatæ virtutis, quia nulla potentia, vel principium actiuum valet influere in effectum, niſi ſub aliqua ratione formali, quæ in ipſo effectu reluceat, atqui in effectu, ſcilicèt, actu charitatis, vel viſionis beatificæ nihil eſt, nec genericum, nec ſpecificum ordinis naturalis, ad quod ſolum habet innatam virtutem potentia naturalis, aliàs talis actus mixtum haberet naturalis, & ſupernaturalis, & partim gratiæ, & partim potentiæ tribueretur, quod eſt contra prædictos PP. & contra rationem, quia act⁹ charitatis, v. g. aut viſionis beatificæ non vtcumque eſt vitalis, ſed vitalis ſupernaturalis, ſiquidem iſti actus non cōponuntur genericè ex vitalitate vt ſic, & ex ſupernaturalitate ſpecifica, ſed quoad totum ſunt vitales ſupernaturales, cum hic, & nunc efficiantur in indiuiduo, ſicut hoc animal, quod eſt in me, licèt non explicet rationalitatem, non ideo eſt animal commune equo, ſed petit rationalitatem ſibi identificari, & non irrationalitatem, aliàs hoc animal, quod eſt in me, poſſet in indiuiduo eſſe in equo, ergo tales actus, licèt quoad vitalitatem non explicent ſupernaturalitatem, non ideò vitalitas poterit oriri à potentia ratione ſuæ innatæ virtutis, ſed totum in illis contentum orietur à principio eleuato, ſed tanquā à ratione agendi à virtute eleuante.

Secundo eadem reſolutio probatur, nam ſi anima, & potentiæ naturales partialitèr concurrerent per virtutem ſibi innatam cum gratia, habitibus ſimul, & auxilijs, ſequeretur, quod cum æquali habitu, & auxilio poſſet vnus ellicere intenſiorem actum, quam alius ex maiori conatu voluntatis, poſſeque ſe diſcernere ab alio, quod videtur contra Apoſtolum 1 ad Corinth. 4. *Quis enim te diſcernit?* & poſſet etiam aduerſus alium gloriari, & non in Domino, contra illud etiam Apoſtoli: *Qui gloriatur, in domino glorietur*, & vt appareat hæc conſecutio; ponamus in duobus hominibus habitum, & auxilium vt quatuor, & quod vnus iſtorum maiorem connatū præſtiterit in elicentia actus, vnus quippe poneret connatum, v. g. vt quatuor, alter vt ſex; in iſto caſu perfectiorem actum eliceret, qui maiorem connatum adhibuit, eliceret enim actum vt ſex, ergo cum hæc maior perfectio actus non poſſet eſſe ab habitu, aut auxilio, quia cauſa non poteſt agere vltra ſuam virtutem, & habitus, & auxilium ponitur vt quatuor, act⁹ vero vt ſex. ergo illi duo gradus, quibus vnus excedit alium, non poſſunt refundi in habitum, aut auxilium, quod æquale ſupponimus, ſed in maiorem connatum potentiæ, ergo diſcretio non in habitum, aut auxilium, ſed in potentiam refundetur, ergo vnus aduerſus alium inflari poterit, & dicere, maior gratia, vel gloria mihi collata eſt, qui non habens maiorem habitum ſupernaturalem, ſeu intenſius auxiliū, quam tu habebas, ex maiori connatu meæ voluntatis meliùs me diſpoſui, & præparaui, imò, & gloriari poterit, & non

non in Domino, quamuis enim teneretur gratias reddere Deo pro habitu, aut auxilio collato vt quatuor, tamen ſibi etiam gratias referre poſſet, quia cum habitu, aut auxilio vt quatuor actum elicuit vt ſex ex maiori connatu ſuæ voluntatis, licèt ſimul cum gratia.

Tertio contra eundem concurſum partialem potentiæ ratione virtutis ſibi innatæ in ordine ad actum ſupernaturalem ſic argumentor ex eodem Apoſtolo ad Rom. 9. vbi commendans vires diuinæ gratiæ ſic ait, *non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis*, atqui quando effectus procedit à duplici cauſa partiali ratione virtutis propriæ vniuſcuiuſque, non poteſt magis tribui vni cauſæ; quam alteri, vt videre licet in duobus ſimul portantibus lapidem, cuius portatio vtrique tribuitur ratione propriæ virtutis cuiuſcumque, ergo cū in ſententia contraria potentia naturalis per propriam virtutem ſibi innatam partialitèr concurrat cum habitu, vel auxilio ſupernaturali ad actum ſupernaturalem, ſicut actus ille dicitur *Dei miſerentis*, poteſt etiam dici *hominis volentis*, quia talis actus, ſicut procedit à Deo miſerente ratione gratiæ, ita procedit partialitèr ab homine volente ratione virtutis innatæ.

Hoc argumento vſus fuit Auguſt. in Inquiridio cap. 32. ferè eiſdem terminis per hæc verba; *Si propterea dictū eſt non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, quia id voluntas hominis ſola non implet, quare è contrario non dicitur, non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, quia id miſericordia Dei ſola non implet. Porrò ſi nullus chriſtianus dicere audebit, non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, ne Apoſtolo apertiſsimè contradicat, reſtat; vt propterea dictum intelligatur, non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, vt totum Deo detur.* Præclara verba pro noſtro prædicto argumento, & reſolutione.

Huic argumento aliquando vidi reſpondere à doctiſsimo quodam P. Societatis Ieſu Salmanticæ in publicis diſputationibus habitis in ſuo Collegio, quod licèt potentia, & auxilium partialitèr concurrant ad actum ſupernaturalem, & ab vtroque principio totus actꝰ oriatur, non poſſe dici, *non eſſe Dei miſerentis, ſed hominis volentis*, ſed debet dici *eſſe Dei miſerentis, non hominis volentis*, vt inquit Apoſtolus, & Auguſt. quia cum ſupernaturalitas reperta in actu, ad quam datur habitus, vel auxilium, excedat liberum arbitrium, & ab ea eleuetur, & ponatur in alio ordine, ſcilicèt, ſupernaturali; hinc fit, quod propter exceſſum ſupernaturalitatis, potiùs auxilio, quam potentiæ ſit tribuenda operatio, & obid non poſſe dici: *Nō eſt Dei miſerentis, ſed hominis volentis*, ſed à contrario, licèt tam miſericordia Dei per ſuam gratiam, quam potentia per ſuam innatam virtutem ad talem actum concurrant.

Sed contra eſt meo iuditio efficacitèr; nam etiam potentia excedit auxilium in vitalitate, in contrariorum ſententia, in qua docent, quod vitalitas actus non oritur ab auxilio ratione ſui, quod auxilium vitale non eſt in eorum ſententia, atqui, quia potentia exceditur ab auxilio in ſupernaturalitate, aſſerunt operationem bonam tribuendam eſſe auxilio, & non potentiæ, & talem operationem eſſe: *Dei miſerentis, & non hominis volentis.* Ergo pari ratione, quia voluntas, vel potentia excedit auxilium in vitalitate in eorum ſententia, in qua auxilium vires vitales non habet, tribui debet operatio bona voluntati, ſiuè potentiæ, & non auxilio, ſiquidem tam eſſentialis eſt prædicto actui vitalitas, quam ſupernaturalitas, ac perconſequens, ſicut, quia exceditur voluntas ab auxilio in ſupernaturalitate, dicitur voluntatem eleuari ab auxilio, ita ſimilitèr, quia auxilium exceditur à potentia in vitalitate, dicetur auxilium eleuari à potentia, ſiquidem illud ab alio eleuari dicitur, quod ponit illud in alio ordine ſuas vires excedente, ergo ſicut eleuatur potentia ab auxilio, quia per auxilium ponitur potentia in alio ordine ſupernaturali, ad quem vires non habet, ita eleuari dicetur auxilium à potentia, quia potentia ponit auxilium in ordine vitali, ad quem auxilium in contraria ſententia vires non habet.

Denique probatur reſolutio, licèt cōmuni loco, efficaci tamen Sanct. Thō. 3. contra gentes, cap. 53. vbi ait: *Contingit virtutem alicuius fortificari per nouæ formæ appoſitionem, ſicut diaphani virtus augetur ad hoc, vt poſsit illuminare, per hoc, quod ſit lucidum actu per formam lucis*

Digitized by Google

cis receptam in ipſo de nouo, & hoc quidem virtutis augmentum requiritur ad alterius ſpeciei operationem, & hoc modo docet Sanct. Thom. lumen gloriæ comparari ad intellectum creatum, vt cum conſtituat potentem ad eliciendam viſionem (& idem eſt de quolibet principio ſupernaturali reſpectu ſuæ potentiæ, & actus) ergo ex mente Sanct. Th. lumen gloriæ (& idem de quolibet principio ſupernaturali) eſt tota ratio agendi intellectus in ordine ad viſionem, patet conſequentia, quia Sanct. Thom. comparat potentiam intellectiuam, & appetitiuam in ordine ad operationem ſupernaturalem diaphano, & ipſam fortificari ait, ſicut diaphanum fortificatur per lucem ad illuminandum, atqui in diaphano nulla virtus præſupponitur proxima ad illuminationem, ergo neque in intellectu, aut voluntate virtus aliqua proxima præſupponitur elicitiua operationis ſupernaturalis, ac perconſequens tota virtus proxima ad hoc erit habitus, vel auxilium in potentia de nouo receptum.

Ratione ſic; nam effectus, cuiuſcumque ordinis ſit, debet præcontineri in cauſa, & virtute illius productiua, quia cauſa, aut virtus nequit prodire in effectum in actu ſecundo, quem non continebat in actu primo, neque in operationem non contentam in ſua virtute, vt patet in frigore, & calore, quæ qualitates non producunt effectus contrarios ſibi, non alia ratione, niſi quia illos non continent, ergo effectus ordinis ſupernaturalis debet præcontineri in virtute cauſæ ſupernaturalis, vel ſupernaturaliçatæ, conſequentia videtur per ſe nota, quia in cauſa naturali vt naturali nequit effectus ſupernaturalis præcontineri, propter improportionem cauſæ cum effectu, ergo vt intellectus, aut voluntas proportionentur ad elicientiam actus ſupernaturalis, neceſſaria erit aliqua ſupernaturalis virtus eis ſuperaddita, virtute cuius potentes reddantur ad eliciendum actum ſupernaturalem, & illum de facto eliciant, ergo talis virtus ſupernaturalis ſuperaddita erit tota ratio agendi reſpectu potentiæ ad cuius proportionem ponitur ſuperaddita, vt actus ſupernaturales eliciat.

Contrariorum fundamenta ab Authoritate petita ponuntur, & ſoluuntur.

ARTIC. III.

Cæterum in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij illud celebre teſtimonium Tridentini ſeſsione 6. de iuſtificat. can. 4. *vbi definit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatũ aſſentiri libere Deo vocanti, neque ſe habere, vt inanime inſtrumentum, & merè paſſiue in conuerſione*, & aduertit Hurtado loco citato in principio huius quæſtionis, quod nomine *liberi arbitrij* intelligitur potentia voluntatis, & probat ex multiplici capite, tanquã ſi ab aliquo negaretur. Sic ergo argumentantur ex præ dicto loco; poſito habitu, ſeu auxilio ſupernaturali in voluntate tanquam tota ratio agendi, voluntas nequit concurrere immediatè, & effectiue in actus ſupernaturales, ſed tantum mere paſsiue, & remotè ſe habere, ergo poſitio noſtra contrariatur Tridentino, antecedens dupliciter probant, primo, quia voluntas concurrit medio habitu, ergo non immediate habitus eſt tota ratio agendi, ergo mere paſsiue ſe habet volũtas in elicientia actus ſupernaturalis. Secundo, nam ſi habitus ſupernaturalis eſt tota ratio agendi, non poteſt voluntas, nec odiſſe Deum, nec amare, quia habitus ſupernaturalis non eſt indifferens ad amandum, & non amandum, vel odio habendum, cum reſpiciat bonum tanquam obiectum adæquatum; ergo à tali potentia compoſita cum habitu, qui ſit tota ratio agendi, nequit odium, nec non amor prodire.

Ad hoc argumentum, quod ſatis magnificat Hurtado, reſpondeo faciliter; quod noſtra ſententia nunquam ſomniauit voluntatem compoſitam cum habitu mere paſsiue, & vt inanime inſtrumentum ſe habere in conuerſione; hoc enim eſſet expreſſe contra definitionem Tridentini loco citato, ſed actiue ſimul cum habitu, vel auxilio concurrere ad actum ſupernaturalem; imò immediatè, & proximè per modum principij, nam licèt medio habitu concurrat, cum talis habitus ſolum concurrat vt virtus, & ratio agendi potentiæ ad actus

Digitized by Google

ctus ſupernaturales, hæc mediatio virtutis non tollit immediationem principij in actum, vt patet clarè in intellectu, & voluntate, quæ immediatè, & proximè dicuntur concurrere ad intellectionem, & amorem naturalem reſpectu obiecti ſibi proportionati, cum tamen concurrere non poſſent, niſi media earum virtute. Quo ruit totum ædificiũ argumenti Hurtado.

Ad illud autem, quod ſecundo additur in argumento, ſcilicèt, quod, ſi habitus eſſet tota ratio agendi, non poſſet voluntas compoſita cum habitu, nec odiſſe Deum, nec non amare; dicendum, quod quando nos dicimus, quod habitus, vel auxilium ſupernaturale eſt tota ratio agendi, non aſſerimus eſſe totam rationem agendi reſpectu omnis operationis ponibilis à voluntate, ſed tantum reſpectu operationis ſupernaturalis, ad quam non habet vires voluntas ratione ſui; nam ad amorem, vel actus naturales vires habet actiuas innatas volũtas, nec tolluntur per habitum, aut auxiliũ ſupernaturale; ad odium vero, vel non amorem voluntas ratione ſui habet potentiam defectiuam innatam, ratione cuius poſsit elicere prædictos actus; & ſatis mirum videtur, hoc non vidiſſe prædictum Authorem, præcipuè cum ipſe in ſuo curſu Phyloſophico docuerit, ſe non poſſe intelligere, quod ab vnico principio formaliſsimo oriatur odium, & amor, ſed ponendas eſſe in voluntate duas formalitates virtuales, à quarum vna oriatur amor, & ab alia odium; ſimili ergo modo deberet modo intelligere, quod in voluntate, & eſt virtus ſupernaturalis per habitum, vel auxilium, quæ ſit tota ratio agendi reſpectu operationis ſupernaturalis, & eſt virtus innata reſpectu amoris naturalis, & eſt potentia defectiua reſpectu actionis peccaminoſæ.

Opponunt ſecundo ex Sanct. Thom. 3. part. quæſt. 10. artic. 4. ad 2. dicente: *Gradus in viſione beatifica attenduntur magis ſecundum ordinem gratiæ, quam ſecundum ordinem naturæ*. Ergo ſecundum Sanct. Thom. ſi gradus viſionis (& idem eſt de quacumque operatione ſupernaturali) magis attenduntur ſecundum ordinem gratiæ, quam ſecundum ordinem naturæ, attenduntur etiam ſecundum ordinem naturæ, licèt non *magis*, quæ comparatiua eſt, ergo in natura potentiæ reperitur virtus, ratione cuius menſuretur, & attendatur perfectio operationis ſupernaturalis, ac perconſequens ex mente Sanct. Thomæ non poteſt dici, quod habitus ſupernaturalis, ſeu auxilium ſit tota virtus, & adæquata ratio agendi. Verum ex doctrina S. Thomæ reſpondeo ad locum præcitatum eiuſdem Sanct. Doctoris; docet enim 1. 2. quæſt. 4. artic. 5. quod dupliciter vna actio poteſt eſſe perfectior alia, primo modo intrinſicè, quia, videlicèt, eſt perfectior ſecundum intenſionem actus, aut ſecundum aliam perfectionem illi intrinſecam, vt ſecundum claritatem, vel quid ſimile. Secundo modo extrinſicè, quia videlicèt elicitur à perfectiori ſuppoſito habente nobilius eſſe, in quo ſenſu, docet Angelicus Doctor loco nupertimè citato in corpore, quod poſt reſurrectionem, (quando anima reunietur corpori) viſio beatifica cuiuſcumque beati erit perfectior, quam modo cum anima eſt ſeparata à corpore, & ratio Sanct. Thomæ eſt, quia, cum operatio dependeat ex natura animæ, quantum anima fuerit perfectior, operatio perfectior euadet; vnde vnico verbo reſpondeo, quod perfectio reperta in actu ſupernaturali ſecundum ordinem naturæ non eſt intrinſeca, ſed extrinſeca tantum, vt ex Sanct. Thoma conſtat.

Vel ſecundo reſpondeo, quod illa particula *magis*, in qua tota vis argumenti conſiſtit, non ſemper ſumitur comparatiue, ſed ſæpè ſæpiùs aduerſatiuè, quod eſt dicere, quod non ſemper vni extremo tribuit excellentiam reſpectu alterius, ſed quod aliquando tribuit, vel affirmat perfectionem de vno extremo negando de alio, in quo ſenſu ſolemus dicere, magis nos opportere vitam virtuoſam, quam vitioſam, & tamen nunquam nos opportet vitam vitioſam, vel tertio poteſt dici, quod ly *magis*, eo dicitur, quia, licèt gradus in viſione beatifica attendantur ſecundum ordinem naturæ, quia natura operatur in illos effectiuè ſecundum coaptationem eſſentialem, magis attenduntur ſecundum ordinem gratiæ, quia tales gradus magis oriuntur à principio ſupernaturali quia ab hoc oriuntur ſecundum quantitatē virtutis, quæ magis eſt, quam coapta-

tio

tio eſſentialis, ſiquidem quantitas virtutis eſt in ordine ſupernaturali proportionans coaptationẽ eſſentialem potentiæ, quæ, quantum eſt ex ſe, nõ erat proportionata cum viſione beatifica ſupernaturali, & quia in perfectione excedit iſta quantitas virtutis, vtpotè ſupernaturalis poſitiuè, potentiam, quæ ſecundum coaptationem eſſentialem ſupernaturalis non eſt, vel ſic non explicatur poſitiuè, ideò magis attenditur gradus viſionis ſecundum ordinẽ gratiæ, quam ſecundum ordinẽ naturæ, vt optimè docet S. Th. loco citato in argumento.

Opponunt tertio ex eodem S. Tho. 1.p.q.12.ar.5.in corpore, vbi explicãs, qua ratione fiat eleuatio intellectus per lumen gloriæ ad videndum Deum, inquit: *Cum igitur virtus naturalis intellectus creati non ſufficiat ad Dei eſſentiam videndam, vt oſtenſum eſt, oportet, quod ex diuina gratia ſuperacreſcat ei virtus intelligendi, & hoc augmentum virtutis intellectiuæ illuminationem intellectus vocamus.* Ex quibus argumentatur ſic, augmentum ſupponit eſſe rei, ergo ſi eleuatio intellectus per lumen gloriæ habet rationem augmenti, infertur, quod ad talem eleuationem præſuponatur in intellectu efficacia intenſiua, ſeu quantitas virtutis in ordine ad viſionem, aliàs enim non eſſet augmẽtum virtutis, ſed omnino virtus intellectui adueniret de nouo, ergo cum S. Th. nominet augmẽtum virtutis eleuationem ſuperacreſcens intellectui creato, relinquitur ex mente ipſius, quod lumen gloriæ (& idẽ eſt de quolibet principio ſupernaturali) non ſit tota ratio, & virtus agendi.

Reſpondeo ex doctrina eiuſdem S. Thomæ 3. contra gentes cap 53. ratione 4. vbi docet, quod principium operantium dupliciter poteſt perfici quantũ ad virtutem actiuam, ſiuè intenſiuam efficaciam: primo per ſimplicem intenſionem virtutis, quam habet, vt calor perficitur per intenſionem caloris, quẽ habet; ſecundo per appoſitionem nouæ formæ, vt cum virtus diaphani perficitur per lumen ſuperadditum; & inter hos duos modos perfectionis eſt ingens diſparitas; nam per priorem ſolum datur poſſe elicere operationem eiuſdem ordinis, & rationis, licèt perfectiorem, vt patet in calido, quod per ſimplicem intenſionem ſolum accipit poſſe elicere calefactionem intenſiorem; per poſteriorem vero datur poſſe efficere operationem alterius ordinis, & rationis, vt aer per lumen ſuperadditum poteſt illuminare, quod antea non poterat, quæ doctrina conſonat cum alia S. Th. tradita 1.p.q.62.ar.2. in corp. vnde cum eleuatio, ſeu perfectio intellectus ad eliciẽdam viſionem Dei, & voluntatis ad eliciendum actum ſupernaturalem ſit ad eliciendam operationem altioris ordinis, quam ſit quæcumque operatio, ad quam virtus innata harum potentiarũ poteſt extendi, ideò debet fieri per appoſitionem nouæ formæ, & non per ſimplicẽ intenſionẽ eiuſdẽ. Ex quo ad argumentum deductum ex teſtimonio S. Thomæ concedendum eſt augmentum virtutis ſupernaturalis præſuponere in intellectu aliquam efficaciam intenſiuam, ſcilicèt, naturalem, quæ materialitèr ſe habet ad elicientiam actus ſupernaturalis, negandum tamen eſt hãc efficaciã vllo modo extẽdi per ſuperadditam, quia eſt altioris ordinis, & ideò tota efficacia intenſiua, qua tales actus eliciuntur, de nouo aduenit, & hæc eſt habitus, lumen, vel auxilium de nouo eleuantia tales potentias.

Opponunt quarto, eundem S. Doctorem 1.part.quæſt.62.ar.6. in corp. vbi docet naturam Angelicam ſecundum totam virtutem moueri: *Ideoque Angelos, qui meliorem naturam ſortiti ſunt, fortius, & efficacius conuerſos eſſe ad Deum:* ergo in Angelis virtus propria naturæ aliquid contulit ad conuerſionem, alioquin nihil referret melior eorum natura, vt fortius, & efficacius conuerterentur, fruſtraque ex maiori perfectione naturæ colligeret S. Thom. efficaciorem & intenſiorem conuerſionem, vnde ad ſecundum ait, quod *gratia datur ſecundum gradum naturæ*, & ferè eadem verba repetit 2.2. quæſt. 24. articulo 2. ad 3.

Reſpondeo ex eodem Angelico Doctore, qui, cum articulo citato diſputet *An data fuerit gratia, & gloria Angelis ſecundum quantitatem naturalium*; & determinet ex duplici congruentia, rationabile eſſe maiorem gratiã adeptos eſſe Angelos, qui perfectiorem naturã adepti ſunt, manifeſtè ſequitur, perfectiores Angelos in natura non per virtutẽ naturalem ſe diſpoſuiſſe, vel præparaſſe

Digitized by Google

ad gratiam, & gloriam; minimè enim admittit S. Th. operationem naturalitèr tantum perfectiorem eſſe diſpoſitionem ad maiorem gratiam, quod exigebatur ad robur argumenti, nam quæuis diſpoſitio, tam proxima, quam remota ad gratiam debet eſſe ex auxilio gratiæ, iuxta illud Prouerb. 8. adductum ab Auguſt. lib. de gratia, & libero arbitrio capit. 16. *Præparatur voluntas à Domino*; vnde Concilium Arauſican. can. 7. definit, nos ſine auxilio gratiæ nihil poſſe facere, quod conducat ad vitam æternam; quod confirmat Tridentin. ſeſſ. 6. can. 5. per hæc verba: *Declarat præterea Sancta Synodus, ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Ieſum Chriſtum gratia proueniente ſumendum eſſe*, & ratio eſt, quam tradit S. Th. 1. 2. q. 109. art. 6. quia forma, & diſpoſitio debent eſſe eiuſdem ordinis; diſpoſitio enim exigit ſuo modo formam, & forma eſt debita diſpoſitioni, ex quo fit S. Thom. non poſſe docere, ex maiori connatu viribus naturæ præſtito ſe melius Angelos perfectiores diſpoſuiſſe, & præparaſſe ad gratiam, ſed ſolum docet, quod eſt rationabile, vt Angeli, qui perfectiorem naturam ſortiti ſunt, maiorem gratiam fuerint à Deo conſecuti; nam, cũ dona iſta ſupernaturalia comparentur, veluti finis naturæ, conſentaneum, & rationabile videtur, Deum meliorem naturam condidiſſe cum meliori gratia, & gloria, ſicut artifex politiores, & prætioſiores lapides præparat ad præcipuã partem ædificii, quo exẽplo vtitur S. Thom. vt ſuam poſitionem ſuadeat.

Ponuntur, & ſoluuntur alia argumenta à ratione petita.

ARTIC. IV.

CÆterum in ſui fauorem opponunt etiã primo aduerſarij ratione ſic; in effectu ſupernaturali orto à potentia, & ab habitu, vel auxilio eſt vitalitas, quæ poteſt correſpondere potentiæ, & non principio ſupernaturali, & eſt ſupernaturalitas, quæ correſpondere poſſit principio ſupernaturali, & non potentiæ; ergo talia principia partialitèr concurrent ad talem actum vitalem, & ſupernaturalem, & ſic non erit principiũ ſupernaturale tota ratio, & virtus agendi actus, antecedens videtur efficacitèr probari ab Auctoribus contrariæ ſententiæ ex paritate potentiæ intellectiuæ, & ſpeciei impreſſæ, quæ principia partialitèr concurrũt ad intellectionem naturalẽ, quæ intellectio, & eſt vitalis, & repræſentatiua obiecti, ad quas formalitates concurrunt intellectus, & ſpecies partialitèr, ita vt formalitas vitalitatis reperta in intellectione correſpõdeat intellectui, & nõ ſpeciei impreſſæ, & formalitas repræſentationis correſpondeat ſpeciei, & non intellectui, quæ formalitates ſunt in diuerſo ordine, vtpotè prima eſt in ordine vitali, & nõ ſecunda, niſi in ordine repræſentatiuo, ergo poterit hoc idẽ dici in actu ſupernaturali orto à potẽtia, & principio ſupernaturali, quod ſupernaturalitas actꝰ correſpõdeat partialitèr principio ſupernaturali, & vitalitas correſpondeat potentiæ.

Nec valere videtur ſolutio cõmunis, quam tribuunt Authores noſtræ ſententiæ, ſcilicèt, quod ſupernaturalitas trãſcendit quamlibet formalitatẽ actus ſupernaturalis, etiam vitalitatẽ, & ſic vitalitatem non eſſe formalitatem diſtinctam à ſupernaturalitate in actu ſupernaturali, ac proinde nõ manet locus, vt tales formalitates correſpondeãt diuerſis principijs, & virtutibus partialibus, quod à cõtrario cõtingit in intellectione naturali, cuius vitalitas non tranſcendit repræſẽtationẽ, nec repræſẽtatio vitalitatẽ, ſed ſe formalitèr excludunt, & ita non mirũ, quod poſſint correſpondere, & correſpõdeant partialitèr diuerſis virtutibus formalibus, & efficientibus talem intellectionem naturalem.

Nam contra eſt; etenim, licèt in actu ſupernaturali reperiatur prædicta tranſcendentia, non poteſt non admitti diſtinctio pœnes explicitũ, & implicitũ, inter vitalitatem, & ſupernaturalitatẽ, ſiquidem, qui dicit vitalitatem, licèt dicat obiectiuè formalitèr ſupernaturalitatẽ, tamen illam non explicat, & ècontra, qui dicit ſupernaturalitatem, licèt dicat adhuc obiectiuè formalitèr vitalitatem, illam tamen non explicat, atqui hæc diſtinctio ſufficit, vt attingatur vitalitas ſub explicito vitalitatis, quin explicitè attingatur ſupernaturalitas, & ècõtra: tum, quia in opinione aſſerẽte, ſatis probabili etiam apud Thomiſtas, relationes diuinas nõ diſtingui ab eſſentia

tia

Digitized by Google

tia virtualitèr obiectiuè, ſed tantum ſecundum explicitum, & implicitum, verificatur, quod in generatione eſſentia communicatur, & non paternitas; & in ſententia ferè omniũ, quod ens tranſcẽdit vltimas differentias, & non poteſt præſcindi ab illis, nihilominus, quando cauſa prima, & ſecunda producunt hoc ens in particulari, cauſa prima attingit tale ens ſub ratione entis præciſſe, & cauſa ſecũda attingit ſub ratione talis, licèt ratio talis entis ſolum pœnes explicitũ, & implicitũ diſtinguatur ab ente, ergò, licèt ratio ſupernaturalitatis tranſcendat rationem vitalitatis in actu ſupernaturali, ſuficit diſtinctio pœnes explicitum, & implicitũ inter iſtas formalitates, vt poſsit ſecundum explicitum vitalitatis correſpõdere, & oriri à potentia, & ſecundum explicitum ſupernaturalitatis correſpondere, & oriri à principio ſupernaturali, tãquam à duabus cauſis, & virtutibus partialibus.

Reſpondeo, optimam eſſe ſolutionẽ datam ab Auctoribus noſtræ ſententiæ, & ad inſtantias dicendum (admittendo modo prædictas opiniones probabiles de cõmunicatione eſſentiæ, & nõ paternitatis, & de tranſcendentia entis vſq; ad vltimas differentias cum ſola diſtinctione pœnes implicitum, & explicitũ inter eſſentiam, & paternitatem, & inter ens, & differentias ei⁹) quod non ob id non poſſet intellectus, aut volũtas attingere actum ſupernaturalẽ ſub ratione vitalis, quia non ſufficeret hæc diſtinctio pœnes implicitum, & explicitum, inter vitalitatem, & ſupernaturalitatẽ, vt optimè probant inſtantiæ adductæ, ſed quia quolibet actu ſupernaturali anima viuit vita formalitèr ſupernaturali, ideoque non poteſt attingere vitalitatẽ ſub ratione negante ſupernaturalitatẽ, nec præſcindente, quia ſi negaret, aut præſcinderet à ſupernaturalitate, licèt intelligeretur viuere, nõ intelligeretur viuere ſupernaturali vita, quod petit explicitus cõceptus actus ſupernaturalis.

Inſt ibis, & nouitèr, nã licèt adæquatus conceptus explicitus actus ſupernaturalis petat viuere vita ſupernaturali, nec ſic vitalitas poſsit negari, aut præſcindi à ſupernaturalitate, conceptus tamen explicitus inadæquat⁹ actus ſupernaturalis poteſt præſcindere explicitè à ſupernaturalitate, ergo vitalitas, quæ eſt inadæquatus conceptus explicitus act⁹ ſupernaturalis poteſt oriri ab intellectu, vel potentia, licèt quoad aliud explicitum ſupernaturalis oriatur à lumine, vel alio principio ſupernaturali; antecedens ex eo videtur non ineficacitèr probari, quia licèt conceptus adæquatus luminis gloriæ, vel alterius principij ſupernaturalis præſcindere nequeat à vitalitate, & ſupernaturalitate, quia ſecundum vtramque expreſionem eſt tota virtus agendi actus ſupernaturalis vitalis in Thomiſtarum, ac noſtra ſententia, at explicitum vitalitatis vt *quo* repertæ in lumine, vel alio ſupernaturali principio, qui eſt inadæquatus conceptus explicitus luminis, poteſt præſcindi ab explicito ſupernaturalitatis eius, ſiquidem lumen gloriæ ſecundũ explicitum vitalitatis vt *quo* eſt ratio agendi actus vitalis ſecundum explicitum etiã vitalitatis; & ipſum lumen ſecundum explicitum ſupernaturalitatis eſt ratio agendi, & virtus *quo* actus ſupernaturalis ſecundum explicitũ ſupernaturalis, ita vt, licèt lumẽ gloriæ adæquatè sũptum (& idẽ de quolibet principio ſupernaturali) ſit adæquata virtus agendi act⁹ ſecundum duplex explicitum vitalis, & ſupernaturalis, tamẽ ea ratione, qua explicat vitalitatem vt *quo*, non explicat eſſe rationem agendi actus ſecundũ explicitũ ſupernaturalitatis, ſiquidẽ hæc explicita, licèt implicitè ſe includãt, explicitè tamen ſe excludunt, ergo explicitus inadæquatus conceptus vitalitatis repertus in actu ſupernaturali poteſt oriri ab intellectu, vel à potentia, licèt alius explicitus inadæquatus conceptus ſupernaturalitatis oriatur à lumine gloriæ, vel alio principio ſupernaturali; patet conſequentia, nam ſicut eſt identificata formalitèr vitalitas luminis, vel alterius ſupernaturalis principij, cum ei⁹ ſupernaturalitate in Thomiſtarũ, & noſtra ſententia, ita vitalitas intellect⁹, vel potentiæ eſt formalitèr identificata cũ eius naturalitate, atqui cum prima identitate formali ſtat optimè, quod lumẽ, aut quodlibet aliud principiũ ſupernaturale, quoad explicitũ vitalis poſsit, & de facto cõcurrat ad actum ſupernaturalẽ viſionis, quod explicitum vitalis, quin hoc modo ſuppoſito lumine concurrat ad explicitum ſupernaturalitatis viſionis, non alia ratione, niſi, quia iſta expli-

Digitized by Google

cita explicitè ſe excludunt, licèt non ſe excludant in obiectiua formalitate, ergo cum ſecunda identitate formali reperta in vitalitate, & naturalitate intellect⁹, vel potentiæ, ſtabit benè, quod intellectus, vel alia potentia, quoad explicitum vitalis poſsit, & de facto concurrat ad viſionem, vel ad alium actum ſupernaturalem, quoad explicitum vitalitatis actus, quin hoc modo ſumpto intellectu, vel potētia naturali, cōcurrat ad explicitum ſupernaturalitatis actus, ſed hoc munus relinquatur lumini, vel alio principio ſupernaturali, vt exprimit munus principij, & virtutis ſupernaturalis.

Nec ex hoc concurſu intellectus in viſionem, nec alterius potentiæ in actum ſupernaturalē ſequeretur, quod viſio, ſecundum quod eſt effectus intellect⁹, eſſet naturalis, cū non concurreret ad illam, ſecundum quod intellectus exprimit munus naturalitatis, ſed ſecundum quod exprimit munus vitalitatis, licèt in eadē formalitate obiectiua iſta duo munia implicitè ſe includant, eo modo quo de lumine gloriæ phyloſophantur Thomiſtæ ſecūdum illa duo munia vitalis, & ſupernaturalis, quod ſecundum explicitum, quod includit, vitalis, non intelligitur concurrere ad explicitū ſupernaturalitatis viſionis, nec ècontra ſecundum explicitum ſupernaturalitatis non intelligitur concurrere ad explicitum vitalitatis.

Eleuatur amplius prædictus diſcurſ⁹, & argumentū; etenim intellectus creatus (& idem eſt de quolibet alio naturali principio) habet ex ſe quantitatē virtutis ad attingendum Deum, vt nō exprimit Deus rationē obiecti ſupernaturalis, ſed vt à ſupernaturalitate præſcindit, ergo licèt lumen gloriæ ſit tota ratio agendi, & quantitas virtutis, vt intellectus attingat Deū ſub explicito obiecti ſupernaturalis, vt vero attingat ipſum nō ſub explicito obiecti ſupernaturalis, erit in intellectu quātitas virtutis proportionata, antecedens probatur, quia minus requiritur virtutis ex parte intellectus, vt attingat Deum, vt præſcindit explicitè ab obiecto ſupernaturali, quam vt illum attingat ſub hoc explicito obiecti ſupernaturalis, vt ex ipſis terminis liquet, atqui intellectus ſecundum ſe habet coaptationem eſſentialē ad attingendum Deum ſecundum explicitum obiecti ſupernaturalis, cum, ſi nō haberet talem coaptationem ſecundū ſe, nequiret eleuari ad ſic attingendum Deum, ergo ad attingendum ipſum, nō ſecundum hoc explicitum obiecti ſupernaturalis, ſed ſecundum quod à ſupernaturalitate præſcindit, erit in intellectu ſecundum ſe alia maior virtus, quā coaptatio eſſentialis, quæ non poteſt eſſe alia, niſi quantitas virtutis.

Nec valet, ſi dicatur, quod hæc quantitas virtutis, quæ eſſet in intellectu ſecundum ſe, eſſet naturalis, ac proinde improportionata cū Deo, adhuc attingibili vt præſcindēte à ſupernaturalitate: Nam contra eſt, quia etiam, ſi talis quātitas virtutis intellect⁹ ſecundum ſe, ſit naturalis, poteſt concipi vt præciſſa, ſaltē ſecundū cōceptū explicitū, à naturalitate eius, eo modo quo, licèt Deus ſit obiectum ſupernaturale, quotidiè à nobis concipitur, vt præſcindit à ſupernaturalitate, ergo his præciſionibus ſuppoſitis ex parte obiecti attingendi, & ex parte intellectus, vel potentiæ attingentis, remanebit proportio potentiæ intellectiuæ cū Deo ſic attingibili, ſicut etiā lumen gloriæ eſt virtus ſupernaturalis intellectus, & tamē poteſt præſcindi ſaltèm explicitè à ſupernaturalitate eius, & adhuc manere rationē agendi reſpectu vitalitatis viſionis, quia à diuerſo explicito habet eſſe rationē, & virtutem agendi reſpectu viſionis quoad vitalitatem, ac quoad ſupernaturalitatem in Thomiſtarum, & noſtra ſententia, non alia ratione, niſi quia, eadem indiuiſibilis entitas cum ſit lumen gloriæ, habet duo munia æquiualentia duplici entitati, & virtuti, ergo, licèt quantitas virtutis intellectus ſecundum ſe eadem indiuiſsibilis entitas ſit, ſcilicèt, vitalis naturalis, poterit ſecundum explicita præſcindi ſecundum duo munia, quæ habet, vitalitatis, & naturalitatis, & licèt talis quantitas virtutis ſecundum explicitū naturalitatis improportionata maneat cum Deo adhuc vt præſcindenti à ſupernaturalitate, non tamen erit improportionata ſecundum explicitum vitalitatis præſcindentis, tam à ſupernaturalitate, quam à naturalitate.

Fateor equidem hæc duo argumenta, (quorum nec leue veſtigium in aliquo Authore inueni) meum preme-

re

re intellectum, ita vt non facilè ſolutionem adæquatam inueniam; verum pro mea tenuitate ſic reſpondeo ad primũ, ſupponendo ſolutionem datam ad antecedens argumentum, ſcilicèt, quod non ob id non poſſet intellectus, aut voluntas attingere actum ſupernaturalem ſub ratione vitalis, & non ſupernaturalis, quia non ſufficeret diſtinctio penes implicitum, & explicitum ad talẽ attingentiam, ſi eſſet in illo duplici principio attingẽte duplex virtus attingendi ſaltem ſecundum explicitũ diuerſa; vt inſtantiæ ibi poſitæ ſatis perſuadent; verum quia in intellectu (& idem eſt de qualibet potentia naturali) ſecundum ſe non poteſt intelligi in ordine ad attingendum obiectum ſupernaturale, niſi coaptatio eſſentialis, & commenſuratio, vel aliqualis proportio cum obiecto ſupernaturali, eo quod obiectum coaptationis eſſentialis ſolum ſit ens in tota ſua latitudine, &, vt attingatur quodlibet obiectum à potentia habente talem coaptationem eſſentialem, neceſſaria ſit quantitas virtutis, ſiue naturalis, ſiue ſupernaturalis, quia ſine tali virtute attingi non poteſt, licèt coaptationem habeat, vt attingatur à potentia habente talem coaptationem eſſentialem, & coaptatio eſſentialis intellectus non poſsit determinari ad attingẽdum aliquod obiectum, niſi per quantitatem aliquam virtutis, vel propriæ, & innatæ in ordine ad ſuum proprium obiectum proportionatum, vel alienæ licèt apropriet atæ in ordine ad obiectum non proportionatum ſibi, ſed excedens eius vires, & virtutem, fit inde, quod cum intellectus (& idem eſt de alia potentia) eleuatus lumine gloriæ media viſione vitali, & ſupernaturali attingat Deum obiectum ſupernaturale, tota ratio illum attingendi, tam vitalitèr, quã ſupernaturalitèr eſt ipſum lumen gloriæ ſecundum duplicem illam virtutẽ, quam habet, vitalis, & ſupernaturalis, per quam determinatur coaptatio eſſentialis intellectus ad attingendum iam hoc obiectum ſupernaturale, quod excedebat vires virtutis eius innatæ, & ita quamuis explicitum vitalitatis repertum in viſione non ſit explicitum ſupernaturalitatis eiꝰ, ſed ſe excludãt quoad explicita, licèt ſe includant in formalitate obiectiua, non ideò explicitum vitalitatis viſionis debet correſpondere virtuti innatæ intellectus, & explicitũ ſupernaturalitatis lumini gloriæ, ſed vtraque explicita correſpondent intellectui eleuato per modum principij *quod* elicientis, lumini autem gloriæ correſpondent per modum virtutis, & rationis agendi, ſed talitèr, quod lumen gloriæ ſecundum explicitum virtutis vitalis vt *quo* ſit ratio agendi, quaſi inadæquata, viſionis, eo quod ſecundum hoc explicitum ſolum ſit ratio agendi viſionis ſecundum explicitum vitalitatis, & ipſummet lumen gloriæ ſecundum explicitum ſupernaturalis ſit ratio agendi, etiam inadæquata, viſionis, eo quod ſecundum hoc explicitum ſolum ſit ratio agendi viſionis ſecundum explicitũ ſupernaturalitatis, ex quibus duobus explicitis repertis in lumine, quaſi conflatur adæquatus conceptus virtutis eius, ratione cuius elicitur viſio, tam quoad vitalitatem, quam quoad ſupernaturalitatem.

Hinc, quando arguitur, quod in Thomiſtarum, & noſtra ſententia ſtat optimè, quod lumen gloriæ ſecundum explicitum vitalis vt *quo* poteſt, & de facto concurrit ad viſionem ſecundum explicitum tantum vitalitatis eius, ergo poterit intellectꝰ, qui eſt vitalis, concurrere ad eandem viſionem ſecundum explicitum tantum vitalitatis eius, ſiquidem ita identificata eſt obiectiuè vitalitas in lumine cum eius ſupernaturalitate, ac eſt identificata vitalitas in intellectu cum eius naturalitate; nulla eſt conſequentia, quia lumen tam ſecundum explicitum vitalis vt *quo*, quam ſecundum explicitum ſupernaturalis eſt virtus, & ratio agendi viſionis ſecundum vtrumque explicitum eius; intellectus autem, licèt ſit vitalis, & naturalis ſecundum nullum explicitum eſt ratio agendi viſionis ſupernaturalis, quia eius excedit vires, & virtutem, & ideò non ea ratione lumen gloriæ eſt ratio agendi viſionis quoad vitalitatem, vt eſt virtus vitalis vt *quo*, & quoad ſupernaturalitatem vt eſt virtus ſupernaturalis, quia iſta explicita explicitè ſe excludunt, quia in hoc benè comparatur cũ vitalitate, & naturalitate intellectus, ſed quia explicita iſta inuenta in lumine ſunt quaſi inadæquatæ virtutes agendi reſpectu viſionis, quia ſunt propor-

Digitized by Google

tionata viſioni; explicita autem reperta in intellectu nullo modo poſſunt habere rationem agendi reſpectu viſionis excedentis vires eius, ſed ſolum reſpectu intellectionis naturalis ſibi proportionatæ.

Ad ſecundam autem inſtantiam, qua eleuabatur amplius diſcurſus, reſpondeo, quod licèt ad attingendum Deum non ſubexplicito ſupernaturalis obiecti minus virtutis requiratur ex parte potentiæ ſaltem quoad explicitum, quam ad attingendum ipſum ſub explicito obiecti ſupernaturalis, tamẽ ad attingendum illum ſub qualibet ratione ex iſtis, ſemper requiritur virtus ex parte potentiæ, cum nulla potentia attingat obiectum ſine virtute, aſt in intellectu nulla poteſt intelligi virtus ſine lumine, qua poſsit attingere obiectum ſupernaturale, adhuc vt præſcindit à ſupernaturalitate, ſed tota virtus intellectus ſecundum ſe eſt naturalis, ac proinde improportionata cum obiecto ſupernaturali, adhuc vt præſcindit à ſupernaturalitate, quia in ordine ad obiectum, quod non ſit poſitiuè naturale, non habet intellectus, niſi coaptationem eſſentialem, quæ coaptatio poſsit determinari per virtutem, ſiue naturalem, ſi debet attingere obiectum naturale, ſiue ſupernaturalem, ſi debet attingere obiectum vltra naturale, & cum Deus, adhuc vt præſcindit à ſupernaturalitate, non ſit poſsitiue obiectum naturale, nõ poteſt in intellectu eſſe virtus ſecundum ſe, vt illum vt ſic poſsit attingere, ac perconſequens determinari debet illa coaptatio eſſentialis intellectus per aliã virtutem non ſibi innatam, quæ eſt lumen gloriæ, ratione cuius Deum attingat, tam vitalitèr, ſecundum quod lumen eſt virtus vitalis, quæ à ſupernaturalitate præſcindit, quam ſupernaturalitèr, ſecundum quod lumen eſt virtus ſupernaturalis.

Opponunt ſecundo, aliqua formalitas eſt in viſione, quæ non correſpondeat lumini, ergo lumen non eſt tota ratio agendi intellectus reſpectu viſionis; antecedens ſic probatur, nam viſio beatifica non ſolum oritur ab intellectu cum lumine, ſed etiam ab obiecto, ſcilicèt, eſſentia diuina gerente munus ſpeciei intelligibilis, cum ab obiecto, & potentia oriatur notitia, iuxta commune proloquium, quod melior Thomiſtarũ ſententia docet ab ſpecie oriri etiam effectiuè, & non ſolum formalitèr determinando potentiam, licèt hoc etiã doceant alij Thomiſtæ, ergo formalitas, quæ effectiuè oritur ab intellectu ratione luminis, non poteſt eſſe, quæ oritur ab obiecto ratione ſpeciei, cum diuerſum concurſum habeat effectiuum potentia cum lumine, ac obiectum cũ ſpecie, nam licèt quælibet ex iſtis formalitatibus ſupernaturalis ſit in viſione beatifica, verum, quæ oritur ab intellectu ratione luminis, eſt ſupernaturalitas vitalis, quæ vero oritur ab obiecto ratione ſpeciei eſt ſupernaturalitas non vitalis, ſed repræſentatiua, ergo aliqua formalitas eſt in viſione beatifica, ſcilicèt, ſupernaturalitas repræſentatiua, quæ non correſpondeat lumini, ſed obiecto ratione ſpeciei intelligibilis; eo modo quo communitèr dicitur, quod in qualibet intellectione naturali obiectum ratione ſpeciei concurrit partialitèr cum intellectu, ita vt vitalitas talis intellectionis correſpondeat partialitèr intellectui ratione ſuæ virtutis naturalis, & repræſentatio correſpondeat etiam partialitèr obiecto ratione ſuæ ſpeciei tanquam virtuti, ex quibus principijs cum ſuis virtutibus partialibus conſtituitur adæquatum principium intellectionis naturalis.

Reſpondeo, quod illa propoſitio, quæ communitèr negatur ab Auctoribus noſtræ ſententiæ, ſcilicèt: *Quod aliqua eſt formalitas in viſione, quæ non correſpõdeat lumini*, fatenda eſt planè, ex hoc tamen non licèt inferre, ergo lumen gloriæ non eſt tota ratio agendi, nam licèt non ſit tota ratio agendi reſpectu totius formalitatis, quæ eſt in viſione, cũ ſubterfugiat ſupernaturalitatem repræſentatiuam in viſione repertam, ſemper tamen eſt verum lumen gloriæ eſſe totam rationem, & virtutem agendi intellectus, non viſionis, eo modo quo eſt tota ratio eleuandi illum. & ſicut ex parte potentiæ tota virtus eſt lumen, ita ex parte obiecti tota virtus eſt ſpecies, à qua etiam oritur viſio concurrens effectiuè eſſentia diuina per modum cauſæ particularis obiectiuæ viſionis vltra cõcurſum generalem per modum cauſæ vniuerſalis, quem tenetur præſtare omni actioni creaturæ. Ex quibus duobus prin-

Digitized by Google

principijs componitur totum principium *quod* concurrens effectiue ad viſionem ſingulas formalitates tribuendo ſingulis principijs ratione ſuarum virtutum, eo modo quo in argumento præcedenti diximus de intellectione naturali orta à potentia cum ſpecie, cum hac ſolum differentia, quod ibi obiectũ ratione ſpeciei diſtinctæ ab ipſo obiecto concurrit ad formalitatem repræſentationis, hic autem concurrit eſſentia diuina per modum obiecti non ratione ſpeciei à ſe diſtinctæ, ſed vt ipſa eſſentia gerit munus ſpeciei intelligibilis, quæ vnita intellectui concurrit efficientèr partialitèr ad viſionem.

Opponunt tertio, potentia naturalis ex coniunctione ad principium ſupernaturale poteſt elicere actum ſuperioris ordinis, & ſupernaturalem, ergo non eſt neceſſarium quod habitus, ſeu auxiliũ ſupernaturale ſit tota ratio agendi actus ſupernaturalis, antecedens probatur, quia ſpecies intelligibilis inferioris eſt ordinis, ac eſt intellectio, etiam naturalis, cum intellectio ſit quid vitale, ſpecies vero minime, & tamen ex coniunctione ad illum attingit intellectionem vitalem, quæ eſt ſuperioris ordinis, ergo, &c. Confirmatur, quia ſpecies naturales poſſunt concurrere, & de facto concurrunt ad aſſenſum fidei, qui eſt intrinſicè ſupernaturalis, & hoc habent præciſſe ex coniunctione ad habitum fidei, etenim ad aſſenſum fidei obiecti credibilis naturalis, quale eſt, v.g. *Canem Tobiæ habuiſſe caudam*, non concurrunt ſpecies ſupernaturales, ſed naturales, quia ſpecies ſapiunt conditionem obiecti, ergo id, quod eſt inferioris ordinis, poteſt ex coniunctione ad principium ordinis ſuperioris concurrere ad actum ſuperioris ordinis, ac perconſequens potentia intellectiua, vel volitiua ex coniunctione præciſſe ad principium ſupernaturale poterunt elicere actus ſupernaturales, ſine eo quod tale principium ſupernaturale ſit tota ratio agendi.

Reſpondeo, quod ab hoc argumento facile ſe expediunt, qui dicunt ſpecies non concurrere effectiue ad aſſenſum fidei, nec ad alium actum intellectus, ſed ſolum formalitèr determinando potentiam. Verum quia irrefragabilitèr iudico ſpecies habere, non ſolum concurſum formalem, ſed effectiuum, ideo dicendum eſt ad argumentũ, quod ſpecies intelligibilis naturalis non mirum ex coniunctione ad intellectum concurrat ſimul cum illo ad actum vitalem, licèt ipſa ſpecies vitalis non ſit, quia ipſa non concurrit ad actum vitalem, qua vitalis eſt, ſed ad actum vitalem, qua repræſentatio eſt, & ita duplex iſta formalitas reperta in intellectione naturali, cum obiectiuè præſcindibilis ſit, poteſt correſpondere duplici illo principio habente quolibet ſuam virtutem agendi, tam ex parte intellectus, quam ex parte obiecti, quod non currit in actu ſupernaturali, reſpectu cuius nulla eſt virtus in potentia, ſed tota prouenit à principio ſupernaturali eleuante iuxta modum à nobis ſæpè in hoc articulo explicatum. Ad illud autem de ſpeciebus naturalibus concurrentibus ad aſſenſum fidei ſupernaturalem, dicendum non concurrere vt naturales, ſed naturales, vt ſupernaturalizatas, quæ quidem ſupernaturalizatio ſit à refuſione habitus fidei, vel alio medio eas eleuante, neutiquam enim id, quod naturale eſt, attingere valet ſupernaturale, nec per modum cauſæ partialis, nec alio quolibet modo.

Inſtabis, obiectum illud credibile, ſcilicèt: *Canem Tobiæ habuiſſe caudam* eſt naturale, ergo ſpecies illius non poſſunt eſſe ſupernaturales, nec ſupernaturalizatæ, vt in aſſenſum concurrant, antecedens admittitur ab omnibus, & conſequentia probatur, quia ſpecies ſupernaturales, nec ſupernaturalizatæ poſſunt repræſentare obiectum naturale, ſicut nec ſpecies naturales obiectum ſupernaturale, propter improportionem obiecti cum ſpeciebus. Dic, admiſſo antecedenti, negatur conſequentia, & ad probationem negandum eſt antecedens, & eſt inſtantia manifeſta in ſpeciebus exiſtentibus in intellectu Angelico, quæ ſpirituales cum ſint, repræſentant obiecta materialia, cuius ratio eſt, quia, licèt quod eſt inferioris ordinis, non poſsit repræſentare, quod eſt ordinis ſuperioris, benè autem è contra, quod eſt ordinis ſuperioris optimè repræſentare valet id, quod eſt inferioris.

Opponunt quarto, actus ſupernaturalis charitatis, v.g. ſeu viſionis eſt actus vitalis, vt in confeſſo eſt apud omnes, ergo debet oriri à principio intrinſeco,

cum

Digitized by Google

cum viuere ſit a ſe moueri, atqui habitus ſupernaturalis ab intrinſeco nõ eſt, ſed potiùs ab extrinſeco, Deo, ſcilicèt, illum infundente in potentia, ergo nequit eſſe tota virtus agendi potẽtiæ reſpectu actus ſupernaturalis. Reſpondeo, quod non tollit rationẽ principijs vitalis, quod ab extrinſeco, ſcilicèt, à Deo producatur, quia anima, & quælibet eius potentia principia vitalia ſunt, & nihilominus ab extrinſeco, ſcilicèt à Deo producuntur, ſolum ergo requiritur ad principium vitale, quod quando ſe mouet, moueatur à ſe, hoc eſt, quod habeat principium intrinſecum ſe mouendi, ſiuè hoc principium habeat à ſua natura à Deo data, quod erit principium ſe mouendi in ordine ad actus naturales, ſiuè hoc principium intrinſecum habeat acceptum ab alio per modum virtutis ſe mouendi in ordine ad actus ſupernaturales, ad quos potentia naturalis non habet virtutem. Quando autem dicitur, quod viuere *eſt à ſe moueri*, intelligendum eſt modo immediatè explicato; vel vt alij volunt de vita reperta in actu ſecundo, non vero de vita, quæ eſt in virtute, quæ poteſt eſſe ab alio, vt quando ramus, v.g. alicuius arboris inſeritur arbori alterius ſpeciei, citri, v.g. malo, vt fructum alterius ſpeciei arbor, cui inſeritur, producat, tunc virtus ab extrinſeco prouenit, ſcilicèt, ab inſſerente, & ab arbore inſerto, & nihilominus actio productiua fructus vitalis eſt, ergo licèt viuere in actu ſecundo petat principiũ intrinſecum ſe mouendi, hoc tamen intrinſecum poteſt ab extrinſeco prouenire, quin ſit vitale in actu primo.

Opponunt quinto, habitus charitatis poſitus in voluntate non eſt tota ratio agendi reſpectu actus charitatis, ergo vniuerſalitèr habitus ſupernaturalis non eſt tota ratio agendi actus ſupernaturalis. Antecedens videtur contrarijs efficacitèr ſuaderi ſic; actus charitatis viatoris, v.g. debet eſſe liber, vt conſtãs eſt, atqui, ſi habitus charitatis eſſet tota ratio agendi, non eſſet liber talis actus, cum in elicientia libera actus debeat in principio eſſe poteſtas ad oppoſitum cõtrariè, & contradictoriè, ſiquidem de ratione potentiæ, ſeu actus liberi debeat eſſe indifferentia ad vtrumque, habitus autem charitatis in voluntate poſitus, nec indifferentiam habet, cum determinatus ſit ad ſolum ſpeciem actus charitatis, & non alterius virtutis, nec potentiam habet ad oppoſitum, aliàs talis habitus haberet potentiam ad non amandum, imò ad odio habendum, ſicut habet voluntas, ergo poſitus in illa non poſſet eſſe tota ratio agendi ipſius, cum non adæquaret totam potentiam voluntatis, quia hæc non ſolum poteſt amare, ſed, & non amare, & odio habere, ergo non eſſet tota eius virtus agendi, quia ſi eſſet, ad omne, quod poteſt voluntas, poſſet, & habitus charitatis, qui eſſet tota eius ratio agendi.

Hoc argumentum ita magnifaciunt Authores contrariæ ſententiæ, vt ſit eorum Achiles, & non aduertunt poſſe idem argumentum fieri cõtra illos ſic; habitus charitatis poſitus in voluntate, licèt in eorum ſententia non ſit tota ratio agendi actus ſupernaturalis liberi, eſt tamen tota perfectio eleuans voluntatem; tum ſic, vel habitus perficit voluntatem, quando elicit amorem ſupernaturalem liberum, vel non perficit; ſi primum, ergo perficit talem potentiam, prout eſt libera, ergo perficit voluntatem, ſecundum quod poteſt ipſa etiam non amare, & odio habere, nã ſicut libertas ſtat in hoc, quod talitèr fiat actus, vt poſsit fieri oppoſitum contrariè, vel contradictoriè, ita perfectio libertatis habebit hoc idem perfectiori modo, ergo charitas ſaltèm partialitèr poſita in voluntate poteſt ſe extendere ad non amandum, & odio habendum, quod eſt inconueniens, quod contra nos adducunt: ſi charitas non perficit voluntatem ſecundum illud, quod habet voluntas de potentia ad non amorem, vel odium, ergo non perficiet voluntatem, vt eſt libera, ac proinde, nec vt libera illam eleuabit, & conſequentèr actus charitatis tunc elicitus, ſecundum quod eſt liber, non erit ſupernaturalis, erit ne tunc naturalis? ipſi dicant, nam ego non audeo dicere. Quidquid autem ipſi reſpondeant ad hoc argumẽtum reſpondemus, & nos ad ſuum principale, quod contra nos ipſi obijciunt, vt eorum Achiles.

Reſpondeo ergo pro omnibus, quod licèt habitus charitatis poſitus in voluntate ſit tota ratio agendi, non tamen reſpectu omnis actus ponibilis à voluntate, ſed reſpectu actus excedentis vires

in

innatas eius; in voluntate autem etiam compoſita cum habitu charitatis, quod eſt complexum eliciens vt *quod* actum ſupernaturalem liberum, cuius complexi virtus *quo* eſt habitus charitatis, multiplex ſaltèm virtualitèr reperitur potentia, ſecundùm multiplicationem actuum poſſibilium à voluntate; nam in ipſa compoſita cum habitu eſt potentia ad ponendum actum charitatis ſupernaturalem, & liberum, non quia talis habitus inclinet ad non amorem, vel odium, cùm per talem habitum ſit determinata voluntas quoad ſpeciem actus ſolius charitatis, ſed quia talis habitus, nō tollit à voluntate id, quod ex intrinſecis habet, & cum ex prædicatis intrinſecis habeat potentiam ad non amandum, & odio habendum, relinquit eam habitus cum ſua potentia ad non amandum, & odio habendum; ex quibus extremis ab ipſa voluntate innatis, & alio extremo, ſcilicèt, ad amorem, ab habitu charitatis in ipſa voluntate poſito componitur in iſto complexo adæquata libertas, tam contradictionis, quam contrarietatis, & talis libertas toti complexo ex voluntate, & habitu tribuitur, ſed virtus ad actus ſupernaturales etiam liberos tribuitur habitui ſupernaturali; virtus autem non agendi, vel odio habendi tribuitur voluntati ſecundum ſuas vires innatas potentiæ non agendi, vel odio habendi ratione potentiæ defectiuæ, quæ reſidet in voluntate, adhuc compoſita cum habitu charitatis; & ita licèt habitus charitatis non ſe extendat poſitiuè ad omnia extrema, ad quæ ſe poteſt extendere voluntas, cum non ſe extendat ad non amandum, vel odio habendum, ad quod ſe extendit voluntas, non ideò deſinit habitus eſſe totam rationem agendi reſpectu actus ſupernaturalis liberi, ad quem non ſe extendit voluntas, vt ratio, & virtus agendi, licèt ſe ſe extendat, vt principium talis actus, & permiſſiuè ſe habet in ordine ad non amandum, vel odio habendum relinquendo voluntati vires, quas ad hoc habet.

Opponunt ſexto, auxilium ſupernaturale non eſt tota ratio agendi actus ſupernaturalis, ergo non omne principiū ſupernaturale eſt tota ratio agendi act° ſupernaturalis, antecedens probatur, etenim vel tale auxilium ſupponit in potentia habitum ſupernaturalem, vel non ſupponit; ſi ſupponit, ipſe habitus erit tota ratio agēdi, nō auxiliū, quod ſolū datur ad elicientiam hic, & nunc, non ad dandam virtutem potentiæ, quam iam habet per habitum; ſi non ſupponit habitum ſupernaturalem in potentia; tunc ſic, vel tale auxilium ex natura ſua eſt efficax, vel non, ſed indifferens; ſi eſt indifferens nō eſt ratio, cur ſit magis tota ratio agendi vnius actus ſupernaturalis, quam alterius, ad quem non determinat, ſi eſt efficax natura ſua, videtur, quod in quocumque ſubiecto ponatur erit tota ratio agendi, cum id, quod eſt efficax ex ſe, vbicumque ponatur, habebit effectum, & ſi ponatur per modum virtutis agendi erit efficax per modum virtutis, quod videtur non poſſe ſic eſſe, aliàs, ſi auxilium vt quatuor poſitum in ſubiecto tentato vt tres, quod fuit efficax in tali ſubiecto, poneretur in alio tentato vt octo, efficax erit, & ratio agendi in tentato vt octo, ergo quomodocumque ponatur auxilium, non poteſt eſſe tota ratio agēdi actus ſupernaturalis.

Reſpondeo, quod tale auxilium ſi ſupponit habitum ſupernaturalem in potentia, talis habitus erit tota ratio agendi actus ſupernaturalis quoad ſpeciem habitus, qui in potentia ſupponitur, & auxilium, cum tunc detur ad hic, & nūc eliciendum actum in indiuiduo, erit ratio agendi talis actus quoad indiuiduationem, & ita vnumquodque principium ſupernaturale eſt in ſua linea ſibi competenti ratio agendi actus ſupernalis, vel quoad ſpeciem, vel quoad indiuiduum; ſi autem auxilium non ſupponit habitum ſupernaturalem in potentia, ipſud auxilium, & dat poſſe ſupernaturalitèr potentiæ, & dat actu operari, ac perconſequens habet rationem agendi actus ſupernaturalis, tam quoad ſpeciē, quam quoad indiuiduationem actus, & qua parte dat poſſe potentiæ, intelligitur vt indifferens, & qua parte dat actu operari, intelligitur efficax natura ſua, ſine eo quod inconueniens ſit, quod non ſit efficax in quolibet ſubiecto ponatur, nam in ſubiecto tentato vt duo, vel tres erit efficax auxilium vt quatuor, & non erit efficax, ſi ponatur tale auxilium vt quatuor in ſubiecto tentato vt octo. Pro qua maiori explicatione pro-

proponitur ſequens quæſtio, quæ non vobis moleſta erit, quia ſpecialitèr explicata.

An gratia actualis auxilij, quæ ſemel fuit efficax, ſemper futura ſit efficax?

QVÆST. V.

IN Hac re nulla extat difficultas apud Authores exiſtimantes gratiã actualis auxilij non habere efficatiam ex ſe, ſed ab extrinſeco illam deſumere; nam cum ipſi eam accipiant à conſenſu ſub conditione præuiſſo, aut à congruitate temporis, in quo confertur, eadem indiuiſsibilis gratia, iam fit efficax, iã inefficax, iuxta conſenſum, vel non conſenſum, congruitatem, vel incongruitatem temporis, & ſubiecti, quod generalitèr docent omnes Patres Societatis: ſolum ergo reſtat difficultas apud Thomiſtas, & inter Thomiſtas admittẽtes, auxilium habere efficatiam intrinſecã ex ſe. Quo cum omnibus Thomiſtis ſuppoſito, adhuc diuiſsi ſunt circa præſentem quæſtionem; etenim generalitèr docent, quod gratia actualis auxilij, quæ ſemel fuit efficax, ſemper futura eſt efficax in quocumque ſubiecto ponatur: Aſt aliqui iuniores Thomiſtæ, adhuc admittentes gratiam natura ſua intrinſicè efficacem, docent nihilominus, quod talis gratia ſemel efficax non ſemper futura eſt efficax in quocumque ſubiecto, ſed ſolum in illo talitèr, vel talitèr attemperato, vt efficatia gratiæ ſit maior, ac eſt tentatio, & reſiſtentia ſubiecti; nam ſi eadem gratia, quæ in vno fuit efficax, in alio poneretur vehementius tentato, dicunt, quod in iſto neutiquam foret efficax. Ita Mag. Albelda 1. part. quæſt. 19. art. 8. diſp. 58. ſect. 2. quem in terminis ex noſtris ſequutus fuit meus Mag. Gabriel de Frias in hac materia quæſt. 13. art. 4.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo ptius id, quod à nemine in dubium verti poteſt, ſcilicèt, quod Deus in ſua potentiſsima virtute habet auxilia, & dona ſupernaturalia vberiora, & potentiora alijs, quibus actus poſsit infallibitèr facere noſtra voluntas in perfectione ſe excedentes indiuiduali, eo modo quo habet ipſe Deus dona ſupernaturalia ſpecificè perfectiora alijs, quibus perfectiores actus intra ordinem ſupernaturalem voluntas noſtra poteſt elicere; vt patet clarè in habitu charitatis reſpectu cæterorum habituum. Neque etiam in dubium verti poteſt, homines non ſemper eodem modo diſpoſitos eſſe ad recipienda dona ſupernaturalia Dei; alij enim magis duriores, alij autem mitiores ſunt, alij magis, alij minus tentati, vt experientia in vnoquoque quotidie demonſtrat: ex quibus principijs deducunt communitèr Theologi ad materiam de gratia, quod homo eget ſpeciali auxilio efficaci ad vincendam grauem tentationem, quo non eget ad vincendam leuem, aut nullam, licèt ad hãc etiam victoriam ſemper requiratur auxilium efficax, tanquam quid neceſſarium ad actum, quo vincitur leuis tentatio. Cuius ratio eſt, quia qua maior eſt repugnantia noſtra ex tentationibus orta, eo maior debet eſſe diuina virtus, & ſpecialior, vt repugnantia vincatur; quapropter dixit Auguſtin. de correpr. & grat. cap. 11. conferens ſanctos poſt lapſum cum Adamo in ſtatu innocentiæ: *ille* (ſcilicèt Adamus) *non opus habebat eo adiutorio, quod implorant iſti, cum dicũt: video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, &c.* Quo ſic obſeruato.

Quæſtionis deciſsio.

ARTIC. II.

REſolutio noſtra ſit. Gratia actualis auxilij, quæ in aliquo ſubiecto ſemel fuit efficax, non ſemper futura eſt efficax in omnibus ſubiectis, imò neque in eodem non ita congruentèr diſpoſito. Primo, quia hoc videtur expreſſum in ſacris litteris, dicit enim Apoſtolus 1. ad Corinth. 10. *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari vltra id, quod poteſtis,* & infra: *Orandus eſt Deus, vt faciat cum tentatione prouentum*, & ad Epheſ. 6. inquit: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates, &c.* Ex

quo

Digitized by Google

quo infert Cœleſtinus Papa in ſua 1. Epiſtol.capit. 9. *Quod ſemper adiutor, & protector à nobis implorandus eſt.* Tum ſic: ſi gratia, quæ ſemel fuit efficax in leuitèr tentato, v.g. ſemper futura eſſet efficax in quocumque ſubiecto, etiam vehementer tentato, nullius eſſet momenti gratia illa externæ protectionis, quam tantopere commendat Apoſtolus dicens: *Fidelis Deus, &c.* Nullius etiam eſſet momenti illud adiutorium, quod nobis promittit ſequentibus verbis, cum inquit: *Sed facit etiam cum tentatione prouentum, vt poſsitis reſiſtere.* Inutilitèr etiam orandus eſſet Deus, vt maiorē nobis gratiam impenderet, quo magis creſceret tentatio, ſed ſolum orandus eſſet pro gratia efficaci, quia illa poſita, quantumuis minima, quaslibet vinceret tentationes, non modo leues, ſed etiam vehementiſsimas, & ita non opus erit, quod creſcente tentatione faciat Deus prouentum, quod verbis Apoſtoli, & Cœleſtini apertè repugnat. Ergo gratia actualis auxilij, quæ ſemel in leuitèr tentato fuit efficax, non ſemper futura eſt efficax poſita in tentato vehementèr.

Secundo, eadem reſolutio expreſsè traditur ab Auguſtino, cuius elegans extat teſtimoniū lib. de corrept. & grat. c. 11. à nobis tactum, art. præced. quod modo ad longum proſequimur, quia huius rei demonſtratiuum mihi eſt. Cōferens ergo Auguſtinus homines poſt lapſum cum Adamo in ſtatu innocentiæ, ſic ait: *Ille* (id eſt Adamus) *non opus habebat eo adiutorio, quod implorant iſti, cum dicunt: video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quoniam in eis caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, atque in tali certamine laborantes, ac periclitantes, dari ſibi pugnandi, vincendique virtutem per Chriſti gratiam poſcunt, ille vero nulla talis rixa à ſeipſo aduerſus ſeipſum tētatus, atque turbatus in illo beatitudinis loco ſua ſecum pace fruebatur; proinde, & ſi nō interim lætiori nunc, verumtamen potentiori gratia indigent iſti.* Ecce expreſſe Auguſtinus his vltimis verbis infert homines poſt lapſum Adami potentiori gratia indigere, quàm Adamus ante eius lapſum, quoniam magna erat inæqualitas diſpoſitionis eorum præ Adamo, ratione imminentium tentationū, quibus laborant, ac periclitantur. Ergo quia gratia, quæ aliàs erat efficax in Adamo pro illo ſtatu ad benè operādum, non futura eſſet efficax poſita in hominibus poſt lapſum, ratione indiſpoſitionis, & certaminis orti ex tentationibus. Vnde concludit Auguſt. *Nunc vero, poſteaquam, illa magna peccati merito amiſſa libertas, etiam maioribus donis adiuuanda remanſit infirmitas.*

Hoc etiam idem latè proſequitur Auguſt. lib. 1. ad Simplician. quæſt. 2. vbi hæc habet verba: *Quamuis multi vno modo vocati ſint, quia tamen non omnes vno modo affecti ſunt* (quia, ſcilicet, aliqui cor habent vrgentibus tentationibus perturbatum, alij, vel nullis, vel leuibus) *illi ſolum ſequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei. Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, qui hoc modo vocauit, quomodo aptum erat eis, qui ſequuti ſunt vocationem; ad alios autem vocatio quidem peruenit, ſed quia talis fuit, qua moueri non poſſent, vt eam capere apti eſſent, vocati quidem dici potuerunt, ſed non electi,* & ſtatim ſubiungit: *illi enim electi, qui congruenter vocati, illi autem, qui non congruebant, nec contemperabantur vocationi, non electi,* & rurſus ait: *Etiam ſi multos vocet, eorum tamen miſeretur, quos ita vocat, quomodo eis vocare aptum eſt, vt ſequantur,* & ibidem ait: *Cuius autem miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, vt vocantem non reſpuat.* Quo nihil clariùs dici potuit pro noſtra reſolutione.

Tertio eandem reſolutionem expreſſe tenet addictiſsimus Auguſtini diſcipulus S. Proſper lib. cont. Collatorem cap. 35. vbi illum his verbis reprehendit. *Quod autem dicis gratiam Dei ab Iob ex eo intelligendam non pœnitus receſsiſſe, quod tentatori eius tribuit Deus poteſtatem, quantam, & illam reſiſtendi nouerat habere virtutem. Nonne rectiùs veraciuſque loquereris, ſi vbi dixiſti: quantam, & illum reſiſtendi nouerat habere virtutem, diceres potius: quantam, & illi reſiſtendi nouerat ſe dediſſe virtutem?* Ecce S. Proſper cum Caſsiano (vel cum illo cuius eſt liber collationum) ſentit Deum temperaſſe Dæmonis ſæuitiam contra Iob iuxta quantitatem virtutis reſiſtendi, quam Iob habebat, ſed illum reprehendit,

Digitized by Google

dit, quatenus non dixit: iuxta quantitatem virtutis, quam Deus nouerat, ſe deditſſe gratiæ auxiliãtis. Ergo quia S. Proſper putat eam a Deo conferri contemperatam virtuti reſiſtiuæ, iam maiorẽ, iam minorem, ſecundum in æqualitatẽ virtutis reſiſtiuæ, ex parte voluntatis, ratione imminentium tentationum, ac perconſequens, gratia, quæ ſemel in leuitèr tentato fuit efficax, non futura eſt efficax in tentato vehementer.

Quarto, denique rationibus cadẽ reſolutio probatur; inter alias autẽ hanc adducit Mag. Albelda loc. cit. n. 11. quia ex oppoſita ſententia ſequeretur, quod auxilium efficax ſit talis naturæ, vt voluntas noſtra non poſsit abijcere, etiam poteſtate antecedenti, vel in ſenſu diuiſſo quod conc di non poteſt, quia contra Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. & can. 4. vbi dicitur poſſe voluntatem auxilium abiicere: ſequellam ſic probat Albelda, quia iuxta ſententiam oppoſitam auxilium intrinſicè efficax eſt talis naturæ, & efficatiæ, vt in quocumque ſubiecto in quacumque occaſione ponatur, etiam vrgentibus grauiſsimis tentationibus, ſemper habet effectum. Ergo eſt talis virtutis, & efficatiæ, vt ſuperet, vel ſaltim adæquet totam reſiſtentiam, quam abſolutè ei poteſt facere voluntas creata; hoc autem eſt illam neceſsitare, ita vt non poſsit facere oppoſitum; quia non alia ratione probat S. Thom. 1. p. quæſt. 105. artic. 4. & 1. 2. quæſt. 10. art. 2. voluntatem noſtram neceſsitari, quoad ſpecificationẽ, a bono vniuerſali, niſi quia hoc bonum adæquat totam virtutem voluntatis. Ergo ſi auxilium quodlibet efficax in quocũque ſubiecto, etiam grauiſsime tentato futurum eſſet efficax, conſequenter ſuperabit, vel ad minus adæquabit totam virtutem reſiſtiuam voluntatis, ac perconſequens nõ manebit in ea aliqua vis reſiſtiua, qua illud poſſet abijcere, & oppoſitum operari, quod eſt illam neceſſitare neceſsitate antecedenti. Hæc huius Authoris ratio, & probatio pro ſua, & noſtra reſolutione.

Verùm hæc ratio, & probatio, ſalua pace tanti Magiſtri, mihi non probatur, imo euidenter, vt iudico, infringit eiuſdem Authoris doctrinã, in qua auxilium efficax non eſt intrinſicè æquale in omnibus, ſed pro maiori reſiſtẽtia ex parte voluntatis maior virtus requiritur in auxilio ad illam vincendã vt inquit loc. cit. numer. 12. & 13. ob quod efficatiam auxilij non vocat abſolutam, id eſt, quod ſit efficax reſpectu cuiuſcumque ſubiecti, ſed relatiuam, comparatione, ſcilicèt, ad illud tantũ, quod Deus videt, & cognocit ſua ſcientia naturali, quod tanta ſit virtus auxilij, vt ſi applicetur Petro, v. g. tentato minori, vel æquali tentatione, reſpectu cuius maior, vel æqualis eſt virtus auxilij, prædictum auxilium erit tunc efficax, & voluntatem tentatam vincet; ſi tamen applicetur Ioanni, vel ipſi Petro magis tentato, quam ſit virtus auxilij, tunc nõ erit efficax, imò potius auxilium a voluntate tentata vincetur.

Qua eius doctrina in tota hac ſectione ſuppoſita, ſic eius probatio infringitur, & contra ipſius doctrinam retorquetur: cum ſuo auxilio efficaci tantum relatiue debet ipſe ſaluare, ſecundum Trident. quod poſito in voluntate, reſpectu cuius eſt efficax, poſsit nihilominus illud abijcere, ſi velit, cum adhuc illo poſito maneat libera; ac perconſequens, in ſenſu diuiſſo, & potentia antecedenti efficere poteſt oppoſitum, hoc enim ſecundum fidem catholicam eſt indubitatum in quocumque, vel quomodocumque explicetur efficacia auxilij, & nihilominus in huius Authoris ſententia, vt auxilium ſit efficax in aliquo ſubiecto, debet ſuperare, vel adminus adæquare in virtute actiua virtutem reſiſtiuam prædicti ſubiecti, reſpectu cuius auxilium eſt efficax; ſi enim virtus actiua auxilij ad minus non adæquaret virtutem reſiſtiuam voluntatis, vinceretur potius auxilium a voluntate, quàm è contra. Ergo ex eo quod in alia Thomiſtarum ſententia quodlibet indiuiſsibile auxilium, quod natura ſua eſt efficax, talis ſit virtutis, & efficaciæ, vt poſito in quocumque ſubiecto quibuſcumque grauiſsimis tentationibus oppræſſo, ita ſuperet, vel ad minus adæquet virtutem reſiſtiuam voluntatis, vt effectũ ſortiatur, non ideò ita voluntatem neceſsitabit, vt in ſenſu diuiſſo, & poteſtate antecedenti, & abſoluta non poſsit facere oppoſitũ; ac proinde eius probatio æquè pugnat cum ſua efficacia relatiua auxilij, ac contra abſolutam, quam in quocumque auxilio effica

ci

Digitized by Google

ci cognoſcunt alij Thomiſtæ.

Hinc extra rem pro ſua probatione citat, licèt nō afferat, loca illa S. Th. tum quia ſi quā habent vim, ad illa ipſe tenetur reſpondere iuxta ſuū auxiliū efficax relatiue, quod ſēper debet ſuperare, vel ad minus adæquare vim reſiſtiuā voluntatis, cum tamen illā liberā neceſſario relinquat: ad quid ergo probatio ex S. Th. neceſsitatis quoad ſpecificationem voluntatis à bono vniuerſali, quia illam omnino adæquat? Tùm etiā, quia ideò docet S. Th. voluntatem neceſsitari à bono vniuerſali: *Quia illi proponitur illud* (inquit S. Thom. loc. cit. ex 1. 2.) *vt bonum ſecundum omnem conſiderationem, ſi autem proponatur ſibi* (proſequitur S. Th.) *aliquod bonum, quod non ſecundū quamlibet conſiderationem ſit bonum, non ex neceſſitate voluntas fertur in illud; & quia defectus cuiuſcumque boni habet rationem non boni, ideò illud ſolum bonum, quod eſt perfectum, & cui nihil defecit, eſt tale bonum, quod voluntas non poteſt non velle, quod eſt beatitudo.* Ecce S. Th. de illo bono loquitur in præſenti, à quo voluntas non ſolum quoad ſpecificationē neceſsitatur, ita vt non poſsit velle oppoſitum, quod eſt malum, ſed *nec ipſum bonum non poteſt non velle.* Quod eſt manere etiam quoad exercitium neceſsitatam, ad diſtinctionem cuiuſcumque alterius boni particularis, quod, & poteſt voluntas illud non velle, & velle eius oppoſitum, vt ex contextu apparet S. Thom. ad quid ergo prædictus Author hunc Sanct. Thom. locum adducit, vt conuincat efficaciam auxilij non eſſe abſolutam, ſed relatiuam, ex eo quod voluntatem neceſsitaret?

Et licèt S. Thom in loco, quem citat ex 1. par. dicat quod *quodlibet bonū creatum eſt particulare bonum, ſolus autem Deus eſt bonum vniuerſale, vnde ſolus ipſe implet voluntatem, & ſufficientèr eam mouet, vt obiectum.* Vndè hoc adducit pro ſua probatione, cum Deus vt bonum vniuerſale propoſitum in patria, non ſolum impleat volūtatem, ita vt oppoſitum non poſsit velle, quod eſt eam neceſsitare quoad ſpecificationem; ſed illam etiam implet, ita vt nec ipſummet bonum Dei vniuerſale non poſsit non velle, quod eſt eam quoad exercitium etiam neceſsitare, auxilium autem efficax, etiam ſi efficaciam habeat in quocumque ſubiecto, non datur ex ſua ratione ad elicientiā actus quoad ſpecificationem, cum etiam ſi aliàs voluntas, cui confertur, neſsitata ſupponeretur quoad ſpecificationem actus, adhuc egeret auxilio efficaci ad exercitium illius, vt patet in Chriſto Domino, cuius voluntas neceſsitata erat ad volendum bonum, ita vt malum non poſſet velle, & nihilominus fuit in ipſo eſſentialitèr requiſitū auxiliū efficax ad elicientiā cuiuſcūq; actus in exercitio circa illudmet bonū, ad quod neceſsitata ſupponebatur quoad ſpecificationem.

Ratio ergo, quæ efficacitèr (ne ampliùs dicam) probat prædictam reſolutionem noſtram, deſumitur ex principijs certis, & indubitatis Theologorū à me iactis in hac q. art. 1. ex quibus ſic illam modò compono. Ex illis auxilijs efficacibus, quæ Deꝰ habet in ſua potentiſsima virtute, nō ſufficit quodlibet ad vincendum quamlibet tentationē in voluntate exiſtentem; etenim auxilium, quod efficax eſt ad vincendam leuem, ſi poneretur in voluntate grauitèr tentata, tentationem non vinceret, aliàs enim non maior gratia, & auxilium requireretur ad grauem tentationem, quam ad vincendam leuem, quod eſt contra commune Theologorum, & præcipuè Thomiſtarum illorum, cum quibus modò contendimus: atqui in isto caſu auxilium illud, quod fuit ſemel efficax, vt vinceret tentationem leuem, non ſemper futurum eſſet efficax, cum poſitum in grauitèr tentato non vinceret tentationem. Ergo auxilium, quod in aliquo ſubiecto ſemel fuit efficax, non ſemper futurū eſt efficax in omnibus ſubiectis, imò neque in eodem non ita congruentèr diſpoſitio. Conſequentia patet, quia quāto maior eſt reſiſtentia contrarij, tanto maior virtus actiua in agente requiritur ad illud deuincendum, vt conſtans eſt principium Phyloſophiæ. Ergo quanto tentationes vrgentiores, & vehementiores fuerint in vno, quam in alio ſubiecto, tā to nobilius, & actiuius debet eſſet auxilium efficax in vno, quam in alio.

Roboratur vlteriùs prædicta ratio, & reſolutio quadam alia ratione, qua vtitur meus Magiſt. hic q. 13. ar. 4. quam deſumpſit ex Albelda loc. ſupr. citat.

Digitized by Google

à n. 12. & 13. quã ſic ad formã reduco. Auxilia efficacia, quæ De⁹ habet in ſua omnipotentiſsima virtute, non ſunt pa ria, & æqualia, nec quoad perfectionem ſpecificam, nec quoad indiuidualem, quia ſicut ad eliciendũ actum charitatis quoad ſpeciẽ, nõ ſufficit habit⁹ quilibet ſupernaturalis, ſed neceſſariò deſideratur perfectior omnib⁹ habit⁹ ſupernaturalis, ſcilicèt, charitatis, ita ad eliciendũ actum charitatis quoad perfectionẽ eius indiuidualem, maius, & perfectius auxilium efficax requiritur, quam ad eliciendum actum quoad perfectionem indiuidualem cuiuſcumq; alterius virtutis. Deinde intra eandem virtutẽ charitatis (& idem, eſt de qualibet alia) vt eliciatur actus intenſus vt octo, maius, & perfectius auxilium efficax requiritur indiuidualitèr, quam vt eliciatur act⁹ vt duo, vel vt quatuor, (quod, vt aduertit hoc in loco Mag. Albelda, nõ negant Authores, cum quibus modò contendimus) ergo cum tentationes per actus virtutum vincãtur, quo maiores illæ fuerint, & vrgẽtiores indiuidualitèr, & ſpecificè, eo maiora, & vberiora auxilia efficacia indiuidualia, & ſpecifica deſiderabuntur ad actus directè eliciendos, quibus indirectè prædictæ vincantur tentationes.

Confirmatur denique, quia magis laudabiles ſunt Sancti, & homines, qui de vrgentibus tẽtationibus victoriã reportarunt, quã qui de leuibus, vel de nullis, vt certo certius eſt apud omnes Catholicos: atqui hæc maior laudabilitas non oritur ex eo, quod ratione ſui, licèt ſimul cum gratia, & auxilio efficaci, maiorem victoriam reportarunt præ alijs, ſed oritur ex eo, quod ratione gratiæ, & auxilij efficacis (quæ apud Authores Thomiſtas, cum quibus modò diſputamus, eſt tota, & adæquata ratio agendi, & tentationes vincendi) earum victoriam cum voluntate, vt principiũ *quod*, operante, reportarunt præ alijs. Ergo quia auxilia efficacia, quib⁹ hæc maior victoria fuit reportata, maiorem habuerunt actiuitatẽ in ratione efficacitatis, quam habuerunt illa auxilia efficacia, quibus minor fuit reportata victoria, & quæ, ſi ponerentur in illis, talem maiorem victoriam non reportarent, ac per conſequens in illis non eſſent efficacia, quamuis aliàs in alijs efficacia forent.

Argumenta contra prædictam doctrinam ponuntur, & ſoluuntur.

ARTIC. III.

CÆterum in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij illud ita cõmune, vt tranſierit in vulgare, teſtimoniũ Auguſt. lib. de prædeſt. Sanctor. cap. 8. vbi loquens de gratia efficaci, ſic ait: *Hæc itaque gratia, quæ humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur; ideò quippe tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur.* Atqui ſi gratia, quæ ſemel fuit efficax in aliquo ſubiecto, non foret ſemper efficax in alio, iam ab aliquo duro corde reſpueretur, nec duritia huius cordis, reſpectu cuius non eſſet efficax, auferretur. Ergo ex mente Auguſt. gratia ſemel efficax ſemper eſt efficax in quocũq; ſubiecto. Verùm hoc teſtimoniũ, ſi pugnat contra nos, etiã militat contra Authores cõmunitèr Thomiſtas, contra quos diſputamus, qui illud vt vnicũ ſuæ ſententiæ fundamentum magnifaciũt; ſiquidem gratia efficax neceſſariò requiſita ad infallibilitèr vincendam tentationẽ leuẽ non eſt efficax infallibilitèr in eorũ ſententia ad vincendam grauem, ſi in alio, vel in eodem ſubiecto grauitèr tentato poneretur. Ergo tũc etiã verificabitur, quod gratia efficax ab aliquo duro corde reſpuatur, ab illo, ſcilicèt, quod grauitèr eſt tentatũ. Reſpõdeo ergo, quod gratia efficax à nullo duro corde ex illis hominibus: *Qui benè affecti, & diſpoſiti ſunt, vt gratia efficaci reperiantur idonei*, (vt ex Auguſtino Auguſtinũ explicemus) reſpuitur, ſecus autem ab alijs cordibus duris hominum, qui non ita diſpoſiti, & affecti ſunt, vt gratia efficaci reperiantur idonei, erga quos talis gratia non eſt efficax, & ita non mirũ, quod ab illis reſpuatur, & per illam eorum duritia non auferatur.

Opponunt ſecundo. Sicut actio eſt applicatio virtutis operatiuæ ad agendũ, ita auxilium intrinſicè efficax ex natura ſua eſt applicatio virtutis operatiuæ ad agendum (licèt aliàs peraccidens poſsit etiam eſſe virt⁹ operatiua) atqui, quia actio natura ſua eſt applicatio virtutis operatiuæ ad agendũ, nulla datur actio, quæ nõ habeat effectũ, vel terminũ in exercitio poſitũ. Ergo quia auxiliũ intrĩſicè efficax eſt applicatio ex natura ſua virtutis ope-

operatiuæ ad agẽdum, nullum dabitur auxilium, quod natura ſua ſit efficax, quod non habeat effectum in exercitio poſitum, ac perconſequens, in quocumque ſubiecto ponatur, ſi aliàs tale auxilium natura ſua eſt efficax, & ex natura ſua applicatio ad agendum, habebit effectum. Hoc argumẽtum mihi obiecit quidam ingenioſus Salmantinus Magiſter ex Dominicana familia, dum prædictam reſolutionem in publicis diſputationibus in noſtro Sancti Caroli Collegio defenſarem.

Verũ reſpondeo modò, & retorquo, ſicut tunc retorſi, & reſpondi; etenim ſicut actio vt ſic eſt applicatio virtutis operatiuæ vt ſic, & actio determinata eſt aplicatio virtutis operatiuæ determinatæ; ita auxiliũ efficax vt ſic eſt applicatio virtutis operatiuæ vt ſic, & auxiliũ efficax determinatum eſt applicatio virtutis operatiuæ determinatæ. Ergo ſicut actio determinata, etiam ſi natura ſua ſit applicatio virtutis operatiuæ ad agendum, non tamen eſt applicatio cuiuſcumq; virtutis operatiuæ, ſed virtutis determinatè agentis, & non alteri⁹, in quo ſi poneretur, nihil efficeret; ita auxilium efficax determinatum, etiam ſi natura ſua ſit applicatio virtutis operatiuæ ad agendum, non tamen erit applicatio cuiuſcũq; virtutis operatiuæ, ſed virtutis determinati agentis, & ſubiecti, & non alterius, in quo ſi poneretur, nihil efficeret, & hoc ideò verũ eſt, quia cũ efficacia iſta auxilij nõ ſit abſoluta reſpectu cuiuſcumque ſubiecti, ſed tantum relatiua reſpectu illius, in quo ſcientia ſua naturali vidit Deus, ſortiturum eſſe effectum, quia ſubiecti reſiſtentia contemperata eſt cum efficacia auxilij; non mirum, quod etiam ſi prædictũ auxilium ſit natura ſua applicatio virtutis operatiuæ, quod effectum habeat, & efficax ſit in tali ſubiecto, & nõ efficax neq; effectũ habeat in alio nõ ita diſpoſito, & attẽperato cũ efficacia auxilij.

Opponũt tertio. Magis pugnat, & reſiſtit peccatum gratiæ habituali, quam tentatio, vel indiſpoſitio ſubiecti gratiæ actualis auxilij, cum illa pugna, & reſiſtentia ſit directa (quia peccatum, & gratia directè opponuntur) iſta autem ſolum ſit indirecta (quia auxiliũ directè datur ad opus eliciendum, & indirectè ad tentationẽ, & diſpoſitionem ſubiecti vincendam) atqui quælibet gratia habitualis, quantũuis minima, quia ex natura ſua opponitur peccato, talitèr cum illo pugnat, vt nõ ſolũ vnũ, vel aliud à ſubiecto expellat, ſed omnia quã tumcũque grauiſsima deuincit, ſine eo quod maior numerus, aut grauitas eorũ faciat aliquid ad impediendam, & reſiſtendam eorũ expulſionẽ per gratiã. Ergo quælibet gratia efficax actualis auxilij; quãtũuis minima, quia ex natura ſua efficax eſt ad eliciẽtiam act⁹, quo tentationes vincuntur, talitèr opponetur, & pugnabit cuilibet tentationi, vel indiſpoſitioni ſubiecti, quod omnes tẽtationes deuincat, ſine eo quod hoc impediat aut reſiſtat earũ numerus, & grauitas.

Hoc etiam argumentum in ſubſtantia licèt nõ in modo, quo ego propono mihi etiam obiecit in prædictis diſputationibus alius Salmantinus Magiſtèr ex Auguſtiniana familia, cui ſimilitèr ita retorſi, & reſpondi, ſicut modo retorqueo, & reſpondeo, quod ſicut quia gratia habitualis ex natura ſua habet incõpoſsibilitatem formalem cũ peccato, poſita qualibet minima in ſubiecto, ab illo expellit formalitèr omnia, quantũuis grauiſsima ſint, quia cum omnibus æquè formalitèr pugnat, ac cum quolibet ſeorſim; ita etiam quia auxiliũ gratiæ ex natura ſua efficax non habet incõpoſsibilitatem formalem, ſed effectiuã cum tentationibus ſubiecti, non quodlibet auxilium efficax omnes tentationes deuincet, ſed illas tantum, quarũ reſiſtentia non ſuperet vires actiuas auxilij: Vnde quod directè peccatũ, & gratia opponantur, indirectè autem auxilium efficax & tentationes ſubiecti, nihil officit, quomin⁹ quælibet gratia quãlibet multitudinem, & grauitatẽ peccatorum formalitèr expellat; nõ ſic autẽ quodlibet auxiliũ efficax deuincat quãlibet multitudinem, & grauitatem tentationum. Cuius tota ratio eſt, quia efficacia gratiæ habitualis ad expulſionem formalem peccati eſt abſoluta pro omnibus ſubiectis grauatis quibuſcũq; peccatis; efficacia autẽ auxilij ad tẽtationẽ efficientèr vincẽdã, nõ eſt abſoluta, ſed relatiua pro hoc, vel illo ſubiecto, cuius tentatio contẽperetur efficaciæ auxilij.

Opponunt quarto. Si auxilium, quod ſemel fuit efficax in vno ſubiecto, nõ ſẽper eſſet efficax in quocumque alio po-

Digitized by Google

neretur, idem indiuiſsibile auxiliū eſſet ſufficiens, & efficax: atqui hoc eſt præcipium Patrum Societatis fundamētū, ex quo deducūt indifferentiam auxilij, & non habere efficaciam ex ſe, ſed à cōſenſu ſub conditione præuiſſo, vt aiebat Molina, vel à contemperie, & congruitate ſubiecti, vt docebat Suarez, & generalitèr omnes ex eadem familia contra Patres ex Dominicana. Ergo non benè cohæret, quod ex vna parte nos dicamus, auxilium habere efficaciam natura ſua, & quod ex alia dicimus, auxiliū, quod ſemel fuit efficax in vno ſubiecto, non ſemper eſſe efficax in quocūq; alio ponatur, ſiuè in codē alitèr tētato. Reſpondeo, quod cum diuerſa ſint hominū ingenia, diuerſas ex eodem principio inferunt concluſiones; quapropter ego libentèr admitto, imò, & defendo principium illud Patrū Societatis, ſcilicèt, quod idem indiuiſsibile auxilium poſſit eſſe ſufficiens, & efficax reſpectu diuerſorum ſubiectorum, & reſpectu eiuſdem diuerſimode tentati; ex hoc autē principio ego non infero ipſorum concluſionem, ſcilicèt, quod auxilium non habeat efficaciam ex ſe, ſed à conſenſu ſub conditione præuiſſo, aut à contemperie, aut congruitate ſubiecti, ſed adhuc cum hoc illorum principio firmus maneo in oppoſita concluſione Thomiſtica, ſcilicèt, quod efficacia auxilij ſit ab intrinſeco, & natura ſua, & non à cōſenſu, vel à congruitate ſubiecti; etenim cum efficacia auxilij non ſit abſoluta, ſed relatiua in ordine ad hoc ſubiectū, vel illud talitèr affectum, & diſpoſitū, qualitèr cōgruit prædictæ efficatiæ, vt iſta, ſcilicèt, poſsit reſiſtentiam ſubiecti deuincere, ſtat optimè, quod efficaciam habeat auxilium ex ſe, & natura ſua, & illam petat exercere in vno ſubiecto, magis quam in alio, in quo ſi poneretur prædictum auxilium, non eſſet efficax, ſed ad ſummum ſufficiens.

Præterquam quod hanc doctrinam expreſsè ex Auguſt. tradidimus in hac q. ar. 2. eam etiam corroborant quā plurimæ Phyloſophiæ inſtātiæ; etenim Sol v. g. virtutem habet efficacem ex ſe, & natura ſua ad liquefaciendum, & indureſcendū, & tamen quia hanc virtutem non habet abſolutam, ſed relatiuā, non eam exercet Sol in quocumq; ſubiecto, ſed virtutē ad liquefaciendum exercet in cera, & non in luto, in quo potiùs exercet virtutem induratiuā: neq; enim ideò ex hoc licèt inferre, talem virtutē accipere Solem à cera, vel a luto, ſed à Deo, qui eam Soli intrinſecam in actu primo tribuit, vt eam tanquam in ſubiecto materiali exerceat in cera, & luto, ſeruata proportione. Calor etiam vt quatuor, v. g. natura ſua, & in actu primo eſt efficax ad deuincēdū frigiditatē vt duo in ſubiecto exiſtentem, non tamen eſt efficax ad diuincendam frigiditatē, vt octo, & licèt illam efficaciam habeat natura ſua, & in actu primo, ſine eo quod eam accipiat à ſubiecto frigido vt duo, in quo exercetur; quia tamē illa efficacia nō eſt abſoluta, ſed relatiua ad ſubiectum talitèr, vel talitèr frigiditate affectū, illam exercet in illo tanquā in cauſa materiali, & nō in alio, in quo frigiditas ſuperet actiuitatē caloris. Ergo ex eo, quod auxilium, quod in vno ſubiecto eſt efficax ad deuincendam tentationem, non ſit efficax in alio, vel in eodem grauiori tentatione oppreſſo, non ſequitur, quod eā efficaciam nō habeat à ſe, & natura ſua, ſed quod eā accipiat à conſenſu, vel diſpoſitione, & congruitate ſubiecti, vt ex eorū, & noſtro principio contra Patres Dominicanos communitèr intendunt colligere Patres Societatis, nam aliud eſt auxilium habere ſuam efficaciam intrinſecam in ordine ad ſubiectum, quod in genere cauſæ materialis reſpicit, aliud eſt ab illo ſubiecto eam emendicare in genere cauſæ, vel formalis extrinſicè, vel efficientis; primum eſt verum, quod nos concedimus, ſecundum falſum, quod Patres volunt Societatis.

Vrgebis. Ergo in noſtra ſententia neceſſariò eſt admittenda ſcientia media, qua Deus præcognoſcat, antequā Petro v. g. auxilium efficax impendat, illum conſenſurum, ſi tali tentatione ſit tētatus, cuius reſiſtentia ab auxilio conferēdo vincatur; cum nō videatur, qua ſciētia poſsit Deus illam veritatem, & propoſitionem conditionatā cognoſcere: non enim illam propoſitionē cognoſcere poteſt ſcientia libera, quia conditionalis illa, conſenſus, ſcilicèt, Petri futurus, ſi talitèr ſit tentatus, & nō amplius, ſupponitur ante decretū Dei conferētis auxilium ad conſenſum, ſi tali tentatione ſit tentatus, & nō maiori; ſiquidē

au-

auxilium non confert Deus, niſi præuiſa Petri tentatione contemperata auxilio: neque etiam videtur poſſe illam conditionalem propoſitionem a Deo cognoſci per ſcientiã naturalem, cum talis propoſitio ſit de futuro Petri conſenſu ſub conditione, quod tali ſit tentatione, & non maiori tentatus, & ſciẽtia naturalis non ſe extendit ad veritates aliquo modo contingentes, ſed ad ſolas neceſſarias.

Hoc arg mihi obijcit. R.P.M. Prado, dum in publicis congreſibus in noſtro Complutenſi Collegio præſiderẽ hanc concluſionem, cui talem reſponſionem dedi, quod nihil minus ſequitur ex noſtra ſententia, ſed illa propoſitio conditionalis certò, & infallibilitèr cognoſcitur á Deo, non ſcientia media inter liberam, & neceſſariam, quæ innititur futuritioni ipſius conſenſus ex ſola voluntatis determinatione pro ſuo arbitratu, quod eſt formaliſsimum obiectum ſcientiæ mediæ, vt ab ipſius Authoribus ponitur; ſed talis propoſitio cognoſcitur a Deo ſcientia omnino naturali innixa eſſentiali, & neceſſariæ rerum connexioni, infallibilique ipſius conſenſus Petri ex vi gratiæ natura ſua & in actu primò efficacis poſitæ ex parte voluntatis in ſtatu conditionato.

Cuius ratio eſt euidens, nam cũ Deus ſua ſcientia naturali cognoſcat auxilia omnia poſsibilia in ſua omnipotentia contenta, & ſimul cognoſcat, quod inter illa auxilia poſsibilia in eius omnipotentia contenta, vna ſint potentiora, & vberiora alijs; & ſimul etiam ſcientia libera cognoſcat, Petrum tali, vel tali tẽtatione tentatum, quæ ſcientia iam ſupponit decretum ſaltim permiſsiuũ, quo Petrum tentari permiſit, facit Deus ex his extremis ſuppoſitis hoc iudicium, & hanc cognitionem ſua ſcientia naturali: ſi ego conferam Petro tentato vt duo auxilium vt tria, vel vt quatuor, ex his, quæ in mea omnipotentia continentur, ſequetur infallibilitèr conſenſus Petri, qui non ſequetur, ſi aliud auxilium vt vnum Petro conferrem; nam futurus Petri conſenſus ex ſuppoſitione talis tentationis, & auxilij eam in virtute actiua ſuperantis, naturalitèr, & neceſſario ſequitur ex ipſa rerum connexione eſſentiali. Neque obſtat, quod conſenſus Petri futurus ſub conditione ſit veritas aliquo modo contingens, nã licèt poſitio conditionis cõtigẽs ſit, aſt poſita ſemel conditione, tam ex parte tentationis Petri, quam ex parte auxilij attemperati tentationi, veritas ſecuta, quæ eſt conſenſus Petri, neceſſaria eſt omnino, & ſicut cognoſcit Deus ſcientia omnino naturali illam propoſitionem conditionalem: *Si Sol luceret, dies eſſet.* Etiam ſi talis propoſitio ſit de aliquo futuro conditionali, & ſit veritas aliquomodo contingens; & etiam cognoſcit ſcientia omnino naturali alteram propoſitionem conditionalem, quod: *Si Sol applicetur ceræ, eam liquefaciet, non autem ſi applicetur luto.* Etiam ſi hæc propoſitio ſit de futuro conditionato, & veritas aliquomodo contingens; ita ſimilitèr etiam ſi conſenſus Petri talitèr tentati ſit infallibilitèr futurus ſub conditione, quod Deus tali vocatione, & auxilio eum vocet, & adiuuet, vt huius actiuitas ſuperet tentationis reſiſtentiam, ſcientia omninò naturali talem conſenſum futurum ſub conditione cognoſcit, quia talis propoſitio, licèt de futuro conditionato, & de veritate aliquomodo contingenti innititur in ipſa rerum connexione, ſcilicèt, quod ſi Petrus efficacitèr vocatus ſit (qualitèr eſt cum auxilio tentationi attemperato) quæ propoſitio in omniũ ſententia, etiam ſi ſit de futuro conditionato, vocationis, ſcilicèt, efficacis, ſcientia naturali cognoſcitur à Deo, & non alia.

In calcè articuli ſubiungo (vt tacita quædam obiectio ſoluatur circa diſtinctionem auxilij ſufficientis ab efficaci) quod in ſubiectis æqualitèr tentatis, ſi vnus vincat tentationem, alio non vincente, eo fuit, quia inæqualia intrinſicè auxilia natura ſua efficacia, & eſſentialitèr diſtincta habuerunt, quia cum omnimoda æqualitate ex parte tẽtationum, & impedimentorum ſubiecti non poteſt ſtare conſenſus, & victoria vnius præ alio ſine maioribus viribus intrinſecis ex parte auxilij vnius præ alio, ratione quarum adæquate ex parte virtutis agendi vnus victoriam reportauit, altero non reportante; in ſubiectis autem inæqualitèr tentatis, etiam ſi vnus tentationem vincat ratione auxilij, altero non vincente; non ideò auxilia inæqualia quoad intrinſeca erunt, neque eſſentialiter diſtincta, ſiquidem idem auxi-

lium quoad ſua intrinſeca, quod in vno ſubiecto tentationem vincit inuariatū prorſus intrinſicè non vincet in alio magis tentato, ac proinde in ſubiectis inæqualitèr tentatis non neceſſariò diſtingui debet auxilium ſufficiens ab efficaci, quamuis auxilium in illo, qui victoriam reportauit, moralitèr poſsit dici nobilius, quam in illo, qui cum eodem auxilio talem victoriam non reportauit, eo ſcilicèt, quia coniunctum fuit ſpecialiori Dei beneuolentia, abſolutoque decreto prædifinitiuo conſenſus dignificanti moralitèr auxilium, vel quia connexum fuit prædictum auxilium abundatiori gratiæ externæ protectionis, qua Deus ita res diſpoſuit, vt non pateretur hominem illum tentari ſupra id, quod poterat ſuperare, gratia internæ inſpirationis intrinſecus ſuſcepta, quod non diſpoſuit in alio.

An gratia habitualis Chriſti fuerit infinita aliquo genere infinitatis?

QVÆSTIO VI.

IN Hac re conceſſerunt omne genus infinitatis gratiæ habituali Chriſti maior in 3. diſt. 13. quæſt. 1. Almainus ibidem, §. *Iſtis ſuppoſitis.* Vbi docet hāc fuiſſe ſuo tempore communem ſententiam Pariſienſium, Lorca 3. part. quæſt. 7. art. 12. diſp. 42. num. 1. Negarunt autem quodlibet genus infinitatis Durandus in 3. diſt. 13. quæſt. 1. & Albertus ibidem art. 7. Media autem via communitèr progrediuntur Authores, aſſerentes, ſecundum vnam rationem finitam eſſe actu, ſecundum aliam vero actu infinitam. Sic tenet commune Thomiſtarum aſſertum, vt refert, & ſequitur Cabrera hic diſp. vnica, §. 4. Medina ſuper artic 11. Sanct Thomæ huius q. 7. Lorca loco ſuperius citato num. 19. & plures Moderni, tam Complutenſes, quos ſequitur Hurtado diſp. 7. diffic. 3. num. 19. quam Salmanticenſes in ſuis manuſcriptis, qui quidem Authores, licèt in concluſione conueniant, in modo tamen eam explicandi in varias diuiſsi ſunt ſententias.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo, id, quod communitèr ad 3. Phyſicorum de infinito docetur, nimirum, quod in illo ordine, in quo eſt infinitum, nullis arctetur terminis, & quod habeat omnem poſsibilem perfectionē in illo ordine, in quo tale eſt; etenim ſicut infinitum ſimplicitèr in eſſe entis, quod eſt ſolus Deus, vltra hoc, quod eſt terminis non claudi, habet omnem poſſibilem perfectionem in omni genere, quia in omni eſt tale; ita infinitum ſecundum quid, quod propriè conuenit rebus creatis, vltra hoc, quod eſt nullis terminis arctari in illo ordine, in quo eſt infinitum, debet etiam habere omnem poſsibilem perfectionem in eodē ordine, in quo tale eſt.

Obſeruo ſecundo ex Sanct. Thom. in hac quæſt. 7. art. 11. gratiam habitualem Chriſti duplicitèr poſſe conſiderari, vno modo ſecundum quod eſt quoddam ens creatum, & participatum; alio modo ſecundum quod habet propriam rationem gratiæ, ſecundum quam ratione non tam attenditur in ipſa, ſua entitas phyſica ſecundum quam propriè dicitur creatum ens; quam quædam dignitas moralis; quam diuiſionem ſolent appellare Thomiſtæ gratiam ſecundum eſſe phyſicum, & ſecundum eſſe morale; hoc autem eſſe morale gratiæ vlteriùs poteſt ſumi duplicitèr, vel ſecundum eſſe morale proprium ipſi gratiæ correſpondens, quod habet in quocumque ſubiecto reperiatur; vel ſecundum eſſe morale deriuatum à ſuppoſito, cum quo coniungitur. Quodlibet autem genus huius moralitatis intrinſecum dicitur ipſi moralitèr, ſed propriſsimè ſolum dicitur primum morale tale, vtpotè non dependens à reſpectu aliquo extrinſeco ad aliud, ſicut ſecundum morale dependet à ſuppoſito, cum quo coniūgitur; ſicut enim ipſa gratia habitualis ſecundum ſe, præſcindendo ab hoc, quod eſt eſſe vnitam ſuppoſito Diuino, dicitur habere eſſe phyſicum ſupernaturale, ratione cuius elicit operationes phyſicè ſupernaturales, & eſſe morale proprium, ratione cuius tales operationes dignificātur, ita vt quæ antecedentèr noſtro mo-

Digitized by Google

do intelligendi ſolum habebant eſſe ſupernaturale phyſicum, iam ex dignificatione morali a gratia prouenientc ſecũdum ſuam dignitatem in actu primo, dicantur in actu ſecundo, non ſolum habere eſſe phyſicum ſupernaturale, ſed eſſe meritorium, & morale; ita etiam gratia habitualis per reſpectum ad Diuinũ Verbum, in quo eſt, & ſuppoſitum tanquam principium *quo* conſtituens humanitatem in eſſe principij *quod* ſupernaturalis operationis phyſicæ, habet eſſe phyſicum effectiuum in actu primo, & ſecundum quod dignificat operationes in eſſe moris, & meritoriè infinite, dicitur habere eſſe morale deribatum ab actu primo. Quibus ſic obſeruatis.

Veritas reſolutorie definita.

ARTIC. II.

Reſolutio prima ſit. Gratia habitualis Chriſti non eſt infinita, & ſumma in eſſe entis, neque in eſſe qualitatis, neque in eſſe phyſico, quæ extrema pro eodem reputant Authores, prout contraponunt illa moralitati, & dignitati illius, ſed eſt finita, ac proinde ſecũdum hanc rationem potuit augeri, ſic communitèr Thomiſtæ, quos citat & ſequitur M. Godoy, diſp. 27. §. 2. num. 9. & 10. & §. 5. num. 83. Primò, quia eſt expreſſa mens Sanct. Thom. in hoc art. 11. Vbi expreſſe docet, eſſe finitam ſecundum rationem entis; quem ſecuntur communitèr Thomiſtæ, & Araujo dub. 3. huius quæſtionis. Ratione autẽ ſic probatur. Gratia habitualis Chriſti ſecundum eſſe entis, qualitatis, & phyſici, non eſt Deus, ſed creatura; nihil autem extra Deum infinitum eſt in eſſe entis, ſiquidem ſolus ille in hoc ordine nullis terminis clauditur, & om ẽ poſſibilem perfectionem imbibit; neque in eſſe qualitatis phyſicæ poteſt eſſe infinita, vtpotè determinata ad certam ſpeciem, & certũ genus, qua ratione, quia Deus coarctatus non eſt genere, & differentia, infinitus dicitur in genere ſubſtãtiæ; & vlteriùs ſicut noſtra gratia hoc modo ſumpta reſpicit ſubiectum finitum, ita gratia habitualis Chriſti finitũ ſubiectum reſpicit. Ergo ſicut ex omnibus his capitibus noſtra gratia habitualis non eſt infinita, & ſumma, ſed in hoc genere finita; ita gratia habitualis Chriſti in eodem genere non erit infinita, & ſumma, ſed finita.

Reſolutio ſecunda ſit. Licèt Chriſtus Dominus habuerit maximam omnium gratiam habitualem in eſſe phyſico, ratione cuius de illo verificari potuerit illud Ioan. 1. *Plenum eſſe gratiæ*, & *de plenitudine eius omnes accipimus*, & non ſolum ratione gratiæ vnionis; potuit tamen hæc gratiæ plenitudo (quæ infinita poteſt appellari negatiuè) de potentia abſoluta augmentnm recipere in eodem genere. Hæc reſolutio ſequitur clarè ex præcedenti, & probatur efficacitèr. Id quod in aliquo genere infinitum non eſt, licèt aliàs perfectiſsimum ſit inter res creatas illius generis, non repugnat augmentum recipere; etenim, vt de charitate docet S. Thom. 2. 2. quæſt. 24. art. 7. non repugnat augmentum in infinitum ex parte cauſæ efficientis, ſiquidem hæc Spiritus Sanctus eſt, qui infinitæ eſt virtutis productiuus; neque ex parte animæ, quæ eſt ſubiectum, hæc enim ſemper eſt in potentia obedientiali ad ſuſcipiendam maiorem, & maiorem charitatem ſine termino; neque ex parte formæ charitatis, nam cum hæc ſit participatio quædam Diuini amoris, qui eſt immenſus, & infinitus, quomodocumque participetur, adhuc eſt magis participabilis. Ergo ſi gratia habitualis Chriſti non eſt ſumma, & infinita in genere entis, qualitatis, & phyſico, in hoc genere augmentum recipere poteſt de potentia abſoluta, licèt de facto ſit ſumma, quæ haberi poteſt.

Reſolutio tertia ſit. Gratia habitualis Chriſti adhuc ſecundum eſſe morale proprium ſuæ entitati præciſſe correſpondens, eſt finita, & augmentum recipere poteſt. Hanc iudico mihi certiſſimam, licèt ſub his terminis à nemine, quem viderim, reſoluatur. Probatur, nam eſſe morale proprium correſpondens præciſsè ſuæ naturæ, idem eſt in Chriſto ac cæteris iuſtis; etenim nobilitas gratiæ habitualis in Chriſto præconſortibus ſuis, ſi de gratia habituali intelligenda ſit, & non ſolum de gratia vnionis, non prouenit illi ex natura gratiæ habitualis ſecundum ſe, ſed ex coniunctione cum tali ſuppoſito, & natura. Ergò ſi attendatur moralis dignitas gratiæ

tiæ habitualis ex ſe, ſecluſſo quouis reſpectu ad ſuppoſitum, vel naturam, æqua eſt in omnibus: atqui in cæteris iuſtis finita eſt huiuſmodi dignitas moralis; finite enim dignificat animam, & operationes ab ipſa elicitas, vt in confeſſo eſt apud omnes. Ergo, & in Chriſto huiuſmodi moralitas propria finita erit, ac proinde capax augmenti, ſaltèm de potentia abſoluta.

Neque ex hac doctrina inferas aliquam contra alteram a nobis pluries datam, nimirũ, quod ſicut ex eo, quod Deitas eſt ſanctitas nobilioris conditionis, quam gratia habitualis, quia verò cum aduenit gratia habitualis in Chriſto, iam reperit humanitatem infinite ſanctam, nihil huius facere gratiam habitualem, licèt ex ſe vim id faciendi habeat; ita ſimilitèr, quia Deitas eſt forma moralis moralitèr dignificãs Chriſti humanitatem infinite, quando peruenit gratia habitualis, nihil propriæ moralitatis, vtpotè inferioris conditionis, humanitati Chriſti tribuere: Nam præterquam quod non dicimus in concluſione, gratiam habitualem moralitatem propriam tribuere humanitati Chriſti, ſed ex ſe illam habere, & poſſe tribuere, ſi aliàs meliori aliqua non eſſet dignificata, eo modo, quo de ſanctitate loquebamur; adhuc tamen, etiam ſi illam tribueret humanitati, nihil contra nos infertur, nam licet moralitas inferioris conditionis non tribuat ſubiecto ſuum effectum formalem æſtimabilitatis moralis, quando illud intelligitur alia moralitate nobiliori ad eandem lineam pertinente; ſecus tamen, quando moralitates ad diuerſas pertinent lineas; moralitas autem a Deitate proueniens eſt moralitas ad lineam æſtimabilitatis moralis, quoad eſſe, pertinentis; moralitas autem gratiæ habitualis, ad lineam æſtimabilitatis moralis, quoad operari, ſine qua non elicerentur operationes morales meritoriæ ab humanitate Chriſti.

Neque ex hac doctrina ſequitur, quod ſi gratia habitualis Chriſti, adhuc ſecũdũ eſſe morale finita eſt, & augmentum recipere poteſt, quod poſsit homo peruenire ad æqualem gratiæ intenſionẽ, quã habet Chriſtus; ac proinde, quod pur⁎ homo eſſe poſſet tã grat⁎ Deo, quam Chriſtus Vnigenitus Filius Patris: nam præterquam quod poterat dici, quod nunquam peruenire poſſet homo ad æqualitatem gratiæ quoad eſſe morale à ſuppoſito deriuatum, ratione cuius præciſſe eſt gratior Chriſtus Deo, quam omnes iuſti; adhuc tamen relicta hac ſolutione, per quam eneruatur euidenter vis argumenti; reſpondeo cum S. Thom. art. 11. ad 3. quod gratia Chriſti, & noſtra ſunt diuerſarũ rationum, & ideo quantumuis creſcat gratia hominis particularis, non poteſt adæquare gratiam Chriſti Domini, ſicut virtus ignis nunquam poteſt æquare virtutem Solis. Imò addo cum Medina hic art. 12. quod quãuis Chriſti gratia, & noſtra ſint eiuſdem rationis, non eſt conſequens, quod poſsit noſtra æquare, quantumcumque creſcat, gratiam Chriſti; ſicut lux aeris non poteſt æquare lumẽ ſolis, licèt ſint eiuſdẽ rationis; nec calor mixtorum calorem ignis; ac proinde neque poteſt reddi Chriſtus minus gratus Deo, quam particularis quidam homo, ſed ſemper erit ita ſuperans in gratia, vt nullus peruenire poſsit ad perfectionem gratiæ, quæ eſt in Chriſto Ieſu, vt deffinitur in Clementina, quam citat Medina loco cit.

Reſolutio tertia ſit. Gratia habitualis Chriſti, ſecundum eſſe morale a ſuppoſito Diuino deriuatum, eſt infinita, & ſumma; ac proinde augmentum recipere implicat. Hanc ſolum iudico intendere S. Thom. in hoc art. 11. cum docet, quod *alio modo poteſt conſiderari gratia habitualis, ſcilicèt, ſecundum propriã rationem gratiæ, & ſic gratia Chriſti poteſt dici infinita; eo quod non limitatur, quia ſcilicèt habet quidquid poteſt pertinere ad rationem gratiæ, & non datur ei ſecundum aliquam certam menſuram, id quod ad rationem pertinet gratiæ*, atqui ſecundum eſſe morale à ſuppoſito deriuatum præciſſe, dicitur non limitari, & non dari ſecundum aliquam certam menſuram (vtpotè eſſe morale ſuppoſiti non eſt aliqua menſura menſurabile) ac proinde ſi datur alicui, ſine certa mẽſura datur. Ergo iuxta S. Thomam ſecundum hanc rationem infinita eſt habitualis gratia, ac proinde augmenti incapax.

Ratione autem ſic probatur noſtra reſolutio. Gratia habitualis Chriſti, ſecun-

cũdum quod includit eſſe morale a ſuppoſit o Diuino deriuatum, eſt ſufficiens principium ſantificatiuum totius generis humani, infinitorum hominum, & mundorum, ſi de facto fuiſſent; & per illam, vt moralitèr dignificatam a ſuppoſito Chriſtus Dominus eliciebat actus infinitè meritorios, & ſatisfactorios; etenim licèt ratio infinitudinis in operibus reperta originalitèr, & tanquam a prima radice, a gratia vnionis duceret ortum; nihilominus non poterat prius non refundi in principio *quo* elicitiuo, vt ex vi huius deriuationis principium eliceret, non ſolum opera ſupernaturalia, & meritoria vt cumque, ad quod vim ex ſua natura habebat, ſed infinitè meritoria. Ergo gratia habitualis Chriſti, ſecundum eſſe morali a ſuppoſito deriuatum, infinitudinem habet, ac proinde augeri repugnat.

Cæterum licèt prædictus modus explicandi infinitudinem gratiæ in eſſe gratiæ ſit communis inter Thomiſtas, & receptus, vt aſſerit Mag. Lorca hic diſp. 42. n. 8. ipſe tamen illum probabilem non reputat, contra quem obijcit ſic. Nam licet verùm teneat, quod humanitas Chriſti infinitè gratificata fuerit a ſuppoſito Diuino, (a quo in eius ſententia ſantificatur) & operationes eius habuiſſent infinitum valorem a ſuppoſito etiam Diuino; non tamen (ait) videtur probabile, id factum fuiſſe hoc ordine, vt ſuppoſitum prius dignificaret gratiam, & à gratia ſic dignificata tribueretur naturæ infinita gratificatio ad merendum, & operationibus eius infinitus valor. Quod probat ſic. Humanitas Chriſti Domini immediate dignificata, & gratificata fuit a ſuppoſito Diuino (ſicut in noſtra ſentẽtia a Deitate) ſiquidem non fuit ſuppoſitum ipſi vnitum mediante gratia. Ergo ab illo ſuppoſito iam habebat infinitam dignitatem, ante quam intelligatur gratia habitualis. Ergo meliori titulo dicendum erat, gratiam dignificatam fuiſſe mediãte humanitate, quam humanitatẽ Chriſti mediante gratia.

Secundo, obijcit ſic. Nam videtur, non poſſe non ſequi circulum in hoc modo explicandi infinitudinem gratiæ nimirum, humanitatem gratificatam fuiſſe infinite per gratiam habitualem, & gratiam habuiſſe infinitam dignitatem ab humanitate; etenim ſicut gratia tribuit hanc infinitudinem humanitati, cui cõiungitur, quia eam habet a ſuppoſito Diuino; ita ſimilitèr humanitas tribuit infinitatem gratiæ, ſiquidem humanitas eam etiam habet à ſuppoſito Diuino. Obijcit denique. Ad minus ſequitur bis eſſe naturam humanam infinite gratificatam, a ſuppoſito, ſcilicèt, & à gratia habituali. Quæ omnia ita abſurda eſſe videntur ipſi, vt propterea improbabilem iudicet ſententiam communem Thomiſtarum.

Verùm hæc argumenta non ita ſunt peculiaritèr contra noſtram, & Thomiſtarum explicationem infinitudinis gratiæ Chriſti in eſſe gratiæ, quod non militent etiam contra ſuam ſententiã. etenim prædictus Author num. ſeq. tribuit etiam infinitatem gratiæ in eſſe gratiæ, quia fuit maxima, quæ poſsibilis erat produci, non ſolum ſecundum legem ordinariam, ſed etiam ſecundũ potentiam abſolutam, vt explicat diſput. ſeq. num. 4. atqui ex huiuſmodi infinitate gratiæ in eſſe gratiæ, ſaltim, ſequitur idem circulus, ſcilicèt gratiam dignificare infinitè naturam, & naturã propter infinitudinem, quam in ſua ſententia habet a ſuppoſito, infinite dignificare gratiam; & vlterius bis etiam eſſe dignificatam infinite naturam, nimirum à ſuppoſito, & à gratia habituali. Ergo prædicta duo poſteriora ſaltem argumenta æque currunt in vtroque modo explicandi infinitudinem gratiæ; ac proinde ipſe etiam ad illa tenetur reſpõdere.

Reſpondeo ergo pro omnibus, & vt ab vltimo incipiam, nullum eſſe inconueniens humanitatẽ Chriſti bis infinite ſanctificari diuerſo genere ſanctitatis, nam à ſuppoſito infinite ſanctificatur ſanctificate ad ordinem eſſentiæ pertinente; a gratia autem habituali ſanctitate infinita ad ordinem naturæ ſpectante, quæ quidem infinitas licèt originalitèr à gratia vnionis deriuata ſit, non tamen potuit illa, vt in gratia vnionis formalitèr exiſtens, infinitum principium conſtituere operatiuum actus meritorij, & ſatisfactorij propter repugnantiam naturæ, quam pluries explicui; vnde circulus ille vitioſus non eſt, quia licèt gratia infinite dignificet naturam in eſſe principij operis infiniti valo-

valoris, non tamen natura infinite dignificat gratiam, ſi ſumatur natura ſecũdum ſe, in quo caſu ſolum vitioſus circulus reperiretur; quod autem natura, ſumpta reduplicatiuè vt ſuppoſitata, dignificet infinite gratiam, non ſolum non argeit vitium aliquod, verum fateri neceſſum iudico, ſiquidem quælibet infinitudo abhoc principio originatur.

Quod verò ſit hoc ordine, vt ſuppoſitum prius dignificet gratiam, quam gratia dignificet humanitatem Chriſti, & non è conuerſo, vt intendebat prima obiectio, ſic explicandum eſt; quod licet ſuppoſitum prius dignificet humanitatem Chriſti dignificatione ad ordinem eſſendi pertinente, quam gratiam habitualem, in qua ſolum poteſt exercere dignificationem ad ordinem naturæ ſpectantem; hoc tamen non tollit, quo minus gratia ſic dignificata dignificet, & conſtituat humanitatem Chriſti in eſſe principij *quod* ſupernaturalis, & infinitæ ſatisfactionis, & meriti; vnaquæque autem, natura, ſcilicèt, & gratia in ſua linea, prior eſt in paſſiua dignificatione ab eadem dignitate actiue originata.

Dubiola quadam breuiter ex pedicta.

ARTIC. III.

Reſolutio prima ſit. Gratia habitualis ſe habet ad gratiam vnionis, vt quid conſequens per modum proprietatis naturalis, & nullo modo antecedens, adhuc ordine naturæ, hanc reſolutionem tenet M. Godoy contra aliquos Authores, diſp. 30. §. 1. num. 12. eſt expreſſa S. Thom. in hac 3. part. q. 2. art. 10. & quæſt. 7. art. 13. in corp. vbi poſtquam probauerat, gratiam habitualem cauſari ex præſentia Diuinitatis, ſicut lumen in aere ex præſentia Solis concludit: *Præſentia autem Dei in Chriſto intelligitur ſecundum vnionem humanæ naturæ ad Diuinam perſonam, vnde gratia habitualis Chriſti intelligitur, vt conſequens hanc vnionem, ſicut ſplendor Solem.* Eam etiam communitèr docent Thomiſtæ omnes; & probatur ratione. Nam ſi aliquo modo, ſaltem ordine naturæ, eſſet antecedẽs maximè, vt eſſet præuia diſpoſitio ad vnionem; adhoc enim ponitur antecedens ab Aduerſarijs, quos citat Hurtado diſp. 6. diffic. 2. atqui nullatenus poteſt eſſe diſpoſitio ad vnionem; etenim nec phyſica, & neceſſaria, vtpotè potuit aſſumi natura irrationalis a verbo, ſinè eo quod in illa natura gratia habitualis præceſſiſſet propter eius incapacitatem; nec moralis, & libera potuit eſſe, ſcilicèt, mouẽdo Diuinam voluntatem, vt intuitu illius liberè gratiam vnionis conferret, quia potius gratia vnionis mouit Deũ, vt intuitu illius tantam, ac copioſam gratiam habitualem humanitati Chriſti conferret. Ergo nullo modo præceſsit, adhuc naturæ ordine, ad gratiam vnionis, ſed conſecuta fuit ipſam.

Confirmatur ex quadam ratione adducta a S. Thom. art. cit. quæſt. 3. Ratio prioris, & poſterioris cuiuſcumque rei reſpectu alterius ex fine illius debet penſari; ſic enim quia finis caloris eſt operatio, vtpote ad lineam operatiuorũ pertinens, poſterior eſt ſubſtantia, quæ ad lineam eſſendorum pertinet, & per illum operationem elicit: Atqui finis gratiæ habitualis, vtpotè habitus, eſt operatio ſupernaturalis, ordinatur enim ad benè agendum, vt ait S. Thom. Ergo ſupponit principium in eſſe conſtitutum, actiones autem ſuppoſitorum ſunt, ac proinde ſupponet gratiam vnionis, à qua Chriſtus vt homo habet rationem eſſendi.

Obijcies. Optimè ſtat, gratiam vnionis eſſe priorem gratia habituali, & gratiam habitualem priorem etiam eſſe in diuerſo genere cauſæ, vt patet in ſententia Thomiſtarum, quam veriſsimam reputo, in qua diſpoſitiones conſequentes formam prioritate naturæ, ſunt antecedentes ipſam in genere cauſæ materialis, & in exemplo adducto a S. Thoma de calore cernere licèt, non obſtante, quod finis eius operatio ſit. Ergo non obſtante, quod finis gratiæ habitualis ſit operatio, poteſt cõponi, quod in genere cauſæ materialis antecedat gratiam vnionis, licèt in alio genere ſubſequatur illam. Reſpondeo, quod licèt non repugnaret, quod gratia habitualis eſſet prior in diuerſo genere cauſæ gratia vnionis, & à contrario ex ratione communi eſſendi poſterior, vt cernere licèt in exemplo poſito iuxta do-

Digitized by Google

doctrinam S. Thom. repugnat tamen, quod aliquomodo ſit prior, quam gratia vnionis, ob rationem peculiarem, ſcilicèt, quia non quomodocumque eſt poſterior, & conſequens gratiam vnionis, ſed *per modum cuiuſdam proprietatis naturalis*, vt docet S. Th. ad 2. proprietas autē naturalis alicuius eſſentiæ, vt proprietas eſt, nunquam eſt diſpoſitio ad illam eſſentiam, potius ſupponit eam iam vltimo in linea eſſendi, nec antecedens, ſed conſequens ordine naturæ, vt patet in intellectu, & volūtate reſpectu animæ. Imò in ipſo calore, qui vt eſt proprietas, & forma quaſi completa in linea accidentali, ſemper eſt poſterior natura forma ignis, licèt aliàs, vt ſe habet per modum formæ in completæ, & diſpoſitiuæ (ſecundum quod munus nō exercet rationem proprietatis) poſſit intelligi antecedens in genere cauſæ materialis ad ipſam formam ignis, de quo latè dixi in libris de ortu, & interitu diſp. 1. quæſt. 4. art. 1.

Neque exinde inferas, poſſe gratiam habitualem antecedere gratiam vnionis, ſaltem ſecundum aliquam rationem, licèt non ſecundum, quod eſt proprietas naturalis, eo modo, quo calor antecedit formam ignis ſecundum aliquam ſui rationem, licèt non ſecundum quod exercet rationem proprietatis; nam vt docet S. Thom. art. hoc citato ad 2. eo calor ſecundum vnam rationem poteſt antecedere, & ſecundum aliam ſubſequi formam ignis, quia forma ignis pertinet ad illa, *quæ ſucceſsiuè perficiuntur, in quibus poteſt id, quod illam perficit, antecedere, & ſubſequi; humana autem natura in Chriſto vnita eſt perſonæ verbi à principio abſque ſucceſsione; vnde gratia habitualis non intelligitur, vt præcedens vnionem, ſed vt conſequens eam, ſicut quædam proprietas naturalis.*

Vrgebis. Priùs eſt in aliquo ſubiecto id, quod commune eſt, quam id, quod proprium eſt ipſi; vt cernere licèt in Petro, in quo priùs eſt eſſe hominem, quā eſſe Petrum atqui gratia habitualis cōmunis eſt Chriſto, & cæteris iuſtis, gratia autem vnionis ſolius Chriſti Domini propria eſt, vt de ſe liquet. Ergo prior eſt aliqua prioritate, ſaltem naturæ, in ipſo habitualis gratia, quam gratia vnionis. Reſpondeo, veram eſſe maiorem propoſitionem, ſi commune, & proprium ſint eiuſdem ordinis, vt probat exemplum de Petro; quando autem commune, & proprium non ſunt eiuſdem ordinis, non neceſſario prius eſt, quod commune eſt, quam quod proprium eſt; gratia autem vnionis non eſt in eodem ordine cum gratia habituali, & ideo licèt illa ſit propria ſolius Chriſti; hæc autem communis Chriſto, & nobis, non ideò hæc erit illa prior, quia ad hoc requirebatur, quod eſſent eiuſdem ordinis, quod non reperitur in Chriſto. Quam ſolutionem tetigit S. Thom. hic art. 13. ad 3.

Reſolutio ſecunda ſit. Gratia habitualis non ſolum fuit connaturalis Chriſto homini, ſecundum quod connaturale dicit id, quod conuenit a natiuitate; ſed etiam ſecundum quod connaturale dicit, eſſe quid eſſentiale per modum principij intrinſeci *quo* ſupernaturaliū operationum. Ratio eſt clara, nam Chriſto homini non ſolum tributa fuit huiuſmodi gratia, qua ratione communitèr dicitur eam ab inſtanti, non ſolū ſuæ natiuitatis, ſed conceptionis, habuiſſe; ſed etiam per illam, tanquam per rationem totalem agendi in ordine radicali ſupernaturali, eſſentialitèr conſtitutus fuit in eſſe principij operatiui *quod* actionum creatarum ordinis Diuini, & ſupernaturalis phyſici. Ergo illa connaturalis fuit ipſi, non ſolum ſumpta connaturalitate primò modo, ſed etiam ſecundo; non enim conſtituere poſſet illum in eſſe principij *quod* eſſentialitèr, & intrinſecè ad operandum in ordine ſupernaturali, niſi illa ab intrinſeco, & eſſentialitèr ipſi connaturalis eſſet per modum principij *quo* in eodem ordine.

Obiicies. Potuit a Chriſto abſolutè abeſſe huiuſmodi gratia; cum enim ſe habeat ad gratiam vnionis, vt quædam proprietas naturalis, vt reſolut. 1. ex S. Thom probauimus, potuit non eſſe cōnaturalis illi, ſumpta connaturalitate pro eſſentia, & pro eo, quod ab intrinſeco conuenit; eo modo, quo cæteræ proprietates ſe habent in ordine ad rem, cuius ſunt proprietates, quæ licèt connaturales ſint illi, ſumpta connaturalitate primò modo non tamen ſumpta ſecundo. Ergo idem dicendum erit de gratia habituali. Reſpondeo, quod licèt gratia habitualis potuerit abſolute abeſſe

Digitized by Google

eſſe à Chriſto, ſi Chriſtus conſideretur in ordine eſſendi, imò, & in ordine operandi per naturam Diuinam, & per naturam humanam actiones moralitèr naturales phyſicè, & ſupernaturales ſolum moralitèr; ſi tamen Chriſtus conſideretur in eſſe operatiuo per naturam humanam actiones phyſicè ſupernaturales, ſicut de facto illas elicuit, nō potuit adhuc abſolutè ab illo huiuſmodi gratia abeſſe. Vnde cum diuerſitate ſe habet ad Chriſtum, ac cæteræ proprietates ad rem, cuius ſunt tales; etenim hæ ad eſſentiam ſe habent connaturalitèr prima ſolum connaturalitate; habitualis autem gratia, ſecunda, ſcilicèt, pro eſſentiali, ſaltèm in eſſe principij; cum enim non ſit in Chriſto aliud, per quod ſit principium eſſentialitèr operatiuum in ordine phyſico ſupernaturali, niſi iſta gratia, ideò eſſentialis, & intrinſeca eſt illi in hoc ordine operatiuo: quando autem dicitur, ſe habere per modum cuiuſdam proprietatis naturalis, intelligẽdum eſt ſic, quod quia ante hanc gratiam intell igimus in Chriſto homine aliam, per quam ſit in eſſe conſtitutus; & poſtea intelligitur, hanc gratiam aduenire illi vt homini, dicitur proprietas naturalis, quia ſequitur eſſentiam in eſſe eſſentiæ; eo modo, quo anima in eſſe principij, *quo viuimus &c.* intelligitur quaſi propietas naturalis ipſius animæ, vt *in eſſe actus corporis phyſici*, &c. conſideratur, quod non tollit, quominus in eſſe principij radicalis operationis eſſentialitèr conueniat homini, v. g.

Reſolutio tertia ſit. Gratia habitualis Chriſti ita copioſa fuit in illo, vt excederet omnem gratiam, tam hominũ quam Angelorum; quod licèt vt incertum iudicet Lorca hic diſp. 42. num. 13. probabile tamen, & pium iudicat, tantam, & maiorem eſſe. Cuius ratio congruentiæ eſt; nam Chriſtus Dominus eſt fons, & caput, qui propinquiùs accedit ad primum fontem totius gratiæ. Ergo veriſsimilitèr credi poteſt in eo fuiſſe tantam, imò maiorem, quam in omnibus ſuis membris, propter immediatum acceſſum ad verum lumen.

Sed de hoc iterum ſermo reddibit diſputatione ſequenti.

DISPVTATIO II.

Circa quæſtionem ſeptimam, & octauam, S. Thomæ.

De gratia capitis, & virtutibus Chriſto conuenientibus.

PRO Diſputationis claritate obſeruo prius; quod licèt S. Thomas, & cum eo communiter Authores, prius de virtutibus Chriſto conuenientibus, quam de gratia capitis ſermonem inſtituāt, ſiquidem de illis in quæſt. 7. art. 2. & deinceps, de hac autem in quæſt. 8 per totam, & locis, in margine vtriuſque quæſtionis egit; quia tamen *Gratia capitis in Chriſto eadem eſt ſecundum eſſentiam, ac perſonalis, qua eius anima eſt iuſtificata, diuerſa ſolum ſecundum rationem.* vt dicit idem Angelicus Præceptor, q. 8. ar. 5. in corp. ideo vt cōpletam relinquamus tractationem de gratia Chriſti, prius libuit de illa ſecundum hunc reſpectum agere, quam de virtutibus, licèt vtrumque ſub hac diſputatione propoſita; quam in duas diuidemus partes; in quarum prima, de gratia capitis ſermonem inſtituemus; in ſecunda verò de virtutibus, quę ad decorem, & pulchritudinem illius animæ ſpectāt. Quo ſic obſeruato.

Prima diſputationis pars, de gratia capitis.

An, & quorum ſit caput Chriſtus Dominus?

QVÆST. I.

IN Hac re, licèt omnes conueniant, & tanquam de fide ſupponant, Chriſtum Dominum, ſecundum quod homo (ſic enim quæſtio intelligitur) eſſe caput totius Eccleſiæ, vt probat S. Th. art. 1. huius quæſt. & cum eo omnes Interpretes, iuxta illud ad Epheſ. 1. *Et ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam:* Quia tamen ad Eccleſiam plura pertinent, nimirum, homines, & inter ipſos iuſti, & peccatores fideles, viatores, & beati, imò, & aliquomodo infideles, & omnium quantum ad animas, & quantum ad corpora; & vlteriùs ad Eccleſiā

An-

Digitized by Google

Angeli pertinere videantur; ideò licèt etiam conueniant Authores, Chriſtum eſſe caput omnium hominum, pro quo videndus eſt Cabrera hic in explicatione art. 1.2.& 3.Sanct. Thom.& Lorca ibid.diſp.44.non tamen omnes aſſerũt, Chriſtum eſſe caput Angelorum; plures enim hoc negarunt, de quorum numero ſunt Antiſiodorenſis lib. 3. ſummæ tract.1.cap. 4. quæſt. 2. Gabriel in 3.diſt.13.ar.3.dub.2.Soto in 4.diſt.49 quæſt.4.ar.2.Driedo de captiuit. & redempt.gen.hum.tract.2.cap. 2.p. 3.ar. 5.licèt hic Author, & Gabriel, abſolutè non negent rationem capitis Chriſto reſpectu Angelorũ, ſed ſolũ quoad influxum in illos; concedunt enim illi rationem capitis ſecundum dignitatẽ, & perfectionem, quatenus omnibus illis Prælatus eſt, vt optimè Lorca aduertit loc.cit.diſp.45.n. 1. Aſt communis ſententia docet, Chriſtum Dominum etiam eſſe caput Angelorum; quam ſecuntur Alenſis, Bonauentura, Ricard⁹, Durandus, Paludanus,& alij quam plures.quos citat, refertq;,& ſequitur Lorca loco citato num.2. non ſolum ſecundum rationem dignitatis, & perfectionis,ſed etiam ſecundum rationem influxus.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo ex S.Thom.in hac quæſt. 8. art.1. quod ſicut tota Eccleſia dicitur vnum corpus myſticum per ſimilitudinem ad corpus naturale hominis, v.g. quod ſecundum diuerſa membra diuerſos habet actus, ita Chriſtus Dominus dicitur caput Eccleſiæ ſecundum eãdẽ ſimilitudinem ad humanum caput: In quo tria poſſumus conſiderar ,ordinẽ, ſcilicèt,& *dignitatem*,quia caput eſt prima,& præcipua pars humani compoſiti;*perfectionem*,quia,nimirum,in capite reſidẽt, & vigent omnes ſenſus, tam interni,quam externi,non autem in cæteris membris; & denique *virtutem*, quia,nimirum, virtus,& motus cæterorum membrorum, & gubernatio eorũ eſt à capite;& quia contingit aliquid dici caput propter vnam ſolam, aut alterã ex his proprietatibus, vt varijs teſtimonijs probat hic S. Th.ideò hæc regula generalis aduertenda eſt, nimirũ, quo plus aliquid participat de his cõditionibus, plus de perfectione capitis participabit.

Obſeruo ſecundo ex eodem S. Th.ar. 3 huius quæſtionis. Differentiam maximam, quæ intercedit inter corpus naturale hominis, & corpus Eccleſiæ myſticum, quod membra illius opportet eſſe ſimul, membra autem huius nõ ita, neq; quantũ ad eſſe naturæ, quia corpus Eccleſiæ conſtituitur ex hominib⁹, qui fuerunt à principio mundi vſque ad finem ipſius; neque quantum ad eſſe gratiæ,quia eorum, qui ſunt in vno tempore,quidam gratia carent, poſtmodũ habituri,alijs eam iam habentibus, & ſecũdum vtramque rationem dicuntur mẽbra corporis myſtici, licèt qui gratia carent minus principalitèr, quam qui illã habent;eomodo,quo in naturalib⁹ corpus minus principalitèr dicitur mẽbrũ cõpoſiti,quã anima;& in ſupernaturalibus,membra, quæ vniuntur per gloriã principalius talia dicuntur, quam quæ per ſolam Charitatem vniũtur, & quæ per iſtam principalius,quam quæ per ſolam Fidem cum capite vniuntur: ſicut ergo in his caſibus non tollitur,quominus omnia hæc abſolutè membra dicãtur corporis naturalis,& myſtici;ita licèt gratia careant, non ideo excluduntur à ratione membrorum vnius capitis Chriſti, qui ſecundum totum tempus mundi tale eſt, licèt ſub hac diuerſitate graduum, vt hic docet S.Thom.ſolum enim infertur ex eo,quod gratia careãt, non eſſe mẽbra viua, quod à gratia prouenit.

Obſeruo tertio cum Vazquez hic cap. 1.§.*Vera ſententia*, & Lorca etiam hic diſp.44.n 6. controuerſiam eſſe de voce: An Chriſtus dicatur ſimul caput,& membrum; nam licèt 1. ad Chorinth. 12. dicatur: *Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro.* Ex quo loco aliqui colligunt, eſſe Chriſtũ etiã mẽbrũ, aliàs non dicerentur membra de membro; hic tamen locus plures habet apud Patres expoſitiones, quæ videri poſſunt apud huiuſmodi Authores locis citatis, iuxta quas quæſtio videtur de nomine; nã ſi nomine Eccleſiæ intelligatur corp⁹ prout diſtinguitur cõtra caput, nõ poteſt Chriſt⁹ dici mẽbrũ; ſicut nec in naturalibus caput poteſt dici membrũ corporis, ſi corpus intelligatur pro omnib⁹

partibus a capite; ſi autem nomine corporis intelligatur totum aggregatum ex alijs membris, & capite, ſic optimè poteſt dici Chriſtum membrum Eccleſiæ, eo modo, quo in naturalibus, caput etiam dicitur membrum corporis, ſi corpus intelligatur pro aggregato ex omnibus partibus, & capite. Præterquam quod, ſi locus ad Corinth. intelligatur ſecundum diuerſam rationem, & reſpectu diuerſorum, nō videtur poſſe negari, Chriſtum Dominum, & caput dici, & membrum nuncupari; nam ſicut in naturalibus id, quod eſt caput reſpectu vnius familiæ, dicitur membrum reſpectu Rectoris ciuitatis; ita per hunc modum, vt ait S. Thom. ar. 1. ad 2. *Nihil prohibet, caput Chriſti eſſe Deum, ac proinde Dei membrum, cum tamen ipſe Chriſtus ſit caput Eccleſiæ.* Quibus ſic obſeruatis.

Reſolutio quæſtionis quoad homines, tam quoad animas, quam quoad corpora.

ARTIC. II.

Reſolutio noſtra ſit. Chriſtus Dominus, vt homo, eſt perfectiſsime caput totius Eccleſiæ, prout includit omnes homines in diuerſis temporibus extituros, non ſolum quantum ad eorum animas, ſed quantum ad eorum corpora; licèt diuerſimode tale dicatur, iuxta diuerſitatem perfectionis naturalis, aut ſupernaturalis membrorum, iuxta modum explicatum art. præced. §. *Obſeruo ſecundo.* Eſt expreſſa apud omnes Theologos ſequentes S. Thom. q. 8. art. 1. 2. & 3. vbi omnes partes reſolutionis noſtræ eruditè explicat. Probatur etiam præclaro teſtimonio Auguſt. in explicatione Pſal. 36. in hæc verba prorrumpentis: *Caput noſtrum Chriſtus eſt, corpus capitis illius nos ſumus: nū quid ſoli nos, & non etiam illi, qui fuerunt ante nos? omnes, qui ab initio ſæculi fuere iuſti, adiunctis etiam legionibus, & exercitibus Angelorum, vt illa vna ciuitas fiat ſub vno Rege, & vna prouincia ſub vno Imperatore.* Qui locus expreſſus eſt, etiam pro reſolutione articuli ſubſequentis.

Probatur ratione, & ſimul explicatur reſolutio; nam id eſt perfectiſsimè caput reſpectu alicuius, quod reſpectu illius habet, & exercet tres conditiones requiſitas ad caput relatas art. præced. §. *Obſeruo primo.* Iuxta doctrinā S. Th. art. 1. Atqui Chriſtus Dominus, vt homo, omnes illas exercet reſpectu totius Eccleſiæ, prout includit omnes homines in quocumque tempore extituros, non ſolum quantū ad eorū animas, ſed etiā corpora; licèt diuerſimode iuxta diuerſitatem gradus perfectionis. Etenim rationem *ordinis, & dignitatis* exercet reſpectu quorūcūq; quia in Eccleſia eſt dignior pars, & perfectior, ad quā omnes aliæ partes ordinem dicunt, cognoſcendo ſuam indignitatem cōparatione illius: rationem etiam *perfectionis,* quia in omni genere perfectionis perfectiſſimus eſt præ cæteris, iuxta illud: *In quo omnis plenitudo gratiæ, & donorū inhabitat.* Non autem in alia parte huius corporis myſtici reperitur: rationem denique virtutis influendi etiam exercet, nam licèt virtus influendi motus ſuper naturales per modum cauſæ principalis à Deo ſit, per modum autem inſtrumentalis à Chriſto Domino media eius humanitate: *In quantum humanitas inſtrumentum fuit Diuinitatis eius.* Vt inquit S. Th. ar. 1. ad 1. Quod autē diuerſimode illas exerceat reſpectu diuerſorum hominum, videlicèt, fidelium, aut infidelium, ſicut reſpectu animarū, & corporum, ſolum arguit non eſſe eodē modo caput omnium in quocumq; ſtatu, non autem abſolutè negat rationem capitis, vt liquet ex illo 1. ad Thimot. 4. *Saluator omnium hominum, & maximè fidelium.* Et ex illo 1. Ioan. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantum, ſed etiam pro totius mundi.* Ergo Chriſtus Dominus vere caput eſt omnium hominum in quocumq; tempore exiſtentiam, & animarum, & corporū, ſecundum diuerſitatem explicatam.

Nec valet, ſi obijcias illud de primis Parentibus communitèr adductum, quorum videtur Chriſtum non poſſe eſſe caput, ſaltèm in ſtatu innocentiæ, ex eo quod in illos non influxit illam fœliciſsimam ſtatus innocentiæ gratiam, iuxta communiorem ſententiam Thomiſtarum, in qua non fuit illis collata ex meritis Chriſti: Nam licèt hæc ſententia vera ſit (quod modo non definio, iā enim de hoc diximꝰ ad q. 1. diſp. 1. q. 6. ar. 4 a §. *Opponunt ſexto.* Plures etiā grauiſsimi Thomiſtæ aſſerunt, collatam fuiſſe ex me-

meritis Chriſti in intentione Dei præui ſis) adhuc tamen non poteſt, aut debet negari Chriſto homini ratio capitis in illo ſtatu; ſolum enim ſequitur non eſſe caput perfectiſsimum, iuxta omnes cõditiones ſupra poſitas, non autem non eſſe tale abſolutè ſecundum *dignitatem, & ordinem*, quatenus ordinabantur ad vnum ſupernaturalem finem cum Chriſto Domino, in ordine ad quem finem maiorem dignitatem, & perfectionem habebat; ac proinde erat ſufficiens ratio ad hoc, quod caput eorum diceretur, licèt non in omni ſenſu, vtpotè deficiebat illi ratio influxus originalis iuſtitiæ; neque enim, vt dicatur caput abſolutè, neceſſarius eſt influxus ſpiritualis vitæ; etenim, vt aſſerit Lorca hic diſp 45. num. 15. Chriſtus Dominus eſt caput omnium naturalium rerum ratione imperij, & ſupremæ poteſtatis, quam ſupra omnia habet, ratione cuius imperabat ventis, & mari, & obediebãt ei, & tamen non habebat influxum ſpiritualis vitæ; & ſic etiam dici poteſt caput infidelium, imò, & damnatorum.

Pro quo non abſre erit doctrina, quæ modo mihi ocurrit, nimirum propriſſimé Chriſtum eſſe caput, quaſi polyticum, quatenus imperat, & poteſtatẽ habet, damnatos in perpetuis cruciatibus conſeruare, vtpotè eorum Iudex iuſtus; nam licèt S. Thom. art. 3. in fine corp. doceat: *Eos totaliter deſinere eſſe mẽbra Chriſti*. Ly *totalitèr*. Solum negat rationẽ membri ſpiritualis, tam actu, quã potentia, de quo ſolum eſt ſermo in ar. & de quo etiam plura Patrum teſtimonia loquntur, quia, nimirum, iam non ſunt in potentia adhuc, vt Chriſto vniãtur in eſſe ſpirituali, non tamen negat rationem membri abſolutè; ac proinde nec Chriſto debet negari ratio capitis abſolutè, ſecundum rationem imperij, & ſupremæ poteſtatis qua illos detinet in perpetuis cruciatibus, ſed potiꝰ, imò & rigoroſius pro illo ſtatu damnationis exercet illam rationem capitis circa illos, quam circa alios, qui ſibi vniuntur; ſicut in corpore monaſtico, v.g. Religionis Superior dicitur caput totiꝰ cõmunitatis, & circa aliquas perſonas illius, ſi prudentèr ſe gerere ſciat, maiori connatu, & minori cum formidine exercet vim, quam habet capitis imperã di, coercendi, puniendi, & alia huiuſmodi propria iudicis, & capitis, quã circa alias, vtpotè maiori cũ aliaqua reuerentia (ſi conditionalem poſitã ſeruet,) ſe gerere debet cũ ſubditis in dignitaribus præ alijs cõſtitutis; etenim quo magis dignitas ſubditi creſcit, eo minui videtur, quoad humanã æſtimationem (in qua cõſiſtit moralitas capitis, & mẽbri, ſecundum rationem imperij, & guuernationis exterioris) ratio ſubiectionis ad ſuperiorẽ, & ratio capitis à ſuperiore aliqualitèr quoad æſtimationẽ videtur abdicari; licèt abſolutè ſit verum ſemper, eſſe caput cuiuſcumq; perſonæ communitatis. Ex quo etiam exẽplo videtur non eſſe ita rigoroſe Chriſtum caput primorum Parentum ſecundum rationẽ influxus ſpiritualis (ſi vera eſt ſententia, non influxiſſe in illos aliquid pertinens ad vitam hanc) vtpotè tam in naturalibus, quam in ſupernaturalibus, ita digni conſtituti fuerant immediatè à Deo, vt licèt dignior ſemper Chriſtus præ illis fuerit, qua ratione ſufficit, vt abſolute caput eorũ eſſet; nihilominus non ita perfectè eſſet caput eorum, quã cæterorum hominum, quia nimirũ accedere videbantur ad dignitatem Chriſti propinquiori quodãmodo præalijs. Eo enim probat S. Thom. art. 4. Chriſtum eſſe caput Angelorum non ita propriè, ac hominum: *Quia propinquius ſe habet ad Deum, & perfectius participat dona ipſius, non ſolum quam homines, ſed etiã quam Angeli*. Ergo ſi Angeli propinquiores ſunt Chriſto, quam homines, non ita propriè erit caput Angelorum, quam hominum Eo enim Angeli minꝰ habent rationem membri, quia propinquius accedunt ad dignitatem, & perfectionem Chriſti; eo enim etiam abdicari videtur ratio membri reſpectu capitis, quo magis membrũ accedit ad perfectionem, & dignitatem capitis: ac per conſequens, quia parentes primi propinquiori modo ſe habebant ad dignitatẽ, & perfectionem Chriſti, minus participabant de ratione membrorum, quam cæteri homines, qui non ita perfecte accedunt ad Chriſti dignitatem; ac per conſequens, cum ſufficienti ratione vt quaſi abdicetur à capite in morali æſtimatione ipſa ratio capitis aliqualitèr reſpectu horum membrorum.

Reſoluitur quæſtio quoad Angelos.

ARTIC. III.

RESolutio prima ſit. Chriſtus Dominus eſt vere, & propriè caput Angelorum, ſecũdum rationem perfectionis, & dignitatis, & ſecundum influxum imperij, & exterioris gubernationis. Eſt de fide reſolutio apud Lorc. loc. ſuperiꝰ cit. & apud M. Godoy diſp. 29. §. 6. nu. 91. iuxta illud Matth. vlt. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra.* Et iuxta illud etiam Matth. 4. *Acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.* Quod nequit intelligi, niſi ſecundum rationẽ perfectionis, & dignitatis, & externæ gubernationis Chriſtus Dominus caput eſſet illorum; neque enim quis miniſtrare conſueuit, quem non cognoſcit perfectiorem, & digniorem, ſaltèm quoad eſſe gubernationis externæ, ſcilicèt, ratione officij.

Reſolutio ſecunda ſit. Chriſtus Dominus propriè eſt caput Angelorum, quatenus eſt caput Eccleſiæ, in qua Angeli includuntur. Eſt etiam certiſsima reſolutio & vt aduertit Lorca diſp. 45. num. 4. abſque temeritatis nota negari non poteſt; quam probat aliquibus Sacræ Scripturæ teſtimonijs; pro qua facit, & ſufficit modò authoritas Auguſtini à nobis adducta artic. præced §. *Reſolutio noſtra.* Adiuncta ratione S. Th. in hoc artic. quæ talis eſt. Vbi vnum eſt corpus, neceſſe eſt, vnum conſtituere caput illius: Atqui Eccleſia fit vnum corpus myſticum ex hominibus, & Angelis; etenim tunc fit ſimilitudinariè ad corpus naturale vnum corpus myſticũ, quando datur aliqua multitudo ad aliquem, & eundem finem ordinata ſecundum diuerſos cuiuſcumque membri actus; idem autem eſt finis, ad quem ordinatur multitudo hominum, & Angelorum, ſcilicèt, fruitio Dei. Ergo tota hæc multitudo conſtituit vnum corpꝰ; ac perconſequens, Chriſtus conſtitui debet huius corporis caput.

Si autem dicas, non conuincere argumentum quoad Angelos, eo quod Angeli non ſunt eiuſdem naturæ cum Chriſto, quales ſunt homines, quod requiritur ad rationem capitis, & membri. Contra eſt. Nam non poteſt negari, Deum propriſsimè eſſe caput, tam hominum, quam Angelorum; & nihilominus non eſt Deus eiuſdem naturæ cum illis. Ergo licèt Chriſtus non ſit eiuſdem naturæ cum Angelis, poterit eorũ eſſe caput propriè: & ratio vtriuſque eſt, quia ad rationem capitis ſufficit conformitas in natura intellectuali cũ membris, vt inquit Sanct. Thom. loc. cit. ad 1. *Ratione huiꝰ conformitatis Chriſtus dici poteſt caput Angelorum, licèt deficiat conformitas, quantum ad corpus.* Præterquam quod poteſt dici cum eodem Sanct. Th in 3. diſt. 13. q. 2. art. 2. *Quod licèt abſolutè caput ſit Angelorum, non tamẽ ita propriè ac hominum; quia cũ hominibus conuenit etiam ſecundum ſpeciem in natura; cum Angelis autem non ſecundum ſpeciem, ſed ſecundum genus.*

Reſolutio tertia ſit. Chriſtus Dominus eſt caput Angelorum propriè, etiã ſecundum rationem influxus, ſcilicèt, ſpiritualis, licèt non ita propriè, ac eſt ſecundum hanc rationem caput hominum. Sic tenet R. & Illuſtriſ. M. Godoy loco proxime citato num. 95 Hæc reſolutio tantum habet certitudinis, quantum habet opinio, quæ aſſerit gratiam non eſſe collatam Angelis ex meritis Chriſti. Eſt expreſſa Sanct. Thom. pluribus in locis, vt quæſt. 29. de verit. art. 1. ad 5. & art. 4. ad 5. Vbi non tribuit Chriſto alium influxum in Angelos, quam illuminationem, & expreſſius in 3. diſt. 13. quæſt. 2. artic. 2. quæſtiunc. 1. poſtquam ſtatuit concluſionẽ eiſdem ferè verbis, ac nos ipſi ſtatuimꝰ, probat: *Secundo ſic, quantum ad influentiam, quia non influit in Angelos, remouendo prohibens, aut merendo gratiam, aut orando pro eis, quia iam Beati ſunt, ſed in his, quæ ad actus hierarchicos pertinẽt, ſecundum quod vnus Angelus illuminat alium, purgat, perficit, vt in 2. diſt. 9. art. 2. dictum eſt,* & concludit: *Hoc enim multo eminentius à Chriſto recipiunt.*

Ex quibus verbis ſic compono diſcurſum; Sanct. Thomas aſſerit, quod licèt Chriſtus Dominus non influat in Angelis gratiam, ſicut in hominibus, nec pro illis oret, ſicut pro iſtis; nihilominus tamen aliquem influxum ſpiritualẽ con-

concedit Angelis à Chriſto deriuatum, ſcilicèt, eminentialis ille modus illos illuminandi: Quam influentiam etiam concedit in hoc art. 4. dicens: *Dectius influentia non ſolum homines recipiunt, ſed etiam Angeli.* Atqui Chriſtus, ideo habet rationem capitis reſpectu hominū ſecundum rationē influxus ſpiritualis, quia influit in illos dona ſpiritualia, gratiæ, ſcilicèt, & donorum. Ergo quia in Angelos influit ſpiritualem illuminationem eminentiori illo modo, erit caput eorum ſecundum rationem influxus ſpiritualis: quod autem non influat in illis, ſicut in hominibus, rationē gratiæ, & aliorum donorum (iuxta illam ſententiam) ſolum arguit, non exercere circa Angelos tam propriam capitis rationem, ſecundum rationem influxus ſpiritualis, ac circa homines.

Pro quo, & totius huius quæſtionis maxima intelligentia, hanc quæſo perpendite doctrinam. Quod ſicut in republica humana, v.g. communitatis alicuius Religionis (ſi benè ordinata, & directa ſit) ſuperior, (qui caput eſt cuiuſcūque perſonæ illius) circa diuerſas perſonas, iuxta proprias vniuſcuiuſque dignitates, & officia, diuerſimode munus capitis, quoad externam gubernationem, exercet; eo quod communitatis membra nunquam paria ſunt, quod ſufficit, vt dicatur, quaſi abdicari aliquid capitis à ſuperiore in ordine ad varias perſonas; quo enim magis vileſcit membrum, magis creſcit in æſtimatione hominum ratio capitis, ac proinde, quod exerceat totam vim coactiuam, & directiuam, quam habet, nihil nouitatis, & admirationis in aliorum animos cauſat; & quo magis membrum in dignitate creſcit, (à quocumque proueniat huiuſmodi dignitas) minui videtur in hominum æſtimatione ratio capitis reſpectu illius membri, eo quod quo magis accedit ad dignitatem capitis, magis participat de illa, & abdicat à propria, vt ex S. Thoma art. præced. probauimus, ac proinde quod exerceat totam ſuam vim directiuam, & coactiuam in exteriori gubernatione caput cum hoc membro, tantam nouitatem, & admirationem cauſare ſolet in aliorum animis, vt quam pluries pax, ita in communitatibus neceſſaria, corruat.

Ita ergo in propoſito in hac Eccleſiæ republica, quia Diuino modo ordinata eſt à ſupremo omnium capite Deo, à quo Chriſtus Dominus conſtitutus eſt caput illius in ordine ſpirituali, diuerſimode ſe habet circa diuerſa membra; etenim licèt tam homines, quam Angeli ſint huius capitis membra, ſecundum omnem rationem dignitatis, perfectionis, & influxus ſpiritualis, aliter, tamen, & alitèr; homines enim ſunt membra vilioris conditionis, quam Angeli, eo quod ſicut Chriſtus propinquius accedit ad verum caput ſuper omnia Deū, quam Angeli, ita Angeli propinquius accedunt ad Deum, quam homines, nō mirum, quod Chriſtus circa homines propriſsimè rationem exerceat capitis, vtens ſua dignitate, & gubernatione maxima ſpirituali influendo in illos, non ſolum dona aliqua ſupernaturalia, ſed gratiam, & gloriam eſſentialem: Angeli autem cum in hac Eccleſiaſtica republica grauiſsima membra ſint, & præ hominibus nobilitate præditi, non mirum, quod licèt abſolutè caput eorū etiam ſit, non ita propriæ exerceat capitis rationem, non ſolum ordine perfectionis, & dignitatis, ſed nec influxus ſpiritualis, influendo in illos, non gratiam, & gloriam eſſentialem, ſed tantum illuminationem aliquam ſupernaturalem, & aliquam gloriam merè accidentalem; etenim quo magis membra participant de perfectione capitis, eo in morali æſtimatione abdicari videtur à capite aliquid illius circa membra: & ob id Sanct. Thom. in 3. loc. cit. in hoc art. 3. §. *Reſolutio tertia.* Probauit Chriſtum non ita propriè eſſe caput Angelorum, ac hominum, quia nimirum ſciebat, Angelos, vtpotè ita nobilitate præditos ſpiritualitèr, non indigere, nec dirigi debere æquali directione in eſſe ſpirituali, ac homines vilioris conditionis, ſed ſolum aliquali illuminatione ſpirituali.

In calce articuli ſubiungo, cum M. Godoy loco citato num. 125. & 126. Luciferum ſupremum omnium Dæmonum, eſſe caput omnium malorum quoad externam gubernationē, eo modo, quo quilibet Prælatus eſt caput multitudinis ſibi ſubiectæ, vt docet S. Th. hic ar. 7. cuius ratio eſt, quia ad gubernatorem pertinet eos, quos gubernat,

nat, ad ſuum finem perducere, finis autem ſupremi Dœmonis eſt auertere a Deo creaturam rationalem, qui finis eſt eius. Imò etiam Anthichriſtus caput dicitur omnium malorum, ſaltem ſecundum malitiæ perfectionem præ omnibus, quod etiam docet S. Thom. art. 8. ex illo ad Theſalon. 2. *Oſtendens ſe tanquã ſit Deus.* vbi Gloſſa Ordin. ibid. *Sicut in Chriſto omnis plenitudo diuinitatis inhabitauit, ita in Anthichriſto omniũ malitiarum plenitudo; non ita, quod humanitas eius ſit aſſumpta a Diabolo in vnitatem perſonæ, ſicut humanitas Chriſti a Filio Dei, ſed quia Diabolus ſuam malitiã ei influit ſuggerendo præ omnibus alijs.* Aliqua autem, quæ contra huiuſmodi dicta afferri ſolent, fere ſoluta manent ex dictis a nobis in quæſt. hac, & clarius in S. Thom. duobus art. citatis.

A quanam gratia habeat Chriſtus Dominus rationem capitis?

QVÆSTIO II.

IN Hac re fere communis eſt Theologorum ſenſus, Chriſtum Dominum habere rationem capitis à gratia habituali. Sic Alenſis 3. par. quæſt. 11. memb. 3. Bonauentura in 3. diſt. 13. art. 2. quæſt. 2. Ricardus, & alij, quos refert Lorca hic diſp. 46. num. 2. & partim ſequitur num. 6. idem docet R. & Illuſtriſ. M. Godoy diſp. 28. §. 4. num. 39. A gratia verò vnionis eſſe Chriſtum Dominum caput, docuerunt Vazquez hic diſput. 48 Suarez diſp. 23. Raguſa quæſt. 8. art. 5. Hurtado diſp. 7. diffic. 25. quos etiam in parte ſequitur idem Lorca loco citato. A quo poteſt deduci ſententia media inter vtrãque, ſcilicèt, quod gratia capitis componatur ex vtraque gratia, ab habituali, vt a principio eliciente ſubſtantiã actus meritorij & a gratia vnionis, vt cauſante dignitatem infinitam meritoriã, ſic tenet Granados contr. 1. de incarnat. tract. 7. diſputat. 6. concluſ. 4. pro illa referens Valentiam, & alios, & ad hanc ſententiam poteſt reduci M. Ioan. a S. Th. quatenus hic diſp. 10. ar. 1. docet, quod gratiam Capitis habet Chriſtus a gratia habituali, non ſecũdum ſe præciſſe, ſed vt coniuncta ad perſonam diuinam, ſeu gratiam vnionis, & fere idem tenet noſter Auerſa hic quæſt. 8. ſect. 2.

Quæſtionis preambula.

ARTIC. I.

PRO Quæſtionis intelligentia obſeruo prius id, quod ex S. Thom. in hac diſp. obſeruatum reliqui, nimirum eandem eſſe ſecundum eſſentiam in Chriſto gratiam capitis, & gratiam ſingularis perſonæ, diuerſam ſolum ſecundum diuerſos reſpectus; imò, & gratia vnionis eadem eſt cum vtraque ſecundum rem, & eſſentiam, diuerſa ſolum ſecundum rationem, quod etiam obſeruauit Angelicus Præceptor; tum in diſput. quæſt. 29. cuius titulus: *Num in Chriſto requiratur aliqua gratia habitualis, ad hoc vt ſit caput?* in concluſsione, & in corp. per hæc verba, *Vna, & eadem gratia* habitualis in Chriſto dicitur gratia vnionis, in quantum congruit naturæ Diuinitati vnitæ, & capitis, in quantum per eam fit refuſsio in alios ad ſalutem, ſingularis verò perſonæ, in quantum ad opera meritoria *proficiebat.* Tũ etiam in 3. diſt. 13. quæſt. 2. art. 2. in reſponſione ad quæſtiunculam primam, in quibus locis, licèt etiam confundat gratiam vnionis cum duabus alijs aſsignatis, non tamen ita propriè conuenit eſſe idem cum illis ſicut ipſis conuenit inter ſe; nam vt explicat quæſt. 8. huius 3. partis art. 5. ad 3. *Gratia perſonalis, & gratia capitis conueniunt in eſſentia habitus, eo quod vtraque ordinatur ad aliquem actum, non autem gratia vnionis, cum non ordinetur ad actum, ſed ad eſſe perſonale, ſed quodammodo poteſt dici eadem cum illis, ſcilicèt, prout facit congruitatem quãdam ad vnionem.* Vt ipſe explicat conformiter ad verba relata. Quo ſic obſeruato.

Deciditur reſolutorie quæſtio.

ARTIC. II.

REſolutio prima ſit. Chriſtus Dominus habet rationem capitis ſecundum dignitatem, & excellentiam à quacumque ex his aſsignatis gratijs. Ratio eſt clara, nam ſecundum quamlibet ſuperat dignitate, & excellentia cæteros quoſ-

Digitized by Google

quoſcumque iuſtos, iuxta illud: *In quo habitat omnis plenitudo Diuinitatis*. Ergo intentum.

Reſolutio ſecunda ſit. Chriſtus Dominus habet rationem capitis, ſecundum influxum, tam à gratia vnionis, ſcilicet, Deitate, quam à gratia habituali: Primo, quia eſt expreſſa mens S. Th. In diſput. loc. ſup. cit. ad 1. vbi poſtquā diſtinxit duplicem plenitudinem in Chriſto, ſcilicet, diuinitatis, & gratiæ, ſecundum quam dicitur plenus gratiæ, concludit: *Hæc autem ſecunda* (ſcilicèt gratia habitualis) *a prima deriuatur* (ſcilicèt a Deitate) *& per eam gratia capitis completur*. Quæ vltima verba ſic pondero. Gratia capitis in Chriſto, à qua omnes accepimus, completur per habitualem. Ergo habet rationem capitis, tam à gratia vnionis, ſcilicèt Deitate, à qua deriuatur habitualis, quam ab hac habituali deriuata; non enim, hæc poſſet complere gratiam capitis in Chriſto, niſi ſupponeretur cum aliqua gratia capitis, qua compleretur; ſicut ſubſiſtentia non compleret ſubſtantiam in eſſe ſubſtantiæ, niſi ſupponeret illam formalitèr in eſſe ſubſtantiæ.

Secundo ratione ſic. Ratio capitis ſecundum rationem influxus illa dicitur, ratione cuius influit caput in eius membra, vt in capite monaſtico videre licèt: atqui niſi Chriſtus haberet ſibi vnitam Deitatem, non influeret in eius membra dona ſupernaturalia gratiæ: *Interior autem influxus gratiæ, non eſt ab* aliquo niſi à ſolo Chriſto; cuius humanitas, ex hoc quod eſt Diuinitati coniūcta, habet iuſtificandi virtutem, inquit S. Thom, in hac quæſt art. 6. nec ſi caret gratia habituali, eius virtus influendi exerceretur in mēbra; ratione enim huius gratiæ nobis meruit Chriſtus Dominus dona ſupernaturalia, tanquam per rationem influēdi per modum principii *quo* phyſicè ſupernaturalis, & ab hac omnes accepimus, iuxta illud Apoſtoli ad Coloſenſes. 1. vt explicat S. Th. cum communi Patrum loc. cit. Ergo tam à gratia vnionis, ſcilicèt Deitate, quam ab habituali habet Chriſtus Dominus rationem capitis ſecundum influxum.

Reſolutio tertia ſit. Ratio capitis in Chriſto ſecundum influxum proueniens a Deitate non eſt eodem modo, ac ratio capitis ſecundum influxum proueniens à gratia habituali. Hæc reſolutio ſola explicatione indiget. Etenim ratio influxus (in exercitio, de quo ſolum eſt ſermo) in Chriſto capite proueniens a Deitate ſibi vnita, ſolum eſt moralis, quatenus ratione huius coniunctionis eliciebat opera infiniti meriti in nos, ſi aliàs poſſibile eſſet; influxus autem proueniens a gratia habituali, eſt ſupernaturalitèr phyſicus, quatenus ratione illius eliciebat opera phyſicè ſupernaturalia, & meritoria præmij proportionati in ordine ad nos, tanquam ad membra; nam vt inquit S. Thom. loc. cit. in diſp. ad 4. *Quamuis meritum Chriſti quandam infinitatis rationem habeat ex dignitate perſonæ*, (ſcilicèt in eſſe morali) *tamen rationem meriti habet à gratia habituali, ſinè qua meritum eſſe non poteſt*, ſcilicèt, ſecundum eſſe phyſicum ſupernaturale.

Reſolutio quarta ſit. Licèt ratio capitis, ſecundum rationem influxus interioris, ſolum ſit proprium Chriſto, ſecundum quod influit in membra intrinſeca dona ſupernaturalia; ſecundum rationem autem influxus quaſi extrinſeci, mouendo, & perſuadendo ad ea, quæ ſunt gratiæ, etiā alijs à Chriſto conuenit, nimirum, Prædicatorib⁹, & alijs huiuſmodi: & vlterius quoad exteriorem gubernationem Eccleſiæ ratio capitis etiam conuenit alijs à Chriſto, nempè, Summo Pontifici reſpectu totius Eccleſiæ, Epiſcopis in ſuis Diœceſibus, & ſic de alijs. Quam doctrinā expreſſit clarè Sanct. Thom. art. 6. huius quæſt. vbi expreſſit modum, quo differentèr conueniat ratio capitis reſpectu Eccleſiæ Chriſto, ac alijs per hæc verba: *Primo quidem quantum ad hoc, quod Chriſtus eſt caput omnium eorum, qui ad Eccleſiam pertinent, ſecundum omnem locum, tempus, & ſtatum: alij autem homines dicuntur capita, ſecundum quæda m ſpecialia loca, ſicut Epiſcopi ſuarum Eccleſiarum; vel etiam ſecundum determinatum tempus, ſicut Papa eſt caput totius Eccleſiæ tempore ſui Pontificatus; & ſecundum determinatum ſtatum, ſcilicèt, prout ſunt in ſtatu viatoris. Alio modo, quia Chriſtus eſt caput Eccleſiæ propria virtute, & authoritate, alij vero dicuntur capita, in quantum vicem gerunt Chriſti.*

DIS-

Digitized by Google

Diſputationis ſecunda pars.

De virtutibus Chriſto conuenientibus. Quænam virtutes animæ Chriſti conueniant?

QVÆST. III.

IN Hac re varij varia dixere iuxta varietates virtutum, quod videri poteſt apud Authores, præcipuè Lorca hic diſp. 38. & noſter Auerſa hic quæſt. 7. ſect. 2. omnes tamen conueniunt, virtutes illas cuiuſcumque ſpeciei, quæ ſtatui beatitudinis non repugnant, perfectiſsimo modo fuiſſe in Chriſto, quod vt certiſsimum ſupponit Lorca, cum reliquis Authoribus; quæ vero repugnantiam dicant, quæ non, ex dicendis a nobis in hac quæſtione colligi poterit; non enim vacat modò in re tàm parui momenti diuerſa Authorum placita recitare.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo prius. Ex varijs generibus, & virtutum diuiſsionibus, de quibus 1. 2. a quæſt. 57. vſque ad 62. principaliores, & vt prout ad præſens pertinent, eſſe virtutes Theologicas, quæ immediate reſpiciunt Deum, vt obiectum, vt Fides, Spes, Charitas; & virtutes morales, inter quas aliæ ſunt ſupernaturales per modum proprietatum, ideo infuſſas vocamus, eo quod cum gratia ſimul infunduntur, vt docet S. Thom. hic art. 2. aliæ ſunt morales naturales, quas ideò acquiſitas vocamus (quia peraccidens infundi poſſunt) eo quod noſtris actibus acquiri, & adinueniri poſſunt, quarum ſpecies quam plurimæ ſunt, quibus tot virtutes morales infuſſæ reſpondent, vt caſtitati acquiſitæ caſtitas infuſſa, temperantiæ acquiſitæ temperantia infuſſa, & ſic de cæteris, quas, ne faſtidium generem, innominatas relinquo. Quo ſic obſeruato.

Quidnam dicendum de virtutibus Theologicis?

ARTIC. II.

PRO Cuius luce ſtatuo prius. Ex virtutibus Theologicis nullatenus poſſe negare Chriſto Charitatem, ſiquidem huiuſmodi virtus, non ſolum non opponitur ſtatui beatitudinis, ſed ſi non haberet illam, complete Beatus non eſſet; actus enim amoris, quo ardentiſsime Deum ſuper omnia diligimus, complementum eſt beatitudinis, vt ad 1. 2. docet S. Th. ac proinde habitus Charitatis, à quo ortum habebat hic tàm ardentiſsimus actus, non eſt negandus animæ Chriſti Domini. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio noſtra ſit. Fides, & Spes Theologica, tàm quoad actus quam quoad habitus, relegandæ ſunt a Chriſto Domino, eſt communis apud Authores reſolutio, & eam tenet nouiſsime M. Godoy, hic diſp. 24. §. Vltimo num. 85. & 86. Eſt expreſſa S. Thom. art. 3. & 4 cuius ratio vtriuſque eſt, quia Fides Theologica tendit circa rem non viſam, qua propter vocatur ad Heb. 11. *Argumentum non apparentium.* Spes autem circa rem non obtentam per aliquem actum, qua propter dicitur ad Rom. 8. *Quod videt quid, quid ſperat?* atqui fides Theologica non eſt de quocumque non viſo, ſed ſolum de Deo; Spes autem, in quantum eſt virtus Theologica, non eſt de quocumque non obtento ſed de Deo, cuius fruitionem homo per Spei virtutem principalitèr expectat, vt inquit S. Thom. art. 4. Cum ergo Chriſtus ab inſtanti ſuæ conceptionis Deum clare videret, & illum per fruitionem obtineret, quod vtrique virtuti opponitur, relegãda vtraque videtur a Chriſto, non ſolum quoad actus, ſed quoad habitus.

Obijcies primo. Poterat Chriſto fieri reuelatio obſcura eorum, quæ non videbat in Verbo, vtpotè plura nõ vidit, cum non comprehenderet illud, & ſperare gloriam ſui corporis, cum non obtineret illam ab inſtanti ſuæ conceptionis. Ergo potuit circa illa obiecta habere actum Fidei, & circa hoc Spei actum exercere. Reſpõdetur, quod, & ſi Chriſto

ſtus Domino potuerit fieri reuelatio eorum, quæ non videbat in Verbo, & ſperare gloriam corporis; non ideo circa illa obiecta exercuit verum actum Fidei Theologicæ, eo quod illa obiecta non pertinebant ad obiectum Fidei primarium, ſed ſecundarium; nec circa gloriam corporis actum Spei proprium propter eandem rationem; quia Spes, vt eſt virtus Theologica, non reſpicit beatitudinem corporis, ſed animæ, vt docet Sanct. Thom. art. 4. ad 2. quod ſi in corp. art. inſinuare videtur, eſſe actum Spei in Chriſto circa aliqua, quæ nondum erat adeptus, intelligendus eſt de Spe impropriè, vt dicit quendam actum deſiderij cum expectatione futuri euentus, vt explicat Caiet. & Lorca hic diſp. 38. num. 15.

Obijcies ſecundo. Chriſtus Dominus habuit meritum Fidei, & meritum Spei, cũ enim non docuerit id, quod nõ habuerit, iuxta illud Act. 1. *Cœpit Ieſus facere, & docere.* Sicut docuit nos mereri merito Fidei, & Spei, ita, & ipſe idem meritum habuiſſe. Ergo Chriſtus Dominus habuit habitũ Fidei, & Spei, quibus ſibi mereretur, & quibus nos docuit mereri. Reſpondetur, quod licèt Chriſtus Dominus habuerit meritum Fidei, ſicut, & Spei, non ideo habuit huiuſmodi habitus, aut actus; ſed huiuſmodi meritum in hoc ſtetit, quod habens pleniſſimam obedientiam Deo, iuxta illud ad Philipen. 2. *Factus eſt obediens vſque ad mortem*, habuit meritum vtriuſque virtutis, ſicut, & cæterarum, quæ in ipſo non fuerunt, in qua obedientia meritum cuiuſcũque continebatur; ac proinde nihil docuit ad meritum pertinens, quod ipſe excellentius non impleret, vt docet, & concludit S. Thom. art. 3. ad 2.

Quidnam de virtutibus moralibus dicendum?

ARTIC. III.

Pro cuius luce ſtatuo prius. Virtutes morales per ſe infuſſas idem obiectum materiale habere, ac virtutes morales per ſe acquiſitas, ſingulæ ſingulis correſpondentes. v. g. virtus caſtitatis infuſſæ circa idem obiectum materiale verſatur, ac caſtitas acquiſita, nimirum circa honeſtatem propriam huius virtutis, cum diuerſitate in ratione formali, nam infuſſæ per ſe reſpiciunt honeſtatem moralem ſupernaturalem, prout habet conuenientiam cum natura rationali, non quomodocumque, ſed vt eleuata per gratiam; acquiſitæ autem reſpiciunt honeſtatem moralem, ſecundum ſuam præciſſam rationem naturalem, prout habet conuenientiam cum natura rationali, ſecundum eſſe naturale præciſſè conſiderata. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio prima ſit. Chriſtus habuit ab inſtanti ſuæ conceptionis omnes virtutes morales per ſe infuſſas, quæ ſtatui beatitudinis, & vnionis hypoſtaticæ non repugnabant, ſic cõmuniter Theologi cum noſtro Auerſa hic q. 7. ſect. 2. Cuius ratio eſt, quia ab inſtanti ſuæ conceptionis habuit gratiam habitualem, ad quam, vt quædam proprietates in ordine ſupernaturali ſecuntur virtutes per ſe infuſſæ, vt per illas eliceret operationes in quacumque materia morali ex motiuo ſupernaturali. Ergo non defuerunt illi huiuſmodi virtutes morales per ſe infuſſæ. Conſulto dixi: *Quæ ſtatui beatitudinis, & vnionis non repugnabant.* Propter aliquas virtutes, quæ cum hoc ſtatu repugnantiam dicunt, vt Pœnitentia, quæ nullatenus poteſt concedi Chriſto, vt communis eſt ſententia cum noſtro Auerſa loco proximè citato, vt potè, cum eius obiectum ſit proprium peccatum, ſaltèm poſsibile, & Chriſtus Dominus nõ potuit peccare ratione vnionis hypoſtaticæ, non fuit in ipſo talis virtus, & ſi quæ ſunt aliæ huius repugnantiam per ſe ferẽtes, niſi caſu, quo Pœnitentia cum Charitate, aut Religione confunderetur, quo admiſſo, vt plures probabiliter admittunt, non erit neganda Chriſto, licèt ſemper negaretur, ſecundum quod exercet rationem Pœnitentiæ.

Reſolutio ſecunda ſit. Chriſtus Dominus habuit etiam virtutes morales per ſe acquiſitas, quæ ſtatui beatitudinis, & vnionis non repugnabant, eſt cõmunis cum noſtro Auerſa, vbi ſupra licèt hæc reſolutio aliqualitèr diſplicet Lorcæ diſp. 38. num. 21. num. autem ſeq. in fine eam etiam probabilem reputat. Cuius ratio eſt: quia ſemel admiſsis virtutibus infuſsis per ſe moralibus,

quæ

Digitized by Google

quæ principia ſunt operatiua in materia morali ex motiuo ſupernaturali, videatur imperfectionem dicere in Chriſto virtutes morales per ſe acquiſitæ, vt potè principia operatiua ex motiuo ſolo naturali in materia morali: quæ eſt ratio, quare diſplicuit hæc reſolutio noſtra huic Authori.

Attamen non eſt facile probare hanc imperfectionem operandi ex motiuo naturali in materia morali eſſe priuatiuam, & formalem comparatione ad modum operandi ex motiuo ſupernaturali in eadem materia. Ex eadem enim ratione poſſet probari non eſſe in Chriſto virtutes morales per ſe infuſſas; nam licèt perfectus ſit modus operandi ex motiuo ſupernaturali creato, quod proprium eſt virtutum moralium per ſe infuſſarum, comparatione autem ad modum operandi ſupernaturalē ex motiuo increato, imperfectus eſt, ac proinde ſola virtus Charitatis in Chriſto eſſet, ſicut ergo imperfectus iſte modus operandi comparatione ad modum operandi per charitatem, non arguit imperfectionem, quæ ſufficiens ſit ad tollendum a Chriſto virtutes morales per ſe infuſſas; ita modus imperfectior operādi proprius virtutū moralium per ſe acquiſitarum, comparatione ad modum operandi perfectiorem per virtutes morales per ſe infuſſas, non arguet imperfectionem, quæ ſit ſufficiens ad tollendas virtutes morales per ſe acquiſitas. Et ratio omnium eſt, quia vnaquæque in ſua linea perfectionem habet ſibi debitam, neque enim Equus, ex eo quod non ita perfectus ſit, ac homo, imperfectus dicitur.

An Chriſtus has virtutes morales naturales proprijs acquiſierit actibus?

ARTIC. IV.

Reſolutio noſtra ſit. Huiuſmodi virtutes morales ex ſuo genere acquiſitæ (licèt ex ſe non repugnēt per accidens infundi) non fuerunt Chriſto Domino in inſtanti ſuæ conceptionis per accidens infuſſæ, ſed in illo inſtanti eas proprijs actibus acquiſiuit. Hanc reſolutionem contra Aluarez, & contra Auerſa quæſt. 7. ſect. 2. & contra R. & Illuſtriſ. M. Godoy diſput. 24. §. 3. num. 36. & R. P. M. Ioan. a S. Thom. hic diſput. 8. art. 3. tenet Cabrera, & communiter Authores hic quæſt. 7. artic. 2. diſput. 2. & Araujo eodem loco dub. 1. Eſt expreſſa mens S. Thom. in hac 3. part. quæſt. 9. art. 4. vbi præpter ſcientiam beatam, & inditam, concedit Chriſto aliam naturalem proprio labore acquiſitam, ne eius intellectus agens otioſus eſſet. Ergo ne fruſtranea eſſet ſynderesis, quæ eſt primum principium inſitum à natura in intellectu reſpectu agibilium, proponens voluntati omnes fines virtutum moralium, non ſolum in vniuerſali, ſed in particulari, dicendum eſt, proprijs actibus Chriſtū illas acquiſiſſe.

Secundò probatur ratione. Perfectior modus habendi virtutes (ſi poſſibilis eſt) concedendus eſt Chriſto: atqui perfectior modus habendi has virtutes morales eſt per acquiſitionem; nobilius enim eſt ſe mouere ab intrinſeco, quod haberet Chriſtus acquirendo proprijs actibus has virtutes; quam ab extrinſeco moueri, quod haberet, ſi ipſi per accidens infunderentur; & aliàs hic modus poſſibilis eſt, etenim cum ex ſuo genere acquiſitæ ſint, non ſolum poſſibile eſt, ſed congruentius, illas proprio labore acquiri: Neque in hoc eſſet imperfectio ex parte acquirentis; tū propter rationem datam: tum etiam, quia humanitas Verbo Diuino coniuncta poteſt prorrumpere in operationes multo excellentiores quoad ſubſtantiam, & quoadmodum, quam ſi in proprio ſupoſito exiſteret, vt optimè notat Cabrera loc. cit. num. 7. Ergo ſicut, ſi eſſet in proprio ſuppoſito, eas proprio labore compararet; meliori titulo, & perfectiori modo hoc faceret exiſtens in alieno Diuini Verbi ſuppoſito.

Confirmatur; quia prudentia, vt inquit S. Thom. 2. 2. quæſt. 47. art. 6. eſt regula, quæ mouet omnes virtutes morales ad ſuos fines: ſed hanc Chriſtus non habuit infuſſam per accidens in primo inſtanti, ſed acquiſitam, vtpotè cōſtare non poteſt abſque ſpeciebus intelligibilibus, quas iuxta S. Thom. quæſt. 9. art. 4. miniſterio intellectus agentis Chriſtus comparauit, cum non poſſit in actum prodire, niſi præſuppoſita obiecti aprehenſione, quæ medijs huiuſmo-

Digitized by Google

modi ſpeciebus fit. Ergo nec illę virtutes, quarum prudentia eſt regula, fuerunt peraccidens Chriſto infuſæ in primo inſtanti, ſed in illo proprijs actibus comparatæ.

Quonam autem modo eas Chriſtus Dominus acquiſierit, ſine eo quod aliquo tempore illis caruerit, explicat optimè Cabrera loc. cit. num. 13. conſiderãs Chriſtum in primo inſtanti reali conceptionis, in quo omnes habitus harum virtutum per proprios actus productos conſtituimus, cum pluribus naturæ inſtantibus; videatur ibi; interim tamen hic modus mihi occurrit explicandi, vt illas compararet in primo illo inſtanti; nimirum, vel quia Deus immediatè propoſuerit obiectum aliquod cuiuſcumque virtutis moralis, & eliceret vnicum actum circa quamlibet, per quem acquireret habitum, quo acquiſito decurſo temporis perficeretur: & idem dicendum de ſcientia acquiſita ad quæſt. 9. nimirum propoſuiſſe Deum immediatè, vel per Angelos cuiuslibet ſcientiæ naturalis vnicum obiectum, & poſtea decurſu temporis ſapientia profeciſſe, ſicut, & ætate, vt dicitur Luc. 2. Quod autem in hoc modo intercefſerit miraculum nõ obeſt; nam etiam ſi peraccidens eas infuſas haberet, miraculum intercederet, & ſine inconuenienti admittitur ab Authoribus oppoſitæ ſententiæ: ex duobus autem miraculis, quorum vnum neceſſario tribuendum eſt Chriſto, illud debet concedi, quod in maiorem perfectionem cedit; hoc autem eſſet, ſi in illo inſtanti eas proprijs actibꝰ per propoſitionem acquiſiſſet, ex eo quod perfectior eſt modus operandi ab intrinſeco, quam ab extrinſeco.

In calce articuli ſubiungo; quod licèt Chriſtus Dominus diuerſis temporibus acquireret diuerſos habitus virtutum, adhuc non eſſet in eo aliqua imperfectio, etiam ſi pro aliquo tempore aliquibus habitibus careret, quia non erant illi debiti, niſi pro tempore, quo occurrebant illorum motiua, quod fiebat medijs ſpeciebus intelligibilibus decurſu temporis eius intellectui occurrentibus: Quando autem dicitur meliori modo eſſe, in actu eſſe ſemper, quod haberet Chriſtus, ſi in primo inſtanti peraccidens infunderentur prædictæ virtutes; quam eſſe aliquando in potentia, quod haberet toto illo tempore, quo careret aliqua virtute ex illis, quas poſtea decurſu temporis acquiſiturus erat, verùm eſt, quando actus, a quo aliquis eſt in actu, eſt ab eodem principio, a quo eſt in potentia; vt melius eſt eſſe in actuali intellectione, quã in potentia ad inteligendum; quando autem non eſt in actu ab eodem principio, a quo eſt in potentia, ſed ab alio, melius eſt eſſe in potentia, quàm eſſe in actu, vt patet in actu intellectionis Petri reſpectu potentiæ intellectiuæ Ioannis, in quo Ioanne melior eſt eius potentia, quam actus Petri, etiam ſi in Ioanne infunderetur, quia potentia illi ab intrinſeco conueniret, actus autem ab extrinſeco. Ita in Chriſto Domino melius eſt eſſe in potentia ad acquirendas virtutes per motum propriũ, quam eſſe in actu per motum infuſsionis alterius, & non ipſius.

De donis autem Spiritus Sancti, & gratijs gratis datis Chriſto Domino nõ nihil momenti apud Authores inueni; quare congruentius reputaui, remittere vos ad articulos S. Thomæ, qui a 5. ſunt vſque ad 8. ibi, quibus ſit ornatus, videbitis. Videatur noſter Auerſa loc. cit. ſect. 3. vbi ex profeſſo probat, Chriſtum habuiſſe dona Spiritus Sancti; & ſpecialiter pro dono timoris refertur Epiſtola quædam, quæ eſt 190. S. Bernardi, inter errores Abailardi, quod Chriſto, & Beatis negauerit timorem Dei. Etiam ibidem probat Auerſa, fuiſſe in Chriſto gratias gratis datas, quæ ab Apoſtolo 1. ad Corinth. 12. enumerantur nouem, ſcilicèt, ſermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, Fides, gratia ſanitatum, operatio virtutum, Prophetia, diſcretio ſpirituum, & interpretatio ſermonum; de quibus omnibus conſtat in hiſtoria Euangelica; & licèt non fuiſſet in Chriſto Fides, quæ dicitur virtus Theologica, in alio tamen ſenſu, ſcilicèt, pro gratia Fidei, conceditur Chriſto, quatenus habebat perfectam intelligentiam myſteriorum Fidei ad inſtruendos alios, & hæc dicitur gratia Fidei, quæ non eſt incompoſsibilis cũ viſsione clara Dei, ſicut eſt incompoſſibilis Fides Theologica; & licèt Prophetia, prout dicit obſcuritatem, non fuiſſet in Chriſto, vt tamen anuntiantur

tur ea, quæ remota ſunt ab aliorum notitia, vt ſunt futura contingentia, & alia oculta, concedēda eſt Chriſto, quia vt inquit S. Thom. quæſt. 7. art. 8. non, eſt de ratione prophetiæ obſcuritas, quin potius regularitèr loquendo, notitia prophetica in aliquibus hominibus habet quandàm claritatem, vt benè notauit noſter Auerſa loc. cit. in fine ſect. 3. ex S. Thom. 2. 2. quæſt. 171. art. 1. ad 4. & art. 3. ad 2. ac proinde prophetæ in Sacra Scriptura ſolent apellari videntes. Ergo benè ſtat cum prophetia claritas, & intuitiua notitia, dummodo ea, quæ cognoſcuntur, abſcondita, & remota ſint a communi notitia eorum, cum quibus Profeta conuerſatur, & quibus ignota eſſe ſentiat: Et ideo Beati in Patria non dicuntur Prophetæ, non quia incompoſsibilis ſit prophetia cum clara viſione, ſed quia ea, quæ ipſi cognoſcunt, non ſunt remota a notitia aliorum Beatorum, cum quibus conuerſantur, ſicut contingebat in Chriſto, dum erat in via inter homines, quamuis aliàs ſimul etiam eſſet Beatus; & ideo modo Chriſti cognitio non eſt prophetica, ex variatione, ſcilicèt, ſtatus, & ſotietatis eorum, cum quibus conuerſatur, vnde oritur de nominatio cognitionis propheticæ.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATVS TERTIVS

IN TERTIAM PARTEM SANCTI Thomæ, à quæſtione nona, vſque ad vigeſimamquintam incluſiuè.

IN QVIBVS DE OMNIBVS Chriſto conuenientibus ſermonem inſtituit.

ET PRIMO DE SCIENTIA Animæ eius.

PRoſequimur (Diuino illuſtrante lumine) tractationem de Filio, ſecundum quod pro noſtra ſalute factus eſt homo. In hoc ergo tractatu complere connabimur ea, quæ Incarnationis nomine cum ſuis proprietatibus inducere conſueuerunt communitèr Theologi, tractationem de vita Chriſti oportuniori alteri tempori relinquentes. Vtinã benè de Chriſto mereamur ſcribere, quod conſequemur facile, ſi vt moris eſt, in omnibus doctrinam amplectamur Præceptoris Angelici, quid dum naturam, proprietates, & vitã Chriſti accuratiſsimo calamo perſolueret, ſingulariſsimo illo fauore: *Benè ſcripſiſti de me Thoma.* Ab illo meruit honorari.

DISPVTATIO I.

De Scientia Animæ Chriſti, tam in communi, quam in particulari.

Circa quæſtiones nonam, decimam, vndecimam, & duodecimam Sanct. Thomæ.

POſtquam cum Angelico Doctore per ſex priores quæſtiones huius 3. partis de ſubſtantia Incarnationis, & per ſeptimam, & octauam de Gratia Animæ Chriſti lato calamo ſermonem inſtituimus; iam de Scientia ipſius tam in communi, quã in particulari ſub hac prima diſputatione, quod Sanct. Tho. per quatuor has priores pertractat quæſtiones, nos pertractamus De qua Sciẽ

Digitized by Google

tia agunt etiam cum eodem Sanct. Thom. Theologi in 3. diſt. 14. quæſt. 1 & 2. & quæſt. 4 & 5. & de verit. q. 20. art. 2. 4. 5. & 6. & opuſc. 3. cap. 223.

An Chriſtus Dominus habuerit ſcientias, & quas?

QVÆST. I.

IN Hac re circa primam quæſtionis partem poteſt eſſe prima ſententia, vel potius error Monothelitarum aſſerentium in Chriſto tantum eſſe vnicam operationem, & hanc Diuinam, ad quem errorem poteſt redduci alter Arrianorum, qui aſſerebāt Verbum non aſſumpſiſſe animam rationalem, conſequentèrque ad hos errores, vt abyſſus abyſſum inuocaret, neceſſariò fateri debebant, nullam ſcientiam præter Diuinam fuiſſe in Chriſto Domino; contra quos, ſicut Eccleſia definit, in Chriſto fuiſſe duplicem operationem, Diuinam, & humanam, & Verbum aſſumpſiſſe animam rationalem, ita definit, vt naturam Chriſti ſolidaret, eſſe in illo aliam ſcientiam præter Diuinam.. Sic omnes Theologi in hoc loco, & in 3. diſt. 14. qui omnes licèt conueniant in hac concluſione, non tamen in modo eam defendendi; nam Hugo de Sanct. Victore lib. de anima Chriſti, & eius ſcientia, & lib. 2. de ſacram. 6. p. cap. 1. vt refert hic dub. 3. Cornejo, contra omnes Authores communitèr aſſeruit, non ideo affirmandam eſſe ſcientiam aliquam creatam in Chriſto, vt per illā natura eius humana intelligere poſſet, nam hoc de facto fecit (inquit ipſe) per naturam Diuinam, & per intellectionem Diuinam; ad quam opinionem, ſi forſan eſt opinio, poteſt reduci aliorum ſententia concedentium, id fieri poſſe de potentia abſoluta: cui ſententiæ fauere videtur Ægidius quæſt. 1. de cognitione Angelorum; & omnes illi, qui aſſerunt, intellectionem eſſe meram receptionem ſpecierum intelligibilium. Ex ſuppoſitione tamen catholicæ veritatis, quod Verbū verus fuit Deus, & homo, nullum vidi, qui non aſſereret, eſſe in illo duplicem hanc ſcientiam; ſed ſi aliquod extat deſſidium, ſolum eſt circa ſecundam quæſtionis partem; nam Scotus in 3. diſt. 14. quæſt. 3. & Durandus ibid. q. 4. docent, ex ſcientijs creatis communitèr poſsitis in anima Chriſti Domini, relegari debere habitum ſcientiæ acquiſitæ, concedique deberi tantum ſcientiam beatam, & infuſam eiuſdem rationis. & ſpeciei cum noſtra acquiſita. Communitèr autem Theologi triplicem ſcientiam creatā ſpecie diſtinctam animæ Chriſti tribuunt, videatur Cabrera hic. Araujo, Cornejo, & alij, cum noſtro Aueria hic quæſt. 9. ſect. 2. & R. P. M. Ioan. à Sancto Thoma hic quæſt. 9. diſp. 11. art. 2.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo contra aliquos Hæreticos, quos refert Sanct. Hyeronimus capit. 15. in Matth. ita perfectam fuiſſe, & certam quamlibet cognitionem intellectus humani Chriſti, vt nullum in ea errorem inueniri potuiſſet; quod pluribus probat hic Cornejo tract. 2. dub. 1. quorum alterum eſt illud à Chriſto dictum: *In hoc natus ſum, vt teſtimonium perhibeam veritati*; quod fieri non poſſet, ſi eius teſtimonium errori expoſitū eſſet; facit etiam pro hac re, quod ſi error eſſe poſſet, cederet in detrimentum Chriſtianæ Fidei, quia nunquam poſſemus ſcire, quando nobis Chriſtus rem certam, & infallibilem, quando verò fallibilem, & errori expoſitam diceret.

Obſeruo ſecundo contra aliquos etiam Hæreticos, quos refert Hyeron. lib. 1. cont. hæreſ. cap. 17. in intellectu humano Chriſti nullum fuiſſe, nec potuiſſe eſſe ignorantiam formalitèr; quod pluribus etiam rationibus communitèr probant Expoſitores apud eundem Cornejo dub. 2. Cuius ratio eſt, nam licèt in eo eſſet pro aliquo tempore, imò, & pro omni ſuæ ætatis, non cognitio aliquorum obiectorum, v. g. poſsibilium, quorum omnia non cognouit; hoc autem non eſt ignorantiam habere, ſed neſcientiā, ignorātia enim eſt carentia ſcientiæ debitæ, non autem debebatur cognitio omnium poſsibiliū ani-

Digitized by Google

animæ Chriſti Domini, ſicut nec debetur cognitio omnium exiſtentium pro quolibet ætatis ſuæ tempore; aliàs enim non profeciſſet ſapientia (intellige experimentali) ſicut profecit ætate. Decebat, ergo dignitatem Chriſti nullius obiecti tempore, quo eius cognitio debebitur, ignorantiam habere; datus enim fuerat, vt vniuerſalis omnium præceptor, iuxta illud Matth. 16. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè cõplacui, ipſum audite*, Quibus ſic obſeruatis.

Vno ex capite deciditur prima quæſtionis pars.

ARTIC. II.

Reſolutio noſtra ſit. Præter ſcientiam increatam fuit in Chriſto Domino aliqua creata ſcientia. Eſt de fide reſolutio, non determinando, qualis fuerit huiuſmodi creata ſcientia. Sic expreſſe S. Thom. quæſt. 9. art. 1. dum in fine corp. ait: *In ſexta ſynodo damnata eſt propoſitio negantium, in Chriſto eſſe duas ſcientias, vel duas ſapientias.* Probat deinde S. Thom. prædictam reſolutionem triplici ratione: Etenim ad perfectionem animæ Chriſti a verbo aſſumtæ pertinet habere actum, quo perficiatur in eſſe intelligibili, cum ipſa in hoc genere ſit, tanquam tabula raſa, in qua nihil eſt depictum, quod fieri non poteſt ſine actu ſcientiæ creatæ. Vlterius, cum quælibèt res ſit propter ſuam operationem, fruſtra in ea eſſet intellectus, ſi aliquando non intelligeret. Denique quia nihil eorum, quæ pertinent ad naturalia humanæ naturæ, defuit Chriſto, cum Verbum totam, & perfectam naturam humanam aſſumpſerit: ſed aliqua ſcientia creata pertinet ad naturalia humanæ naturæ, illa, ſcilicèt, per quam naturalitèr cognoſcimus prima principia. Ergo ſaltem hæc non defuit Chriſto. Confirmatur hoc, quia Chriſtus naturam Diuinam habet Patri, & Spiritui Sancto communem; habet etiã increatam ſcientiam vtrique communem. Ergo quia naturam humanam habet hominibus communem; ſic & ſcientiam creatam hominibus communem habere debet.

Cæterum in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij contra noſtram concluſionem. Quando adeſt lumen Solis, non eſt neceſſarium lumen cãdelæ, quod eſt lumen inferius. Tùm, quia quidquid poteſt facere lumen inferius, meliori ratione poteſt fieri à ſuperiori lumine. Tùm etiam, quia lumen inferius per ſuperius lumen offuſcatur: atqui in Chriſto Domino aderat lumen Solis, ſcilicèt, increatum, & infinitum lumen, in cuius comparatione lumen creatum erat lumen candelæ, quod ab illo offuſcari debet; & nihil per illud cognoſcitur, quod per illud meliori modo non cognitum eſſet. Ergo in Chriſto nullatenus fuit aliqua ſcientia creata, præter Diuinam, increatam, & infinitam, quæ in illo erat. Reſpondeo conformitèr ad ea, quæ diximus in materia de gratia animæ Chriſti quæſt. 2. art. 5. §. *Opponunt tertio.* ex S. Thoma, quod quando vtrumque lumen ad idẽ ordinatur, ſuperfluit inferius, poſito ſuperiori; in præſenti autem non ſic ſe habent increatum lumen, & creatum, nã illud ordinatur, vt intelligat Chriſtus, ſecundum quod Deus eſt, iſtud autem ſecundum quod homo eſt; vnde nec vnum offuſcatur per aliud, nec inconuenit, quod ea, quæ cognita ſunt per inferius lumen, nobiliori, & eminentiori modo cognoſcantur per ſuperius.

Opponunt ſecundo. Scientia creata eſt habitus per demoſtrationem acquiſitus, ſi fuerit acquiſita, & infuſus, ſi fuerit infuſa: ſed non eſt de fide in Chriſto fuiſſe aliquem habitum creatum in eius voluntate, aut intellectu, vt commune eſt Theologorum aſſertum. Ergo neque eſt de fide, fuiſſe in Chriſto Domino aliquam ſcientiam creatam. Reſpondeo, conſulto me dixiſſe reſolutionem eſſe de fide, *non determinando qualis fuerit ſcientia creata*; Vnde licèt verum ſit, non eſſe reſolutionem de fide, ſi intelligatur de ſcientia creata habituali, vtpotè cum ſola actuali poſſunt ſaluari loca Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Patrum vnanimitèr clamantium, in Chriſto eſſe duas ſapientias; eſt tamen de fide, non determinando de qualitate ſcientiæ

creatæ. Addo tamen cum Cabr. in comment. huius art. num. 14. temerarium eſſe negare in Chriſto lumen gloriæ creatum permanens, ratione cuius, etiam dum dormiret, ſapientiſsimus eſſet, & cum volebat, in actum exibat.

Alio ex capite eadem prima quæſtionis pars deciditur.

ARTIC. III.

Reſolutio noſtra ſit. Chriſtus Dominus ſecundum humanitatem, nec intellexit de facto, nec intelligere potuit de potentia abſoluta per ſcientiam increatam, nec per increatum lumen; ac proinde ad hoc etiam fuit neceſſaria creata ſcientia, eſt reſolutio quoad vtrãque partem mihi certiſsima; quam latiſsimè probat R. & Illuſtriſs. Magiſt. Godoy hic diſput. 3. §. 1. à num. 4. & §. 3. à num. 38. & §. 7. à num. 155. & §. 8. à num. 172. & M. Ioan. à Sancto Thoma hic diſput. 11. art. 1. Primo, quia eſt expreſſa mens S. Thom. in hoc art. dum affirmat, neceſſariam eſſe ſcientiã creatam ad perfectionem, & operationem humanæ naturæ. Idem habet in 3. diſt. 14. q. 1. ar. 1. & quæſt. 20. de verit. ar. 1. cuius hæc ſunt apta, & præclara verba: *Sicut autem Diuinitas non poteſt eſſe actꝰ corporis, vt ea corpus formalitèr viuat; ita non poteſt eſſe actus animæ rationalis, vt ea formalitèr ſit ſciens; & ideò oportet ponere in Chriſto ſcientiam creatam.* Plura pro hac re loca affert Cab. in hoc art. diſp. 1. qui aſſerit num. 1. in 1. concluſ. periculoſum eſſe, & temerarium, atque errori proximum aſſerere, animã Chriſti de facto videre Deum viſione Diuina, & increata; de potentia tamen abſoluta aſſerit num. 17. licèt non ſit tali cenſura dignum, eſſe tamen (inquit) manifeſte falſum.

Sed quidquid ſit de iſta cenſura, ſecundo probatur veritas prædictæ reſolutionis ratione deſumpta ex viſceribus doctrinæ Sanct. Thom. locis citatis. Implicat actionem vitalem (qualis apud omnes eſt intellectio creata) non produci ab intelligente, in eoque recipi, vel per propriam receptionem, qualitèr actionibus vitalibus creatis conuenit, vel per identitatem, vt Diuinis aptatur; cum enim actio vitalis vita ſit in actu ſecundo, & immanenti modo, non poteſt non dicere duplicem reſpectum ad ſuum principium, & ad actum primum, cuius eſt exercitium, vnum per modum quaſi effectus ab ipſo eliciti, alterum per modum formæ in ipſo manentis: atqui intellectio humanitatis Chriſti eſt vitalis operatio. Ergo ab humanitate procedit, & petit procedere eſſentialitèr per modum effectus, & in ipſa manet, & petit eſſentialitèr manere per modum formæ. Tùm ſic. Intellectio Diuina, nec poteſt effectiuè oriri ab humanitate, nec in ea recipi; cum vtrumque imperfectionem ſatis repugnantem includat Diuinitati. Ergo intentum.

Dices ex doctrina contrariorum; ad rationem actionis vitalis non requiri dependentiam per modum effectus à potentia elicitiua, ſed ſufficere meram receptionem, iuxta Ariſtot. *Intelligere eſt quoddam pati.* Vel meram vnionem, quam vnionem poſſe Deum facere inter intellectum humanum Chriſti, & intellectionem Diuinam, non videtur repugnantiam inuoluere; ſicut nulla eſt repugnantia in hoc, quod eadem intellectio Diuina, quæ in Thomiſtarum ſententia eſt eſſentia Diuina, humanitati vniatur, illam exiſtentem, imò, & ſanctam efficiendo exiſtentia, & ſanctitate Diuina, & increata. Sed contra eſt primo; nam ſi intellectio non diceret dependentiam per modum effectus à potentia elicitiua, ſed meram receptionem, vel vnionem cum illa; nulla eſſet ratio, quare, ſicut fide credimꝰ quod eſt duplex operatio in Chriſto, Diuina, & humana, iſtaſque eſſe impermixtas, vnitas tamen inter ſe, ſicut earum naturæ vniuntur; crederemus etiam, quamlibet naturam ex illis ad inuicem viuere, & ſe mouere per operationẽ alterius naturæ; neque enim videtur ratio, quare non implicet, humanam naturã Chriſti intelligere per intellectionẽ naturæ Diuinæ, & implicabit, naturã Diuinam Chriſti intelligere per intellectionem naturæ humanæ; ſi enim hoc ne-

negari debet ab Auctoribus oppoſitis, in quacumque ratione conſtituant intellectionem, quia licèt ſint inter ſe vnita hæc extrema, vnum tamen non elicitur, nec recipitur in alio; ita ob eandem rationem, & ſuum aſſumptum negari debet. Quam rationem tetigit Sanct. Thom. quæſt. 9. art. 1. ad 1. quatenus docet, operationem vnius naturæ non poſſe eſſe operationem alterius naturæ. Confirmatur, quia ſi intellectio conſiſteret in ſola receptione ſpecierum, non eſſet ratio, quare ſpeculum, cum recipit ſpecies obiecta repræſentantes, non videat, vt arguit Ariſtotel. libr. 1. de ſenſu, & ſenſib. capit. 2. contra Democritum aſſerentem, viſionem eſſe meram paſsionem in potentia viſiua.

Secundo eadem ſolutio impugnatur ex differentia, quæ intercedit inter ea, quorum alterum non vnitur alteri per modum vitæ, ſed per modum merè termini, qualia ſunt ſanctitas, & exiſtentia reſpectu humanitatis; & inter ea, quarum alterum alteri vnitur per modum exercitij vitalis; quod illud poteſt a Deo ſuppleri, cum non habeat dependentiam eſſentialem ab altero extremo, ſecus autem iſtud; tum propter dicta; tùm etiam, quia ſi talis dependentia à potentia vitali poſſet ſuppleri, & manere nihilominus actionem in eſſe vitalis, non eſſet ratio, quare viſus, & auditus non poſſent intelligere, & intellectus videre, & audire, vniendo Deus vnum extremum alteri; quod à nullo contrariorum vidi conceſſum: atqui maior diſtantia, & diſtinctio eſt, vt arguit Cabr. loc. cit. num. 32. inter potentiam cognoſcitiuam humanam Chriſti, & Diuinam. Ergo impoſsibile eſt, quod intellectio Diuina communicetur humanitati Chriſti, illam faciendo formalitèr intelligentem, licèt eam faciat formalitèr ſanctam, & exiſtentem.

Cæterum in ſui fauorem, vltra argumenta, quæ poſſunt fieri de exiſtentia, ſubſiſtentia, & ſanctificatione creata, quibus humanitas redditur formalitèr exiſtens, ſubſiſtens, & ſancta, quæ argumenta ſoluta manent ex doctrina data. §. Anteced. poteſt aliud magis difficile argumentum opponi pro doctrina Aduerſariorum contra noſtram aſſertionem ſic. Poteſt Deus vnire eſſentiam Diuinam, & de facto vnitur in ratione ſpeciei intelligibilis intellectui humano Chriſti Domini, & cuiuſcumque Beati, conſtituendo illum formalitèr potentem intelligere. Ergo poteſt vniri in ratione intellectionis intellectui humano Chriſti Domini, conſtituendo illum formalitèr actu intelligentem. Nec mihi placet communis ſolutio, quam adducit Cabr. numer. 38. diuerſam eſſe rationem de ſpecie, ac de intellectione; nam cum illa ſit principium effectiuum intellectionis non formale, poteſt à Deo ſuppleri; ſecus autem intellectio, quia eſt formale principium. Contra quam ſic argumentor; nam non minus repugnat, intellectum humanum Chriſti reddi formalitèr actu intelligentem per Diuinam intellectionem, quam reddi potentem intelligere per principium intellectionis Diuinæ, quod eſt eſſentia Diuina, vt habet rationem ſpeciei; ideò enim ipſe Cabr. num. 34. & communitèr cum eo omnes docent, non poſſe operationem vnius naturæ alteri communicari, niſi ei vniatur in ratione naturæ, quæ ordinem explicat ad operationem. Ergo ſi eſſentia Diuina, vt gerit munus ſpeciei impreſſæ, conſtituit intellectum humanum Chriſti potentem intelligere, in eius, & communi ſententia, vnitur ei in ratione naturæ etiam eſſentia, ac per conſequens, iuxta ſua principia, nulla erit repugnantia in hoc, quod vniatur in ratione intellectionis, ad quam ratio naturæ ordinem tranſcendentalem dicit; ob quam etiam rationem diximus ad materiam de gratia Chriſti, Deitatem, licèt ſit ſanctitas in eſſe naturæ, nō potuiſſe talem effectum humanitati Chriſti communicare, cum eadem ſit repugnantia in communicatione actus, ac in communicatione principij in eſſe principij, & naturæ.

Reſpondeo ergo alitèr ad argumentum, negando antecedens; nam eſſentia Diuina in ratione ſpeciei intelligibilis non conſtituit intellectum humanum Chriſti potentem formalitèr intelligere; ſpecies enim ſolū eſt virtus obiecti illud conſtituens proxime intelligibile paſsiuè; quod ſi tale obiectum a ſe ha-

Digitized by Google

habet omnem intelligibilitatem paſſiuam, qualem habet eſſentia Diuina, non indiget ſuperaddita ſpecie, ſed à ſe ipſo id præſtatur. Verum eſt, quod requiritur vnio obiecti cum potentia, vt intelligere poſsit potentia; non autem ideò ipſum obiectum ſe ipſo in ratione ſpeciei, neque eius ſpecies conſtituunt potentiam formalitèr potentem, ſed talis ſpecies, vel exercitium ſpeciei ſe habet vt conditio, vt potentia, aliàs potens, in actum prodeat; ea ratione, qua ſubſiſtentia in communi ſententia requiritur, vt natura operetur, iuxta illud: *Actiones ſunt ſuppoſitorum*. Non tamen ideò ſubſiſtentia præſtat potentiã naturæ, nec illam potentem formalitèr operari conſtituit. Vnde quod in noſtro caſu debet conſtituere intellectũ Chriſti potentem intelligere, non eſt ipſa eſſentia in ratione ſpeciei, ſed aliquod lumen creatum in humano Chriſti intellectu receptum, vt non ſit repugnantia inter naturam operantem, & operationem, & virtutem operatiuam; nã propter repugnantiam naturæ, inquit Sanct. Thom quæſt. 7. de grat. Chriſti art. 1. ad 2. non poterat anima Chriſti per naturam Diuinam elicere operationes ſupernaturales, ideo requiſiuit gratiam creatam; de quo latè diximus ad materiam de gratia Chriſti.

Secunda quæſtionis pars deciſſa.

ARTIC. IV.

Reſolutio prima ſit. Chriſtus Dominus ſecundum quod homo habuit ſcientiam Beatorum, dum erat in hac vita mortali. Hæc reſolutio abſtrahendo à tempore, quo illam habuit, eſt de fide; quam probat Sanct. Thom. in hac quæſt. 9. art. 2. in argum. *Sed contra*. Sic: Scientia Beatorum in Dei cognitione conſiſtit: ſe Chriſtus ſecundum quod homo plenè cognouit Deum, dum erat in hac vita mortali, iuxta illud Ioan. 8. *Scio eum, & mandata eius ſeruo*. Ergo. Confirmatur etiam ex illo Ioan. 1. *Plenum gratiæ, & veritatis*. Sed ſi Chriſtus non haberet ſcientiam beatam, non eſſet plenus gratiæ; gratia enim viæ, prout in via, non eſt plena, ſed incrementum recipere poteſt vſque ad terminum, qui eſt beatitudo. Ergo ſi erat plenus gratiæ, dum erat in hac vita mortali, ſcientiam habuit Chriſtus Beatorum. Ratio Sanct. Thom. in corp. ar. hæc eſt. Id, quod reducit aliquid de potentia ad actum, debet eſſe in actu; vt patet in calido, quod non poſſet reducere ſubiectum de potentia ad actum calefactionis, ſi non haberet calorem: ſed Chriſtus reducit homines de potentia ad actum huius ſcientiæ, qui homines ſunt ad talem ſcientiam in potentia, cum multos filios ad gloriam adduxerit, iuxta illud ad Hebr. 2. *Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem ſalutis eorum per Paſsionem conſummari*. Ergo ipſe habuit ſcientiam Beatorum, dũ erat in hac vita mortali.

Conſulto dixi, reſolutionem eſſe de fide, *abſtrahendo a tempore, quo talem ſcientiam Chriſtus Dominus habuit*, non enim eſt de fide eam habuiſſe in inſtanti ſuæ conceptionis, quia non extat erga hoc Eccleſiæ definitio; cum quo tamen ſtat, eſſe temerarium, vt docet M. Godoy diſp. 32. §. 1. a num. 2. imò, & proximum hæreſi, vt dicit Cabr. hic artic. 2. diſp. 1. §. 2. num. 18. negare, illũ habuiſſe ab inſtanti ſuæ conceptionis: quod videtur deduci ex illo Pſal. 64. *Beatus, quem elegiſti, & aſſumpſiſti*, & ex eo quod Chriſtus ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit Filius Dei naturalis. Ergo, & hæres, & poſſeſſor; neque enim neceſſario interuentura erat mors Patris, vt poſſeſsione bonorum beatitudinis frueretur, vt contingit in filijs huius ſæculi perituri.

Obijcies contra rationem S. Thom. Non enim eſt verùm; id quod reducit aliquid de potentia ad actum, debet eſſe in actu; plura enim reducunt aliquid de potentia ad actum, quin ſint in actu per talem formam; ſemen namque, & penicillus reducunt animal, & imaginem de potentia ad actum; & tamen nec ſemen habet formam animalis, nec penicillus formam imaginis: miniſtri etiam Sacramentorum, quamuis non ſint in gratia, reducunt animam de potentia ad gratiam, ad ipſam actualem gratiam. Ergo intentum. Dicere autẽ, quod communiter dicitur, omnia annumerata eſſe inſtrumenta, & ideo non eſ-

Digitized by Google

eſſe neceſſarium, quod habeant actum, ad quem reducunt, eſt magis robur argumento præbere; nam Chriſtus Dominus, ſecundum quod homo, inſtrumentum coniunctum eſt Diuinitatis; cauſa autem principalis gratiæ, & beatitudinis ſolus eſt Deus. Ergo ſicut vt inſtrumenta reducant aliquid de potentia ad actum, nō eſt neceſſarium; quod habeant actum illum, ad quem reducunt, nec in Chriſto erit neceſſarium, habere actu ſcientiam beatam, vt plures filios ad talem ſcientiam reducat.

Reſpondeo, admittendo primam ſolutionem, Chriſtum Dominum non ſolum eſſe inſtrumentum Diuinitatis; ſecundum quam præciſſam rationem non petebat habere actum, ad quem alios reducit, ſed etiam eſſe cauſam principalem duplici alia ratione: primo in ratione Doctoris, qui non ſolum docet inſtrumentalitèr, quæ vidit, ſed in genere cauſæ principalis ea docet, iuxta illud Ioan. 1. *Deum nemo vidit vnquam; vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* Vbi datur intelligi, nobis Chriſtum narraſe in genere cauſæ principalis ea, quæ in ſinu Patris vidit: Secundo habet rationem cauſæ principalis meritoriæ gratiæ, & gloriæ, ob quas rationes debuit habere actu formam, ad quam cæteros reducit.

Reſolutio ſecunda ſit. Chriſtus Dominus, ſecundum quod homo, habuit etiam ſcientiam per ſe infuſſam, ita cōmunitèr cum M. Godoy, diſput. 32. §. 4. à num. 62. ſic expreſſe S. Thom. q. 9. art. 3. quam probat ex illo ad Coloſſen 2. *In Chriſto ſunt omnes Theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei.* Si autem ipſi deficeret ſciētia per ſe infuſſa, aliquod deficeret theſaurum ſapientiæ, & ſciētiæ Dei. Vlteriùs in Angelis ponit duplicem cognitionem, quam deſumpſit ex Auguſtino, matutinam vnam, qua res in verbo cognoſcuntur; veſpertinam alteram, quā res in própria natura per lumen a Deo infuſſum cognoſcuntur, & per ſpecies eaſdem res in proprijs naturis repreſentantes, quod proprium eſt huius ſcientiæ. Ergo in Chriſto debet poni etiam ſimilis duplicata cognitio, ſicut enim in Angelis prior non impedit ſecundam; ita neque in Chriſto impediet. Quam plurima alia loca adducit Cabr. in comm. huius art.

Ratione autem S. Thom. probatur poſitio noſtra. Verbum Diuinum aſſumpſit intellectum poſsibilem cum omni poſsibili perfectione; ſed ſi non infunderetur iſta ſcientia, & conſequēter ſpecies omnium rerum in proprio genere repræſentantes, non eſſet intellectus Chriſti cum omni poſsibili perfectione; ſiquidem omne, quod eſt in potentia ad actum, toto tempore, quo non confertur actus ipſi debitus, eſt imperfectum. Ergo cum ad perfectionem intellectus poſsibilis, prout à Verbo aſſumpti pertineat omnis poſsibilis perfectio, debita eſt infuſsio huius ſcientiæ, & ſpecierum intelligibilium, qua res in ſua propria natura cognoſcat. Confirmatur; nam prædicta ſcientia eſt poſsibilis, vt de ſe liquet, & aliàs eſt perfectio, ſiquidem non ſolum eſt perfectio cognoſcere res in Verbo, ſed etiam illas in ſe ipſis cognoſcere. Ergo cum quidquid perfectionis poſsibilis eſt Chriſto Domino, tribuendum ſit illi, prædicta ſcientia tribui debet. Accedit ad hoc, quod ſicut, quia habebat perfectionem Beatorum, habet ſcientiā beatam; ita quia perfectionem habuit Angelorum, ſcientiam eorum per ſe infuſſam habere debet.

Reſolutio tertia ſit. Vltra prædictas ſcientias fuit in Chriſto Domino ſcientia natura ſua acquiſita. Ita etiam communitèr apud M. Godoy, dicta diſput. 32. §. 8. à num. 165. Eſt expreſſa mens Sanct. Thom. hic art. 4. quam probat in corp. ſic. Scientia natura ſua acquiſita illa dicitur, quæ comparabilis eſt per abſtractionem ſpecierum intelligibilium, cuius officium pertinet ad intellectum agentem: Sed Chriſtus Dominus talem intellectum agentem habuit. Ergo ne fruſtraneus eſſet, credendum eſt, abſtraxiſſe plures rerum ſpecies ad earum obiecta cognoſcēda per talem ſcientiam; fruſtra enim eſſet potentia, quæ aliquo tempore non reduceretur ad actum; ſicut non eſt fruſtra illa, quæ licèt pro aliquo tempore non reducatur ad actum, reducta fuit pro alio tempore, vt cernitur in potentia nutritiua, & augmentatiua in Beatis reperta, & in intellectu agente in Adamo reperto, qui licèt habuiſſet ſcientiam natura ſua acquiſitam per accidens infuſſam, vtpotè conſtitutus caput, & Doctor omnium rerum na-

tu-

Digitized by Google

turalium, neceſſario debuit habere omnium rerum ſpecies infuſas; præterquam quod aliquando abſtraxit ſpecies aliquarum rerum, quæ ad gubernationem naturæ humanæ non pertinebant, vt docet expreſſe S. Thom. 1. part. q. 94. art. 3. ibi enim poſtquam determinauit in corp. fuiſſe in Adamo ſcientiam infuſſam omnium rerum naturalium, quæ ad gubernationem pertinēt humanæ naturæ, inquit: *Alia verò, quæ nec naturali hominis ſtudio cognoſci poſſunt, nec ſunt neceſſaria ad gubernationem vitæ humanæ, primus homo non cognouit, ſicut ſunt cogitationes hominum, futura contingentia, & quædam ſingularia, puta, quod lapilli iaceant in flumine, & alia huiuſmodi.* Ex qua doctrina corruunt argumenta, quibus aliqui connantur rationem S. Thom. contemnere.

Reſolutio quarta ſit. Scientia iſta natura ſua acquiſita eſt ſpecie diſtincta a ſcientia per ſe, & ex natura ſua infuſſa, & à beata. De beata certum eſt apud omnes: de infuſſa contra Scotum probatur primò ex S. Thom. in hoc art. 4. ad 2. & ad 3. vbi docèt, ſcientiam infuſſam Chriſti, & acquiſitam natura ſua eſſe diuerſarum rationum; nam licèt vtraque verſari poſſit, & verſetur circa idem obiectum materiale, ſemper tamen verſantur circa illud ſub diuerſa ratione formali, nimirum, ſcientia natura ſua infuſſa verſatur circa obiectum per conuerſionem ad ſuperiora, id eſt, independenter a phantaſmatibus; ſcientia autem natura ſua acquiſita verſatur circa idem obiectum per conuerſionē ad inferiora, id eſt, cum tali dependentia a phantaſmatibus. Ergo licèt habeāt idem obiectum materiale, hæc diuerſitas ſufficiens erit ad diuerſificandas ſpecifice prædictas ſcientias. Confirmatur, nam eadem obiecta, quæ cognoſcuntur, in ſententia Scoti, & aliorū, per ſuam ſcientiam infuſſam cognoſcuntur a Chriſto per beatam, & nihilominus quia diuerſo modo cognoſcuntur ex parte obiecti formalis per vnam ſcientiam, ac per aliam, diuerſificantur ſpecificè, in eorum etiam ſententia, quia hic diuerſus modus attingendi eadem obiecta refundit in ipſis diuerſam rationem formalem. Ergo eadem ratio curret in noſtro caſu poſito.

Secundo probatur eadem poſitio; nam ſcientia per ſe infuſſa intrinſecè eſt ſupernaturalis, nec virtute naturali haberi poteſt, ſed à ſolo Deo infundi, ob quam rationem dicitur ſupernaturalis ſimplicitèr, ſcilicèt, tam ex parte ſui, quam ex parte principii infundentis; ſcientia autem natura ſua acquiſita, licèt ſupernaturalis dicatur, non tamen ſimplicitèr, & intrinſecè, ſed ſolum extrinſecè à principio infundente, neque ex ſe excedit virtutem naturalem, nec petit à Deo infundi, cum ex ſe acquiſibilis ſit, licèt peraccidens infundatur à Deo, quod non eſt extrahere illam ab eſſe naturali, ſed ſolum quoad modum infuſionis, vel habitionis, vt ita dicam, quod non variat eſſentiam ſcientiæ natura ſua acquiſitæ. Ergo licèt inter ſciētiam natura ſua acquiſitam, & peraccidens infuſſam non extet diuerſitas ſpecifica, ſicut non extat inter hominem creatum à ſolo Deo, & genitum ab alio homine, extabit tamen inter ſcientiam natura ſua infuſſam, & natura ſua acquiſitam; & in hoc conſiſtit tota contrariorum æquiuocatio, quia non conſiderāt, nūquam Sanct. Thom. nec Author eſt noſtræ ſententiæ ſomniaſſe ſcientiam peraccidens infuſſam, & acquiſitam ſpecie diſtingui, & ipſi arguunt non intelligentes concluſionem, probando ſpecie diſtingui, quod ex eo cōſtat, quia exempla, quibus vtuntur, hoc conuincunt, non illud, vt videre eſt in hoc creato, & genito, & in oculo cæci nati, & miraculosè reſtituto. Videatur Caiet. de hac re in comment. quæſt. 9. art. 4. qui plura, & pulchra docet, & ingenioſa, vt aſſolet, contra Scotum.

An prædictam ſcientiam habuerit Chriſtus Dominus peraccidens infuſſam?

ARTIC. V.

Reſolutio noſtra ſit contra Suarez, & alios Recentiores, cum Caietano tamen Cabrera, & Araujo in comment. huius artic. 4. Scientia iſta natura ſua acquiſita, quæ ponitur in Chriſto, non fuit illi peraccidens infuſſa, ſed proprio labore comparata, per inuentionem, ſcilicèt, luminis naturalis, & per abſtractionem ſpecierum intelligibilium. Primo, quia eſt expreſſa mens S. Thom-

Thom. in hoc art. 4. vbi retractat opinionem contrariam, quam ſecutus fuerat in 3. diſt. 14. quæſt. 3. art. 3. per hæc verba: *Neceſſe eſt dicere, quod in Chriſto fuerint aliquæ ſpecies intelligibiles per actionem intellectus agentis in intellectu poſsibili eius receptæ, quod eſt eſſe in ipſo ſcientiam acquiſitam, quam quidam experimentalem nominant. Et ideò quamuis aliter alibi ſcripſerim* (loco ſcilicèt cit. ex 3. ſent.) *dicendum eſt, in Chriſto fuiſſe ſcientiam acquiſitam, quæ propriè eſt ſcientia ſecundum modum humanum, non ſolum ex parte ſubiecti recipientis, ſed etiam ex parte agentis.*

Quæ verba ſic pondero; Sanct. Thomas docet, neceſſariò ponendam eſſe ſcientiam acquiſitam, ponendo in intellectu Chriſti ſpecies aliquas intelligibiles per actionem intellectus agentis, & ſecundum modum humanum productas; atqui hoc non eſt ſcientiam iſtam natura ſua acquiſitam peraccidēs infuſſam habere, ſed proprio labore, & induſtria eam comparare; aliàs enim ad quid deſeruiret actio intellectus agentis, ad ponendam iſtam ſcientiam acquiſitam modo humano, ſi iam infuſſa intelligeretur, & ad quid diceret Sanct. Thom. Chriſtum illam habuiſſe modo humano, non ſolum ex parte recipientis, ſed ex parte cauſæ agentis, ſi ipſa ab agente ſuperiori modo ſuperiori infuſſa eſſet. Vnde male Cabrer. hic docet diſp. vnica num. 20. & 21. ſecut⁹ Caiet. quod Sanct. Thom. in hoc art. ſolum intendit probare, fuiſſe in Chriſto ſcientiam acquiſitam, licèt ad 2. & ad 3. dicat fuiſſe, non ſolum acquiſitam, ſed modo acquiſito; cum ita clarè loquatur, imò clariùs in corp. art. quam in reſponſione ad 2. & 3. Secundo probatur ratione poſitio noſtra. Chriſtus Dominus non ſolum habuit ſcientiam beatā, & natura ſua infuſſam, ſed eas habuit cum ſuis modis connaturalibus, modo, ſcilicèt, beato, & modo infuſſo: atqui modus connaturalis ſcientiæ acquiſitæ eſt illam habere modo etiam acquiſito. Ergo talem ſcientiam acquiſitam habuit, & modo acquiſito, non vero peraccidens infuſſam.

Dices ex doctrina contrariorum, neceſſarium fuiſſe, quod ſuppleretur à Deo modus connaturalis habendi ſciētiam acquiſitam, ne anima Chriſti aliquo tempore careret iſta ſcientia; careret autem illa ſi non infunderetur peraccidens à Deo, cum, vt illam perfectā haberet, deberent occurrere Chriſto Domino omnia obiecta naturalia, a quibus abſtraheret ſpecies intelligibiles, quæ quidem obiecta occurrere Chriſto Domino erat moralitèr impoſsibile, nō ſolum paulo poſt natiuitatem eius, verum nec in toto ſuæ vitæ periodo: Ex quo etiam ſequeretur in eius anima ignorantia illorum obiectorum, quæ in tali tempore non occurrerunt; ac perconſequens, neceſſarium fuit, infūdi tales ſpecies, vt eius potentia reducta eſſet ad actum ſemper, & tanto tempore illo non careret. Hæ omnium Cōtrariorum doctrina, & vnicum effugium.

Verùm contra hanc doctrinam pluribus non inefficacitèr argumentor. primò; nam etiam ſi anima Chriſti aliquo tempore caruiſſet iſta ſcientia acquiſita, quoad omnia obiecta, quæ occurrere poterant; non ideo conuenientius fuit, illi peraccidens infundi, quā proprio labore decurſu temporis comparari, etiam ſi perſeueraret talis carentia, & per infuſsionem tolleretur; nam cognitio omnium obiectorum modo humano non erat debita Chriſto Domino pro omni tempore; potius enim debita erat carentia talis cognitionis pro aliquo tempore, vt ſicut proficiebat ætate, imò, & quantitate corporali, ſapientia proficeret, & experiendo quotidie noua obiecta, a quibus ſpecies intelligibiles abſtraheret. Ergo ſicut ætas perfecta, & perfecta quantitas non erat ipſi debita, ſed potius carentia talis, ætatis, & quantitatis erat ipſi debita pro aliquo tempore; ita cognitio omnium obiectorum modo humano non erat debita Chriſto pro omni tempore, ſed potiùs carentia illorum erat debita pro aliquo tempore; ac proinde talis carentia poterat eſſe in Chriſto ſine aliqua imperfectione, & ſinè infuſione talis ſcientiæ.

Secundò ſic argumentor contra eandem ſolutionem. Etiam ſi Chriſtus Dominus non cognoſceret modo humano omnia obiecta naturalia, non ideo eſſet ignorantia adhuc illorum obiectorum, quæ non cognoſcebat per hanc ſcientiam. Tum quia ignorantia pro-

propriè loquendo non eſt de modo obiecti, nec eſt carētia modi cognitionis; aliàs enim per ſcientiam beatam obiecta ignoraret, quæ cognoſcebat per acquiſitam, & per infuſam, quia per beatam ſcientiam non cognoſcebat illo modo acquiſito, & infuſo; ſed eſt carētia cognitionis obiecti. Chriſtus autem Dominus, licèt haberet carentiam modi cognitionis obiecti, non habebat carentiam cognitionis obiecti; ſiquidem illud, quod nondum expertus erat, à quo abſtraheret ſpecies, cognoſcebat per ſcientiam beatam in Verbo, & per infuſam in proprio genere; immò etiā cognoſcebat modū, quo humano modo cognoſcibile erat, licèt talem modum non cognoſceret humano modo, id eſt, per abſtractionem. Tum etiam, quia ignorantia non eſt carentia cognitionis vtcumque, ſed carentia cognitionis debitæ pro eo tempore; cognitio autem omnium obiectorum non debebatur Chriſto humano modo pro omni tempore, vt §. anteced. probatū eſt. Ergo non ſequeretur, in eo eſſe ignorātiam, etiam ſi non haberet iſtam ſcientiam peraccidens infuſam, ſed proprio labore comparatam.

Singulari quadam doctrina praecedens illuſtratur.

ARTIC. VI.

PRo cuius luce ſtatuo prius; quod dato quod ad habendam iſtam ſcientiam perfectam, neceſſaria eſſet abſtractio ſpecierum intelligibilium omniū obiectorum naturalium, quod præcipuè verum teneret in ſententia affirmāte, intenſionem qualitatis fieri per additionem gradus ad gradum, licèt Chriſto Domino, naturali rerum curſu ſtante, non occurriſſent tot obiecta naturalia, à quibus ſpecies intelligibiles abſtraheret, quod occurrere ſolent pluribus hominibus, qui maiori decurſu temporis degunt, & maiorem conatum ponunt in rebus terrenis, & naturalibus, quam in ſupernaturalibus, & Diuinis; adhuc tamen in fine ſuæ vitæ credibile mihi eſt, eum habuiſſe talem ſcientiam perfectiori modo, tàm ex parte ſcientiæ, quàm ex parte modi connaturalis eam habendi, quàm quilibet ex hominibus prædictis: Etenim licèt moralitèr impoſsibile videatur, tot occurriſſe Chriſto Domino obiecta, à quibus abſtraheret ſpecies, quot occurrunt prædictis hominibus; nullam tamen video repugnantiam in hoc, quod ea obiecta, quæ moralitèr impoſsibile erat ipſi occurrere, illi præſentaret Deus, vel per ſe ipſum, vel miniſterio Angelorum, à quibus ſic præſentatis, abſtraheret ſpecies intelligibiles, quibus abſtractis perfectior redderetur talis ſcientia in Chriſto, tàm ex parte ſcientiæ, quam modi ſciendi connaturalis per abſtractionē, quacumque alia puri hominis ſcientia acquiſita. Quo ſtatuto.

Reſolutio noſtra ſit. Poſita hac doctrina, in qua nulla eſt repugnantia, vt poſtea videbimus, non eſt mihi etiam creditu difficile, non ſolum in toto tēpore vitæ Chriſti omnium obiectorum naturalium ſpecies abſtraxiſſe, ſed hoc effeciſſe in ſuæ primo conceptionis inſtanti; & ſecundum hunc modum verificari, propriјſsimè hanc ſcientiam habuiſſe proprio labore comparatam; & ſecundum hanc etiam ſcientiam nihil didiciſſe ab hominib⁹, neq; ab Angelis; & ſecundum eandem ſcientiam profeciſſe quotidiè, experiendo ſe in actibus huius ſcientiæ circa diuerſa obiecta, à quibus iam abſtraxerat in inſtanti ſuæ conceptionis ſpecies intelligibiles, quibus abſtractis, cum volebat, in actum prorrumpebat. Id mihi primò colligo ex S. Thoma paſsim docente, profeciſſe Chriſtum in ſcientia experimentali, non quantum ad habitum. Ita quæſt. 20. de verit. art. 6. ad 3. Secundo ex S. Thoma 3. part. quæſt. 15. art. 3. ad 3. docente, Chriſtum numquam fuiſſe hominem, quin haberet iſtam ſcientiam perfectam; quod nequit intelligi, niſi ab inſtanti ſuæ conceptionis, in quo incepit eſſe homo, abſtraheret ſpecies omnium rerum naturalium, quibus abſtractis, ſolum proficere poterat quoad experientiam nouorum ſingularium, per extenſionem ſcientiæ iam habitæ; vt docet Opuſc. 2. cap. 216. in fine.

Dices tamen; hoc non poſſe fieri ſine maximo miraculo intercedente, in eo, quod Deus proponeret omnia obiecta naturalia, à quibus abſtraheret ſpecies, non ſolum in inſtanti conceptionis, in quo videtur difficilimum, verū

etiam

Digitized by Google

etiam in toto ſuæ vitæ periodo; cum tot, ac tanta ſint obiecta; vt non ſolum in vnico inſtanti omnia poſsint præſentari, & ab illis abſtrahere; verùm nec id fieri poteſt in tota vita humana, quātumuis longiori. Sed contra eſt primò; nam ex parte Dei non videtur repugnantia in eo, quod omnia obiecta naturalia Chriſto proponat in toto vitæ ſuæ decurſu, imò in vnico inſtanti; ex parte etiam Chriſti non videtur repugnantia in abſtractione ſpecierum omnium, cùm obiecta præſentia ſibi eſſent, & ex hoc extolleretur quàm maximè ſua ingenij acuitas, & ſubtilitas, quæ non indiget tanto tempore, ſicut cæteri homines, quamtumuis ſubtiles, & ingenioſi ſint; præcipuè Deo adhoc operante, cui omnia facilia ſunt; præcipuè etiam quia ſicut vt voluntas Chriſti perfectior eſſet in eſſe morali, neceſſarium fuit, Deum ita res diſponere, vt omnes virtutes morales in primo inſtāti Chriſtus haberēt infuſſas modo infuſſo, acquiſitas proprio labore comparatas; iuxta ea, quæ diximus ad materiam de gratia Chriſti diſp. 8. quæſt. 3. art. 3. ita vt eius intellectus perfectus eſſet in eſſe intelligibili; fuit etiam neceſſarium, Deum ita res diſponere, vt omnes ſciētias; tam infuſſas, quàm acquiſitas cum ſuis modis connaturalibus Chriſtus in eodem primo inſtanti haberet.

Secundò, nam etiam ſi propoſitio omnium obiectorum in tam breui tempore non contingat ſine miraculo; non ex hoc debet auferri à Chriſto Domino ſcientia acquiſita modo acquiſito, & poni modo infuſſo; quia etiam in hoc, quod ſcientia natura ſua acquiſita infundatur, intercedit miraculum; & non abnuūt concedere oppoſiti Authores, in Chriſto fuiſſe talem ſcientiam, vt in eo eſſent omnes theſauri ſapiētiæ, & ſcientiæ Dei. Ergo etiam ſi in tali propoſitione omnium obiectorum intercedat miraculum, non ob id neganda eſt ſcientia in Chriſto Domino acquiſita modo acquiſito; nam ex duobus miraculis, quorum vnum neceſſario tribuendum eſt Chriſto, illud tribui debet, quod magis extollit eius perfectionem, & magis ſe conformat cum rerum naturis; magis autem extollit perfectionem Chriſti, quod habeat iſtam ſcientiam modo acquiſito (licèt intercedat miraculum propoſitionis obiectorum in tam breui tempore) quam quod illam habeat modo infuſſo; etenim perfectius eſt Chriſtum ſe mouere ab intrinſeco generando iſtam ſcientiam, quam ſe mouere ab extrinſeco, quæ eſt generatio per accidēs per infuſsionem adepta, vt dicitur 8. Phyſic. & magis ſe conformat naturis rerum acquiſitio huius ſcientiæ proprio labore, quam agentis ſuperioris infuſſione, cum talis ſcientia natura ſua acquiſibilis ſit, & contra eius naturam ſit infuſsio, naturæ Chriſti magis conformis eſt, quod illam acquirat, quam quod ipſi infundatur; vt ſicut ipſe perfectus erat, non ſolum in ſcientia beata, & infuſſa, ſed in modis connaturalibus ſcientiæ beatæ, & infuſſæ; ita perfectus eſſet, non ſolum ſcientia acquiſita, ſed in modo connaturali ſcientiæ acquiſitæ. Ergo vt nulla perfectio, tam ex parte ſcientiæ, quam ex parte modi ſciendi ipſi defficeret, tribuenda eſt illi talis ſcientia in illo inſtanti modo acquiſito.

Cæterum in ſui fauorem opponunt primò aduerſarij. Melior eſt actus, quā potentia ad actum, vt dicitur 9. Metaphyſ. Ergo melius eſt, Chriſtū ſemper in actu habuiſſe iſtam ſcientiam, quod fieret, ſi illam per infuſsionem haberet, quam illam in potentia habere, quod fieret, ſe illam per acquiſitionem haberet. Reſpondeo iuxta duplicem modum phyloſophandi à nobis dictum in duplici hoc articulo; nam dicendo nunquam Chriſtum fuiſſe in potentia ad iſtam ſcientiam, ſed eo ipſo, quod fuit homo, habuit illam perfectam; ſed ſolum fuiſſe in potentia ad vſum talis ſcientiæ, quo ruit totum argumentum, contrarij etiam debent cōcedere, Chriſtum Dominum, etiam ſi habuiſſet ſcientiam iſtam infuſſam per accidens, eſſe in potentia ad vſum illius; vnde iuxta hunc modum quotieſcumque S. Thom. docet, Chriſtum ſecundum hanc ſcientiam, non à principio ſciuiſſe omnia, ſed paulatim, & poſt aliquod tempus, ſicut dicit hic quæſt. 12. art. 2. ad 1. ſic interpretandus eſt; dicendo tamen, Chriſtum Dominū fuiſſe in potentia, non ſolum ad vſum huius ſcientiæ, ſed ad perfectionem intrinſecam ipſius ſcientiæ, vt videtur fateri S.

Digitized by Google

S. Thom. loc. prox. cit. dicendum eſt ad argumentum, quod dicit Caiet. q. 9. ar. 4. §. *Ad obiectionem*, quod act⁹ melior eſt potentia cæteris paribus; in propoſito autem cætera non ſunt paria, nã ſi illam haberet per infuſsionem, eſſet motus ab alio, & præter modum connaturalem eam habendi; ac perconſequens, careret Chriſtus Dominus hoc motu ab intrinſeco, & hoc modo connaturali ſcientiam acquiſitam habendi, quæ præponderant illi præuentioni actuali ſcientiæ per infuſsionem adeptæ.

Opponunt ſecundò. Sicut Adamus datus fuit, vt eſſet Doctor generis humani, ita Chriſtus datus fuit, vt homines inſtrueret, atqui ob illud conueniẽs fuit, Adamum habuiſſe ſcientias naturales peraccidens infuſſas. Ergo ob id etiam conueniens fuiſſet Chriſto hoc idem. Reſpondeo, *ly ſicut* eſſe falſum, nã Adamus datus fuit, vt Doctor generis humani quoad naturalia, cui proinde conueniens fuit, ſcientiam omnium naturalium infundi, vt doceret, & inſtrueret; Chriſtus autem datus fuit præcipuè, vt Doctor ſupernaturalium, iuxta illud Ioan. 8. *Ergo quæ vidi apud Patrem, loquor*, & cum ad hoc haberet ſcientiam per ſe infuſſam, conueniens fuit, ſcientiam acquiſitam proprio cõparaſſe labore, vt ſicut proficiebat ætate, ſic ſapientia proficeret. Vel, dicendum, Chriſtum fuiſſe datum, vt Doctorem rerum naturalium, & vt illam ſciẽtiam perfectiori modo, quam Adamus haberet, propoſita fuiſſe ipſi omnia obiecta naturalia in inſtanti ſuæ Incarnationis, a quibus abſtraheret ſpecies intelligibiles, iuxta modum dictũ. Plura alia argumenta, quæ contra hanc doctrinam communiter fiunt, ex opugnatione ſententiæ contrariæ ſolutionem habent, & ideo miſſa facio.

In calce articuli ſubiungo, id, quod diligentèr inueſtigauit Magiſter Cornejo in quæſt. 11. dub. 2. Chriſtum Dominum non ſolum acquiſiſſe ſcientiam iſtam naturalem, ſed omnes artes naturales; nam licèt non ſe exercuerit in illis, ſaltem in omnibus, ſed in aliquibus, teſte Iuſtino Martyre, qui, vt refert Cornejo, aſſerit, Chriſtum exercuiſſe artem faciendi iuga, & aratra; habuit tamen actum interiorem, qui conſiſtit in cognitione practica præcedente actum exteriorem, in quo actu interiori conſiſtit ars; actus autem exterior non eſt ars, ſed opus, & exercitium artis, quo licèt caruerit, non caruit arte quacumque.

Quænam obiecta anima Chriſti ſcientia beata cognouerit?

QVÆSTIO II.

IN Hac re, iuxta diuerſitatem obiectorum, diuerſa Authores dixere. Primo circa poſsibilia, licèt omnes cõueniant, animam Chriſti aliqua per hanc ſcientiam cognouiſſe, aliqui tamen, non ſolum hoc contenti, omniũ poſsibilium cognitionem tribuerunt. Ita Magiſter in 3. diſt. 14. Albert. art. 1. & Durand. quæſt. 2. quod nec improbat Scotus ibid. quæſt. etiam 2. Contra quos ſtat commune Theologorum aſſerentium, non cognouiſſe, nec potuiſſe cognoſcere omnia poſsibilia. Ita Caiet. hic quæſt. 10. art. 2. vbi communitèr omnes Thomiſtæ; Cabrera, Aluarez, Cornejo, Araujo, quibus ſubſcribit Suarez diſp. 26. Vazquez diſp. 50. Lorca diſp. 48. & Auerſa quæſt. 10. ſect. 2. & nouitèr R. & Illuſtriſ. M. Godoy diſput. 34. à num. 6. vbi citat Nazarium, Albelda, Sancto Thoma, Salmanticenſes Diſcalceatos, & alios ex Societate Ieſu. Secundo autem circa creaturas in aliqua differentia temporis exiſtentes, aliqui Hæretici noſtri tẽporis, vt refert Caniſius de Maria Deipara cap. 22. affirmarunt, animam Chriſti, non ſolum aliqua exiſtentia in aliqua differentia temporis ignoraſſe, vt diem iudicij, ſed impij dixerunt alfabetum ſub ferula Præceptoris didiciſſe. Ricardus autem in 3. diſt. 14. art. 2. q. 3. docet non cognouiſſe animam Chriſti futuras omnes cogitationes. Contra quos etiam ſtat commune Theologorum aſſerentium, non ſolum non didiciſſe ſub ferula Præceptoris, ſed nullam creaturam in aliqua differentia tẽporis extituram ignoraſſe, ſed omnes illas cognouiſſe. Sic omnes præcitati Authores, cum M. Godoy, dict. diſp. 34. §. 5. à num. 113.

Quæ-

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo. Animam Chriſti Domini ex parte principij, & luminis cuiuſcumque ſcientiæ ex creatis, quas habuit, exceſsiſſe in perfectione, quodcumque aliud lumen ſcientificum cuicumque creaturæ, tam humanæ, quam Angelicæ conueniens; quod admittunt omnes Theologi cum S. Thom. 1. part. q. 12. art. 6. & in hac 3. part. quæſt. 10. art. 4. & ratio eſt clara; nam quãto quis magis propinquior eſt alicui cauſæ ſuperiori, magis participat de influẽtia eius: ſed anima Chriſti magis propinquior erat Verbo Diuino quod eſt fons ſapiẽtiæ, quam quælibet alia creatura lumen ſcientificum participans; ob quod inſigniri meruit illo ad Hæb 2. *Tantò melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit.* Ergo quodcumque ſcientificum lumen ex repertis in anima Chriſti exceſſum habuit præ luminibus cuicumque creaturæ pertinẽtibus. Addo, ex parte concurſus luminis, eodem modo ſe habere quodlibet lumen in anima Chriſti Domini, ac in qualibet alia creatura: v.g. ſicut lumen gloriæ, quod eſt lumen ſcientiæ beatæ in quolibet Beato concurrit, vt tota ratio agendi ad viſsionem, iuxta veriorẽ ſententiam Thomiſtarum; ita lumen ſcientiæ beatæ animæ Chriſti concurrit, vt tota ratio agendi ad ipſam ſcientiam beatam. Quod qua ratione intelligendum ſit ad tract. de gratia Chriſti deciſsum reliquimus, & quod dicitur de lumine gloriæ dictum intelligite de alijs luminibus proportione ſeruata, & idẽ eſt de eſſentia concurrente per modum ſpeciei impreſſæ.

Obſeruo ſecundo cum communi etiã Theologorum; quod ſicut ex parte luminis ſuperauit anima Chriſti Domini quamlibet aliam creaturam quauis ſcientia exornatam, ita ex parte viſsionis & ſcientiæ in actu ſecundo ſuperauit quamlibet aliam viſionem, & ſcientiam cuiuſcumque creaturæ, non ſolum in eſſe morali & dignificatiuo, ſed etiam in eſſe phyſico ipſius. Ratio etiã eſt clara; nam cum perfectio ſcientiæ non deſumatur ex ſubiecto habente illam, ſed ex lumine, quo perfuſum, & illuſtratum eſt ſubiectum, quantò exceſſit lumen animæ Chriſti lumen cuiuſcumque creaturæ, tantò exceſsit illius viſio, & ſcientia actualis hanus viſionẽ, & actualem ſcientiam. Hinc obiter annotato, quod ſi per poſsibile, vel impoſſibile aliquis Angelus æquale lumen ſcientificum haberet, ac anima Chriſti Domini, & aliàs intellectus Angeli perfectior eſſet, quam intellectus humanus Chriſti, ſicut natura Angelica perfectior eſt, quam natura humana Chriſti; non ideo, ſi cætera eſſent paria, perfectiorem actum ſcientificum Angelus elliceret, adhuc in eſſe phyſico, quam Chriſtus Dominus. Tum propter rationem datam. Tum etiam, quia illa maior perfectio in intellectu Angeli præ Chriſti intellectu ſolum eſſet in ratione proprietatis, & paſsionis naturæ, quæ ſicut perfectior eſt Angelica, quã humana, ita, & intellectus, ſecundum quod eſt paſsio, & proprietas, perfectior eſt Angelicus, quam humanus; ſecundum quem conceptum, & conſiderationem ſicut ſolum exprimit ordinẽ ad naturam, cuius eſt proprietas, ſolum etiam perfectionem participabit ex ordine ad illam, in ratione proprietatis, & paſsionis, maiorem, vel minorem, iuxta maiorem, vel minorem naturæ perfectionem; non autem eſſet maior perfectio in intellectu Angeli, in ratione potentiæ, quæ quidem, ſicut totus eius ordo in ordine ab obiectum deſumitur, quod idem formaliſsime eſt vtriuſque, ſicut idẽ formaliſsime eſt obiectum potentiæ viſiuæ hominis, & equi ſine exceſſu in perfectione; ſic ſine tali exceſſu actus prodiret ſcientificus, quem potentia, vt potentia immediate reſpiceret. De quo plura diximus in lib. de Anima diſp. 2. quæſt. 3. art. 1. & 2.

Obſeruo tertio. ex creaturis quas anima Chriſti per ſcientiam beatam cognouit in Verbo, non eas habitu tantum, ſed actu ſimul eas cognouit. Eſt commune Theologorum cum S. Th quæſt. 20. de verit. art. 5. cõtra Vazquez tom. 1. in 1. part. diſp. 54. c. 1. Ratio S. Th. eſt, quia anima Chriſti, & cuiuslibet Beati, quatum ad viſsionem beatam, qua videt Verbum, & res in Verbo, non patitur ſucceſsionem in intelligendo. Tum, quia vt probat S. Thom.

ex Auguſt. 14. de Trinitate, in patria non erunt volubiles cogitationes. Tū etiam, quia viſio beata, cum menſuretur æternitati, quæ actu ambit omne tē pus ſine variatione, & ſucceſsione, licèt aliàs in ſe ſucceſsiua ſint tempora, actu, & ſine variatione ambit, & omnes creaturas, quas cognoſcit. Tum denique, quia omnia, quæ videntur in Verbo, videntur per eandem ſpeciem, ſcilicèt, per eſſentiam Diuinam, & per idem lumen gloriæ; imò, & ex vi viſionis, vt commune eſt Theologorum contra Vazquez ad 1. part. quæſt. 12. Ergo ſi non variatur viſsio Verbi, nec variabitur creaturarum viſio; ac perconſequens, ſiuè ſint poſsibiles, ſiuè exiſtentes in aliqua temporis differentia, dum modo cognoſcantur in Verbo, & in eſſentia, vt diuerſimode determinata, omnia, quæ cognoſcit, ſimul illa cognoſcet.

Obſeruo quarto. Certum eſſe, & ſine temeritatis nota negari non poſſe, per nullam ſcientiam creatam, quantumuis perfectiſsimam, comprehendi, vel poſſe comprehendi in rigore eſſentiam Diuinam: ob quod paſsim in Sacris literis Dei iudicia incomprehenſibilia dicuntur, & inueſtigabiles viæ eius; quod iam diu firmarunt Theologi ex definitione Auguſt. Epiſt. 112. cap. 8. *Illud comprehenditur, cuius nihil latet videntem*, quæ definitio; ſi illud, *nihil* ſupponat in bono ſenſu, ſicut intelligūt communitèr Thomiſtæ, ſcilicèt, vt nihil ex his, quæ inre comprehendenda ſunt formalitèr, & eminentèr; neſcio qua ratione non admittatur ab omnibus, cum cognitis illis exhauriatur tota virtus, & penitus à cognitione circumſcribatur. Conſulto dixi non poſſe comprehendi eſſentiam Diuinam *in rigore* à qualibet ſcientia creata; nam ſi comprehenſio ſumatur pro tentione, ſeu adeptione rei, poteſt dici, comprehendi eſſentiam Diuinam, & defacto conceditur in hoc ſenſu comprehendi à quolibet Beato, iuxta illud ad Chorin. 1. *Sic currite, vt comprehendatis*. Quibus ſic obſeruatis.

Quidnam dicendum circa cognitionem poſsibilium per ſcientiam beatam?

ARTIC. II.

PRo cuius luce ſtatuo prius. Animam Chriſti Domini per ſcientiam beatam videre omnia, quæ ſunt formalitèr in Deo, ſiue abſoluta, ſiue relatiua, quod tamquam de fide docent Theologi, tum 1. part. quæſt. 12. art. 7. tum etiam hic quæſt. 10. art. 2. ex illo Ioan. 14. *Qui videt me, videt, & patrem meum*; & ex illo 1. Ioan. 3. *Videbimus eum; ſicuti eſt*, & cum in ſe non ſit tantum vnus, per quod explicantur omnia abſoluta, ſed etiam Trinus, per quod omnia relatiua: omnia videntur ab anima Chriſti: quod autem videri poſsit vnum ſine alio, non eſt huius loci. Videantur Expoſitores S. Thom. ad quæſt. 12. 1. part. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio noſtra ſit. Anima Chriſti, licèt cognoſceret in Verbo per ſcientiam beatam plura poſsibilia quocumque alio Beato, non tamen cognouit, nec cognoſcere potuit omnia. Sic expreſſe S. Thom. tum in hac 3. part. q. 10. art. 2. tum etiam 1. part. quæſt. 12. art. 8. & quæſt. 20. de verit. art. 5. Cuius ratio ex locis deſumpta ſic poteſt cō poni, quæ licèt communis, ſemper efficax. Si anima Chriſti agnoſceret in Verbo omnia poſsibilia, comprehenderet omnipotentiam Dei; Etenim tunc aliquid comprehenditur, quando ita cognoſcitur, quod omnia, quæ tàm formalitèr, quàm eminenter in ipſo ſunt, attinguntur, id eſt, quando totum, & totalitèr ex parte obiecti cognoſcitur: atqui ſi anima Chriſti videret in Verbo omnia poſsibilia, nihil eorum, quæ ſunt in ipſo, & potentia Dei formalitèr, & eminenter lateret animam eius, ſed tota, & totalitèr ex parte obiecti cognoſceretur, nam nihil latere animam Chriſti, & totum, & totalitèr videri ex parte obiecti, eſt cognoſcere adæquatum terminum potentiæ Diuinæ, hancque circumſcribere; ſicut ſi aliquis euidenter cognoſceret omnes concluſiones in aliquo principio contentas, principium ipſum comprehenderet, quia nihil eorum, quæ in tali principio

pio

Digitized by Google

pio continentur, lateret cognoſcentē. Ergo cum terminus adæquatus omnipotentiæ Diuinæ ſint omnia poſsibilia, viſis illis, non poteſt non Dei potentia comprehendi.

Dices cum aliquibus Recentioribus, non ſufficere ad rationem comprehenſionis, vt nihil eorum, quæ ſunt formalitèr, & eminentèr in aliqua potentia, principio, vel cauſa lateat cognoſcentem, ſed requiritur, vt ea omnia cognoſcantur ea perfectione ex parte cognitionis, qua cognoſcuntur a Deo; vnde infertur, quod licèt anima Chriſti omnia annumerata agnoſceret, cum illi deficeret ea perfectio ex parte modi cognitionis, non comprehenderet Diuinam potentiam. Sed præterquam quod hæc ſolutio ſtare non poteſt cum definitione Auguſtini, in qua nihil requirit præter cognitionem eorum, quæ ſunt formalitèr, & eminenter in cauſa, potētia, vel principio. Cōtra eſt, primo, quia etiam ſi Deus, & Angelus ſuperior perfectiori modo ex parte cognitionis cognoſcant formicam, v.g. quam Angelus inferior; nihilominus Angelus inferior comprehendit illam, iuxta communem modum phyloſophandi. Ergo ad comprehenſionem non requiritur ea perfectio ex parte cognitionis, quam excogitant prædicti Authores. Contra, ſecundo, quia aliàs nulla creatura aliam comprehendere poſſet, ſed ſolus Deus. Tertio; & efficaciter argumentor ex comprehenſione corporali, ex qua deducta eſt per metaphoram comprehenſio ſpiritualis; qualis eſt cognitio; nam etiam ſi quantitas poſsit, & de facto circumſcribatur; & comprehendatur ab alia quantitate maiori, v.g. pomum ab aliqua magna manu, nō tollit, quominus ab alia manu minori circumſcribi, & comprehendi poſsit, & de facto circumſcribatur, & comprehendatur, dummodo omnes pomi partes circumſcribat. Ergo idem continget in noſtro caſu.

Pro quo ſic diſcurrite conformiter ad doctrinam, quā pluries doceo; quod ſicut in potentiis poteſt eſſe æqualitas in perfectione, ſi conſiderentur potentiæ in eſſe potentiarum (loquor de perfectione non propria, quia potentia, vt potentia, ſicut non dicit ordinem ad ſubiectum, ſed ad obiectum, ita non habet propriè perfectionem, quæ tota eſt in ordine ad ſubiectū) cum inæqualitate in perfectione, ſi conſiderentur in ratione paſsionum, & proprietatum, ſecundum quam rationem magis, vel minus habent perfectionis, iuxta maiorē, vel minorem perfectionem eſſentiæ, cuius ſunt paſsiones, vel proprietates; ita in ipſis actibus poteſt eſſe æqualitas in ratione comprehenſionis obiecti, ſi omnes comprehendant illud, quia ratio cōprehenſionis formalitèr, vt talis, in indiuiſsibili conſiſtit, in attingentia, ſcilicèt, obiecti, ſecundum ea, quæ formalitèr, & eminentèr continet, quæ ratio exprimit exercitium potentiæ, vt potētia eſt, cuius tota eſſentia eſt in ordine ad obiectum, cum inæqualitate in ratione cognitionis, prout exprimit exercitium potentiæ, non in ratione potentiæ, ſed in ratione proprietatis, quæ ratio de materiali ſe habet ad rationem comprehenſionis, ſicut ratio comprehenſionis ad illam etiam de materiali ſe habet, nec ſecundum rationem comprehenſionis formalitèr exprimit munus accidentis, licèt ſecundum alteram rationem talis accidētis munus ſubeat, vnde cum ſumma æqualitate cognitionis Angeli ſuperioris, & inferioris in ratione comprehenſionis obiecti, poteſt eſſe inæqualitas in ratione accidentali exercitii potentiæ intellectiuæ vtriuſq; vt paſsio, & proprietas eſt, iuxta maiorem perfectionē naturæ vnius præ alio.

Cæterum in ſui fauorem opponunt primo aduerſarij, à destructione fundamenti pro noſtra reſolutione poſiti. Etiam ſi cognoſcatur terminus adæquatus alicuius cauſæ, potentiæ, vel principij, non ſequitur comprehenſio cauſæ, potentiæ, vel principij. Ergo etiam ſi anima Chriſti per ſcientiam beatā cognoſceret omnia poſsibilia, quæ ſunt termini adæquati Omnipotentiæ, non ſequeretur Omnipotentiæ comprehenſio. Antecedens probant, primo. Nam cognito vno effectu poſsibili in Omnipotentia, non comprehenditur Omnipotentia, vt eſt cauſa illius effectus, cum per eandem virtutem ſit cauſa vnius, ac omnium poſsibilium. Secūdo, & vrgentius; nam a quolibet Beato videtur terminus adæquatus potentiæ generatiuæ Patris, ſcilicèt Verbum, & terminus adæquatus potentiæ ſpiratiuæ

Patris, & Filij, ſcilicèt, Spiritus Sanctus; & nihilominus non comprehenditur a Beato potentia generatiua Patris, nec ſpiratiua Patris, & Filij; aliàs enim a quolibet Beato eſſentia Diuina comprehenderetur, cum potentia generatiua, & ſpiratiua ſint ipſamet eſſentia Diuina. Ergo ex cognitione termini adæquati in cauſa non ſequitur cõprehenſio ipſius cauſæ.

Relictis varijs ſolutionibus, quas articulis ſubſequentibus explicabimus, & impugnabimus. Reſpondeo, negando antecedens; & ad probationem dico, quod cognito vno effectu poſsibili in Verbo, vel Omnipotẽtia, comprehenditur Verbum, & Omnipotentia, ſecundum quod ſunt cauſa reduplicatiuè illius effectus, licèt non ſecundum entitatem cauſæ. Quam ſolutionem probabilem reputat Araujo hic quæſt. 10. art. 3. dub. 1. In ſolutione ad 3. argum. quam refert tenuiſſe Capreolum in 3. diſt. 14. quæſt. 2. ad 2. Scoti, & Caietanum art. 3. ſequenti, & clarius 1. part. quæſt. 12. art. 8. §. Ad ſecundum cui ſolutioni, vt nos eam explicamus acquieſcit R. & Illuſtriſſ. M. Godoy, hic diſp. 34. §. 3. num. 69. pro qua adducit etiam ferrara, cum quo tamen ſtat, quod non comprehendatur Omnipotẽtia, nec Verbum ſpecificatiuè ſumptis, nam licèt per eandem virtutem formalem Omnipotẽtia, & Verbum ſint cauſa vnius poſsibilis, ac omnium, non tamen per eandem virtutem formalem, & virtualem, ſeu eminentialem, vnde poteſt comprehendi Omnipotentia, ſicut, & Verbum, ſecundum iſtam eminentiam, ſecundum quam eſt cauſa huius poſsibilis, quin comprehendatur ſecũdũ omnes eminẽtias, ſecũdũ quas eſt cauſa omnium. Idem dico ad illud de potentia generatiua Patris, & ſpiratiua Patris, & Filij, comprehendi quidem à quolibèt Beato ſecũdum rationem potentiæ notionalis generatiuæ, & ſpiratiuæ, non autem ſecundum rationem potentiæ Diuinæ, quia vt ſic, ad plura, quam ad Verbum, & Spiritum Sanctum terminãtur. Ex quo ſoluitur aliud argumentũ de ſcientia libera, quæ ab anima Chriſti comprehenditur, ſecundum quod libera eſt, eo ipſo, quod ab anima Chriſti cognoſcantur, ſicut cognoſcuntur omnia præterita, præſentia, & futura, quæ vt terminum adæquatum reſpicit; non autem comprehenditur, vt ſcientia Diuina eſt, quia vt ſic, nõ ſolum hæc omnia reſpicit, ſed quã plurima alia; & poteſt hæc comprehenſio vocari *ſecundum quid*, ſicut communitèr vocatur comprehenſio *ſecundũ quid* illa, qua viſis omnibus poſsibilibus ad ordinem naturæ pertinentibus, cõprehenditur Deus præciſſè, vt author naturæ eſt.

Opponunt ſecundò. Quantumuis cognitio beata ſe extendat ad omnia poſsibilia in Verbo, non eſt magis perfecta, ſaltem intenſiuè, licèt ſit extenſiuè, quam ſi ſe extendat præciſſè ad eſſentiam Diuinam, cum nulla perfectio intenſiua accreſcat cognitioni ex obiecto ſecũdario, qualia ſunt poſsibilia, & aliàs magis perfici videtur cognitio ex eo, quod ſe extendat ad omnia, quæ ſunt formalitèr in Deo, quam ſi ſe extendat ad ea, quæ ſunt tantum eminẽtèr, cum illa infinitę ſint perfectionis, ſecus iſta: atqui ex eo, quod ſe extendat ad illa omnia, quæ ſunt formalitèr in Deo, non habet perfectionem intenſiuam ad comprehẽſionem requiſitam, aliàs quilibet Beatus hæc omnia cognoſcens Deum comprehenderet: Ergo licèt cognitio beata animæ Chriſti ſe extendat ad omnia poſsibilia, quæ tantum eminenter ſunt in Deo, non ideo illi accreſcet perfectio intenſiua ad comprehenſionem requiſita.

Reſpondeo, negando maiorem; non ſolum enim accreſcit perfectio extenſiua cognitioni Beati ex eo, quod in Verbo videantur omnia poſsibilia, ſed intenſiua perfectio accreſcit, non ex obiecto ſecundario, ſed ex ipſo obiecto primario, ſcilicèt, eſſentia Diuina, quæ in ratione obiecti perfectior eſt, ſecundum quod omnia continet, quam ſit ſecundum ſe, & ſinè hoc reſpectu; nec magis perficitur viſio ex eo quod ſe extendat ad omnia, quæ ſunt formalitèr in Deo, quam perficitur ex eo, quod ſe extẽdat ad ea, quæ in ipſo ſunt eminenter; quia in primò omnes cognitiones beatæ pares ſunt, ſecus autem in ſecundo; quod autem illa infinitę ſint perfectionis, ſecus iſta, nihil refert, cum obiectum primarium iſtius perfectius ſit in eſſe obiecti, quam obiectum primariũ illius, eo quod talis cognitio nõ ſolũ terminatur

Digitized by Google

tur ad ea, quæ ſunt formalitèr in Deo, ſicut prima, ſed vlterius terminatur ad ea, quæ ſunt eminenter in ipſo.

Opponunt tertio. Etiam ſi anima Chriſti cognoſceret omnes creaturas poſsibiles in ſe ipſis per proprias illarum ſpecies, non comprehēderet Omnipotentiam Dei, cùm illa cognitio poſsibilium in ſe ipſis eſſet finita ſimplicitèr. Ergo etiam ſi illas cognoſceret in Verbo, vel Omnipotentia; non eſſet comprehenſio, cum ſicut Verbū, vel omnipotentia nullam infinitatem ſimplicitèr tribuit poſsibilibus in eſſe rei, ita neque in eſſe cognoſcibili. Reſpondent communitèr Authores, negando conſequentiam, vt videri poteſt apud Cabr. hic quæſt. 10. art. 1. diſp. 4. à num. 28. ſed ego in hoc nullam inuenio diſparitatis rationem, & ratio S. Thom. vtrumque conuincit; nam tota vis rationis S. Th. ſtat in hoc, quod ſi anima Chriſti Domini cognoſceret omnia, quæ ſunt in potentia Dei, per modum termini adæquati, comprehenderet Diuinam potentiam: ſed eò ipſo quod cognoſcerentur omnia poſsibilia, cognoſcerentur omnia, quæ ſunt in potentia Dei, vt terminus adæquatus potentiæ; ratio enim termini adæquati potentiæ non auffertur ex eo, quod ſine aliquo medio cognoſcantur, vel non cognoſcantur, nec de hoc meminit S. Thom. Ergo S. Thomæ ratio vtrumque conuincit euidentèr. Quare.

Reſpondeo alitèr cum Cornejo hic quæſt. 10. diſp. 2. dub. 1. num. 4. vtroq; modo colligi comprehenſionem Omnipotentiæ cum hoc diſcrimine, quod ſi cognoſceret anima Chriſti omnia poſsibilia in Omnipotentia, ſequeretur comprehenſio a priori; ſi autem in ſe ipſis omnia poſsibilia cognoſceret, ſequeretur comprehenſio a poſteriori, & (vt ipſe loquitur) argumentatiuè; eo enim ipſo, quod quis videret omnia poſsibilia in ſe ipſis, non poſſet, non facere hūc diſcurſum, ego cognoſco terminum adæquatum Omnipotentiæ: ergo ſimul cognoſco, non poſſe Omnipotentiam ad ampliùs extendi, ac per conſequens, eſſe circumſcriptam; & quia potentiæ Diuinæ, neque a priori, neque a poſteriori poteſt dari comprehenſio; ideo melius dicendum iudico, propter idē inconueniens, non potuiſſe animam Chriſti omnia poſsibilia in ſe ipſis cognoſcere; vnde licèt iſte terminus in ſe finitus ſimplicitèr ſit, ex illius tamē cognitione arguitur, Omnipotentiam exhauſtam eſſe in eſſe cognoſcibilis; Quare neſcio, qua ratione componat Cabr. quod dicit loc. cit. (verba ſunt ipſius) *Etiam ſi anima Chriſti comprehenderet effectus omnes poſsibiles in ſe ipſis, non ſubinde comprehenderet eſſentiam Diuinam, vel omnipotentiam*, cum eo, quod dicit eodem loco num. 12. (verba etiam ſūt ipſius) *implicare contradictionem animā Chriſti omnes effectus poſsibiles in ſe ipſis videre*. quod probat ex S. Thom. quæſt. 20. de verit. art. 5. ad 4. ex eodem incōuenienti, quod ſequeretur, ſi in Omnipotentia omnes effectus illos cognoſceret.

Quidnam dicendum circa comprehenſionem Trinitatis ex ſuppoſitione comprehenſionis Omnipotentiæ, viſis omnibus poſsibilibus?

ARTIC. III.

Pro cuius luce ſtatuo prius, Deum in ſe non ſolum dicere omnia prædicata abſoluta, ſed etiā relatiua, vt potè ſicut eſſentialitèr eſt vnus in eſſentia, ad quā pertinent prædicata abſoluta; ita eſſentialitèr eſt trinus in perſonis, ad quas pertinent relatiua. Vlteriùs, aliud eſſe cognitionem eſſe comprehenſiuam abſolutè, & ſimplicitèr reſpectu alicuius obiecti; aliud eſſe comprehenſiuam ex vi huius, vel illius medij; ſtat enim benè cognitionem dici, & eſſe abſolutè, & ſimplicitèr comprehenſiuam alicuius obiecti adæquati, & non dici talem reſpectu eiuſdem obiecti ex vi cuiuſcumque medij, vt patet in cognitione, qua Deus ſe ipſum per ſe ipſum in creaturis cognoſcit, quæ comprehenſiua eſt ſui; vt eſt vnus, & trinus: & eadem cognitio, qua per creaturas in creaturis ſe ipſum recognoſcit, non eſt, vel ſaltem nō exprimit eſſe comprehenſiuam ſui ipſius, vt trinus eſt, quia ex vi huius medij creaturarum non petit ipſe cognoſci, niſi ſecundum quod, creaturæ dicūt dependentiam per modum termini ab ipſo per modū cauſæ, quæ eſt vnitas ipſius, & non trinitas, nam per trinitatem non eſt cauſa creaturarum, iuxta cōmune axioma Dionſij, quod opera Trinitatis

tis ad extra ſunt indiuiſa, id eſt, orta à Deo, vt uno. Hinc res hæc non ita in confuſo, vt communitèr fit, definienda eſt: ob quod nō vobis moleſtus ero ſi aliquos ſpeciales articulos ex proprijs elaboratos pro explicatione radicitus incomprehenſibilitatis Dei in medium adducam. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio noſtra ſit. Per locum intrinſecum non ſequitur comprehenſio Dei, vt eſt trinus in perſonis ex vi medij cognitionis omnium poſsibilium in omnipotentia, licèt aliàs talis cognitio materialitèr ſit totius Dei comprehenſiua. Hanc ſingularitèr a me poſitam reſolutionem iudico tantum intendere Sanctum Thomam, quotieſcumque comprehenſionem omnipotentiæ arguit ex cognitione omnium poſsibilium. Et vt ab hac vltima reſolutionis parte incipiam, quæ communis eſt inter Thomiſtas, clare videtur ſic probari. Quia ſi anima Chriſti, vel cuiuslibet Beati videret omnia poſsibilia in omnipotentia, non poſſet talis cognitio non eſſe comprehenſiua abſolute, & ſimplicitèr totius Dei, etenim omnia videret, tam abſoluta, quam relatiua, quæ ſunt formalitèr in Deo; & aliàs omnia, quæ in ipſo ſunt eminenter ſcilicèt poſsibilia, videret: ergo videretur Deus totus, & totalitèr. Atqui hoc eſt eſſe cognitionem abſolute, & ſimplicitèr comprehenſiuam alicuius obiecti quoad totam eius cognoſcibilitatem: neque enim alio modo Deus ſe ipſum comprehendere dicitur quoad abſoluta, & relatiua, niſi quia cognoſcit omnia, quæ ſunt in ipſo formalitèr, & quæ in ipſo ſunt eminenter: ergo talis cognitio non poteſt non eſſe totius Dei cōprehenſiuas.

Quoad ſecundam partem, in qua reſolutio noſtra ſingularis videtur, probatur efficacitèr primò ex ijs, quæ diximus in principio huius articuli, nimirum optimè compati cognitionem aliquam eſſe abſolute, & ſimplicitèr cōprehenſiuam alicuius obiecti quoad totam eius cognoſcibilitatem ex vi cuiuſcumque medij, vt docent communitèr Theologi ad 1. par. quæſt. 14. vbi Deus ſe cognoſcit in ſe ipſo in creaturis, quæ cognitio, vt ſic comprehenſionem exprimit totius Dei ſecundum, quod eſt trinus, & vnus: & eadem formalis cognitio eminenter diuerſa, qua Deus ſe ipſum iterum per creaturas cognoſcit, non exprimit cognitionem Dei, vt eſt trinus, quia ex vi medij creaturarum non petit, vt trinus recognoſci, niſi, vt unus, ſecundum quan tantum rationem creaturæ dependent ab ipſo, vt omnes Theologi, loc. cit. iam diu vnanimi conſenſu firmarunt: ergo benè ſtabit cognitionem, qua anima Chriſti, vel cuiuslibet Beati, quæ eſt formalis participatio diuinæ cognitionis, videret in omnipotentia omnia poſsibilia per ipſam eſſentiam Diuinam, dici comprehenſiuam totius Dei, & ipſamet cognitio formalis, eminentialitèr a ſe ipſa diſtincta, qua ex vi medij omnium poſsibilium omnipotentiam recognoſcit, non dici comprehenſiuam Trinitatis Dei, quia a Trinitate non dicunt poſsibilia dependentiam per locum intrinſecum, ſed ab vnitate Dei, cuius vnitatis ad ſummum poteſt comprehenſiua nūcupari.

Secundò eadem reſolutionis pars efficacitèr videtur probari ex locis Sanct. Thomæ in hac quæſt. art. 2. pro noſtra reſolutione adductis, etenim quotieſcumque D. Thomas probat comprehenſionem omnipotentiæ ex cognitione omnium poſsibilium, nec verbum innuit, ex quo colligatur comprehenſio totius Dei, quin potius Trinitatis comprehenſionem videtur excludere ex vi huius medij cognitionis omnium poſsibilium, cum ſic arguat. Ex cognitione omnium effectuum in cauſa ſequitur comprehenſio cauſæ. Tum ſic, relationes Diuinæ, aut Deus vt Trinus neutiquam eſt cauſa poſsibilium, cum etiam ſi Deus non eſſet Trinus, daretur in illo cauſa adæquata creaturarum productiua, cum opera Trinitatis ad extra non ſint diuiſa, id eſt, orta à Deo vt Trino, ſed indiuiſa, orta, ſcilicèt, à Deo vt vno: ergo ex tali comprehenſione omnipotentiæ ex vi medij cognitionis omnium poſsibilium non ſequitur per locum intrinſecum comprehenſio totius Dei etiam vt Trinus.

Ad hoc argumentum poteſt reſponderi iuxta ſententiam communem, quod licèt creaturæ poſsibiles nullam habeant connexionem, vel dependentiam à relationibus Diuinis, vel a Deo vt Trino per modum cauſæ poſsibiliū,

Digitized by Google

ſed ſolum à Deo vt vno, qui prout ſic explicat eſſe abſolutum, à quo per modum cauſæ dependent; habent tamen neceſſariam connexionem cum relationibus Diuinis per modum conditionis ſine qua non, & termini talis naturæ, vt ſint identificatæ cum eſſentia, & omnipotentia: vnde comprehenſa hac, ex vi medij cognitionis omnium poſſibilium non poſſunt non comprehendi relationes, cum quibus identitatem habent omnipotentia, & eſſentia.

Verùm hæc ſolutio mihi non placet, contra quam, & ſi communem plura mihi peculiaria occurrunt. Primò, quia D. Thomas loc. cit. eam excludere videtur, cum comprehenſionem probet omnipotentiæ ex cognitione omnium poſſibilium in cauſa. Secundo, nam ex eo quod relationes ſint conditiones ſine quibus non. & termini eſſentiæ Diuinæ, & omnipotentiæ cum ipſa neceſſario nonnexi, imò, & identificati; non ſequitur, quod ſi cognoſcitur comprehenſiue omnipotentia ex taliū poſſibilium cognitione, cognoſcantur etiam comprehenſiuè relationes, nam etiam ſi Angelus cognoſcat comprehēſiuè naturam humanā, non ex hoc ſequitur, quod cognoſcat cōprehenſiuè id, quod habet neceſſariam connexionem per modum termini cum natura humana, aliàs enim comprehenderet Angelus Trinitatem, cum qua habet natura humana neceſſariam connexionem per modum termini relationis diuerſitatis. Deinde, Angelus humanitatem comprehenſiue cognoſcens neceſſariò comprehenſiuè cognoſceret potentiam obedientialem paſſiuam, quam habet ad vnionem cum Verbo, cum qua potentia obedientiali humanitas non ſolum habet connexionem, ſed identitatem formalem: ergo ex eo quod anima Chriſti ex cognitione omnium poſſibilium omnipotentiam comprehenderet, non ſequitur per locum intrinſecum, quod comprehendat relationes, etiam ſi ſint termini eſſentiæ, & omnipotentiæ, & connexionem, imò, & identitatem habeat cum illis.

Tertiò, nam talis identitas non ſufficit ad hoc, vt comprehenſa omnipotētia ex talium poſſibilium cognitione, comprehendantur relationes, nam eadem identitas, imò maior reperitur inter omnipotentiam, vt eſt cauſa vnius poſſibilis, & inter ipſam, vt eſt cauſa alterius; & inter ſcientiam Diuinam, vt eſt ſimplicis intelligentiæ, & vt eſt viſionis; & inter potentiam generatiuam Patris, vt eſt Diuina, & prout generatiua dicitur, cum hæc identitas ſit ex parte obiecti realis, & formalis, cum ſolum diſtinguantur eminentialitèr ex parte munerum: illa autem, quæ reperitur inter omnipotentiam, & relationes, ſolum eſt identitas realis, non formalis ex parte obiecti; diuerſus enim concept[9] obiectiuus eſt omnipotentia, ac relatio, iuxta commune Theologorum. Atqui cum illa identitate reali, ac formali proptèr ſolam diſtintionem eminentialem ex parte munerum poteſt ſtare comprehenſio omnipotentiæ, vt eſt cauſa vnius poſſibilis, quin ſequatur comprehēſio eiuſdem, prout eſt cauſa alterius, vt expreſsè docēt Caietan[9], Capræolus, & probabile reputat Araujo à nobis adducti in hac quæſt. art. 2. in reſponſione ad primum argumentū: & poteſt etiam ſtare comprehenſio diuinæ ſcientiæ, vt eſt viſionis, ſine eo quod comprehendatur, vt eſt ſimplicis intelligentiæ; comprehenſio etiam potentiæ generatiuæ Patris, & ſpiratiuæ Patris, & Filij ſecundum munus notionalis potentiæ ſine eo quod ſequatur cōprehenſio potentiæ generatiuæ, & ſpiratiuæ, prout munus exercent diuinæ, iuxta à nobis dicta loc. proximè cit. ergo maiori ratione cum identitati reali, & non formali reperta inter omnipotentiam, & relationes, ſtare poterit, & de facto ſtabit comprehenſio omnipotentiæ ex vi medij cognitionis omnium poſſibilium, quin per locum intrinſecum ſequatur diuinarum relationum comprehenſio.

Quarto denique id ipſum efficacitèr perſuadeo, etenim quia generatio diuina Filij non quamlibet naturæ diuinæ communicationem importat, ſed communicationem ex vi proceſsionis, iuxta ſententiā probabiliorem Thomiſtarum, licèt Spiritui Sancto communicetur ipſa natura diuina, non dicitur Spiritus Sanctus genitus, quia tantum materialitèr communicatur; non ex vi proceſsionis propter identitatem naturæ diuinæ cum amore, & pondere, quod ex vi proceſsionis Spiritui Sancto communicatur

mu-

Digitized by Google

municatur, ſed præciſſe remanet Spiritus Sanctus in ratione procedentis, & non geniti: ergo quia comprehenſio cauſæ ex cognitione effectus adæquati non quamlibet cognitionem importat, ſed cognitionem cauſæ ex vi cognitionis ſui effectus adæquati, qui in præſenti eſt omnia poſsibilia, licèt cognoſcatur aliquid identificatum cum cauſa (quod in præſenti ſunt relationes) non dicetur id comprehenſum eſſe, quia materialitèr cognoſcitur propter identitatem eius cum cauſa, quæ ex vi cognitionis ſui effectus adæquati comprehenditur, ſed remanebit præciſſe in ratione cogniti, & non comprehenſi ex vi talis medij.

Obijcies. Si eæ rationes aliquid conuincerent, conuincerēt etiam duo ſatis abſurda. Primum, quod non implicabit Deum ab anima Chriſti comprehendi ſecundum eſſe abſolutum ex cognitione omnium poſsibilium, dummodo nō comprehendatur ſecundum eſſe relatiuum, quia non implicat comprehenſio Dei ſecundum quid, ſcilicèt ſecundum aliquam perfectionem ſuæ omnipotentiæ, ſuæ ſcientiæ viſionis, & ſuæ potentiæ generatiuæ, & ſpiratiuæ vt talis, iuxta ea quæ in hoc articulo diximus: ergo non implicabit comprehenſio Dei ſecū dum eſſe abſolutum duntaxat, quæ erit comprehenſio ſecundum quid, dato quod non comprehendatur etiam ſecū dum eſſe relatiuum, quæ erit comprehenſio ſimplicitèr totius Dei. Secundū abſurdum eſt, quod ipſemet Deus non comprehendat ſuas relationes, nam Deus non alio modo ſe ipſum comprehendere dicitur, niſi quatenus ſe ipſum cognoſcēs cognoſcit etiam in ipſo omnia poſsibilia. Atqui iuxta noſtram doctrinam proxime datam, quamuis cognoſcerentur omnia poſsibilia in omnipotentia, & ex vi huius medij iſta comprehenſa maneret, non ſequeretur per locum intrinſecum comprehenſio Dei ſecundum eſſe relatiuum: ergo neque id ipſum ſequeretur in cognitione, qua Deus ſe ipſum comprehenſiue cognoſcit.

Ad primum reſpondeo, ad perfectionem Dei non ſolum pertinere eſſe incomprehenſibilem ab aliqua creatura ſecundum eſſe relatiuum, ſed ſecundum eſſe abſolutum, imò etiam ſi trinus non eſſet, incomprehenſibilis diceretur, & forſis, quia vnus eſt, & omnipotens eſt, incomprehenſibilis eſt: de illo enim dicitur: *Quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius*; iudicium autem Dei, vtpotè actus cum ſit intellectus, ad abſolutam vnitatem pertinet, non ad relatiuam propter diuiſionem: nō autem pertinet ad perfectionem Dei incomprehenſibilem eſſe ſecundum aliquid, quod formalitèr eſt ſui, eminentèr tamen non explicat eſſe ſui, qualis eſt ratio cauſæ reſpectu huius poſsibilis, & ratio ſcientiæ prout explicat eſſe viſionis, & ratio potentiæ generatiuæ, & ſpiratiuæ, prout explicat eſſe notionale, & non prout explicat eſſe diuinum: quæ rationes licèt formalitèr ſumptæ ſint perfectiones Dei, vt tamen comprehenduntur à Beato, vel ab anima Chriſti non explicant eſſe perfectiones, cum vt comprehenduntur, ſolum explicent eſſe *ad* in ordine ad obiecta, vel terminū: qui conceptus vt ſic explicatus perfectionem non exprimit, neque imperfectionem, ſed ab vtroq; præſcindit, vt patet in relationibus diuinis, quæ in Thomiſtarum ſententia ſecundum eſſe *ad* quod habent, neque perfectionem, neque imperfectionem important. Quod ſi aliquæ eminentiæ, vt eminentiæ rationem explicant, exhauriantur, & circunſcribantur ab anima Chriſti, vel à quolibet Beato, non tamen exhauritur, nec circunſcribitur perfectio eminentiæ, hoc enim non ſolum eſſet comprehenſio ſecundum quid, ſed ſimplicitèr, cum eſſet comprehenſio alicuius perfectionis ſimplicitèr infinitæ.

Ad ſecundum reſpondeo, non eſſe inconueniens admittere cognitionem Dei ex vi cuiuſcumque medij ſe ipſum cognoſcentis non explicare comprehēſionem totius Dei vnius, & Trini, dummodo ex alio capite non negetur prædictam cognitionem comprehenſiuam eſſe totius Dei; etenim cognitio, qua Deus ſe ipſum in creaturis cognoſcit, comprehenſiua totius Dei dicitur, quia eſt cognitio omnium quæ ſunt formalitèr in Deo, tam abſolutorum, quam relatiuorum, & etiam omnium quæ ſunt in illo eminentèr. Quod autem eadem cognitione ſe ipſum per creaturas recognoſcat, non vt Trinus, ſed vt vnus, ſecundum quam tantum rationem ab

Digitized by Google

illo dependent creaturæ, non inconuenit non explicari comprehenſionem totius Dei, quia ex vi huius medij non poteſt amplius cognoſci quam vt vnus: ita in noſtro caſu, dato quod omnia poſsibilia ab anima Chriſti, vel à quolibet Beato in omnipotentia viderentur, cōprehenſio diceretur talis cognitio totius Dei, quia videret omnia, quæ ſunt formalitèr in ipſo, tam abſoluta quam relatiua: & vlteriùs omnia quæ ſunt eminentèr, tamen ex vi medij omnium poſsibilium, licèt talis cognitio comprehenſiua diceretur omnipotentiæ Dei, non tamen Trinitatis, quia neque ex vi talis medij petit Trinitas cognoſci, neque ex identitate relationum cum omnipotentia petit Trinitas per locum intrinſecum comprehendi omnipotentia comprehenſa, vt ex diſcuſsis ſatis efficacitèr conuinctum manet.

Quidnam dicendum de comprehenſione Diuinæ eſſentiæ ex ſuppoſitione comprehenſionis omnipotentiæ, viſis omnibus poſsibilibus?

ARTIC. IV.

PRò cuius luce ſtatuo prius, quod omnipotentia ſicut, & cætera attributa ſunt quaſi affectiones, & proprietates Dei vt vnus eſt in eſſentia, ac perconſeſequens ipſamet eſſentia eſt quaſi radix, & ratio à priori omnipotentiæ, & aliorum attributorum, & ſecundum quod radix eſt eorum tot ſinus habet, quot ſunt attributa, talitèr quod ſi cum præciſione loquamur, in ſinu illo, vel eminentia eſſentiæ, in qua continetur per modum radicis, & rationis à priori attributum omnipotentiæ, non contineatur attributum iuſtitiæ; & in quo continetur attributum iuſtitiæ, non contineatur attributum miſericordiæ, quamuis in eadem realitate, imò, & formalitate eſſentiæ omnia attributa tanquam in ſua radice, & ratione à priori contineri dicantur eo modo quo omnes Theologi de æternitate phyloſophantur, quæ indiuiſibilis cum ſit formalitèr, ambit omnia tempora: & tamen ob diuiſibilitatem virtualem, vel eminentialem, quam habet, diuerſa tempora ambire dicitur, ita vt in ſinu illo, vel eminentia, per quam ambit tempus præſens, non dicatur ambire tempus præteritum; & per quam præteritum ambit, non dicatur futurum ambire. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio noſtra ſit. Ex ſuppoſitione comprehenſionis omnipotentiæ, viſis omnibus poſsibilibus, non ſequitur per locum intrinſecum comprehenſio diuinæ eſſentiæ formalitèr ſumptæ, id eſt, ſumpta pro formalitate. Hæc reſolutio, quamuis ſingularis videatur vt à me poſita, non poteſt rationabilitèr ab aliquo negari. Eam mihi primo probãt omnia diſcuſſa pro art. præced. etenim ratio Sancti Thomæ pro comprehenſione omnipotentiæ ex cognitione omnium poſsibilium non amplius conuincit per locum intrinſecum, quam comprehenſio cauſæ ex cognitione omniū effectuum illius. Atqui eſſentia Diuina ſecundum totas ſui eminentias, & ſinus, quos habet, non eſt cauſa poſsibilium, etenim non alio modo poteſt eſſe cauſa poſsibilium, niſi quatenus eſt quaſi radix, & ratio à priori omnipotentiæ, quæ in ratione primæ cauſæ eſt adæquata ratio poſsibilium, non autem eſt quaſi radix, & ratio à priori omnipotentiæ ſecundum totas illius eminentias, & ſinus, quos habet, cum etiam ſit radix, & ratio à priori vniuerſalis omnium attributorum, ac proinde ſinus ille, aut eminentia particularis, in qua continetur per modum rationis à priori attributum omnipotentiæ, v. g. non continetur attributum iuſtitiæ, & ſic de alijs: ſicut de æternitate dicitur reſpectu temporis præſentis, præteriti, & futuri: ergo ſaluatur tota vis rationis D. Thomæ, etiam ſi comprehenſa omnipotentia ex cognitione omnium poſsibilium non comprehendatur Diuina eſſentia adæquatè ſumpta pro formalitate, dummodo comprehendatur inadæquatè pro eminentia illa, ſcilicèt, vel ſinu ſecundum quem per modum rationis à priori omnipotentiam continet potius quam aliud attributum.

Secundò efficacitèr probatur poſitio noſtra, etenim ſicut omnipotentia habet plures ſinus, vel eminentias in ordine ad plura poſsibilia, quæ in illa continentur per modum cauſæ, ita eſſentia Diuina plures habet ſinus, vel eminentias in ordine ad plura attributa, quæ continẽtur in illa per modum rationis

à

Digitized by Google

à priori. Atqui in omnipotentia ſtat optimè cognitio vnius eminentiæ, in omnium ſententia, imò, & illius comprehenſio in ſententia ſatis probabili, quã articu. præced. retulimus, ex cognitione effectus in tali eminentia contenti, quin per locum intrinſecum, non ſolum non comprehendatur alia eminentia, verum nec cognoſcatur, vt eminentia eſt, vt patet quando Beatus duas, vel tres tãtum creaturas poſsibilis cognoſcit, qui, & ſi cognoſcat, imò, & cõprehendat eminentias, in quibus prædictæ creaturæ continentur, non tamen comprehẽdit, imò nec cognoſcit alias eminentias, ſecundum quas ad alias plures creaturas omnipotentia ſe extendit: ergo in eſſentia diuina ſtabit optimè comprehenſio vnius eminentiæ ex comprehenſione vnius attributi in tali eminentia contenti, quin comprehendantur aliæ eminentiæ ſecundum quas ad alia plura attributa per modum rationis à priori ſe extendit eſſentia. Conſequentia patet, quia tantam identitatem habent eminentiæ omnipotentiæ inter ſe, cum ſit realis, & formalis, comparatione ad plura poſsibilia, ac habent eminentiæ eſſentiæ inter ſe, comparatione ad plura attributa: ergo ſicut cum illa identitate reali, & formali eminentiarum omnipotentiæ ſtat comprehenſio vnius eminentiæ, ſine alteri⁹ comprehenſione ex cognitione ſui effectus adæquati, qui inadæquatus eſt reſpectu formalitatis omnipotentiæ, cum ſimili identitate reali, & formali ſtabit comprehenſio vnius eminentiæ eſſentiæ ex comprehenſione ſui quaſi effectus adæquati v. g. omnipotentiæ, qui inadæquatus eſt reſpectu formalitatis eſſentiæ, ſine comprehenſione alterius eminentiæ eſſentiæ.

Tertio denique: ſicut formalitas omnipotentiæ reſpicit hoc poſsibile, & illud in particulari per modum termini inadæquati, & poſsibile in communi per modum termini adæquati, ita formalitas Diuinæ eſſentiæ reſpicit hoc attributum, & illud in particulari per modum quaſi termini inadæquati, & attributa in communi per modum quaſi termini adæquati; cum hac tamẽ differentia, quod terminus omnipotentiæ ſiuè inadæquatus, ſiuè adæquatus, realitèr eſt diuerſus ab omnipotentia, & ab ea inſpectus per modum veræ cauſæ, terminus autem Diuinæ eſſentiæ aſſignatus, ſiuè adæquat⁹, ſiuè inadæquatus, non eſt realitèr diuerſus ab eſſentia, neque ab ea inſpectus per modum veræ cauſæ, ſed per modum quaſi radicis; & rationis à priori: & licèt omne poſsibile in communi terminus ſit adæquatus omnipotentiæ, quo cognito adæquatè manet omnipotentia comprehenſa, & hoc poſsibile in particulari terminus ſit omnipotentiæ inadæquatus, quo cognito inadæquatè omnipotentia comprehenditur; tamen omnipotentia in ordine ad Diuinam eſſentiam terminus eſt, vel quaſi terminus inadæquatus, & omnia attributa ſunt quaſi terminus adæquatus reſpectu Diuinæ eſſentiæ, quæ omnium eſt radix, & ratio à priori: ergo ſicut ex cognitione termini inadæquati ipſius omnipotentiæ ad ſummum ſequitur inadæquata omnipotentiæ cõprehenſio, ita ex adæquata comprehenſione omnipotentiæ (quæ eſt inadæquatus quaſi terminus eſſentiæ) non ſequitur adæquata eſſentiæ comprehenſio, ſed ad ſummum inadæquata.

Obijcies primo ex Sancto Thoma pluribus in locis, quibus probat comprehenſionem omnipotentiæ ex cognitione omnium poſsibilium, addit, *& perconſequens Diuinam eſſentiam.* Videatur hic artic. 2. in corpore, vbi hæc habet. *Horum autem quædam ſunt in ſola potentia Diuina, & huiuſmodi non omnia cognoſcit in Verbo anima Chriſti, hoc enim eſſet comprehendere omnia, quæ Deus poteſt facere, quod eſt comprehendere diuinam virtutem, & perconſequens Diuinam eſſentiam*: Ergo ex ſuppoſitione comprehenſionis omnipotẽtiæ ex cognitione omnium poſsibilium neceſſariò, & per locum intrinſecum comprehenditur Diuina eſſentia ſecundum mentem Sancti Thomæ Reſpondeo, quod quando Sanctus Thomas hic, & alijs forte in locis docet, quod comprehenſa Diuina virtute, quæ eſt omnipotentia, viſis omnibus poſsibilibus, conſequentèr comprehenditur Diuina eſſentia, intelligendus eſt de Diuina eſſentia inadæquatè ſecundum illum ſinum, vel eminentiã ſecundum quã eſt radix, & ratio à priori omnipotentiæ potius quam alterius attributi; non autem de Diuina eſſentia adæquatè ſecundum alios omnes ſinus,

vel

vel eminentias, ſecundum quas alia continet attributa particularia, vt ex diſcurſis patet: quia per illam eminentiam, vel ſinum, ſecundum quem continet attributum omnipotentiæ potius quam aliud, dicitur cauſa radicalis poſsibilium; cognitio autem omnium effectuum in cauſa arguit comprehenſionem cauſæ, non tantum proximæ, qualis in præſenti eſt omnipotentia, ſed etiam radicalis, vt radicalis eſt: & eſſentia Diuina non eſt cauſa radicalis poſsibilium ſecundum omnes ſinus, quos habet, ſed ſecundum illum tantum, ſecundum quem continere dicitur omnipotentiam potiùs quam aliud quodlibet attributum: & ideò aduertentèr iudico dixiſſe Sanctum Thomam, comprehenſa Diuina virtute perconſequens comprehendi Diuinam eſſentiam, id eſt, Diuinam eſſentiam vt eſt radix omnipotentiæ, quia ſolum hoc modo eſt conſequens, non autem ſecundum quod eſt radix alterius attributi.

Obijcies ſecundò, & ſingularitèr cōtra ſingularem noſtram reſolutionem. Quia ſi anima Chriſti, vel cuiuslibet Beati comprehenderet omnia attributa Dei, totam etiam eſſentiam adæquatè comprehenderet, cum omnes eius ſinus cognoſceret, & eminentias, ſecundum quas omnia attributa continet per modum rationis à priori. Atqui cōprehenſa omnipotentia Dei ex cognitione omnium poſsibilium, cætera etiā comprehenderet attributa: ergo de primo ad vltimum eſſentiam Diuinam adæquatè comprehenderet. Minor, in qua conſiſtit difficultas, pluribus videtur efficacitèr probari. Primò, quia cōprehenſa omnipotentia Dei ex cognitione omnium poſsibilium, non poteſt nō cognoſci omne poſsibile ad quamcumque lineam pertinens, aliàs non omnia poſsibilia cognoſcerentur: ob id enim: *Deus omnipotens dicitur, quia poteſt omnia poſsibilia abſolutè*, inquit S. Thomas 1. part. quæſt. 25. art. 3. in corpore. Quod poſtea hoc omne poſsibile abſolutè explicat per quodcumque ens non implicans contradictionem, omne enim hoc poſsibile non implicans contradictionem, & oppoſitum non enti clauditur ſub Diuina omnipotentia. Atqui omnia alia attributa entia ſunt, & ea, ad quæ ſe poſſunt extendere in quacumque linea, poſsibilia ſunt non implicantia contradictionem, & oppoſita nō enti, vt patet in omnibus actibus intra lineam attributi iuſtitiæ contentis, & in cæteris ſimili modo: ergo comprehenſa omnipotentia ex cognitione omnium poſsibilium non poſſunt non cōprehendi cætera attributa, cum nō poſſint non cognoſci omnes effectus poſsibiles, ad quos poſſunt cætera attributa extendi, ac perconſequens comprehenderetur eſſentia adæquatè ſumpta.

Secundo eadem minor probatur ex eodem Sancto Thoma loc. cit. cuius ratio in hunc modum poteſt componi. Comprehenſa omnipotentia non poteſt non comprehendi, id ſupra quod ipſa omnipotentia fundatur, ob id enim nos dicimus, quod comprehenſa omnipotentia comprehenditur Diuina eſſentia ſecundum illam eminentiam, ſecundum quam eſt ratio à priori contētiua, & ſuſtentatiua, vt ita dicam, omnipotētiæ. Atqui: *Eſſe Diuinum, ſupra quod ratio Diuinæ potentiæ fundatur, eſt eſſe infinitum, non limitatum ad aliquod genus entis, ſed præhabens in ſe totius eſſe perfectionem*, vt inquit Sanctus Thomas: ergo comprehenſa tali omnipotentia non poteſt non comprehendi eſſe Diuinum, ſecundum quod præhabet in ſe totius eſſe perfectionem, ac perconſequens ſecundum omnes ſinus, ſecundum quos omnia alia attributa continet, & attributa continentur in ipſis.

Tertio denique eadem minor ſic probatur. Omnipotentia eſt attributum quaſi vniuerſale Dei, cum eius obiectū non ſit coarctatum ad aliquod genus entis; ſed ad omne genus in quacumque linea ſe extendat ſub ratione poſsibilis abſolutè ad diſtinctionē aliorum attributorum, quæ ſolum ſe extendunt ad aliquod genus entis determinatum, vltra quod non poſſunt egredi: neque enim attributum iuſtitiæ ſe extendit niſi ad genus actuum iuſtitiæ, non autem ad genus actuum miſericordiæ: neque è contra, & ſic de alijs attributis: ergo comprehenſa omnipotentia non poſſunt non comprehendi cætera attributa, quæ ſub ipſa tanquam attributo vniuerſali continetur. Conſequentia patet, quia obiecta formalia aliorum attributorum, quæ adæquata ſunt reſpectu il-

Digitized by Google

illorum, ſunt inadæquata reſpectu omnipotentiæ.

Hoc argumentum ſatis difficile prima facie concludere videtur contra noſtram reſolutionem. Verùm pro ingenioſis per eius partes, & probationes reſpondeo negando minorem, ad cuius primam probationem dicendum, verũ eſſe omnipotentiam extendi ad omne poſsibile abſolutum non implicans cõtradictionem, & oppoſitum non enti, & per conſequens ſe extendere ad omnes actus poſsibiles iuſtitiæ, miſericordiæ, &c. non autem ad illos vt iuſtitiæ, & miſericordiæ ſunt reduplicatiuè, ſed ad illos, vt intra lineam effectus poſsibilis continentur: qui actus ſecundum iſtas conſiderationes plura attributa reſpicere dicuntur, ſecundum pluralitatẽ rationis formalis, quæ in ipſis actibus, ſecundum diuerſas conſiderationes reperiuntur, ſecundum quas diuerſas rationes formales diuerſas lineas attributorum ſpecificant: eo modo quo communitèr phyloſophantur Thomiſtæ de virtutibus moralibus repertis in Deo, in actu, v.g virtutis miſericordiæ, qui vnus indiuiſibilis cum ſit, reſpicit diuerſa principia, à quibus oritur, ſcilicèt voluntatem Diuinam, & virtutem miſericordiæ, & ſecundum quod talis actus bonus in ſe dicitur, voluntatem Diuinam reſpicit formalitèr, quam ſpecificat, & ſubleuationem miſeriæ materialitèr, & vt prout talis actus miſeriam ſubleuat, non tam voluntatem formalitèr reſpicere dicitur, quam virtutem moralem miſericordiæ, quam etiam ſpecificat, & lineam conſtituit diuerſam à linea voluntatis. Vt autem comprehenſa omnipotentia ex cognitione omnium poſsibilium cætera attributa comprehenderentur, deberent cognoſci omnia poſsibilia cuiuſcumque lineæ non ſolum ſub ratione effectus poſsibilis, ſub qua attinguntur ab omnipotentia, ſed ſub ratione ſpeciali iuſtitiæ, v.g. & miſericordiæ; ſic autem non attinguntur ab omnipotentia formalitèr, ſed materialitèr: & ita comprehenſa hac ex cognitione ſui termini adæquati non comprehenduntur cætera attributa, ſicut nec eorum obiecta prout eorum obiecta ſunt formalitèr; ſed ſolum ſecundum quod effectus ſunt poſsibilitèr exiſtentes, & non implicantes contradictionem.

Ad ſecundam probationem dicendum, quod comprehenſa omnipotentia non poteſt non comprehendi id, ſupra quod ipſa formalitèr fundatur: eſſe autem Diuinum, ſupra quod (inquit S. Thomas) omnipotentia fundatur, non eſt eſſe Diuinum adæquatè, ſed inadæquatè, ſicut eſt eſſe Diuinum, ſupra quod miſericordia, v.g. fundatur: & ſic ſoluitur facilè probatio ſecunda minoris. Vel ſi eſt eſſe Diuinum adæquatè, vt videtur veroſimilius, quia Sanctus Thomas docet: *Eſſe Diuinum prahabens in ſe totius eſſe perfectionem*, eſſe ſupra quod ipſa omnipotentia fundatur, dicendum eſt, quod comprehenſa omnipotentia comprehenditur eſſe Diuinum adæquatè, ſupra quod ipſa fundatur, ſecundum quod hoc eſſe Diuinum eſt radix, & ratio à priori totius eſſe cuiuſcumque lineæ, ſub ratione tamen poſsibilis abſoluti non implicantis contradictionem; non tamen ſub omnibus peculiaribus rationibus, ſecundum quas tale eſſe Diuinum conſtituitur in ſpecie determinata, vel in indiuiduo determinato iuſtitiæ, v.g. aut miſericordiæ, ſecundum quas rationes, ſicut illud eſſe non attingitur ab omnipotentia, ſed à peculiaribus alijs attributis, ita quamuis omnipotentia comprehendatur, non comprehendantur cætera attributa, neque eſſe Diuinum adæquatè, niſi in quantum illud eſſe Diuinum eſt cauſa realis radicalis adæquata in hac linea totius eſſe poſsibilis cuiuſcumque lineæ ſub ratione poſsibilis abſoluti.

Tertia denique minoris probatio ex ijs ſoluta manet, etenim ex hoc quod omnipotentia ſit vniuerſalis attributũ, quam miſericordia, & iuſtitia, ſolum ſequitur, quod, qui comprehenderet omnipotentiam, cognoſceret omne genus entis ſub ratione formali entis poſsibilis non implicantis contradictionẽ, quod eſt obiectum formale omnipotentiæ; non autem quod cognoſceret omne genus entis ſub alia ratione formali, ſecundum quam obiectum eſt formale alterius attributi. Neq; obiecta, quæ adæquata ſunt reſpectu aliorum attributorum, v.g iuſtitiæ ea ratione, qua obiecta ſunt iuſtitiæ, inadæquata ſunt reſpectu omnipotentiæ, alias enim omnipotentia attingeret iuſtitiam ad extra ſub ratione formali iuſtitiæ, nam obiectum

ctum inadæquatum cuiuſcumque potentiæ ſemper attingitur à potentia ſub ratione formali talis potentiæ, vt patet in albo, quod eſt obiectum inadæquatum potentiæ viſiuæ, & adæquatum huius viſionis, v.g. quod non attingitur à potentia viſiua ſub ratione albi, ſed ſub ratione coloris, quæ eſt ratio formalis ſpecificatiua potentiæ viſiuæ.

Hinc licèt omnipotentia vniuerſalius attributũ ſit quam cætera alia; eo quod ex parte obiecti formalis vniuerſaliorẽ reſpicit rationem, quam cætera attributa, & omnes effectus ad extra cuiuſcumque attributi Dei ortum etiam habeant ab omnipotentia tanquam à prima, quaſi causa vniuerſali modo dicto; cum hoc tamen ſtat, quod omnipotentia poſsit concipi in Deo prout attributum particulare eius, ſecundum quã rationem non tam reſpicit rationem entis factibilis, & non implicantis contradictionem, quam rationem potentiæ increatæ cuiuſcumque lineę, etenim ſicut omne creatum participatio eſt alicuius increati, vt iuſtitia creata, v.g. participatio eſt iuſtitiæ increatę, & ſic de alijs: ita omnes potentiæ actiuæ creatæ participationes ſunt potẽtiæ increatæ Dei. Quare ſi aliquis comprehenderet omnes potentias creatas ſub ratione potentiarum actiuarum, comprehenderet etiam omnipotentiam Dei non ſecundum quod eſt vniuerſale attributum, nam ſecundum hanc rationem ad plura ſe extendit, quam ad potentias creatas actiuas; ſed ſecundum quod exprimit rationem attributi particularis potentiæ actiuæ increatæ, cuius ſunt participationes omnes potentiæ actiuæ creatæ, & illa quaſi idea illarum: & qui comprehenderet omnes iuſtitias creatas, comprehenderet etiam iuſtitiam increatam ſecundum, quod exprimit munus iuſtitiæ, cuius ſunt participationes creatæ iuſtitiæ, & ipſa earum idea, non tamen comprehenderentur iſta attributa ſecundum, quod exprimunt eſſe diuinum, in quo omnia æqualiter conueniunt, & ex hoc quod ita comprehenderentur iſta attributa, non comprehẽderetur aliqua Dei perfectio, cum non explicent eſſe perfectionis, niſi ſecundum, quod explicant eſſe diuinũ, quod habent ex eſſentia, vel ſaltem in ordine ad eſſentiam diuinam. Secundum autem quod exprimunt eſſe ideas participabiles à creaturis, cum ſolum exprimant eſſe, quod dicunt participabilitatis ab illis, non exprimunt aliquam perfectionem, nam vt aſſerunt communitèr Thomiſtæ cum ſuo Magiſtro, tota perfectio ſumitur ex ordine ad ſubiectum, non ad terminum: ob quod aſſerunt ad materiam de Trinitate, quod diuinæ relationes ſecundum explicitum *ad*, quod dicunt in ordine ad terminum non explicant, nec dicunt perfectionem.

Neque ex hoc licet inferre ab anima Chriſti poſſe comprehendi aliquod attributum diuinum, nam licèt ſub expreſſo conceptu participabilitatis comprehẽdi poſsit ex cognitione omnium, quæ poſſunt ab illo participari, non tamen ſub expreſſo conceptu diuini, quẽ quodlibet attributum includit; qui cõceptus cum actus purus ſit, imparticipabilis eſt à creatura, ſicut, & incomprehenſibilis. Neque etiam licèt inferre potuiſſe animam Chriſti omnia poſſibilia cognoſcere, eo quod ſolum ex hoc ſequeretur comprehenſio omnipotentiæ ſecundum eſſe *ad*, quod dicit ad omnia poſsibilia, ſecundum quem conceptum iuxta noſtra principia nullam perfectionem exprimit omnipotentia, etenim licèt ſecundum eſſe *ad*, quod dicit omnipotentia ad omnia poſsibilia nullam exprimat perfectionem, verùm cum hoc eſſe *ad* fundetur proximè ſupra eſſe diuinum dicens perfectionem, & comprehenſo aliquo non poſsit non comprehendi id, ſupra quod formalitèr fundatur, eo ipſo quod ex cognitione omnium poſsibilium omnipotentia comprehenderetur ſecundum omnes reſpectus ad poſsibilia, non poſſet non comprehendi ſecundum eſſe diuinum, ſupra quod tales reſpectus fundantur: ſicut ex eo quod comprehenderentur omnia attributa diuina, non poſſet non comprehendi tota diuina eſſentia ſecũdum omnes ſinus, vel eminentias, ſecũdum quas fundat omnia attributa, & eſt ratio illorum a priori, vt ſæpè docuimus.

Digitized by Google

Quidnam dicendum circa cognitionem exiſtentium in aliqua differentia temporis.

ARTIC. V.

REſolutio noſtra ſit. Anima Chriſti Domini per ſcientiam beatam cognouit in Verbo omnia præſentia, præterita, & futura, ſiuè eorũ, quæ pertinent ad ordinẽ naturæ, ſiuè eorũ, quæ pertinẽt ad ordinem gratiæ; & vt vno verbo dicam, cognouit per hanc ſcientiam omnia, quæ Deus in ſe ipſo cognoſcit per ſcientiam viſionis Primo, quia eſt expreſſa mens S. Thomæ hic q. 10. art. 2. in corp. vbi dicit: *Animã Chriſti per ſcientiam beatam cognoſcere omnia, quæ pertinent ad ſuum ſtatum.* & ad 2. ait: *Scit ergo anima Chriſti omnia, quæ Deus in ſe ipſo cognoſcit per ſcientiam viſionis.* Sed Deus per ſcientiam viſionis cognoſcit in ſe ipſo omnia præſentia, præterita, & futura, & omnia alia, quæ in quacumque temporis differentia exiſtunt, vt ad 1. part. quæſt. 14. probant communiter Theologi. Ergo hæc omnia per ſcientiam beatam anima Chriſti in Verbo cognouit. Secundò probatur ratione S. Thom. deſumpta ex cor. huius art. nam quilibet Beatus cognoſcit in Verbo omnia, quæ ad ipſum ſpectant; ad Chriſtum autem, & ſuum ſtatum ſpectat cognitio horum omnium. Primò propter dignitatem ſuæ perſonæ. Secundò, quia eſt caput omnium hominum, & Angelorum. Tertiò, quia conſtitutus eſt Iudex omnium, adhuc cogitationum cordis, *quia Filius hominis eſt*, vt dicitur Ioan. 5. Ergo vt plenã cognitionem haberet eorum, quæ ad ipſum ſpectant, ſiuè per modum capitis, ſiuè per modum Iudicis, vt eſt omniũ cogitationum, omnia annumerata per talem ſcientiam cognouit, ita vt non ſolum de ſcientia eius Diuina, ſed de ſciẽtia beata verificari in illo poſſet illud Ioan. 2. *Ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine.*

Cæterum in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij plura loca Sacræ Scripturæ, in quibus dicitur, Chriſtum Dominum aliqua ignoraſſe, tam ex futuris, quam ex præſentibus, & præteritis. De Iudicio futuro dicitur Marc. 13 *De die autem illo, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in Cælo, neque Filius, niſi ſolus Pater*, vbi per illam particulam, *neque Filius*, excludi videtur cognitio huius diei a Chriſto. De loco autem, vbi poſitus erat Lazarus, dicitur Ioan. 11. *vbi poſuiſtis eum?* quod explicans Cyrilus lib. 9. Theſau. cap. 4. ait: *Chriſtum ſecundum humanitatem, ignoraſſe locum, vbi poſitus erat Lazarus.* Alia ſimilia loca adducit Cornejo quæſt. 9 diſp. 2. dubio 2. Ergo non omnia, quæ Deus ſcit ſcientia viſionis, anima Chriſti cognouit in Verbo.

Reſpondeo, quod cum dicitur, neque Filium ſcire illam horam, non eſt, quia illam non cognoſceret, ſed quia non facit, cum poſſet, eam alios ſcire, iuxta illud: *Sed cui voluerit Filius reuelare.* Et cum interrogatus ab Apoſtolis de hoc, Act. 1. noluit eis illam reuelare, ſicut à contrario legitur Geneſ. 22. *Nunc cognoui, quod timeas Deum*, non quia Deus hoc antecedentèr ignoraret, ſed quia nunc cognoſcere fecit timuiſſe Deum. Vel dicendum cum Orig homil. 30. in Matth. hoc intelligendum de Chriſto, ſecundùm corpus eius, quod eſt Eccleſia, quæ hunc diem ignorat; vel cum alijs, illud *neque Filius*, intelligi debere de Filio adoptiuo, non naturali, qualis eſt Chriſtus. Quas ſolutiones adducit S. Thom. quæſt. 10. art. 2. ad 1. Ad illud autem de loco, vbi poſitus erat Lazarus, dic cum Cornejo loc. cit. Cyrilum debere intelligi de Chriſto, ſecundum ſcientiam acquiſitam, non verò de Chriſto, ſecundum ſcientiam beatam, & infuſſam, ſecundum quas notus erat illi ſepulturæ locus, nam vt inquit idem Cyrilus: *Quomodo poterat ignorare, vbi eum poſuiſſent, qui paulo ante longe remotior, nemine nuntiante, mortuum eſſe nouerat.* Et iuxta hos modos explicanda ſunt alia ſimilia loca, quæ ad hoc intentum communitèr afferri ſolent.

Opponunt ſecundo ex S. Thom. art. 2. in corp. *Quilibet intellectus plura tanto in Verbo cognoſcit, quanto perfectius videt Verbum*, Sed perfectius videt Verbum Deus, quàm anima Chriſti Domini, cum illa viſio ſit per lumen infinitum, iſta autem per finitum. Ergo Deus plura cognoſcit in Verbo, quam anima Chri-

Digitized by Google

Chriſti; ac proinde, non omnia, quæ Deus ſcit ſcientia viſionis, ab anima Chriſti cognoſcuntur. Confirmatur, quia quantitas ſcientiæ attenditur, ſecũdum quantitatem ſcibilium. Ergo ſi anima Chriſti ſciret in Verbo omnia, quæ Deus ſcit ſcientia viſionis, æquaretur creata ſcientia ſcientiæ increatæ Dei, quod eſt abſurdum. Reſpondeo, quod licèt perfectiori modo videat Deus ſua ſciẽtia viſionis ea, quæ ſunt in Verbo adæquatè, ſcilicèt, exiſtentia, & poſsibilia, quam anima Chriſti; non tamen ſi ea, quæ ſunt in Verbo, ſumantur inadæquatè, ſcilicèt, pro exiſtentibus, cum comprehenſiuè à quocumque videãtur; quod ſi eſt aliquis exceſſus inter has ſcientias, ſolũ eſt materialis ex parte; ſcilicèt, videntis, vel ex parte viſionis, ſecundum quod exprimit munus proprietatis, vel accidentis in ordine ad ſubiectum; non autem ex parte obiecti formalis proprij huius ſcientiæ, prout nomine viſionis exprimitur, neque ex parte viſionis, ſecundum quod exprimit munus cõprehenſionis per eſſe terminatiuum ad obiecta in aliqua temporis differentia exiſtentia. Ad confirmationem dic; quod quantitas ſcientiæ nõ attenditur ex quantitate ſcibilium, ſed ex quantitate luminis, quod cum vnum ſit increatum, creatum aliud, hoc imperfectius eſt illo; dato tamen quod attenderetur quantitas ſcibilium, non ex hoc ſequeretur, æquari ſcientiam beatam animæ Chriſti ſcientiæ increatæ Dei, niſi ad ſummum, ſecundum quod exprimit eſſe viſionis in ordine ad obiecta exiſtentia, iuxta modum in reſpõſione ad argumentum dictum, quod eſt æquatio in aliquo inadæquatè contento in ſcientia increata Dei, quod nullum eſt abſurdum.

Opponunt tertio. Si anima Chriſti cognoſceret omnia futura in aliqua temporis differentia, quæ pertinent ad ſuum ſtatum, ſequeretur, minus Beatum plura interdum videre in Verbo, quam magis Beatum. Et ponamus aliquem alicuius Religionis Fundatorem, qui minus Beatus eſt, quam alius Sanctus, vt Ioannes Baptiſta; ad illum enim pertinent, iuxta ſuũ ſtatum, omnia ſui Ordinis indiuidua, & negotia cognoſcere, quæ non pertinent ad Baptiſtam. Quod autem ſequela conſequentis falſa ſit, ex eo conſtat; quia iuxta commune Theologorum, ille dicitur ſimplicitèr beatior, qui plures creaturas in Verbo cognoſcit intellectus, quanto perfectius videt Verbum, ait S. Thom. loco cit. §. Antecedenti. Ergo quanto plures effectus in eſſentia cognoſcuntur, tanto perfectius ipſa eſſentia conſpicitur; ac perconſequens, fieri non poteſt, vt minus Beatus, qualem ſupponimus fundatorẽ Religionis, præ Baptiſta, plures creaturas in Verbo cognoſcat præ iſto.

Hoc argumentum, quod difficile fateor eſſe, difficilius reddidere communitèr Authores tot, ac tantis, multiplicatis, imò, & implicatis ſolutionibus; omnes adducit, & erudite impugnat Cabr. quæſt. 10. art. 2. diſp. 3. licèt vix potuerim intelligere ſolutionem: tot, ac tanta multiplicat, & implicat ad illud ſoluendum, vt faſtidium genuerit, ad vnum omnia reducere. Reſpondeo ergo primo; quod maior, vel minor perfectio beatitudinis ſolum attenditur pœnes maiorem, vel minorem cognitionem effectus neceſſarij in cauſa neceſſaria; non autem ſecundum maiorem, vel minorem cognitionem effectus liberi, quales ſunt exiſtentes in aliqua temporis differentia, in cauſa libera; nam ſicut ad eſſentiam beatitudinis pertinet cognitio omnino neceſſaria, vt patet in beatitudine eſſentiali, & increata; ita ad perfectionem eſſentialem beatitudinis participatæ pertinet cognitio omnino neceſſaria, quæ ſolum eſt cauſæ neceſſariæ, & effectus neceſſarij in cauſa contenti. Vnde iuxta horum effectuum numerum colligi debet maior Beati perfectio; & ſic quamuis à Fũdatore Religionis plures effectus ex liberis, & contingentibus interdum cognoſcantur in Verbo, vt determinato per decretum, quàm a Baptiſta, magis Beatus erit Baptiſta, quia plures effectus ex neceſſarijs, & poſsibilibus in Verbo; vt determinato per Omnipotentiã a Baptiſta cognoſcũtur.

Vel ſecundo reſpondeo, diſtinguendo ſequelam; minus Beatus poteſt videre plura in Verbo ex vi viſionis formalitèr, nego ſequelã, ex vi ſubiecti, & vi-

viſionis materialitèr; concedo ſequelam: & maior, vel minor perfectio beatitudinis attenditur ex maiori, vel minori viſione circa plures creaturas ex vi viſionis formalitèr, quæ correſpondet maiori, vel minori lumini infuſſo, iuxta maiorem, vel minorem quantitatem meritorum, non autem ex vi ſubiecti fundātis, v.g. Religionem, cui vltra id, quod pertinet illi accidentalitèr, ſecundum quod fundator eſt, debet correſpondere beatitudo eſſentialis, ſecundum quod operatus eſt in hac vita; & hæc vltima ratio debet attendi, ad colligendam maiorem, vel minorem perfectionem beatitudinis, in qua, cum ſuperet illum Baptiſta, illum etiam in beatitudine ſuperat, licèt aliàs fundator habeat illud incrementum materiale rationc ſui ſtatus. Etſi dicas. Quodlibet incrementum ex parte effectus viſi in cauſa arguit incrementum in cognitione cauſæ. Ergo fundator, qui cognoſcit hoc incrementū ex parte effectus, quod non cognoſcit Baptiſta, habebit incrementum in cognitione cauſæ, in qua illud incremētum cognoſcit. Dic, quod non quodlibet incrementum ex parte effectus viſi in cauſa arguit incrementum in cognitione cauſæ, niſi oriatur ex vi meritorum; ſi autem oriatur ex vi ſtatus, ſolum arguit incrementum in cognitione, quaſi materiali, cauſæ.

Opponunt quarto. Si anima Chriſti cognoſceret omnia enumerata, & cognitiones hominum, & Angelorum, talis cognitio eſſet ſimplicitèr infinita; tū ex parte obiecti, quod infinitum eſt; tum ex parte principij; nam ſicut ſatisfactio Chriſti eſt infinita actu, & ſimplicitèr, quia oritur à perſona infinita; ita eius ſcientia beata infinita erit, quia oritur ab eadem perſona infinita, hoc autem impoſsibile eſt, ſicut eſt impoſsibile aliquod creatum infinitum eſſe ſimplicitèr. Ergo, & concluſio. Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem dico, quod obiectum, etiam ſi intrent cogitationes hominum, & Angelorum, non eſt infinitum actu, & ſimplicitèr, ſed in potentia, & ſecundū quid; vnde anima Chriſti non cognoſcit actu infinitum, ly *actu* cadens ſupra infinitū, cum hoc non detur in ſententia S. Th. cognoſcit tamē actu infinitum, ly *actu* cadens ſupra cognitionē, quæ actu cognoſcit in Verbo infinitum in potentia, quod licèt in ſe ſucceſsionem habeat; in eſſe tamen repræſentati, actu eſt tota illa ſeries cogitationem intellectui Chriſti præſens; eo modo, quo ſunt præſentia Deo omnia tempora in æternitate, licèt in ſe ſucceſsionem habeant prioris, & poſterioris, vt in omnibus æquiparetur ſcientia beata Chriſti ſcientiæ viſionis Dei, quæ menſuratur æternitate. Ad illud de ſatisfactione dico, quod diuerſa eſt ratio de ſatisfactione, ac de ſcientia, nam illa, vtpotè quid morale, deſumitur ex perſona ſatisfaciente, quæ ſicut infinita eſt ſimplicitèr, ita, & ſatiſfactio; ſcientia autē, vtpotè phyſica, nō ex perſona cognoſcente, ſed ex lumine, quod ſicut finitum eſt, ita, & ſcientia Chriſti; & ſi concedatur, quandam habere perfectionem moralem ex perſona, præ cæteris ſcientijs Beatorum, nullum erit inconueniens.

Quænam obiecta anima Chriſti per ſcientiam infuſſam cognouerit?

QVÆSTIO III.

IN Hac re, ſuppoſita ſcientia per ſe infuſſa, quam cum communi Theologorum contra Scotum admiſsimus ſpecie diſtinctā ab acquiſita per ſe, ferè nulla extat controuerſia circa cognitionē obiectorum naturalium, imò, & plurimū ſupernaturalium per illam; ſed quia de nōnullis ſupernaturalibus aliqua eſt diſſenſio inter Authores, ideò Lorca hic quæſt. 11. ar. 1. diſp. 50. num. 11. vt ſaluet, animam Chriſti per hanc ſcientiam non cognouiſſe Deum, nec Trinitatem clarè, aſſerit, nec cognouiſſe viſiones Beatorum, cum quibus Deus, & Trinitas connexionem habent neceſſariā per modū obiecti. Cornejo vero q. 11. dub. 1. licèt concedat, animam Chriſti per hanc ſcientiam cognouiſſe viſiones Beatorum, negat tamen cognitionem, quoad *quid eſt* Trinitatis, licèt illam affirmet, quoad *an eſt*, dub. 2. cum Caiet. & Medina hic art. 1. Alvarez diſp. 52. Suarez diſp. 27. & Raguſſa diſput. 94. cum Magiſt. Ioan. à Sancto Thoma hic diſput. 16. artic. 1. Vazquez vero hic

Digitized by Google

hic diſp. 53. & Hurtado Complutenſis diſp. 8. difficult. 12. contra Auerſa q. 11. ſect. 1. negant etiam animæ Chriſti cognitionem euidentem eſſentiæ, & Trinitatis adhuc remote deductam ex cognitione viſsionis Beatorum, ſolumque per ſcientiam beatam, docent, animam Chriſti eſſentiam Diuinam, & Trinitatem cognouiſſe. Addit denique Suarez contra commune Theologorum, ad cognoſcendum miſterium Incarnationis, ponendam eſſe in Chriſto aliam ſcientiam, quæ dicatur vnionis.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſerno prius; inter obiecta, de quibus poteſt eſſe in præſenti aliqua diſſenſio, alia ſunt mere naturalia, alia ſupernaturalia; & quælibet iſtorum poſſunt cōſiderari in eſſe poſsibili, & in eſſe exiſtēti in aliqua temporis differentia; & quælibet etiam iſtorum alia ſunt difficiliora in eſſe cognoſcibilis aliis: de quibus omnibus aliqua in præſenti reſoluenda ſunt. Quo ſic obſeruato.

Faciliora apud Authores reſoluta.

ARTIC. II.

REſolutio prima ſit. Animam Chriſti per ſcientiam infuſſam non cognouiſſe omnia poſsibilia. Eſt hæc reſolutio conformis ad ea, quæ q. præc. art. 2. docui: iudico etiam eſſe conformem S. Thomæ, & eius doctrinæ, & probatur; quia cognitio omnium poſsibilium, etiam ſi non in cauſa, ſed in proprio genere cognoſcantur, ſicut fit per ſcientiam infuſſam, non poteſt non arguere comprehenſionem Omnipotentiæ; etenim qui omnia poſsibilia, etiam in proprio genere, cognoſceret, non poſſet non facere hoc iudicium: omnia poſsibilia cognoſco? Ergo nulla alia creatura poſsibilis eſt paſsiue producibilis; aliàs non omnes cognoſcerem. Ergo neque eſt potentia actiua productiua alterius creaturæ, in tantum enim ex hauſta eſt potentia actiua, & inextenſibilis (vt ita dicam) ad aliquem effectum ſibi proprium, in quantum talis effectus exhauſtus, & inextenſibilis paſsiuè eſt; nihil enim aliud videtur eſſe, exhaurire potentiam, & virtutem, ſaltem a poſteriori, & arguitiuè, niſi exhaurire omnes effectus. Ergo ſi anima Chriſti cognoſceret omnia poſsibilia, etiam in proprio genere, non poſſet non, ſaltem arguitiue, & à poſteriori, colligere, Omnipotentiam exhauſtam eſſe, & comprehenſam a ſua cognitione, quod non minus repugnat, ac ſi à priori comprehenderetur, & exhauriretur.

Secundò probatur eadem reſolutio; nam dato, & non admiſſo, ex cognitione omnium poſsibilium in proprio genere non ſequi comprehenſionem Omnipotentiæ, videtur, non potuiſſe animam Chriſti per hanc ſcientiam omnia poſsibilia cognoſcere; nam non videtur rationi conſonum, per hanc ſcientiam, vtpotè indigniorem beata, cognouiſſe plura obiecta, quam per beatam cognoſcebat: ſed per iſtam non cognouit omnia poſsibilia, vt quæſt. præced. art. 2. probatum eſt, ſed ad ſummum plura, quam cæteri Beati. Ergo nec omnia potuit cognoſcere per ſcientiam infuſſam, ſed ad ſummum plura, quam cæteri, qui illam habent.

Reſolutio ſecunda ſit. Anima Chriſti per hanc ſcientiam infuſſam ſupernaturalem cognouit quæcumque ab homine cognoſci poſſunt per virtutem luminis intellectus agentis, ſicut ſunt, quæ pertinent ad humanas ſcientias. Ita communitèr Authores, quos citat, & ſequitur M. Godoy diſput. 35. §. 1. à num. 3. Sic expreſsit Sanct. Thom. hic quæſt. 11. art. 1. Cuius ratio eſt; quia per hanc ſcientiam diuinitus infuſſam, & ſupernaturalem, non ſolum reducta eſt ad actum potentia obedientialis intellectus poſsibilis, ſed potentia naturalis illius. *Vtraque enim potentia* (inquit Sanct. Thom.) *reducta eſt in actum ſecundum, per hanc ſcientiā diuinitus infuſſam.* Ergo licèt in ſe omnia iſta obiecta naturalia ſint, & ſcientia infuſſa ſupernaturalis, per iſtam omnia illa cognouit. Patet conſequentia; nam non implicat, quod lumen ſuperioris ordinis attingat obiecta ordinis inferioris, licèt forſis repugnet à contrario, dummodo talia obiecta ſuperiori, & eleuatiori modo, quo

petunt attingi, attingantur; ſicut non implicat, quod ea, quæ attinguntur per ſcientiam naturalem, & infuſam, nobiliori modo attingantur per beatam, & ea, quæ attingũtur à ſenſibus, nobiliori modo ab intellectu attingantur; quanto enim virtus eſt ſuperior, tantò in attingendo eſt eleuatior, & ratio non repugnantiæ omnium eorum eſt, quia tale lumen non reſpicit illa obiecta inferioris rationis, vt ſpecificatiua illius, ſed vt obiecta materialia. Ergo licèt ſcientia infuſa animæ Chriſti ordinis ſit ſuperioris, ac obiecta naturalia, non obſtabit, quominus omnia iſta per talẽ ſcientiam attingantur.

Reſolutio tertia ſit. Anima Chriſti per hanc ſcientiam cognouit, omnes ſupernaturales creaturas, & cuncta myſteria gratiæ, & generalitèr omnia illa, quæ per reuelationem Diuinam hominibus innoteſcunt, ſiuè pertineant ad donum ſapientiæ, ſiuè prophetiæ, ſiuè ad quodcumque donum Spiritus Sancti, quibus adde, omnes actus liberos, cogitationes cordium, & futura contingentia. Sic noſter Auerſa loco proxime citato tenet, & nouiſsimè R. & Illuſtriſſim. M. Godoy dicta diſput. §. 3. à num. 41. & §. 5. à num. 71. & §. 9. à nu. 142. & etiam expreſsè Sanct. Thom. eodem loco. Et ratio eſt, quia vtraque potentia reducta eſt ad actum, ſecundum, hanc ſcientiam diuinitus infuſam. Ergo omnia ſupernaturalia, ad quæ habet potentiam obedientialem intellectus poſsibilis, per hanc ſcientiam cognouit. Confirmatur, nam vt anima Chriſti omnia iſta plenuis præ cæteris Beatis cognouiſſet, cognoſcere debebat omnimodo, quo cognoſcibilia sũt; ſed cognoſcibilia ſunt, non ſolum in Verbo, ſed in proprio genere. Ergo ſic ab anima Chriſti cognita fiuere. Confirmatur vlteriùs; nam cum omnia iſta creata ſint, ac perconſequens finitæ perfectionis, poſſunt repræſentari per ſpecies creatas eiuſdẽ ordinis; & aliàs, cum Chriſtus ſit ſupremus Iudex, caputque hominum, & Angelorum, decebat iſta omnia cognoſcere.

Obiicies primo pro Suar. Vnio hypoſtatica eſt ordinis ſuperioris ad omnia myſteria ſupernaturalia, imò ad ipſam ſcientiam inditam, vel infuſam Chriſti; ſed licèt ſcientia ſuperioris ordinis poſsit attingere obiecta ordinis inferioris, non tamen è contra. Ergo anima Chriſti per hanc ſcientiam infuſſam, vtpotè inferioris ordinis ad vnionem, nõ poteſt cognoſcere talem hypoſtaticam vnionem, ac proinde danda eſt alia ſciẽtia, quæ vocetur *vnionis* ad talem vnionem cognoſcendam. Reſpondeo, quod ſi hoc argumentum aliquid probaret, probaret etiam, talem vnionem non poſſe cognoſci, adhuc per ſciẽtiam beatam; nam ſcientia iſta inferioris eſt ordinis in eſſe ſupernaturali ad ipſam vnionem hypoſtaticam, vtpotè ſubſtantialis iſta, illa accidentalis. Vnde dicendum eſt, quod licèt vnio hypoſtatica in eſſe rei ſuperioris ſit ordinis, ac ſcientia infuſſa, in eſſe tamen obiecti attingibilis, & in eſſe ſcientiæ attingentis, vnum non ſuperat aliud; & ſi ſuperat, potiùs eſt ſcientia, quam vnio, quia talis vnio continetur ſub obiecto ſcientiæ infuſſæ, quæ virtutem habet ex ſe attingendi, non ſolum vnionem, ſed omne aliud obiectum, cuius ſpecies non repugnat; & de materiali ſe habet ad talem ſcientiam, quod obiecta illius excedant ſe in perfectione; ſicut Theologia habet pro obiecto ipſum Deum, & omnia, quæ ad eum pertinent: quare talis ſcientia, vt attingẽs vnionem hypoſtaticam, poteſt dici ſcientia *vnionis* obiectiuè, & cauſalitèr, quatenus ipſam vnionem habet pro obiecto, vel quatenus data eſt etiam ratione vnionis; non autem quia ſit ab alijs diſtincta.

Obiicies pro Lorca, cui in hac quæſt. 11. artic. 1. diſp. 50. num. 12. probabile videtur, futura contingentia, & ſecreta cordis non fuiſſe cognita à Chriſto Domino per hanc ſcientiam, ſed ſolum per beatam; quia non videtur neceſſarium hanc ſcientiam multiplicari in intellectu Chriſti, quia non eſt perfectio alicuius intellectus, neque in eſſe naturali, neque in eſſe ſupernaturali, cum nulli intellectui debita ſit. Ergo ſi aliàs omnia iſta cognoſcebat in Verbo, ſuperflue videtur poni talis ſcientia, vt in proprio genere cognoſcerentur. Confirmatur; nam omnis cognitio, vel eſt intuitiua, vel abſtractiua: ſed anima Chriſti ſecundum ſcientiam infuſſam, habet cognitionem intuitiuam futurorum contingentium, cum non coexiſtant Chriſto, nec abſtractiuam, cũ hæc in-

Digitized by Google

intrinſecè includat obſcuritatem, quæ repugnat cum clara Dei viſione, quam habebat Chriſtus. Ergo intentum. Reſpondeo, quod licèt hæc ſcientia non ſit perfectio debita intellectui, vt ſit in eſſe naturali, nec in eſſe ſupernaturali; eſt tamen debita intellectui, in eſſe ſupernaturali, ſcilicèt, Chriſti, cui diſſonum eſt, non tribuere omnem cognitionem quoad rem, & quoadmodum cognoſcendi; ex quibus modis, qui poſsibiles ſunt, vnus eſt, res cognoſcere in proprio genere. Ad confirmationem dic cum Cornejo quæſt. 11. diſp. 2. dub. 2. talem cognitionem futurorum eſſe intuitiuam; non enim ſolum ſe extendit cognitio intuitiua ad quidditates futurorum, ſed ad exercitia actualis exiſtentiæ eorum, vtpotè euidentèr cognoſcens, illud tali tempore, & cum talibus circumſtantijs eſſe futurum; nam vt inquit Caietanus art. 9. ad notitiam intuitiuam ſufficit, quod res cognita præſentialitèr obijciatur videnti, & realitèr exiſtat extra ipſum, quamuis non coexiſtat ipſi. Præterquam quod poteſt dici, quod licèt talia futura non coexiſtāt Chriſto formalitèr, coexiſtunt Chriſto quaſi æquiualentèr, quia nimirum tales ſpecies ita clarè futura repræſentant menti Chriſti, ac ſi ipſimet Chriſto ſecundum realem præſentiam coexiſterent.

Difficiliora, & apud Authores magis controuerſa expediuntur.

ARTIC. III.

Reſolutio noſtra ſit. Chriſtus Dominus per hanc ſcientiam infuſſam non cognouit Diuinam eſſentiam, nec Trinitatem perſonarum adhuc cognitione euidenti, quoad *an eſt*. Eſt contra plures Thomiſtas, & nouiſsimè contra Mag Godoy diſput. §. 1. 36. à num. 3. & §. 5. à num. 71. & contra noſtrum Auerſa quæſt. 11. ſect. 1. expreſsiſsima tamen Sanct. Thom. in hac quæſt. 11. art. 1. Vbi poſtquam enumerauit ea, quæ per hanc ſcientiam anima Chriſti cognouit, ſubiungit: *Ipſam tamen Dei eſſentiam per hanc ſcientiam nō cognouit, ſed ſolùm per primam*, (ſcilicèt beatam, de qua ſupèrius egerat) quo nihil clarius. Valdè fingere cum Caiet. hic duplex genus ſcientiæ infuſſæ, vnam per proprias ſpecies infuſſas, alteram per diſcurſum ex principijs reuelatis, hoc eſt, ex teſtimonio Dei euidentèr cognito; & dicere, quod Chriſtus per primum genus ſcientiæ non cognouit eſſentiam Diuinam, & Trinitatem, ſic autem per ſecundum, dicere eſt, & fingere, & aduerſari expreſsè Sanct. Thomæ; nam ſi Chriſtus per aliquod genus ſcientiæ infuſſæ cognoſceret eſſentiam Diuinam, & Trinitatem, non dixiſſet Sanct. Th. non cognouiſſe Chriſtum illam per ſcientiam infuſſam, ſed ſolum per beatam Deinde quia ſcientia infuſſa ex ſua ratione formali eſt cognitio clara, & euidens rei in proprio genere, & in ſe per ſpecies infuſſas illius; ſed eſſentiæ Diuinæ, & Trinitatis nulla eſt poſsibilis ſpecies, vt latè probant Theologi ad 1. part. quæſt. 12. imo, & ipſe Caietanus. Ergo fingere iſtam ſcientiam infuſſam ex teſtimonio Dei euidentèr cognito circa Diuinam eſſentiam, & Trinitatem, fingere eſt.

Secundò efficacitèr probatur poſitio noſtra; nam licèt poſsit eſſe cognitio euidens alicuius obiecti in alio; tamen non poſſet hoc reperiri in ſcientia infuſſa reſpectu eſſentiæ Diuinæ, & Trinitatis; nā vel cognoſceretur eſsētia, & Trinitas euidentèr, ſaltem abſtractiuè, in alio tanquam in cauſa, vel tanquam per cauſam; vel in alio tanquam in effectu, vel tanquam per effectum; non enim aliam cognitionem euidentem cognouit Ariſtoteles, & cum eo omnes Philoſophi, niſi per cauſam, quæ eſt demonſtratio *proptèr quid*, vel per effectum, quæ eſt demonſtratio *quia*: atqui per ſcientiam infuſſam nullam cognitionē euidentem ex his potuit elicere anima Chriſti circa eſſentiam Diuinam, aut Trinitatem, adhuc quoad *an eſt*; non primam, quia eſſentiæ Diuinæ, & Trinitatis nulla datur cauſa; non ſecundā, quia ſaltem reſpectu Trinitatis nullus datur effectus, ex cuius cognitione deuire poſsit in cognitionem euidentem Trinitatis; cum quilibet effectus ad extra non oriatur à Deo, vt Trino, nam etiam ſi Deus non eſſet Trinus, æquè benè poterant effectus in lucem prodire: & aliàs teſtimonium Dei, quod eſt euidentia in atteſtante, non poteſt influere in euidentiam circa obiectum re-

ue

uelatum, cum medium ſit omnino extrinſecum, ſolum poteſt influere in euidentiam teſtificationis, quod non tollit, quominus cognitio maneat obſcura circa obiectum reuelatum; vt ſi Deus loqueretur coram me in lingua, quam ego ignoro, & eſſet mihi euidens, Deũ loqui, poſſem per euidentem conſequẽtiam colligere, illud, quod Deus loquitur, eſſe verum, cum tamen circa rem reuelatam intellectus maneret obſcurus, & ignorans. Reſpectu autem eſſentiæ Diuinæ, licèt omnes effectus creati oriantur ab illa tanquam à cauſa, huius cognitio ex illorum cognitione nõ eſt propriè ſcientiæ infuſſæ, ſed ſcientiæ acquiſitæ, & naturalis. Tùm, quia per ſcientiam naturalem Philoſophi Gentiles ex effectibus ad extra cognouerunt vnum primum agens, vnamque primam cauſam ſine ſcientia infuſſa. Tùm etiam, quia Deus, vt vnus in hac cognitione non cognoſcitur euidẽtèr, adhuc abſtractiuè, immediatè, cognitione, videlicèt, ſpeciei per ſe infuſſæ, & immediatè Dei, quod eſt proprium cognitionis ſcientiæ per ſe infuſſæ, ſed mediatè, cognitione, videlicèt, diſcurſiua abſtracta, & acquiſita ex cognitione creaturarum immediatè cognitarũ ſpeciebus per ſe infuſsis, quod eſt proprium cognitionis naturalis, vt optimè notauit Complutenſis Hurtado diſp. 8. difficult. 12. num. 44. Ergo nullatenus poteſt per ſcientiam infuſſam eſſentia Diuina, & Trinitas, adhuc cognitione quoad *an eſt*, euidẽter ab anima Chriſti cognoſci.

Cæterum in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij. Chriſtus Dominus per ſcientiam infuſſam cognouit omnia ſupernaturalia, inter quæ ſunt actus Fidei cuiuslibet viatoris, & actus Charitatis, & viſionis Beatorum, ſed omnes hi actus terminantur neceſſario ad eſſentiam Diuinam, & Trinitatem, cum quibus neceſſariam habent connexionem. Ergo non potuit, cognitis illis euidenter intuitiuè per hanc ſcientiam infuſſam, eorum obiecta, ſaltem euidẽtèr abſtractiuè, per eandem ſcientiam cognoſcere; qui enim cognoſcit actum circa aliquod obiectum, non poteſt nõ cognoſcere quoad *an eſt* ipſum obiectũ. Propter hoc argumẽtum P. Lorca hic diſp. 50. num. 11. aſſeruit, animã Chriſti per ſcientiam infuſſam nõ cognouiſſe Beatorum viſiones. Fateor, hanc ſolutionem facilè parare viam ad ſoluendum argumẽtum; ſed quia difficile mihi videtur, animam Chriſti non cognouiſſe per hanc ſcientiam Beatorum viſiones, ſicut, & cætera alia ſupernaturalia creata, quorum, cum creata ſint, poſſibiles erant ſpecies, quibus ea omnia intuitiuè repræſentarent, ideò alitèr ad argumentum.

Reſpondeo, quod licèt Deus intuitiuè cognoſceret Beatorum viſiones per hanc ſcientiam, & omnes actus in argumento numeratos, qui habent pro obiecto eſſentiam Diuinam, & Trinitatem, non ideo cognouit euidenter, adhuc abſtractiuè, eſſentiam, & Trinitatem; cum nec per cauſam, nec per effectum aliquam cognitionem ad hanc ſcientiam pertinentem circa eſſentiam Diuinam, aut Trinitatem potuit elicere, vt conſtat ex argumento pro noſtra reſolutione; nam vt optimè aduertit Vazquez hic diſp. 53. cap. 1. numer. 5. ſi per effectus talem ſcientiam haberet de eſſentia, & Trinitate, non eſſet talis ſcientia ſua natura infuſſa, ſed acquiſita, & diſcurſu comparata, de qua non diſputamus; nam ſcientia ſuapte natura infuſſa eſt propria, & quidditatiua rei notitia; notitia autem propria, & quidditatiua eſſentiæ, vel Trinitatis per quem cumque diſcurſum non poteſt eſſe propria, & quidditatiua, ſed per alienas ſpecies, & conceptus emendicata; & aliàs cognitio euidens viſionum, Beatorum, & aliorum actuum verſantium circa Deum tamquam obiectum, cum ſit medium extrinſecum, non poteſt influere euidentiam in rem viſam; ſicut teſtimonium reuelans euidenter cognitum non influit euidentiam circa rem reuelatam, ſed cum obſcuritate cõpatitur, vt patet in Angelis, qui in via ſimul habuerunt fidem cum euidentia teſtimonij: cognitio autem cum aliqua obſcuritate repugnat Chriſto ab inſtanti ſuæ conceptionis videnti clarè Deũ. Vnde quando arguitur, non poſſe euidẽter cognoſci actum, quin euidẽtèr cognoſcatur obiectum eius, verùm eſt, ſed non neceſſario per eandem ſcientiam, per quam actus euidenter cognoſcitur, obiectum eius debet euidenter cognoſci, ſed ſingulæ ſingulis tribuendæ ſunt.

In-

Inſtabis. Non poteſt non concedi Chriſto cognitio eſſentiæ, & Trinitatis per aliquod medium extrinſecum, modò ſit viſio Beatorum, & alij huiuſmodi actus, modò ſit teſtimonium Dei reuelans circa eſſentiam Diuinam, & Trinitatem ipſi communicatum: ſed hæc cognitio non poteſt pertinere ad ſcientiam beatam, cum non ſit cognitio eſſentiæ, & Trinitatis in ſe, ſed in alio, nec ſcientiæ acquiſitæ, & naturalis, cum hæc ad ſola naturalia, ad quæ ſolum intellectus agens ſe poteſt extendere, ſe extendat. Ergo neceſſariò pertinere debet ad ſcientiam infuſam, vel fingenda eſt alia ſcientia, à qua talis cognitio prouenire debeat.

Dic, hanc cognitionem circa eſſentiam Diuinam, & Trinitatem ex cognitione alicuius extrinſeci pertinere ad ſcientiam naturalem; nam licèt eſſentia Diuina, & Trinitas excedant terminos naturæ; ex ſuppoſitione tamen, quod illa media extrinſeca cognoſcantur euidentèr per aliquam ſupernaturalem ſcientiam, & talia media relatiua ſint ad ſua obiecta; naturalitèr intellectus cognoſcit per ſpecies horum mediorum illa obiecta, quod non excedit limites ſcientiæ naturalis; ſicut ex eo, quod ego euidentèr cognoſcam eſſe in rerum natura aliquem effectum ſupernaturalem, naturali lumine cognoſco eſſe, vel fuiſſe aliquam virtutem ſupernaturalem illius productiuam, non tamen requiritur, quod cognoſcatur euidentèr ipſa cauſa; eo modo, quo Theologi cum Caiet. 2.2. quæſt. 137. art. 4. docent, cognitionem propheticam claram, & euidentem eſſe, & tamen Prophetæ, vt docet S.Th. eodē loco art. 1. nō vident per ſuā propheticā cognitionem clarè, & euidētèr eſſentiā Diuinā, vt eſt in ſe, licèt illam vt ſic reſpiciant tales cognitiones; & de B.Paulo, qui tranſacta viſione, quam habuit in raptu, habuit notitiam memoratiuam claram, & euidentem viſionis Diuinæ gloriæ, vt docet Sanct. Thom. eodem loco quæſt. 175. art. 5. & tamen certum eſt poſtea non vidiſſe clare, & euidentèr eſſentiam Dei, licèt viſio Pauli diceret reſpectum ad illam. Sicut ergo poteſt ſtare cognitio euidens alicuius actus, quin eadem euidentia, & claritate cognoſcatur eius obiectum, vel terminus; poteſt ſtare etiam cognitio euidens, & clara animæ Chriſti circa viſiones Beatorum, quin circa terminum detur aliqua euidentia ad eandem ſcientiam pertinens.

Opponunt ſecundo ex Cornejo hic quæſt. 11. dub. 2. Sanct. Thom. in hoc artic. 1. expreſsè affirmat, Chriſtum Dominum per hanc ſcientiam cognouiſſe omnia, quæ per reuelationem Diuinam hominibus innoteſcunt: ſed eſſentia Diuina, & Trinitas per reuelationem hominibus notæ ſunt. Ergo, & iſta per talem ſcientiam cognouit. Reſpondeo. Cum Sanct. Thomas affirmat, Chriſtum cognouiſſe per hanc ſcientiam ea omnia, quæ per reuelationem Diuinam hominibus innoteſcunt, intelligi debet de omnibus ſupernaturalibus creatis, quæ per reuelationem hominibus innoteſcunt, quod ex eo conſtat, de his ſolis locutum fuiſſe Sanct. Thom. quia ponit exemplum in rebus creatis, dicens poſtea verba hæc: *Siuè pertineant ad donum ſapientiæ, ſiuè ad donum prophetiæ, ſiuè ad quodcumque donum Spiritus Sancti.* Quæ omnia ſupernaturalia ſunt, & creata: & ex eo etiam, quia concludit: *Ipſam tamen Dei eſſentiam per hanc ſcientiam non cognouit.* Et aliàs hominibus per reuelationem nota eſt, ſicut, & Trinitas. Vndè cum in ſecunda confirmatione pro ſua ſententia adducit Cornejo, intellectum poſsibilem Chriſti reductum fuiſſe in actum ſecundum, adhuc quoad potentiam eius obedientialem, quam habere videbatur in ordine ad cognitionem eſſentiæ, & Trinitatis per hanc ſcientiam, verùm eſt, reductum fuiſſe in actum ſecundum erga omnia creata ſupernaturalia; erga eſſentiam autem, & Trinitatem neutiquam, iuxta contextum articuli, quia erga eſſentiā, & Trinitatem per hanc ſcientiam cognoſcendam non habebat potentiam obedientialem, ſed ſolum circa eandem eſſentiam, & Trinitatem, vt per ſcientiam beatam cognoſcendam, talem potentiam habebat obedientialem.

Opponunt tertio, argumentum cōmune, quod etiam idem Cornejo adducit. Nam non poteſt negari, Chriſtum Dominum habuiſſe aliquem actum amoris ſupernaturalis erga Deum, ad quem non poteſt non antecedere aliquis actus ſupernaturalis intellectus,

quia

quia: *Nihil volitum, quin precognitum.* Atqui talis actus intellectus non poterat eſſe actus ſcientiæ beatæ; hic enim, cum neceſſarius ſit, non poteſt regulare actum illum amoris ſupernaturalis, qui liber erat, & meritorius. Ergo debuit eſſe actus ſcientiæ infuſſæ. Confirmatur, quia Chriſtus locutus eſt de hoc myſterio Trinitatis, & illud manifeſtauit hominibus. Ergo non cognouit illum per ſcientiam beatam, ſed per aliquam ſciẽtiam infuſſam; nam ſcientia beata non videtur acommodata ad externam locutionem, & manifeſtationem, cum cõceptus formatus per illam non ſit aptus, vt exprimatur per ipſa nomina, quæ ſupponunt diſtinctionem conceptuum in intellectu, quæ diſtinctio fieri non poterat per beatam ſcientiam; quia, cum per illam omnia cognoſcat in Verbo, non diſtinguit in obiecto. Confirmatur vlteriùs, quia aliqua perfectio, quæ competit hominibus viatoribus, qualis eſt iſta cognitio ſupernaturalis ſcientiæ infuſſæ circa eſſentiam, & Trinitatem, deficeret Chriſto, vt viator erat, quod videtur inconueniens. Ne ergo in has, & ſimiles verſemur anguſtias, aſſerendum eſt per iſtam ſciẽtiam eſſentiam, & Trinitatem cognouiſſe.

Hoc argumentum nullam aliam maiorem difficultatem habet, quam componere in eodem actu ſimul libertatẽ, & neceſsitatem circa idem obiectum materiale, de quo adq. 19. agemus, interim tamẽ reſpondeo, quod ille actus amoris meritorius regulabatur ab actu ſcientiæ beatæ, quæ ſcientia, licèt neceſſaria ſit in ordine ad eſſentiam Diuinam ſecundum ſe, eſt tamen libera in ordine ad illam, vt eſt radix creaturarum, & ſecundum hanc rationem, amorem liberum regulabat, ſicut ſecundum primã, neceſſarium regulabat amorem. Ad primam confirmationem dic cum Lorca hic diſp. 50. num. 9. benè potuiſſe Chriſtum loqui de myſterio Trinitatis, etiã ſi illud per ſolam ſcientiam beatam cognouiſſet: nihil enim obſtat, quominus ex illa notitia moueret phantaſiam, & linguam ad verba, quibus hoc myſteriũ exprimeret, quomodo nos illud percipere poſſemus; eo modo, quo Deus, qui de ſe ipſo ſolam notitiam habet claram, reuelauit Prophetis per eadem nomina, quibus nos vtimur modò. Ad ſecundam confirmationem dic, non eſſe inconueniens, quod Chriſto deficeret iſta cognitio ſcientiæ infuſſæ circa Deum, etiam ſi illam habeant cæteri viatores; quia his poteſt communicari, quia talis cognitio ſecum habet obſcuritatem, qualem habẽt per Fidem; quæ obſcuritas in cognitione, ſicut, & Fides Chriſto clarè Deum videnti repugnat, vt ad quæſt. 8. huius 3. part. diſp. 2. quæſtion. 3. artic. 2 §. *Reſolutio noſtra.* Cum communi diximus Theologorum.

In calce articuli ſubiungo, quod Chriſtus Dominus, licèt vt comprehenſor non poſſet vti hac ſcientia infuſſa, conuertendo ſe ad phantaſmata, quia vt ſic reduplicatiuè, non erat corpori alligatus, ſed erat ſicut cæteri Beati, & comprehenſores; vt viator tamen, quia alligatus erat corpori, ea vti poterat, quando vellet, conuertendo ſe ad phantaſmata, & non eſt incredibile, aliquando ea eſſe vſum. Addo ex Sanct. Thom. hic art. 3. hanc ſcientiam non eſſe collatiuam vnius ex alio, quantum ad acquiſitionem ſcientiæ per hanc collationẽ; nam cum fuerit per ſe infuſſa, nec acquiri poterat, nec acquiſita fuit à Chriſto per talem collationem, cum quo tamen ſtat, collatiuam eſſe quantum ad vſum, ſicut contingit in ſcientibus, qui ex cauſis concludunt effectus, non vt de nouo addiſcant, ſed volentes vti ſciẽtia, quam iam habent, vt inquit Sanct. Thom.

Quanam obiecta per ſcientiam acquiſitam anima Chriſti cognouerit?

ARTIC. IV.

PRo cuius luce ſtatuo priùs. Chriſtum Dominum nihil ab homine, vel ab Angelo didiciſſe. Quod commune eſt omnibus Theologis cum Sanct. Thom in hac quæſt. 12. art. 3. & 4. & ratio eſt, quia non decebat Chriſti dignitatem, cum eſſet caput hominum, & Angelorum, primus, & perfectiſsimus Magiſter, à membris doceri, ſed potiùs decebat, Doctorem eſſe omnium quare Dionyſius capit. 6. & 7. de cœleſt. Hierarch. dicit, Chriſtum multa Angelos docuiſſe. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio noſtra ſit. Anima Chriſti Do-

Domini per hanc ſcientiam natura ſua acquiſitam cognouit omnia, quæ poſſunt ſciri per actionem intellectus agẽtis, vt ſunt omnia naturalia cuiuſcunque generis. Sic Sanct. Thom. quæſt. 12. & cum eo omnes, cum Auerſa q. 11. ſect. 7. dempto Vazquez diſp. 55. num. 20. Ratio eſt, nam iſta ſcientia fuit perfectiſsima in Chriſto, ſicut ſciẽtia infuſa: ſed ob huius perfectionẽ cognouit per illam omnia, ad quæ eſt in potentia intellectus poſsibilis. Ergo ob illius perfectionem cognoſcere debuit per illam ea omnia, ad quæ ſe poteſt extendere intellectus agens. Confirmatur; nam aliàs perfectior eſſet iſta ſcientia in Salomone, & Adamo, qui illam habuerunt omnium obiectorum naturalium, vt colligitur ex Eccleſiaſtici 7. & ex 3. Reg. 4. & Sap. 7. quã in Chriſto, quod indecens maximè, & indecorum videtur.

Obiicies primo pro Vazquez. Huiuſmodi ſcientia per experientiam acquiritur: ſed incredibile videtur, (inquit hic Author) Chriſtum omnia expertum fuiſſe naturalitèr. Ergo non omnia ſciuit per illam, ad quæ intellectus agẽs ſe poteſt extendere. Reſponde cum S. Thom. in hoc art. 1. ad 1. quod ſcientia rerum acquiri poteſt, non ſolum per experientiam ipſarum, ſed etiam per experientiam quarũdam aliarum rerum, cum ex virtute luminis intellectus agentis poſsit homo procedere ad intelligẽdum effectus per cauſas, & cauſas per effectus, & ſimilia per ſimilia, & per contraria contraria: ſic igitur, licèt Chriſtus non fuerit omnia expertus; ex his tamen, quæ expertus eſt, in omnium deuenit notitiam.

Obiicies ſecundo. Si anima Chriſti haberet ſcientiã acquiſitã omniũ rerũ naturalium, haberet etiam ſcientiã magicã; ſed hoc nõ poteſt dici, aliàs poſſet dici Chriſtum Dominum arte magica patraſſe miracula. Ergo. Reſpondeo; magicam eſſe veram ſcientiam, & laudabilem, vt conſiſtit in cognitione malorum, & eam vt ſic etiam habet Deus; vſum vero eius eſſe malum, & vitioſum, & propter eum, vel eius periculũ eſſe prohibitam; & ſecundum primam conſiderationem Chriſtus eam habuit, non alitèr: & ideò patratio miraculorum non poterat attribui arti magicæ.

Alia, ſi quæ ſuppetunt, dicenda circa hanc quæſtionem 12. Sanct. Thomæ, de modo, ſcilicèt, quo Chriſtus hanc ſcientiam habuit per acquiſitionẽ, vel infuſionem, deque eius augmento, dicta à nobis ſunt in hac diſputatione quæſt. 1. artic. 4.

DISPVTATIO II.

Circa quæſtionem decimam tertiam Sanct. Thomæ.

De Potentia Animæ Chriſti.

POſt conſiderationem eorum, quæ pertinent ad ſcientiam animæ Chriſti, iam in hac quæſt. 13. per quatuor articulos agit Sanct. Thom. de eis, quæ pertinent ad ipſius potentiam; de quo etiam agit cum Magiſtro in 3. diſt. 14. vbi etiã omnes Scholaſtici. In qua quæſtione totus eſt Sanct. Thom. in explicando, quomodo anima Chriſti ſe habeat in ordine ad effectus, tam ipſi conuenientes ſecundum ſuam naturam, quam ſecundum quod eſt coniuncta Diuino Verbo; in eodemque toti nos erimus in hac diſputatione, vbi etiam aliqualitèr tangemus cauſalitatem Sacramentorum in ordine ad gratiam; quia eadem mihi videtur difficultas de Sacramentis, ac de humanitate in ordine ad effectus ſupernaturales.

Quomodo humanitas Chriſti concurrat ad miracula patranda, ad aliosque effectus ſupernaturales?

QVÆST. I.

IN Hac re primo ſe offert ſententia Scoti in 4. diſt. 2. quæſt. 1. & Durandi diſt. 5. quæſt. 3. aſſerentium humanitatem Chriſti eſſe cauſam inſtrumentalem omnium effectuum ſupernaturalium, meritoriam tamen. Quibus ſubſcribunt Petrus de Soto 1. part. lib. de inſtit. Sacerd. Mag. Cano in relect. de Sacram. in gen. part. 4. poſt 6. conc. Vazquez 1 part. quæſt. 45. art. 5. diſp. 276. capit. 3. & 4. & alii quam plurimi Recentiores cum Auerſa quæſt. 13. ſect. 3. Ex diametro tamen ſtat oppoſita Thomiſtarum ſententia aſſerentium, non ſo-

Digitized by Google

ſolum moralitèr inſtrumentalitèr, verum, & phyſicè concurrere ad omnes prædictos effectus. Ita Palud. in 4. diſt. 1. quæſt. 1. Capreol. in 3. diſt. 15 quæſt. 1. art. 3. ad argum. cont. 1. concluſ. Caiet. circa art. 2. huius quæſt. vbi Medina, & alij, quibus conſentit Cabr. in hac quæſt. diſp. 1. §. 2. & R. P. M. Ioan. a S. Thoma hic quæſt. 13. diſp. 15. art. 2. Araujo in hac etiam quæſt. art. 2. diſp. 53. num. 11. & quæſt. 62. art. 1. dub. 2. licèt dub. 3. num. 66. vt explicet, qua ratione Sacramenta cauſent gratiam recedente fictione, ait, ſolum moralitèr eam cauſare, & defectu exiſtentiæ talis Sacramenti non cauſare gratiam phyſicè. Denique tamen media via incedit Lorca dicens, non omnia miracula cauſata fuiſſe ab humanitate Chriſti actione phyſica inſtrumentaria, ſed aliqua ſic, alia autem morali tantummodo, & actione feciſſe. Sic in hac quæſt. art. 2. diſp. 53. num. 11.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRO Quæſtionis intelligentia obſeruo primo ex doctrina S. Thom. 3. part. quæſt. 62. art. 1. cui conſentiunt omnes Theologi, & Phyloſophi, duplex eſſe genus cauſæ, alterum principale, inſtrumentale alterum; illud eſt, quod operatur virtute ſuæ formæ, cui aſsimilantur effectus; vt ignis, qui per calorem, tanquam per virtutem ſuæ formæ operatur, & producit alium ignem ſibi ſimilem; iſtud autem eſt, quod non operatur virtute ſuæ formæ, ſed virtute à cauſa principali deriuata, vt in eodem calore inſpicitur reſpectu ignis, quem inſtrumentalitèr producit. Certum eſt ergo apud omnes, humanitatem Chriſti, nec Chriſtum, vt hominem cauſare effectus ſupernaturales in genere cauſæ principalis, cum ratione, & virtute propria non operetur tales effectus, ad quos humanitas, vel Chriſtus, vt homo, nullam potentiam ex ſe habent, niſi obedientialem, in quo genere ſolus Deus eſt cauſa omnium effectuum ſupernaturalium, cui omnes illi aſsimilantur, & a quo tanquam ab operante per propriam virtutem, ſcilicèt, eſſentiæ, & omnipotentiæ, oriuntur: Quod ſi in aliquo ſenſu Chriſtus, vel humanitas poteſt dici cauſa ſecunda principalis reſpectu gratiæ, & aliorum effectuum ſupernaturalium, ſo ũ eſt ſecundum quod ſubſtentat Diuinũ Verbum, quod ipſi communicat virtutem ad illos effectus cauſandos, eo modo, quo aqua calida poteſt dici cauſa principalis calefactionis, quatenus ſubſtentat calorem, & illo vtitur ad calefactionem, vt optimè notauit Cabr. in hac quæſt. diſput. 2. §. 2. num. 34. per quod non excluditur a ratione inſtrumenti.

Obſeruo ſecundo cum communi Theologorum; duplicem eſſe cauſam inſtrumentalem, phyſicam vnam, & moralem alteram; vna operatur per cõtactum realem, modò ſit virtualis, modo phyſicus, cum paſſo, & per virtutem, quam communicatã habet a principali, eff.ctiuè phyſicè attingit, & cauſat effectum; illa autem non operatur per virtutem realitèr contingentem paſſum, ſed operatur per intentionem, mouendo ſcilicèt alium ad hoc, vt ad ſui præſentiam, & motionem alter producat effectum; ſic qui conſulit alteri furtum, non cauſat phyſicè furtum, ſed moraliter, mouendo, ſcilicèt, aliũ ad hoc, vt ad ſui præſentiam, & motionem ille phyſicè furetur. Vlterius prædicta cauſa ſubdiuiditur in inſtrumentalem coniunctam cum principali agẽte, quæ communiter vocatur inſtrumẽtum coniunctum; & in inſtrumentalẽ ſeparatam ab agente principali, quæ inſtrumentum ſeparatum communitèr appellatur. Prioris exemplum ſit manus reſpectu artificis, cum ſcindit; & in noſtro caſu humanitas reſpectu Verbi. Poſterioris autem ſerra, quæ eſt quid ſeparatum ab artifice; & in noſtro caſu Sacramenta, quæ inſtrumenta ſeparata ſunt Dei principalitèr gratiam cauſantis.

Obſeruo tertio doctrinam quandam S. Thom. 1. part. quæſt. 45 art. 5 quam ad lib. 3. de Anima diſp 3 quæſt. vnica art. 2. ex profeſſo diſcuſsi; nimirum, de ratione inſtrumenti eſſe, habere aliquã præuiam operationem quaſi diſpoſitiuam ad effectum principalis agentis. Hæc ſunt S. Thom. verba: *Cauſa ſecunda inſtrumentalis non participat actionem cauſæ ſuperioris, & principalis, niſi in*

quan-

quantum per aliquid ſibi proprium diſpoſitiuè operatur ad effectum principalis agentis. Quod pluriès repetit 3. par. q. 62. art. 1. ad 2. & vtrobique ponit exēplum in ſecuri, quæ ſcindendo ſcamnum, diſponit ad effectum principalis agentis, qui eſt aliquod opus artis, media ſua ſciſsione, quæ antecedentèr eſt ad ipſam ſciſsionem, vt artificioſam, & quaſi diſpoſitiuè ſe habet ſciſsio, ſecundum ſe, ad ſciſsionem, vt artificioſam. Deinde in ordine ad talem ſciſsionem, ſecundum rationem ſciſsionis, ſecuris (vt optimè Gabr. notauit in hac quæſt. diſp. 1. §. 4. num. 42.) non tàm ſe habet vt inſtrumentum, quàm vt cauſa principalis, cum ratione propriæ formæ, ſcilicèt, acuitatis, producat ſciſsionem ſimilem cauſæ, & agens ſe habet tunc, vt mera conditio neceſſaria ad ſcindendum; in ordine verò ad ſciſsionem, vt artificioſa eſt, ſe habet ſecuris vt inſtrumentum, cum talis ſciſsio, vt artificioſa, non ſit ſimilis naturæ ſecuris, niſi vt eleuata ab agente principali, cui omnes effectus artis aſsimilantur; Quare autem requiratur prædicta præuia operatio, ex eo eſt, quia id propriè dicitur eleuari, quod habet aliquam virtutē, quod autem nullam virtutem habet, non eleuatur, ſed illi confertur prima virtus. Ergo ſi inſtrumentum eleuatur ad aliquem effectum ſua virtute ſuperiorē, & illum defacto producit, ideo eſt, quia in ipſo eſt aliqua propria operatio, quæ eleuatur; nam ſicut tale inſtrumentum eleuatur in ratione operatiui in actu primo per virtutem agentis principalis, ita eleuatur in ratione operātis in actu ſecundo per operationem principalis agentis.

Obſeruo quarto. Quod cum S. Th. in hoc loco præcitato docet, quod inſtrumētum debet habere præuiam operationem ad actionem principalis agentis, non eſt ita intelligendum quod inſtrumentum ratione propriæ virtutis formæ, & actionis debeat operari circa idem ſubiectum agentis principalis, vt aliquibus placet, ſed ita intelligendum eſt, quod in inſtrumento neceſſariò requiratur præuia aliqua operatio ante effectum principalis agentis, ſiuè talis operatio ſit circa idem ſubiectum, ſiuè diuerſum, dummodo ſit circa aliquod ſubiectum, quod ex contextu S. Th. conſtat; nam illius intentum eſt probare, non dari inſtrumentum creationis; ſed hoc ſaluatur ſufficientèr per hoc, quod actio illa inſtrumenti ſit circa aliquod ſubiectum, cum creatio dicat omnimodam independentiam a ſubiecto. Ergo, &c. Deinde, nam, vt docet idem Sanct. Thom. 2. 2. quæſt. 178. art. 1. ad 1. *Dupliciter poteſt vti Deus creaturis ad miracula facienda, in quantum ipſa creatura immutat aliam inſtrumentalitèr, vel interiori motu hominis, vel eius locutione, vel etiam aliquo exteriori actu, ſeu etiam aliquo contactu corporali corporis etiam mortui, ſicut cum dixit: Lazare veni foras.* Atqui actus interior intellect⁹, & voluntatis, cum immanentes, & ſpirituales ſint, neq; talem habere poſſunt actionem ſibi propriam circa corpus, quod inſtrumentalitèr ſanant. Ergo intentum. Quibus ſic obſeruatis.

Præfertur Thomiſtica doctrina, & ſpecialitèr explicatur iuxta mentem S. Thomæ.

ARTIC. II.

Reſolutio prima ſit; non poteſt negari humanitatem Chriſti, vel Chriſtum, vt hominem habuiſſe aliquā cauſalitatem moralem erga miracula, & gratiam, & talem cauſalitatem multoties exercuiſſe. Ratio eſt clara; nam cauſalitas moralis illa dicitur, quæ mouet alium, aut impetrat, vt ad ſui præſentiam effectum ille producat, ſicut, qui conſulit furtum, mouet alium, vt iſte phyſicè furtum committat, atqui humanitas Chriſti, aut Chriſtus, vt homo per ſuas actiones mouet Deum, vt miracula faciat, vel gratiam producat, & aliquando impetrauit patrem, vt inimicos ignoſceret ſecundum illud, *Pater ignoſce illos, non enim ſciunt, quid faciunt.* Ergo non poteſt negari habuiſſe aliquam cauſalitatem moralem erga miracula, & gratiam, & multoties eam exercuiſſe. Confirmatur, quia humanitas Chriſti, aut Chriſtus, vt homo ſecundum propriam naturam, & virtutem; ſiuè naturalem, ſiuè ſupernaturalem, & gratuitam, habuit principia moralia, quibus nobis meruit dona ſupernaturalia, & gratiam cū cæteris donis ſupernaturalibus, ergo habuit cauſalitatem moralem, qua nobis omnia iſta meruerit.

Reſolutio ſecunda ſit; hæc cauſalitas moralis non poteſt eſſe inſtrumentalis. Ratio etiam eſt clara, nam ſi eſſet inſtrumentalis, deberet eſſe reſpectu Dei, & verbi, ſibi perſonalitèr vniti, quod ſe haberet, vt cauſa principalis, cum inſtrumentum, vt actu operans, non poſſit præſcindere a ſua cauſa principali ſimul cum ipſo operante; atqui hoc non poteſt verificari in humanitate Chriſti, tum quia S. Thomas in hac quæſt. 13. art. 2. in corpore conſiderat humanitatem Chriſti cum ſuis principijs moralibus pertinentibus, tàm ad ordinem naturæ, quàm ad ordinem ſupernaturalē, & gratuitam, antequam eam conſideret, vt inſtrumentum eſt Dei, et verbi ſibi perſonalitèr vniti, ſic enim ait, *anima Chriſti poteſt conſiderari dupliciter, vno modo, ſecundùm propriam naturam, & virtutem, ſiuè naturalem, ſiuè gratuitam; alio modo, ſecundum quod eſt inſtrumentū verbi ſibi perſonaliter vniti*, ergo cauſalitas moralis, quam habuit humanitas Chriſti, vel Chriſtus, vt homo ex ſuis principijs moralibus, ſiuè naturalibus, ſiuè gratuitis, non poteſt eſſe inſtrumētalis, cum ab alio antecedenti habeat rationem principij moralis, ac eſſe inſtrumentum verbi ſibi perſonalitèr vniti, quod habet poſtea, vt inquit S. Thom. Tùm etiam, quia de ratione inſtrumenti formalitèr, vt talis eſt, agere, vt motum, vt familiaris eſt propoſitio, S. Th. & Theologorum, non vt mouens, atqui humanitas Chriſti, vel Chriſtus, vt homo per talem cauſalitatem moralem potius mouet Deum, vt ipſe faciat, quam moueatur a Deo, vt ipſa operetur, ergo talis cauſalitas moralis non poteſt eſſe inſtrumentalis.

Reſolutio tertia ſit; prædicta cauſalitas moralis humanitatis fuit in genere cauſæ principalis, ac proinde Chriſtus, vt homo in genere cauſæ principalis moralis nobis meruit gratiam, & omnia dona ſupernaturalia. Hæc reſolutio eſt magis communis inter Theologos, vt inquit R. P. M. Ioannes a S. Thoma in hac quæſt. 13 diſp. 15. art. 4. in 4. cōcluſ. & probat primo ex multis locis S. Thomæ, & precipuè in 4. diſt. 5. quæſt. 2. art. 2. quæſtiunc. 2. vbi ait, *Chriſtum Dominum eſſe cauſam principalem noſtræ gratiæ, ſecundum quod homo erat*, atqui non erat cauſa principalis phyſica gratiæ, quia hæc ſolum eſt Deus, ergo moralis. Confirmatur ex eodem loco S. Thomæ ad ſecundum argumentum, vbi inquit, *quod orans vt ſic eſt cauſa principalis moralis*, atqui Chriſtus multa fecit prius orando patrem per ſuam humanitatem, vt conſtat ex Sacra Scriptura, præcipuè Ioann. 6. & 11. ergo erat cauſa principalis moralis eorum, quæ faciebat orando Patrem: ſæpiùs etiam Chriſtus, vt homo imperando operabatur miracula, vt quando imperauit vētis, mari, & febri, & obediebant ei, ergo horum miraculorum erat cauſa principalis moralis, quamuis in genere phyſico ſolum eſſet cauſa inſtrumentalis.

Probat vlterius prædictam reſolutionem prædictus M. Ioannes a S. Thoma; quia ſi Chriſtus, vt homo orando, ſatiſfaciendo, aut merendo ſolum eſſet cauſa inſtrumentalis moralis, & non cauſa principalis in hac linea, Deus etiam eſſet, vt ſic operans cauſa principalis moralis orans, ſatiſfaciens, & merens, quia omne inſtrumentum ea ratione, qua inſtrumentum eſt, debet habere in eo genere ſuam cauſam principalem proportionatam, a qua eleuetur, & proportionetur, atqui Chriſtus, vt homo nullam poteſt habere cauſam principalem moralem orantem, ſatisfacientem, & merentem, quia Deo qui poterat eſſe talis cauſa pricipalis moralis, repugnat hoc genus cauſalitatis moralis, cum non habeat, apud quem poſſit orare, ſatisfacere, & mereri, cum hæc omnia inferioritatem dicant Deo repugnantem, ergo ſolus ipſe Chriſtus vt homo potuit eſſe cauſa principalis moralis horum effectuum, & non inſtrumentalis moralis; Confirmatur, quia nos vt cauſæ principales morales meremur augmentum noſtræ gratiæ, & gloriæ, & impetramus à Deo alia dona præcibus, & orationibus, ergo meliori titulo hoc idem dici debet de Chriſto, quod ſit cauſa principalis meritoria noſtræ gratiæ, & donorum ſepernaturalium; ſiquidē nos virtute, & meritis Chriſti habemus gratiam, & charitatem, quibus meremur.

Nec contra hoc eſt alicuius momenti id, quod poteſt obiici ex S. Th. 2. 2. q. 178. art. 1. ad 1. vbi docet ſanctos aliquādo ex poteſtate aliquādo ex poſtulatione miracula patrare & vtroq; modo Deus eſt principalitèr operans, vtendo in-

interiori motu hominis, vel locutione. Non inquam eſt alicuius momenti, nã, vt optimè Caiet. ibidem, S. Thom. vocat inſtrumentum quamlibet cauſam ſecundam ſub ordinatam primæ, quam uis illa ſit cauſa principalis merens, non tamen quia, quando concurrit in genere moris, ſit propriè inſtrumentum, alijàs Deus principalitèr orans, & merens diceretur, quod implicat. Vel ſecundo poteſt dici, quod ibi, S. Thom. non loquitur de Chriſto, ſed de ſanctis, quorum orationes, & obſecrationes non habent efficaciam, quam habet Chriſtus; ſic reſpondet Ioannes a Sancto Thoma loc. cit.

Reſolutio quarta ſit. Cauſalitas, quam exercet humanitas Chriſti, vt inſtrumentum coniunctum verbi, erga miracula, et gratiam, eſt inſtrumentalis phyſica; et generalitèr quælibet creatura, cum a Deo aſſumitur ad facienda miracula, vt contingit in Sanctis, vel ad conferendam gratiam, vt contingit in miniſtris, et in Sacramentis nouæ legis, concurrit, non moralitèr inſtrumentalitèr, ſed phyſicè, vt inſtrumentum ſeparatum. Primò, quia id mihi expreſſum eſt in ſacris litteris, ad Rom. 5. *Vbi abundabit delictum, ſuperabundauit, & gratia.* Atqui delictum, quod nobis intulit primus parens, non ſolum demeritoriè, et vt cauſa moralis, vt in nobis redundaret, mouit Deum, ſed vere etiam phyſicè effecit damnationem. Ergo ſuperabundantia gratiæ, donorum, quam nobis intulit ſecundus parens, media ſua humanitate; vt inſtrumento coniuncto, et alijs creaturis, vt inſtrumentis ſeparatis, non ſolum fuit moralis, mouendo, ſcilicèt, Deum, vt nobis abũdãtius phyſicè, et efficientèr dona conferret, ſed fuit phyſicus, verè, et phyſicè talia dona cauſando, Confirmatur ex illo Luc. 6. *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* & 8. *Ego ſenſi, virtutem exijſſe ex me*, & ex illo Ioan. 1. *Lex per Moiſem data eſt, gratia, & veritas per Chriſtum facta eſt.* Atqui cauſalitas phyſica cauſæ efficientis non alio modo a Phyloſophis explicatur, quam per egreſſum, & emanationem per modum fieri. Ergo cum verbum *exire*, & *facere* egreſſum ſignificẽt cauſalitatem etiam phyſicam, & non moralem, debent habere

Secundò, id expreſſe docent communiter Patres apud Lorcam loc cit. numer. 3. qui omnes generalitèr docent, humanitatem Chriſti eſſe inſtrumentum, et organum Diuinitatis in ordine ad opera ſupernaturalia, ſic Damaſc. lib. 3. de fide cap. 15. & 17. Theod. & alij. Cyrilus autem Epiſt. 11. anath. 11 ait: *Carnem Chriſti eſſe viuificatricem, propter vnionem ad verbum* & lib. 4. in Ioan. dicit: *Chriſtum aliquando adhibuiſſe tactum ſuæ manus in miraculis, vt oſtenderet, carnem ſuam eſſe operatricem.* Chriſoſt. homil. 26. in Matth. *Per tactum ſanctæ manus totum corpus leproſi mundatum fuiſſe.* Quæ loca, neſcio, quo iure a contrarijs etiam adducantur pro ſua cauſalitate præciſſe morali; nam vt Chriſtus oſtenderet, carnem ſuam eſſe operatricem effectuum ſupernaturalium, quales ſunt miracula & ſanatio infirmorum, adhibuit tactũ ſuæ manus, vt docent Patres, ſed non vt eſſet operans moralitèr; nam dato, quod ſecundum animam moralitèr tãtum eos cauſaret, ſecundùm carnem, verò non poterat operari, & illos cauſare, cum cauſalitas moralis non pertineat ad carnem, ſed ad mentem, quæ ſola mouere poteſt. Ergo humanitas Chriſti, quæ carnem, & animam includit, non moraliter, ſed phyſicè inſtrumentalitèr talia opera patrabat.

Tertio, id ipſum ſatis expreſſum eſt apud S. Thom. (quidquid dubitet Lorca de eius mente) nam in hac quæſt 13. art 2. concedit humanitati Chriſti potentiam, & virtutem inſtrumentalem ad immutationem totius creaturæ, excepta anihilatione; ſi autem talis virtus ſolum eſſet per modum cauſæ moralis, orando, vel impetrando, non excluderet anihilationem, quia ad hanc habet etiam potentiam, & virtutem moralem, quatenus poteſt a Deo impetrare anihilationem cuiuslibet creaturæ. Ergo Sanct. Thom. expreſſè cognouit cauſalitatem aliam vltra moralem in humanitate Chriſti in ordine ad prædictos effectus. Confirmatur ex alio loco 1. 2. q. 112. art. 1. vbi ait. *Quod humanitas Chriſti eſt, ſicut quoddam organum Diuinitatis eius, & ideo non cauſat gratiam propria virtute, ſed vt* Aa 2 *inſtru-*

Digitized by Google

inſtrumentum, virtute Diuinitatis adiūctæ, ex qua actiones humanitatis Chriſti ſunt ſalutares. Et ne explicetur, vt faciunt Contrarij, de cauſalitate tantum morali, audite illum 3. part. quæſt. 64. art. 3. dicentem: *Chriſtus quatenus Deus operatur in Sacramentis per authoritatē; ſecundum autem quod eſt homo, operatur ad interiores effectus Sacramentorum, & meritoriè, & efficientèr, ſed inſtrumentalitèr.* E art 4. ait *Chriſtus, vt homo, eſt inſtrumentum coniunctum cauſans gratiam* Ex quibus verbis ſic argumentum conficio. Chriſtus, vt homo eſt inſtrumentum coniunctum cauſans gratiam virtute Diuinitatis adiunctæ: ſed non, vt inſtrumentum morale, & meritoriè operans, vt inquit S. Thomas. Ergo aliam cauſalitatem cognouit, præter moralem, in humanitate Chriſti in ordine ad effectus ſupernaturales.

Eadem poſitio rationibus munita.

ARTIC. III.

Reſolutio noſtra, quæ hucuſq; haud leuibus authoritatibus fulcita eſt, iam iam rationibus munitur. Primo à deſtructione fundamenti P. Lorcæ, cui in parte conſentit Vazquez in hac q. diſp. 57. cap. 5. Si propter aliquam rationem humanitas Chriſti non cauſaret, & feciſſet omnia miracula, & effectus ſupernaturales gratiæ concurſu phyſico, ſed aliqua præciſſe cauſaret cō curſu morali, vt expulſio Dœmonum, & reſurrectio mortuorum ad locum diſtantem; maximè propter diſtantiam quam humanitas habebat, & neceſſaria erat propinquitas, & contactus phyſicus cum re, vt humanitas phyſicè cauſaret; hoc autem ita neceſſarium eſt in concurſu phyſico (ait Lorca loc. cit. n. 9.) quod adhuc ipſe Deus non poſſet phyſicè operari, ſi non haberet phyſicū contactum, vt docet S. Tho. 1. part. q. 8. Arqui hæc ratio nulla eſt; nam poteſt ſaluari cauſalitas phyſica ſinè contactu phyſico cum re, dummodo adſit contactus virtualis virtutis cauſatiuæ. Tū quia, vt docet S. Thom. 3. p. quæſt. 48. art. 3. *Paſſio Chriſti efficientèr cauſat ſalutem humanam*, & non habet contactū phyſicum, ſed ſolum virtualem in humanitate relictum. Tùm etiam, quia negari non poteſt, Deum phyſicè cauſare in his inferioribus, cum tamen non habeat contactum phyſicum cum illis, ſed ſolum virtutis, per quam *non longè eſt ab vnoquoque noſtrum*, vt dicitur Act. 17. atqui eundem contactum habet Chriſti humanitas cum rebus, in quibus miracula patratur, & iuſtificationem operatur; cum enim hoc faciat per eandem virtutem principalis agentis, qui eſt Deus, & Deus non longè ſit ab vnoquoque noſtrum. Ergo etiam ſi in caſibus poſitis non habeat contactum phyſicum cum re, cum contactu ſolum virtutis cauſabit efficientèr phyſicè talia opera miraculoſa, & alios quoſcumque effectus ſupernaturales.

Secundò, eadem poſitio probatur ratione generali pro humanitate, & cæteris inſtrumentis Diuinæ virtutis; etenim his omnibus conueniunt conditiones, quas inſtrumenta phyſica naturalia petunt, & habent; nam ſicut illa non operantur, niſi virtute deriuata ab agēte principali, ita & illa non operantur, niſi virtute Dei, qui eſt agens principalis reſpectu horum operū, & effectuū; & ſicut illa habent ſuam operationem præuiam ratione propriæ virtutis; nā ſecuris v. g. non poteſt artificioſe ſcindere, & vt inſtrumentum eſt, niſi priùs ratione propriæ virtutis ſcindat, vt res quædam eſt; ita iſta habent ſuas præuias operationes ratione propriæ virtutis vniuſcuiuſque, nam humanitas, niſi prius tangat hominem ratione propriæ virtutis naturalis, non poteſt inſtrumētalitèr infirmum ſanare, & niſi ratione propriæ linguæ eliciat operationem, non poteſt per locutionem ſuſcitare mortuos. Baptiſmus etiam, niſi priùs ratione virtutis naturalis propriæ aquæ corpus abluat, animam abluere non poteſt; & ſic de cæteris: & aliàs magis extollitur humanitas Chriſti, & Sacramenta, tribuendo illis cauſalitatem moralem, & phyſicam, quam præciſsè moralem; nam melius, & nobilius eſt phyſicè cauſare, cū magis accedat ad modū cauſandi Dei, quā cauſare moraliter. Ergo dum nō repugnet, tribuenda eſt humanitati Chriſti, & Sacramen-

men-

Digitized by Google

mentis cauſalitas phyſica inſtrumentalis.

Dices primo: Licèt nobilior ſit cauſalitas phyſica, quam moralis, ob quod tribuenda eſſet humanitati Chriſti, & Sacramentis; hoc tamen contingere poſſet, quando non eſſet aliquod inconueniens ex illius poſitione; adeſſet tamen in præſenti, ſi poneretur; dari, nimirum inſtrumentum creationis, quod vitare contendit Sanct. Thom. 1. part. quæſt. 45. art. 5. nam cum gratia creetur, & humanitas ſit inſtrumentum gratiæ, ſicut, & Sacramenta, daretur inſtrumentum talis creationis. Sed cõtra eſt, nam ſolutio ſupponit falſum, ſcilicèt, gratiam creari; & licèt non vacet modo de hoc diſputare, pro quo poteſt videri hic Cabr. qui ad longum probat; non creari, ſed educi de potentia animæ; nihilominus hac non inefficaci ratione id perſuadere contendo. Nam omne, quod creatur, cum deſinit eſſe, per anihilationem deſinit, quæ contrariatur creationi: ſed gratia cum deſinit eſſe, non deſinit per anihilationem. Tũ; quia non deſinit ſubiectum, quod neceſſarium eſt ad anihilationem, cum ſit deſitio totius entis ſimplicitèr, ſicut creatio, totius entis ſimplicitèr productio. Tum etiam, quia Deus de lege ordinaria nullam rem anihilare decreuit, cum tamen de lege ordinaria gratiam deſtruat. Ergo ex tali cauſalitate nõ ſequitur prædictum inconueniens.

Dices ſecundo: Humanitatem, & Sacramenta, vtpotè naturalia, & corporea, non poſſe attingere gratiæ productionem, neque alios huiuſmodi effectus, qui ſpirituales, & ſupernaturales ſunt. Sed contra eſt; quia etiam in ſententia contraria, licèt humanitas, & Sacramenta quid naturale, & corporeum ſit, cauſant prædictos effectus in genere cauſæ moralis. Ergo eodem modo prædicta ſolutio currit in ſententia contraria. Dicere autem, concurſum moralẽ non impediri à naturalitate, & corporeitate cauſæ, eo quod nõ ſit, niſi mouẽdo, & impetrando, vt Deus conferat, & producat effectum phyſicè ſupernaturalem; dicere eſt, contra quod ſic argumentor. Nam ſaltèm in Sacramentis non poteſt ſaluari, quod impetrent, & moueant, vt Deus phyſicè cauſet illorum effectus, niſi ex parte Sacramentorum detur alius concurſus præter moralem, vt verificari poſſit, quod Sacramenta cauſant gratiam, non ſolum ex opere operantis, ſed ex opere operato; nam quilibet modus cauſandi in genere cauſæ moralis eſt cauſare ex opere operantis, quatenus Deus videns illa, phyſicè effectus illorum cauſat, quod, adhuc ipſe Vazquez., qui eſt acris defenſor cauſalitatis moralis præciſè, hoc conceſsit quæſtion. 62. diſp. 131. cap. 5. Ergo ſaltèm in Sacramentis, etiam ſi quid corporeum ſint, verificari debet habere alium concurſum in ordine ad ſuos effectus ſupernaturales præter moralem, nam implicatio videtur in terminis, quod Sacramenta cauſent gratiam præciſſè moralitèr, & quod illam cauſent ex opere operato, id eſt ex propria ipſorum virtute independentèr à merito, aut oratione, vel impetratione miniſtri, qui aliquando eſt in peccato mortali & per Sacramenta phyſicè cauſat gratiam.

Deinde generalitèr impugnatur prædicta ſolutio; nam licèt humanitas, & Sacramenta ratione propriæ formæ, vtpotè corporea ſint, non poſsint attingere effectus ſpirituales, vt tamen eleuata à principali agente, qualis eſt Deus per virtutem ſpiritualem à Diuinitate, non implicat tales effectus attingere, cum iam cum talibus effectibus proportionem habeant, ſed humanitas, & Sacramenta habent ſpiritualem virtutem, & efficaciam à Diuinitate, humanitas immediatè tanquam inſtrumentum coniunctum, Sacramenta mediatè, tanquã inſtrumenta ſeparata, vt de paſsione Chriſti docet Diuus Thomas 3 parte quæſt. 48. art. 6. ad 2. dicens *Quod ſi cundum quod paſsio Chriſti habet ſpiritualem virtutem à Diuinitate vnita, ſortitur ſpiritualem virtutem, & efficaciam.* Ergo nihil deeſt humanitati Chriſti, & Sacramentis, ratione cuius non poſsint, & ſi corporea ſint materialitèr, non attingere effectum ſpiritualem, & ſupernaturalem.

Confirmatur, nam licèt phantaſma ſit corporeum quid, & ſecundum hanc rationem non poſsit attingere ſpeciem impreſſam, vt ſpiritualis eſt, nõ obſtat, quod vt eleuatum ab intellectu agente, attingat illam, & producat inſtrumentalitèr in intellectu poſsibili, vt docet com-

commune Phyloſophorum, quos nos imitati fuimus in libris de anima, diſputat. 3. de intellectu agenti, quæſt. vnica artic. 2. Ergo licèt humanitas, & Sacramenta quid corporeum ſint, & ſecundum hoc nequeant attingere ſpiritualem effectum, non obſtabit, quominus vt eleuata à Deo illum producant, ſicut phantaſma, vt eleuata, per intellectum producit ſpeciem intelligibilem.

Dices ſecundo repugnare hanc cauſalitatem, ex eo quod ad illam neceſſariò deſideraretur aliqua qualitas ſpiritualis, quæ ſubiectaretur in humanitate, & Sacramentis, quod repugnat; nam ſpirituale non ſubiectari poteſt in ſubiecto corporeo. Sed contra eſt paritas intellectus agentis, & phantaſmatis, vbi phantaſma, licèt corporeum quid ſit, recipit virtutem ſpiritualem ab intellectu agente. Tùm etiam; quia abſque aliqua qualitate, quæ permanentèr exiſtat in humanitate, & Sacramentis, poſſunt iſta phyſicè cauſare effectus ſupernaturales, vt iam exponam articulo ſequenti, licèt requiratur ad aplicationem huius virtutis aliqua qualitas ſpiritualis, quæ tranſeuntèr ſe habeat in humanitate, & Sacramentis. Qualitas iſta ſpiritualis tranſiens benè poteſt eſſe in ſubiecto corporeo, vt docet Sanct. Thom. 3. part. quæſtion. 62. artic. 4. in corpore & ad ſecundum per hæc verba: *Licèt quid ſpirituale non poſſit eſſe in ſubiecto corporeo per modum virtutis permanentis, nihil tamen prohibet in corpore eſſe virtutem ſpiritualem inſtrumentalitèr, in quantum, ſcilicèt, poteſt corpus moueri ab aliqua ſubſtantia ſpirituali ad aliquem effectum ſpiritualem inducendum.*

Peculiari alia via oſtenditur prædictæ reſolutionis veritas.

ARTIC. IV.

PRo cuius luce ſtatuo priùs, cum D. Thoma in hac quæſt. 13. ar. 2. quē ſequitur ibidem Caietanus, & communiter Theologi. *Animam Chriſti Domini poſſe duplicitèr conſiderari, vnomodo ſecundum propriam naturam, & virtutē, ſiuè naturalem, ſiuè gratuitam: alio modo ſecundum quod eſt inſtrumentum verbi ſibi perſonalitèr vniti; ſi ergo loquamur de Anima Chriſti ſecundum primam conſiderationem, potentiam habuit ad illos effectus faciendos, qui ſunt animæ conuenientes, puta ād gubernādum corpus, & ad diſponendos humanos actus, & etiam ad illuminandum, per gratiæ, & ſcientiæ plenitudinem omnes creaturas rationales ab eius perfectione deficientes, per modum quo hoc eſt conueniens creaturæ rationali; ſi autem loquamur, ſecundum quod eſt inſtrumentum verbi ſibi vniti, ſic habuit inſtrumentalem concurſum ad omnes immutationes miraculoſas faciendas*: Ex quo loco plura perpendo valde congrua ad firmandam nouiter cauſalitatem phyſicam inſtrumentariam humanitatis Chriſti, & Sacramentorum nouæ legis.

Primùm; diuerſum quid eſſe in humanitate Chriſti operari virtute naturali, & ſupernaturali; & operari, vt inſtrumentum eſt verbi, quod prætera quam quod diſtinguit D. Thomas in hoc loco, ſiquidem ſecundum has conſiderationes diuerſos ei tribuit effectus, clare etiam videtur probari, ex eo quod ſecundum primam conſiderationem communis eſt humanitas Chriſti cum cæteris humanitatibus, quæ non ſunt Chriſti, in ordine ad actiones naturales, & ſupernaturales, meritorias, & impetratorias, licèt non quantum ad actiones illuminandi alios, quod eſt proprium capitis; ſecundum autem quod operatur, vt inſtrumentum verbi, nihil habet commune, cum cæteris humanitatibus, quarum nulla alia, ſicut non eſt Chriſti, nec eſt verbi inſtrumentum.

Secundùm, quod perpendo eſt; quod ſicut ſecundum iſtas diuerſas conſiderationes, diuerſi effectus ipſi correſpōdent, ita diuerſæ virtutes, & rationes, operandi correſpondere ipſi debent; nā ratio, & virtus operandi in ordine ad effectus phyſicè ſupernaturales, eſt gratia habitualis medijs reliquis ſupernaturalibus donis; in ordine autem ad effectus miraculoſos alia diuerſa virtus ab iis correſpondere debet, quæ cum non ſit Verbi ſubſiſtentia, quæ communis erat omnibus virtutibus, & actionibus, & per illam nequibat potens reddi in eſſe principij operatiui, cum actiua non eſſet, ſolum tribuebat quandam conditionem neceſſariam ad operationem, ſine qua non, ſicut de omnibus ſubſi-

ſten-

Digitized by Google

ſtentijs pluries diximus contra Scotum virtus hæc ad miracula facienda non erat alia, niſi Diuinitas humanitati coniuncta, & eandem humanitas Sacramē tis communicabat, vt inſtrumentis ſeparatis, eo modo quo in naturalibus artifex, qui eſt cauſa principalis operis artificioſi, communicat ſuam virtutē artificioſam manui, tanquam inſtrumento coniuncto; & manus eam ſerræ communicat tanquam inſtrumento ſeparato, quo vtitur ad opus artificioſe faciē dum: nam, vt docet D. Thomas quæſt. 62. artic. 4. ad 3. *Eadem virtus principalis agentis eſt in omnibus ſuis inſtrumentis ordinatis ad effectum, prout ſunt quodam modo vnum, ſcilicèt, in eſſe operatiuo;* & art. 3. *duplex eſt inſtrumentum, vnum quidem ſeparatum, vt baculus, aliud autem coniunctum, vt manus; per inſtrumentum autem coniunctum, mouetur inſtrumentum ſeparatum, vt baculus per manum.* Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio noſtra, quæ hucuſque authoritatibus, & rationibus fere communibus cauſalitatem non ſolum moralem, ſed etiam phyſicam humanitatis, & Sacramentorum erga opera miraculoſa, & effectus ſupernaturales perſuaſit, iam denuo robur accipit, ratione peculiari ex principijs D. Thomæ communibus deducta, quam ſic ſpecioſe cō pono. D. Thomas 3. parte quæſt. 19. artic. 1. ad 2. ait quod, *licèt operatio, quam elicit humana natura in Chriſto, vt eſt res quædam, ſit diuerſa, & inferioris conditionis, ac operatio diuinitatis eius; operatio tamen, quæ eſt humanæ naturæ in Chriſto, in quantum eſt inſtrumentum Diuinitatis, non eſt inferioris conditionis, nec alia ab operatione Diuinitatis.* Atqui operatio Diuinitatis, quando in Chriſto cauſat miracula, & effectus ſupernaturales, nō eſt cauſalitas moralis, ſed phyſica cauſæ principalis, ergo ſi operatio humanitatis in Chriſto, vt eſt inſtrumentum Diuinitatis, non eſt alia ab operatione Diuinitatis, erit cauſalitas phyſica, & non moralis, licèt aliàs operatio humanitatis, vt eſt res quædam, ſit cauſalitas moralis principalis, vt art. præced. reſolut. 3. oſtenſum eſt.

Illud vlterius efficacitèr ſuadeo; quando in pluribus cauſis eadem eſt virtus cauſatiua, & eodem modo, idem, & eodem modo eſt effectus ab illis cauſatus, ſic quia in communi Thomiſtarum ſententia eadem eſt virtus obiecti, & ſpeciei, & eodem modo in eſſe, ſcilicèt repræſentatiuo, eandem intellectionem, & eodem modo producunt in eſſe repræſentatiuo, ſicut, quia diuerſa eſt virtus ſe tenens ex parte potentiæ, ab ea quæ ſe tenet ex parte obiecti, diuerſam intellectionem cauſant, vel ſaltèm eandem diuerſo modo, ſcilicèt, in eſſe vitali, quod correſpondet potentiæ, & in eſſe repræſentatiuo, quod correſpondet obiecto, & ſpeciei; atqui, licèt diuerſa ſit virtus, & diuerſo modo humanitatis, quoad eſſe tam naturale, quam gratuitum eius per gratiam & dona ſupernaturalia à virtute Dei, eadem eſt vtriuſque, ſecundum quod humanitas eſt inſtrumentum Verbi, & Dei, & eodem modo, etenim virtus inſtrumenti, vt rationem exercet inſtrumenti, non eſt alia à virtute cauſæ principalis, cum dicat D. Thomas: *Eandem virtutē principalis agentis eſſe in omnibus ſuis inſtrumentis, prout ſunt quodammodo vnum,* & patet in omnibus inſtrumentis naturalibus, quæ vt effectus producant artificioſos, nullam habent aliam virtutem niſi artificis, qui eſt talis effectus principalis cauſa; eadem etiam erit virtus humanitatis, & Sacramentorum ſecundū quod effectus cauſant miraculoſos, & gratiam Sacramentalem inſtrumentalitèr, ac eſt virtus Dei, qui talium effectuum eſt principalis cauſa. Ergo ſicut Deus per Diuinitatem in genere cauſæ principalis miracula, & effectus cauſat Sacramentorum, & hoc non moralitèr, ſed phyſicè principalitèr, humanitas etiam, ſicut, & Sacramenta ſecundum quod rationem exercent inſtrumē ti Dei, eoſdem effectus cauſabunt, & ſecundum hanc conſiderationem nō moralitèr, ſed phyſicè inſtrumentalitèr; patet conſequentia, quia conſideratio hæc, vt inſtrumentum eſt Dei, excludit cauſalitatem moralem orationis, & impetrationis, quam habet in ordine ad tales effectus per virtutes morales gratiæ, & donorum.

Confirmatur primo, quia licèt non implicet, quod illud, quod eſt inſtrumē tum alicuiꝰ cauſæ, eliciat aliquas actiones inferioris conditionis, & proportionis ab illis, quas elicit principalis cauſa, imò neceſſario hoc deſideretur, vt poſ-

poſsit exercere rationem inſtrumenti, vt patet in naturalibus; calor enim, qui eſt inſtrumentum ignis, v.g. elicit actionem calefactionis, quæ communis eſt cuicumque calori inferioris conditionis, & proportionis ab illa, quam elicit ſua principalis cauſa, manus etiam muſici elicit plures actiones in fidibus, quibus non cauſatur ſonus artis, qui vocantur motus ſimplices, ad diſtinctionem motus artificioſi, quo cauſatur ſonus artis; iudex etiam, qui eſt inſtrumentum Regis plures actiones elicit inferioris rationis, & conditionis, ac ipſe Rex; implicat tamen, quod inſtrumentum, vt talem rationem inſtrumenti exercet, eliciat aliquam actionem, quæ non ſit cauſæ principalis, & quæ non ſit æqualis proportionis cum illa, vt patet, tū, ex loco proxime à nobis citato Diui Thomæ; tùm etiam, in exemplis modo poſitis; calor enim, vt exercet rationem inſtrumenti ignis, habet quandā virtuoſitatem, quam exprimit in ſua actione propriam, & proportionatam igni, quam non exprimebat, dum talem rationem non exercebat; manus etiam artificis, vt exercet rationem inſtrumenti muſici, habet quandam virtuoſitatem artificioſam, quam exprimit in motibus fidium cauſando ſonū artis, quam non exprimebat, dum talem rationem non exercebat, iudex itē, dum exercet rationem inſtrumenti Regis, habet quandam virtuoſitatem rectam, & Regiam, qua condemnat, & dimittit, quaſi deferendo imperium Regium, quam nō exercet, dum talem rationem non exercebat, ergo licèt humanitas Chriſti, & Sacramenta, quæ ſunt inſtrumenta Dei in ordine ad miracula patranda, & effectus Sacramentorum cauſandos, eliciant aliquas actiones per virtutes, ſiuè naturales, ſiuè ſupernaturales gratiæ, & donorum inferioris conditionis ab actionibus Dei, quibus poſsint impetrare à Deo miracula, & gratiam hominibus cauſandam, vt tamen rationen inſtrumenti Dei exercent, implicat, quod non habeant eandem virtuoſitatem cauſæ principalis, Diuinitatis ſcilicèt, ratione cuius eliciunt operationes eiuſdem rationis, & conditionis phyſicè per imperium patrantes miracula, & gratiam cauſantes, quas non eliciebant, dum talem rationem inſtrumenti non exercebant: cuius fabricæ tota ratio eſt, quia ſicut humanitas, & Sacramenta plura ſunt in ordine ad plures effectus ipſis correſpondentes naturis, & ita illos per diuerſas virtutes, & rationes agendi, ſiuè naturales, ſiuè ſupernaturales operantur, ita vnum ſunt in ordine operatiuo inſtrumentali cum Deo ad effectus miraculorum, & gratiæ cauſandos, cum D. Thomas dicat loco à nobis citato in principio huius articuli: *Eandem virtutem principalis agentis eſſe in omnibus ſuis inſtrumentis, quatenus ſunt quodammodo vnum.*

Confirmatur ſecundo. Non implicat, imò de facto conceditur à nobilioribus Theologis, quos ego ſequutus fui in hac 3. part. quæſtion. 1. diſputat. 1. quæſtion. 5. articul. 6. putum hominem, quatenus erat vnum in eſſe corporis myſtici Eccleſiæ cum Chriſto capite, eliceret eandem actionem ad æqualitatem ſatisfactoriam pro peccato, quam Chriſtus elicuit, licèt aliàs aliæ actiones ortæ ab eodem homine, quacumque gratia ornato ſecundum quod erat diſtinctus in ratione membri Eccleſiæ à quolibet alio membro, & à Chriſto capite, eſſent diuerſæ, & inferioris conditionis ab illa, quam eliciebat, vt erat vnum in eſſe morali cum Chriſto, & cæteris membris Eccleſiæ, ergo non implicabit, imò de facto concedi debet in horum ſententia, quod humanitas Chriſti, & Sacramenta, quatenus ſunt quodammodo vnum cum Deo in ratione operatiui principalitèr, & inſtrumentalitèr per eandem virtutem, vt inquit Diuus Thomas, eliciant eandem operationem phyſicè, quam Deus elicit circa miracula patranda, & gratiam cauſandam, licèt aliàs aliæ actiones ortæ ab humanitate adhuc eleuata per quamcumque gratiam, & à Miniſtris, & Sacramentis, ſecundum quod non erant vnum in ratione operatiui cum Deo, ſint diuerſæ conditionis & inferioritatis ab illis, quas eliciunt, vt erant vnum in eſſe operatiuo phyſico cum Deo: patet conſequentia, quia ideò membra Chriſti ſunt vnum in eſſe morali ſatiſfactorio in actu ſecundo cum Chriſto, quia per eandem virtutem ſatisfactoriam Chriſti illa membra ſatisfaciebāt; ſed per eandem virtutem phyſicam huma-

manitas, & Sacramenta cauſant gratiam, & miracula cum Deo, ſcilicèt, per Diuinitatem, humanitati coniunctam, & Sacramentis communicatam, vt aliqualitèr in hoc articulo perſuaſum eſt, & latius quæſtione ſequenti perſua debimus. Ergo erunt vnum in eſſe operatiuo phyſicè in ordine ad hos effectus.

In calce articuli ſubiungo, ad prædictos effectus duplicem concurſum habere Deum cum humanitate, & Sacramentis. Prior eſt ipſi correſpondens ſecundum quod eſt agens vniuerſale; ſecũdum quam rationem ad omnes actiones tenetur concurrere, & ſecundum iſtam rationem non correſpondent ipſi effectus ſecundum rationes particulares; licèt enim effectus particulares producat Deus cum cauſis particularibus, ratio autem ex parte effectus Deo correſpondens, vt agenti vniuerſali, vniuerſalis debet eſſe, quæ erit miracula, & gratia in eſſe entis; poſterior autem cõcurſus, quem habet in ordine ad prædictos effectus eſt ipſi correſpondens, vt agenti particulari, principalitèr tamen vtenti humanitate, & Sacramentis, tanquam inſtrumentis, pro ſuo libito electis, & deferentis, vt ita dicam, impeſium Diuinum, & ſecundum iſtam rationem agentis particularis correſpondent ipſi effectus ſecundum rationes etiam particulares miraculi, verbi gratia, & gratiæ, & ipſis inſtrumentis, cum diſcrimine tamen, quod inſtrumentis correſpondent ipſi effectus, & actiones non ratione virtutis propriæ, ſed agentis principalis, Deo autem principalitèr agenti, ratione propriæ virtutis in ſe habitæ.

Aduerſantium fundamenta ſoluuntur.

ARTIC. V.

CÆterum in ſui fauorem opponunt primo aduerſarij plura loca Diui Thomæ, quibus expreſſe videtur negare cauſalitatem phyſicam; & ſolum agnoſcere moralem in Diuinis inſtrumentis; nam in 3. diſtinct. 16. quæſt. 1. articul. 3. ait: *Quod neque Angelo, neque animæ Chriſti impreſſa eſt aliqua virtus ſpiritualis ad facienda miracula, niſi per modum orationis, aut interceſſionis.* Vlterius 2. 2. quæſt. 178. vbi de miraculis agit articul. 1. ad primum, expreſſe excludit cauſalitatem phyſicam, & exponens modum, quo miracula fiunt ait: *Mens miracula facientis mouetur ad faciendum aliquid, ad quod ſequitur effectus miraculi, quod Deus ſua virtute facit, & hoc quandoque fit manifeſta oratione, quandoque ſine manifeſta oratione, Deo operante ad nutum hominis.* Quæ loca adeo clara viſſa fuere Lorcæ, vt propter illa dixerit D. Thom. expreſſe ſentire, non dari cauſalitatem phyſicam, vel ad minus de ea non curaſſe; verùm minus ipſi curauit de mente D. Thomæ; ſiquidem loca à nobis adducta in tota hac quæſtione demonſtratiua ſunt pro mente D. Thomæ, & pro cauſalitate phyſica, quibus adde aliam ex quæſtion. 6. de potentia articulo 4. cauſalitatis, non ſolum moralis, ſed phyſicæ demonſtratiuum; ait enim: *Angelos, & homines nõ ſolum oratione, ſed quandoque ex poteſtate miracula facere iuxta doctrinam Gregorij.*

Reſpondeo ergo ad loca D. Thomæ, quod in illis, & alijs ſimilibus, in quibus videtur negare quancumque aliam cauſalitatem præter moralem, nõ loquitur de anima Chriſti, vel alijs inſtrumentis Diuinæ virtutis, vt rationem exercent inſtrumenti formalitèr, ſed de illis ſecundum quod (licèt aliàs ſint inſtrumenta Diuinæ virtutis) exercent virtutem ſuæ naturæ, adhuc gratuitè, & ſupernaturalitèr eleuatæ per principia gratiæ, & donorum ſupernaturalium, per quæ principia ſolum orare, & miracula impetrare poſſunt, eo modo quo calor, & manus muſici, & iudex non cauſat efficientèr effectus ſuarum cauſarum principalium, ſecundũ quod materialitèr conſiderantur, in ratione inſtrumentorum muſici, caloris, & Regis.

Opponunt ſecundo. Omnia loca Sacræ Scripturæ à nobis adducta in hac quæſtione ſufficientèr intelliguntur, & explicantur de cauſalitate præciſſe morali, ergo ne in tot difficultates, quas ſecum affert cauſalitas phyſica, implicemur, aſſerenda eſt ſola cauſalitas moralis quæ minoribus, imò nullis difficultatibus eſt expoſita. Reſpondeo, nullatenus talia loca poſſe ſaluari de cauſalitate præciſsè morali, dato tamen, quod poſ-

poſſent ſaluari ſufficientèr de cauſalitate præciſſe morali, implicaret tamen, quod iſta efficientia, & cauſalitas foret inſtrumentalis Diuini Verbi; nam ſicut iuxta Diuum Thomam diuerſum quid eſt in humanitate Chriſti propria entitas, & natura, adhuc quacumque gratia ornata, & eſſe verbi inſtrumentum; & ſecundum primam conſiderationem habuit potentiam ad effectus diuerſos, ac inferioris rationis, ac habuit ſecundum conſiderationem inſtrumenti, ita in efficientia, & cauſalitate diuerſum quid eſt in humanitate, habere cauſalitatem, & efficientiam moralem ad effectus miraculoſos, & ad eoſdem effectus habere efficientiam, & cauſalitatē inſtrumentalem; nam ad primam cauſalitatem non amplius requiritur, quā virtus ſupernaturalis creata gratiæ, & donorum, quibus impetrare poſſet talia miracula à Deo facienda, ad ſecundum autem, cum operari debeat virtute principalis cauſæ, qui eſt Deus, virtus ſupernaturalis phyſica eiuſdem Diuinitatis requiritur.

Opponunt tertio. Res, quæ præterijt, & iam non exiſtit, non poteſt phyſicè cauſare, ſicut res futura, quia non dum eſt, nec exiſtit, phyſicè cauſare nequit, ſed humanitas Chriſti, & Sacramenta, quando modo cauſant effectus ſupernaturales, iam ſunt præterita, & non exiſtunt; etenim humanitas media paſſione, quæ iam præterijt gratiam nobis communicat, Sacramenta etiam illam cauſant, quando iam non ſunt, ſcilicèt poſt vltimam formæ prolationem; & in eo, qui Sacramentum ficte ſuſcipit, poſt multum temporis. Ergo talis modus cauſandi nequit eſſe per phyſicam cauſalitatem, ſed ad ſummum moralem. Hoc argumentum eſt quod faceſſit negotium pluribus ingenijs; ita, vt nonnulli eius difficultate præſſi ſententiam de cauſalitate phyſica, quam mordicus iuxta mentem D. Thomæ in hac parte. Thomiſtæ cum ſint, non renuunt derelinquere; de quorum numero eſt Mag. Araujo 3. part. quæſt. 62. artic. 2. dub 2. num. 64.

Reſpondeo nihilominus ad argumētum, quod licèt res, quæ nunquam extitit, qualis eſt futura, non poſsit eleuari ad phyſicè cauſandum; ſecus vero res, quæ iam ſemel fuit, qualis eſt præterita, quæ cum iam habuerit entitatem, & naturam, ratione cuius propriam elicuit operationem, quæ præuia requiritur in inſtrumento, poteſt eleuari per virtutem, quæ manſit in illa ex merito, & valore propter dignitatem perſonæ principalitèr elicientis, quod totum cernitur in humanitate, quæ prout paſſioni ſubiecta, iam præterijt, & in Sacramentis in caſibus in argumento poſitis; præterquam quod, cum agens principale adhuc exiſtat, qua ratione, quia Deus vbique exiſtit, qui cauſa principalis eſt cuiuſcumque effectus miraculosè, poteſt vti inſtrumento ad agendum, vbi ipſum inſtrumentum non exiſtit, vt patet, cum Deus miracula patrat ad quancumque diſtantiam per humanitatem Chriſti; cuius ratio vtriuſque eſt, quia tota ratio operandi miracula erat Deus; exiſtentia autem inſtrumenti, ſicut, & præſentia ſolum erat conditio, quam in vtroque caſu poterat Deus ſuplere; quā ſolutionem infinitis in locis, expreſsit Diuus Thomas agens de paſsione, & alijs miſterijs Chriſti; infra quæſtion. 48. art. 6. & quæſt. 50. artic. 6. & quæſt. 51. articul. 1. ad 2. & quæſt. 52. artic. 1. ad 1. & quæſt. 56. artic. 1. & quæſt. 57. artic. 6. quibus in locis ait, paſsionem Chriſti, Reſurectionem, & alia huiuſmodi efficientèr cauſare noſtram iuſtificationem, & Reſurectionem, & alia huiuſmodi, etiam ſi iam præterierint.

Opponunt quarto; cauſa non poteſt phyſicè cauſare effectum, quem in ſe non continet, atqui ſpirituale, qualis eſt gratia, non continetur in humanitate, & Sacramentis, quæ corporea ſunt: ergo nequeūt illam phyſicè cauſare. Nec valet ſi dicatur, quod licèt non contineatur ſpirituale in corporeo ratione propriæ naturæ corporeæ, continetur ratione virtutis eleuatricis, quæ corporeo accreſcit. Nam contra eſt, quia aliàs humanitas, & Sacramentum non ſolum inſtrumentalitèr, ſed principalitèr gratiam phyſicè cauſarent, ſi habēt proportionem, prout eleuata, cum gratia.

Reſpondeo veram eſſe primam ſolutionem, & ad replicam dicēdum eſt, quod etiam ſi ratione eleuationis humanitas, & Sacramenta proportionem habeant, cum effectu ſpirituali, adhuc tamen

Digitized by Google

men non cauſant illum, vt cauſæ principalis, quia hanc virtutem cauſatiuam non habent ratione propriæ formæ, quod requiritur ad cauſam principalē, ratione autem propriæ formæ ſolū habent potentiam proportionatam in genere cauſæ principalis in ordine ad actiones mere corporeas, & naturales, quæ vocantur actiones præuiæ ad effectum principalis agentis, & potentiam obedientialem paſsiuam, vt Deus ea eleuet, ad quod voluerit, quæ potentia, etiam ſi ſupernaturalis ſit, cum non ſit actiua, ſed paſsiua, non cauſant per illā talem effectum.

Inſtabis; idem ſecundum idem non poteſt eſſe in diuerſis, ſed humanitas cōponitur ex diuerſis, ſicut, & Sacramenta, quæ tàm illa, quàm iſta conſtant materia, & forma, ergo illa virtus eleuatrix non poteſt eſſe, neque in humanitate, nec in Sacramentis. Dic, quod licèt idem ſecundum idem non poſsit eſſe in diuerſis, ſecundum quod diuerſa ſunt; ſecus autem ſecundum quod vnū ſunt, & vnum componunt, qualis eſt materia, & forma reſpectu humanitatis, & Sacramentorum; vnde eleganter D. Thomas quæſtion. 62. art. 4. ait: *Eadem virtus principalis agentis eſt in omnibus ſuis inſtrumentis, quatenus ſunt, quodammodo vnum principium in ordine ad effectum, & ita in verbis, & rebus, ex quibus conſurgit Sacramentum, eſt eadem virtus ſpiritualis, quaten⁹ vnum ſunt per modum materiæ, & formæ.*

Opponunt quinto. Maius eſt iuſtificare, quam creare, ſiquidem perfectior eſt terminus illius, quam iſtius, at qui nulla creatura poteſt eſſe creationis inſtrumentum, vt docet D. Thomas 1. part. quæſt. 45. artic. 5. Ergo nec iuſtificationis. Reſpondeo, quod licèt maius ſit iuſtificare, quam creare ex parte termini materialitèr ſumpti, non tamē ex parte termini formalitèr inſpecti, & in eſſe termini, cum terminus iuſtificationis fiat talis dependentèr à ſubiecto, tanquam à cauſa materiali; terminus autem creationis ſit formalitèr independentèr à quocumque ſubiecto, quod magis eſt, quod alijs terminis ab alijs explicatur, dicendo, quod licèt terminus iuſtificationis quid maius ſit, quam creationis, ex parte tamen modi, quid maius eſt opus creationis, quam iuſtificationis.

Opponunt ſexto, de ratione inſtrumenti eſt, quod habeat præuiam operationem diſpoſitiuam ad effectum principalis agentis, vt ex D. Thoma diximus in hac quæſtion. articul. 1. atqui nulla actio videtur aſsignari præuia, & diſpoſitiua in humanitate, & in Sacramentis ad effectum principalis agentis. Tum, quia, vel humanitas, & Sacramēta per contactum circa corpus ſanant animam Diuina virtute, producendo gratiam & vitam corpori reſtituendo, infirmiſque ſalutem; vel humanitas, & miniſtri Sacramentorum cauſant gratiam ſolo actu interiori orationis, vel impetrationis, vel exteriori ſine tali cōtactu ad corpus, ſicut quando Chriſtus dixit: *Lazare veni foras.* Et miniſtri abſoluunt pœnitentes, nullo autem ex his modis poſſunt eſſe tales operationes, & ſi præuiæ, diſpoſitiuæ ad effectum principalis agentis, cum effectus iſte ſupernaturalis ſit, actiones autem illæ naturales, & diſpoſitio debeat eſſe in eodem ordine, ac forma, ad quam diſponit. Ergo, neque humanitas, neque Sacramenta poſſunt prædictos effectus phyſicè inſtrumentalitèr cauſare.

Hoc argumentum, quia plures tangit difficultates, paulatim ſoluendum eſt, non curando modo de prolixa impugnatione ſolutionis, quam aliqui adhibent, dicendo, hanc præuiam operationem requiſitam in inſtrumentis, ſolum intelligendam eſſe de inſtrumentis naturalibus, non de ſupernaturalibus, & Dei, nam talis ſolutio expreſſa eſt contra D. Thomam infinitis in locis, quorum vnus modo ſufficiat ex quæſtion. 62. articul. 1 vbi ait: *Quod Sacramenta corporalia per propriam operationem, quam habent circa corpus, quod tangunt, efficiunt operationem inſtrumentalem ex virtute Diuina circa animam, ſicut aqua Baptiſmi abluendo corpus ſecundum propriam virtutem, abluit animam, ſecundum quod eſt inſtrumentum virtutis Diuinæ.*

Qua ergo ſolutione reiecta. Reſpōdeo ad argumentum, quod præuia operatio, quam requirit D. Thomas in inſtrumentis quibuſcumque ad effectum principalis agentis non eſt propriè diſpoſitiua, cum non ſit ſemper eiuſdem ordinis cum forma, ad quam diſponit, vt rectè probat argumentum, ſed dici-

Digitized by Google

tur diſpoſitiua, quatenus, vt poſsit effectus à cauſa principali, vel inſtrumentali, vt eleuata produci, neceſſariò antecedentèr ſaltèm ordine naturæ requirit, quod inſtrumentum ſit capax talis eleuationis, & productionis effectus ſupernaturalis *per aliquid ſibi proprium*, vt in illo loco dicit D. Th. quod planè cernitur, tàm in humanitate, quàm Sacramentis, quocumque ex aſsignatis modo in argumento cauſent effectus ſupernaturales; nam humanitas, & Sacramenta cauſant inſtrumentalitèr prædictos effectus per contactum cum corpore, & hic contactus circa corpus, qui naturalis eſt humanitati, & Sacramentis, eſt illorum præuia actio, qua operando circa corpus per aliquid inſtrumenti proprium, cauſant in anima gratiam, Diuina virtute; ſi autem humanitas, & Miniſtri Sacramentorum cauſant gratiam per orationem exteriorē, vel intercesſionem; illa oratio, licèt ſupernaturalis ſit, & in ratione orationis cauſa moralis miraculi, vel gratiæ cauſandæ. præcedit actionem Diuinā, ad miraculum, & ad gratiam, quaſi præuie, & aliquomodo diſpoſitiue, vnde elegantèr hic Caietanus artic. 2 §. *Dicendum eſt. Actus quicumque etiam interior, etiam ipſa oratio, non vt oratio, ſed vt inſtrumentum Dei, ſequitur Diuinam actionem; quando igitur Sanctorum acta, aut opera ſolum meritoriè ſe habeant ad miracula, tunc dicuntur facere miracula impetrando, quod Deus per ſe ipſum facit; quando vero actus aliquis ſe habet, vt exequens Diuinum imperium, cui omnia obediunt, tunc dicuntur operari miracula ex poteſtate.* Præclara ſanè verba, & tanti Authoris digna, quæ clarisſimè rem, quam exquirimur, explicat, cum illa oratio ſecundum ſe præuia ſit ad ſe ipſam, vt inſtrumentum eſt Diuinæ virtutis, cui ſicut omnia obediunt, & omnia phyſicè principalitèr cauſat, ſic creaturæ aſſumptæ, vt inſtrumentum Dei omnia obediunt, & omnia phyſicè inſtrumentalitèr ab illa fiunt; idem, & eodem modo intelligo, quando humanitas per actiones exteriores locutionis, & alia huiuſmodi miracula patrat.

Quod ſi inſtes; D. Thomas loco à nobis proximè adducto requirit, quod tangatur corpus, vt mundetur anima, ſed hoc nequit competere actionibus interioribus, cum immanentes ſint, ergo ſaltim cum hoc modo humanitas ſanabat infirmos, & gratiam infundebat; non ſe habebat vt inſtrumentum phyſicum. Dic ex doctrina data in hac quæſtion. artic. 2. in fine. Quod licèt Diuus Thomas in hoc loco requirat, quod tangatur corpus, vt mundetur anima; hoc ſolum dixit ob aliquibus Sacramentis, nō autem, vt ita neceſſarium, quod in omnibus reperiatur, vt patet in pœnitentia; ſolum enim in illo loco intendebat neceſſariam eſſe aliquam operationem præuiam; quod autem tangeret corpus, vel non tangeret, materialitèr ſe habet, ſicut materialitèr ſe habet etiā in humanitate Chriſti ad omnia miracula patranda; nam, vt ex eodem Diuo Thoma conſtat loco citato: *Duplicitèr poteſt Deus vti creaturis ad miracula facienda, in quantum ipſa creatura immutat aliam inſtrumentalitèr, vel interiori motu hominis, vel eius locutione, vel etiam aliquo exteriori actu, ſeu aliquo contactu corporali corporis, etiam mortui, ſicut cū dixit, Lazare veni foras.*

Vel fortè ingenioſius dic, quod cūque inſtrumentum virtutis Diuinæ adhuc quādo operatur per actionem interiorem, debere per actionem ſibi propriam, & præuiam attingere corpus, vt per aliam actionem ſuperiorem mundetur anima; nam licèt talis actio formalitèr immanens ſit, & ſecundum hoc repugnat, quod tangat corpus, virtualitèr tamen poteſt dici tranſiens, quatenus habet ſibi adiunctam aliam actionem, quæ cum ſit etiam formalitèr immanens, effectus cauſat ad extra, ac ſi tranſiens eſſet, ſicut phyloſophatur de quacumque actione Dei, & in hoc ſenſu poteſt dici tales actiones habere proprias operationes circa ſubiectum, circa quod eſt agens principale, non circa ſubiectum *quo*, cum anima ſit vnum, corpus aliud, ſed circa idem ſubiectum, *quod* conflatum ex corpore, & anima, & factum vnum, nam vt concludit Diuus Thomas loco citato ex quæſtione ſexageſsima prima articulo primo. *Ex corpore, quod abluit aqua ſecundum propriam formam, & anima, quam mundat ratione Diuinæ virtutis, fit vnum*, quibus verbis, vtpotè tanti Magiſtri. & noſtra robaratur reſolutio, & argumēti cōtrariorum vires ſine dubio franguntur.

Digitized by Google

Inſtabis iterum. Præuia operatio, quã requirit D. Thom. in inſtrumentis, eſt ad effectum principalis agẽtis; ſed præuia operatio a nobis explicata nil conducit ad effectum principalis agentis in inſtrumentis ſupernaturalibus, cum effectus principalis agentis ſit ſupernaturalis, talis præuia actio naturalis, ergo, &c. vlterius, iſta præuia actio, quam requirit D. Thom. eſt in inſtrumentis, vt inſtrumenta ſunt, ſed reſpectu huius actionis præuiæ a nobis explicatę inſtrumentum non eſt inſtrumẽtum, ſed principalis cauſa, cum virtute propria naturali illam eliciat, ergo dato, quod requireretur præuia actio non eſſet illa, quæ a nobis explicatur cum communi Thomiſtarum, ſed alia præuia & propria inſtrumenti, vt inſtrumentum eſt.

Dic etiam, quod licèt præuia actio, prout a nobis explicata, non conducat ad effectum principalis agentis per modum diſpoſitionis ad illum, conducit tamen tanquam fundamentum in inſtrumento neceſſarium, vt poſsit eleuari, vt virtute agentis principalis producat effectum ſupernaturalem; vnde patet ad confirmationem; nam licèt talis actio præuia oriatur ab inſtrumento, vt exercet rationem cauſæ principalis, cũ illam eliciat virtute propria, non autem ideo aſsignanda eſt alia præuia ab iſta diſtincta, cum illa, quæ requiritur, ſolum ſit tanquam fundamẽtum actionis inſtrumentariæ, vt inſtrumentaria eſt; nam licèt illam requirat D. Thom. in inſtrumento, non tamen requirit eã in inſtrumento, vt inſtrumentum eſt, ſed in inſtrumento materialitèr ſumpto, quod ex eo colligi poteſt, quia inquit D. Thom *per aliquid ſibi proprium*, ſi autem alia requireretur, quæ orta eſſet ab inſtrumento, vt eleuatum eſt, nõ eliceret illam per aliquid ſibi propriũ, nam inſtrumentum formalitèr in ratione eleuati non conſtituitur per aliquam virtutem ſibi propriam, ſed per virtutem agentis principalis, a quo ſicut habet operari effectus eleuatiores ſe, ita ad eoſdem effectus habet eleuari.

Verùm licèt hæc vera iudicem, non improbabo ſi cum hac actione præuia communitèr poſita, alia ponatur in inſtrumento, vt eleuato, præuia etiam ad effectum principalis agentis, & diſpoſitiua, vt inquit Diuus Thomas, ſi taliter diſcurramus, vt proportionem ſeruemus in inſtrumentis Diuinæ virtutis cũ inſtrumentis naturalibus, fingi poteſt vnam, eandemque actionem ortam ab humanitate, vt eleuata, & a Deo, vt eleuante circa effectum aliquem ſupernaturalem, cum diſtinctione tamen virtuali, & cum ordine prioris, & poſterioris, & dicere, quod in effectu ſupernaturali (gratiæ ſcilicèt) orto ab hac actione reali vtriuſque, duplicem rationem cõſideremus virtualem, vnam gratiæ, ſecundum quod eſt Diuinæ naturæ participatio, ſecũdum quam procedit a Deo agenti principali, alia ſecundum, quod gratia eſt quid finitum, vel in eſſe qualitatis, vel in eſſe gratiæ, ſecundum quã rationem, ſicut finitatem exprimit, poteſt pendere in ſui productione a cauſa finita, qualis eſt humanitas, & ſicut in hoc effectu prior eſt ratio qualitatis, quam participationis Diuinæ naturæ, ita ex parte actionis prior eſt actio inſtrumenti, & humanitatis, prout tendit ad rationem qualitatis in grata, quam actio Dei, prout tendit ad rationem conſequenter præuia ad effectum principalis, quam doctrinã a probauit Suarez, hic diſp. 31. ſect. 8. §. *Ex quo tandẽ* licèt in tota hac diſp. reprobet actionẽ præuiam Diuinis inſtrumentis, cuius doctrinæ non deſunt etiam apta exempla, quibus illuſtrari poſsit; ſufficiat nunc exemplum de intellectu agenti, qui ſimul cum phantaſmate, tanquam inſtrumento per eandem actionem realem producit ſpeciem intelligibilem, quæ ſpecies ſecundũ m rationem repreſentationis, & ſimilitudinis correſpondet phantaſmati, & actioni prout ab ipſo elicitæ, & ſecundum rationem ſpiritualitatis intellectui agenti, & actioni prout ab ipſo egreſſæ, vt commune docet phyloſophorum aſſertum, quibus ſubſcripſi in libris de anima, diſp. 3. de intellectu agente quæſt. vnica art. 1. & 2.

Denique, opponunt ſingulari quodam, & difficili argumento, quod fieri poteſt iuxta noſtra principia; nam iuxta ea, eadem eſt indiuiſsibilis actio inſtrumenti & cauſæ principalis Dei, & humanitatis, ergo ſi nõ repugnat, quod aliqua creatura inſtrumentalitèr operetur eadem actione Dei principalitèr agen-

gentis, nō repugnabit, quod aliqua creatura ſit inſtrumentum creationis, quod eſt expreſſiſsimum contra Diuum Thomam infinitis in locis, præcipue, 1. par. quæſt. 45. artic. 5. & in hac quæſt. 13. art. 2. vbi ad omnes effectus cōcedit potentiam animæ Chriſti excepta anihilatione.

Verùm, licèt difficile ſit argumentum, facilis apparebit ſolutio, cuicumq; conſideratè attenderit art. 5. D. Th. ex 1. part. Reſpōdeo ergo cum ipſo, quod eatenus repugnat inſtrumentum creationis, *quia inſtrumentum non participat actionem ſuperioris agentis, niſi in quantum per aliquid ſibi proprium diſpoſitiuè operatur ad effectum principalis agentis.* His enim verbis impugnat Angelicus Præceptor Auicennam, & Magiſtrum docentes poſſe dari creationis inſtrumētum, & quia creatio nullum præſupponit ſubiectum, in quo inſtrumētum diſpoſitiuè operetur, impoſsibile eſt, quod alicui creaturæ conueniat creare, neque virtute propria, neque inſtrumētalitèr, vt ibidem inquit D. Thom. & hoc præcipuè (cōcluait Angelicus Præceptor) *inconueniens eſt dici de aliquo corpore, quod creet, cum nullum corpus agat, niſi tangendo, vel mouendo; & ſic requirit in ſua actione aliquid præexiſtens, ſubiectum ſcilicèt, quod poſſit tangi, & moueri, quod eſt contra rationem creationis,* quod non currit in alijs inſtrumentis Dei concurrentibus ad illos effectus eadē indiuiſsibili actione, dūmodo tales effectus non ſint creatione producti, vnde repugnantia in hoc, quod non poſsit dari inſtrumentum creationis, non eſt penſanda ex eo, quod aliqua creatura non poſsit operari eadem indiuiſsibili Dei actione, prout eius eſt inſtrumētū; cū loca a nobis adducta ex D. Th. in hac quæſt. & inſequenti adducēda ita clare definiant eandem eſſe operationem humanitatis, vt inſtrumentū eſt Verbi, ac ipſa verbi actio, vt principalitèr agens, ſed ex peculiari, quod petit eſsētialitèr actio creatiua, ſcilicet, quod non ſit ex præſuppoſito ſubiecto, quod non habent aliæ actiones, quæ non ſunt creatiuæ.

Quænam ſit virtus, qua humanitas Chriſti, & Sacramenta conſtituuntur in ratione inſtrumenti ad effectus miraculoſos, & ſupernaturales.

QVÆST. II.

IN Hac re Suarius hic diſp. 31. ſect. 5. & 6. quamdam potentiam confinxit obedientialem actiuam in humanitate, & Sacramentis, per quam in ratione inſtrumenti conſtituerentur ad effectus ſupernaturales, & miraculoſos faciendos; alij autem ad id ponunt quamdam qualitatem ſupernaturalem; ita Paludanus in 4. diſt. 1. & diſt. 36. & 50. Capreolus ibidem diſt. 1. q. 1. art. 3. & diſt. 12. quæſt. 1. ad argumenta contra primam concluſionem. Ferrara 3. contra gentes cap. 56. alij autem ſufficere dicunt ſolam coniunctionem, & ſubordinationem ad virtutem Dei principalis agentis; cui modo dicendi ſubſcribunt aliqui Recētiores, quos ſupræſſo nomine refert Cabrera hic diſp. 4. §. 3. eam tamem in terminis tenet Magiſter Ioannes Vincentius in releɾt. de gratia Chriſti quæſt. 6. §. *Eſt tertia ſententia media,* vbi docet, virtutem, qua humanitas Chriſti cauſat miracula eſſe permanentem, & non per qualitatem aliquam, ſed ex eo quod humanitas, vt cōiuncta verbo habet Diuinitatem ſibi infalibilitèr aſsiſtentem ad operandū miracula, quotiès ipſe Chriſtus voluerit: pro qua ſententia adducit Vegā in Trident. cap. 14. Denique tamen idem Cabrera ibidem, §. 4. & deinceps cum Caietano hic, & quæſt. 62. art. 1. & 4. cum Soto in 4. diſt. 1. quæſt. 3. art. 4. cum R. P. M. Ioann. a S. Thom. diſp. 15. art. 3. & cum alijs Thomiſtis aſſerit, humanitatem, & Sacramenta, conſtitui in ratione inſtrumenti per motum, quo mouētur a principali agenti ad effectus ſupernaturales, qui motus vocatur artificioſus, ad diſtinctionem motus ſimplicis ipſius humanitatis, & Sacramentorum.

Quæ-

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo, id quod apud Philoſophos indubitatum eſt, nempè nullam cauſam, præcipuè effectiuam, ſiuè principalem, ſiuè inſtrumentalem poſſe aliquid efficere, niſi it in actu primò per rationem agendi potens efficere, & conſtituta; ratio eſt, nam in tãtum cauſa agit, in quantum eſt in actu; actus enim ſecũdus nececeſſario ſupponit actum primum, tanquam id, a quo egreditur, ergo virtutem potentem in cauſa ad illũ eliciendum.

Obſeruo ſecundo, in inſtrumento, quando actũ agit, duplicem interuenire motum, vnum ſimplicem, artificioſum alium, ac proinde duplicem potentiam, & virtutem in ipſo inueniri neceſſum eſt; motus ſimplex eſt, qui correſpondet ſuæ naturæ ſpecificatiuè, & virtuti propriæ formæ, vt motus ſerræ, v.g. ſimplex eſt ſcisſio, ſecundum quod correſpondet virtuti propriæ ſerræ, vt eſt dentata, & acuminata; artificioſus autem eſt, qui correſpondet inſtrumento reduplicatiuè, ſecundum quod inſtrumentum eſt formalitèr, vt ſi conſideretur motus ſerræ, vt eſt quædã ſciſſio artificioſſa productiua ſtatuæ, v.g. cum quadam rectitudine, & regulatione ad regulas artis, qui motus eo artificioſus, & non ſimplex dicitur, quia non correſpondet, nec proportionatur virtuti ſimplici ipſius ſerræ, ſed virtuti artificioſæ, quæ eſt in mente artificis vtẽtis ſerra ad talem motum, quaſi deferendo, vel communicando ſerræ ſuam virtutem artificioſam, vt ipſa inſtrumentalitèr effectum artis producat, quibus ſic obſeruatis.

Virtutem inſtrumentariam non eſſe potentiam obedientialem, quam confinxit Suarez, nec motum, vel qualitatem, quam ponunt Thomiſtæ, aperitur.

ARTIC. II.

REſolutio prima ſit, humanitas Chriſti, & Sacramenta non conſtituuntur in ratione inſtrumenti per potentiã obedientialem actiuam, quam indiſtinctam ab ipſiſmet entitatibus confinxit Suarez: hanc reſolutionem ſatis erudite probat Cabrera, loc. cit. cuius ratio efficax eſt, (relicto quod talis potentia obedientialis implicat, de quo non vacat modo diſputare) quia ſi ſententia Suarij vera eſſet, daretur in creatura vis naturalis ad eliciendos actus ſupernaturales, ſine eo quod talis vis confortatione indigeret per appoſitionem alicuius rei ſupernaturalis in creatura, quod Pelagianis mumſapit, cum tantum gratiæ deroget, & extollat liberũ arbitrium: dicere autem hanc potentiam eleuari per Dei Authoris gratiæ influxum; dicere eſt; nam vel talis influxus ponit aliquid in intellectu, vel voluntate, vel nõ ſi primum, habemus intẽtum, cum iam eleuentur per aliquid ſupernaturale; ſi ſecundũ, manet improportionata creatura, ſicut antea in ordine ad effectus ſupernaturales, quos neceſſario, eo modo quo ad illos concurrit, præcõtinere debet, ergo intẽtũ reſolutionis manet firmũ, maximè cõfirmatũ ex hac ratione.

Secundò id ipſum contra Suarez perſuadeo, nam quæuis actio, vt actio eſt, cum eſſentialitèr includat dependentiã effectus a cauſa eſſentialem habet habitudinem ad ſuum principium, a quo elicitur: ſed productio gratiæ non dicit eſſentialem habitudinem ad entitatem naturalem humanitatis, & Sacramentorũ, cũ talis actio ſit ſpiritualis, & ſupernaturalis; ergo repugnat, quod per talẽ potentiam obediẽtialem actiuam humanitas Chriſti, & Sacramẽta cõſtituantur in ratione inſtrumenti Diuinę virtutis.

Si dicatur cum Suario loc. cit. ſect. 6. in ſolutione ad 6. productionem gratiæ non ſolum dicere ordinem tranſcẽdentalẽ ad Deũ, vt principale agẽs, ſed ad creaturam, vt operantem inſtrumentalitèr per potentiam obedientialem actiuam. Contra eſt, nã in ſententia Sua-

rij talis potentia non diſtinguitur, nec dum formalitèr ab ipſa entitate creaturæ, ergo ſi productio gratiæ dicit ordinē tranſcendentalem, etiam ad creaturam vt operantem, vt inſtrumentum Dei per talem potentiam obedientialem, dicet etiam ordinem tranſcendentalem, & habitudinem res ſupernaturalis, & ſpiritualis ad rem naturalem, & materialem, tanquam ad cauſam, & potentiam, in qua præcontinetur.

Reſolutio ſecunda ſit, humanitas Chriſti, & Sacramenta, & generatim omnia inſtrumenta non conſtituuntur in ratione inſtrumenti per illum motū, quo mouentur a principali agenti com muniter poſitum, nec per qualitatem per motum productam, licèt indiſpenſabilitèr, vt actu cauſent effectus principalis agentis, requiratur motus principalis agentis, vel qualitas aplicans virtutem, vt hic, & nunc operentur, hanc reſolutionem tenet Cornejo, 3. part. S. Thomæ quæſt 73. diſput. 2. dubio vltimo articuli primi, § *Et confirmatur*, qui vt probet corpus Chriſti eſſe rationem agendi in Euchariſtia, aſſumit pro medio ad hoc probandum, quod humanitas Chriſti conſtituitur potens miracula, & gratiam patrare, non per aliquem motum, aut qualitatem tranſeuntem, ſed per ipſam Diuinitatem ſibi vnitam, licèt motum, vel qualitatem iſtam requirat tanquam conditionem ad hoc, vt prædicta virtus operetur, quod confirmat num. 4. in actu charitatis, & fidei per hæc verba, *Sicut quamuis ad hoc, vt homo iuſtus operetur, per fidem, & charitatem, ſit neceſſaria talis motio, & excitatio etiam præuia, nō ſequitur, quod virtus elicitiua actus fidei, & dilectionis ſit talis motio, & non potiùs ipſe habitus fidei, aut charitatis*, & eam probo ex Diuo Thoma pluribus in locis, præcipuè, 3. part. quæſt. 62. artic. 4 ad 4 vbi ſic ait, *eadem virtus principalis agentis eſt in omnibus ſuis inſtrumentis ordinatis ad effectum, prout ſunt quodammodo vnum in eſſe, ſcilicèt, operatiuo.* Atqui non eſt idem motus, vt de ſe liquet, in omnibus inſtrumētis, ſicut neque eadem qualitas, quæ diſtingui debet ad diſtinctionem motus, ergo id, per quod conſtituūtur, in ratione inſtrumenti, non eſt motus, nec qualitas, ſed aliquid motum ipſum, & qualitatem anteuertens.

Secundo efficaci apud me ratione, prædicta probatur poſitio, nam ille motus, vel qualitas, quo humanitas, & Sacramenta mouentur a Deo principali agente ad cauſandum effectum, tam miraculi, quam gratiæ, eſt fluens, & tranſiens, vt docent Authores appoſitæ ſententiæ; atqui in humanitate Chriſti, & Sacramentis debet eſſe virtus permanens, qua conſtituantur in ratione inſtrumenti Diuinæ virtutis, ergo nequeunt per talem motum, vel qualitatem in ratione inſtrumenti formalitèr conſtitui; minorem autem, in qua videtur eſſe difficultas, ſic mihi perſuadeo; nam verùm eſt dicere humanitatem Chriſti habere poteſtatem permanentem ad facienda miracula, quomodo, & quando voluerit, ante quam prædictus motus, vel qualitas, qua illam poteſtatem, & virtutem aplicabat, intelligeretur, iuxta illud Matthæi. 8. *Domine ſi vis potes me mundare*, & Matthæi 9. *vt autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, dicit Paralitico, ſurge, & ambula*, & ex illo *data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra*: Quæ verba de virtute permanenti intelligi debent, non de virtute tranſeunti per motum agentis, vel per qualitatem, qui motus, & qualitas talem virtutem, & poteſtatem, vt eius exercitium ſupponat; de Sacramentis etiam eſt verùm dicere habere ex ſe ex opere operato virtutem, & poteſtatem cauſatiuam gratiæ, & quod hoc ſit permanenter, & antecedentèr ad motum, quo gratiam cauſat hic, & nunc, ex eo cōſtat, tum, quia Sacramentum Euchariſtiæ toto illo tempore, quo Sacramentum permanet, eſt verùm dicere, eſſe cauſatiuum gratiæ, & conſequentèr, quod toto illo tempore habeat virtutē cauſatiuā ratione alicuius virtutis, quæ in eo permanentèr exiſtat, quod nequit intelligi de motu, vel qualitate, quæ trāſeūtia ſunt. Tùm etiam, quia in recipiētibus Sacramenta cū fictione adhuc manet in ipſis vis gratiæ cauſatiua toto tēpore, quo manet obex fictionis, qua ablata in anima gratiam producūt, licèt ad hoc indigeat motu fluido, vel qualitate agētis principalis, ergo tā in humanitate, quā Sacramētis antecedētèr ad motū principalis agentis neceſſariū ad hic, & nunc gratiā, & miracula patrāda ne-

Digitized by Google

neceſſario debet dari virtus cauſatiua permanens talium effectuum, qua conſtituantur in ratione inſtrumentorum Diuinæ virtutis.

Confirmatur primo. Nam in inſtrumentis antecedentèr ad motum ſimplicem correſpondētem ipſis ratione propriæ virtutis, & formæ, datur virtus permanens talis motus cauſatiua, licèt vt actu virtus ſe explicet in actu ſecundo, requirat motum, ergo antecedentèr ad motum eorum artificioſum correſpondentem ipſis ratione virtutis ſuperioris, & agentis principalis, debet dari virtus in ipſis permanens talis motus cauſatiua, licèt, vt hæc virtus in actu ſecundo ſe explicet, requiratur virtus, ſeu motus agentis principalis. Patet cōſequētia, quia ſicut ille motus eſt exercitium illius virtutis ſimplicis, ita iſte motus eſt exercitium virtutis artificioſæ, ergo ſicut illa ſupponitur permanens, & diſtincta a motu, conſtituens inſtrumentum in actu primo potens ad motum ſimplicem, ita iſta permanens debet ſupponi, & diſtincta a motu conſtituens inſtrumentum in actu primo potens ad motum artificioſum.

Confirmatur ſecundo, nam per motum ſimplicem non poteſt humanitas, & Sacramenta conſtitui in ratione inſtrumenti formalitèr; cum talis motus prout ſic non ſit cauſa inſtrumentalis, ſed potius principalis, nec per illum producere poſſunt effectum ſupernaturalem; nec poſſunt conſtitui per motum artificioſum, & ſupernaturalem, quia talis motus exercitium eſt alicuius virtutis artificioſæ, & ſupernaturalis tenentis ſe ex parte actus primi per modum principij *quo* talis artificioſi motus, ergo per motum illum nequit conſtitui formalitèr inſtrumentalis cauſa in ratione inſtrumenti, vnde ſi Diuus Thomas dixit. *Aliquando cauſam inſtrumentalem non agere virtute ſuæ formæ, ſed ſolo motu, quo a principali agente mouetur*, vt dixit in hac 3. part. quæſt. 62. articul. 1. & 4. vt probaret, Sacramenta hoc modo gratiam cauſare; veriſsimum dixit, quia ſolo motu agunt inſtrumenta hic, & nunc, & Sacramenta gratiam cauſāt; ex hoc autem potius colligi debet, vltra motum aliud requiri antecedens, nam motus ſolum eſt aplicatio virtutis cauſatiuæ præſupoſitæ, vt in actum ſecundum exeat, quæ aliàs, ſi non moueretur; in ratione potentis agere ſolum permaneret.

Propria mens poſsitiue deciſſa.

ARTIC. III.

PRO Cuius luce ſtatuo prius quod cum Deus, qui eſt cauſa principalis cuiuſcumque effectus miraculoſi, & gratioſi, infinitæ ſit virtutis, non alligatur inſtrumentis determinatis ad tales effectus producendos, ſed poteſt hoc, vel illo vti, & ſibi conſtituere quædam inſtrumenta talitèr, quod etiā præter ea quæ defacto conſtituit, alia conſtituere poſsit, & illis vti pro libito ſuæ volūtatis, ad diſtinctionem agentis creati; quod licèt cauſa ſit principalis plurium effectuū, determinatis alligatur inſtrumentis ad proprios effectus producendos; ſic videmus iuxta diuerſitatem cauſarum ſecundarum diuerſa inſtrumenta ipſis adſcribi, & determinata, talitèr quod alijs nequeat vti ad ſuos effectus producendos; pictor enim nūquam adhibet, nec conſtituit ſibi ſerram, vt depingat, nec artifex pennicillo, vt ſcindat, & aqua non cōſtituit ſibi calorem, vt per illum, tanquam per inſtrumentū frigefaciat, neque ex eo quod calor ignis, qui eſt inſtrumentum illius, aquæ aplicetur, deſinet eſſe virtus ignis, a quo habet propriam virtuoſitatem ignis determinatam, ad effectus proprios ignis, quam non habet alius calor, v. g. ſolis, nam ſicut ſol eſt cauſa minus determinata, & magis vniuerſalis, quam ignis ita & calor ſolis habet ſuam virtuoſitatem, minus determinatam, & magis vniuerſalem quam calor ignis, quiquidem calores, licèt in ratione caloris, & effectus calefactionis, vt ſic cōueniant, in ratione tamen virtutis inſtrumentariæ valde diſident; eo quod iuxta coarctationē ſuæ cauſæ principalis, coarctatur eius virtus inſtrumentaria; neque enim calor, qui eſt ſolius ignis inſtrumentum, inſtrumētalitèr producere poteſt omnes effectus, quos in eodem genere cauſæ calor proprius ſolis producere poteſt, ſicut nec calor naturalis, qui eſt inſtrumentum animalis formatiuum ſeminis, & lactis in diuerſis corporis partibus, poteſt producere ef-

Digitized by Google

effectus ignefactionis, quos calor ignis producere valet, ſed ex diuerſa deriuatione à diuerſa cauſa principali habet quodlibet inſtrumentum diuerſam virtutem inſtrumentariam, & virtuoſitatem. Quod ſic ſtatuo.

Reſolutio noſtra ſit. Virtus, qua humanitas Chriſti, & Sacramenta conſtituuntur in ratione inſtrumentorum, ad patranda miracula, & producendam gratiam, eſt ipſamet Diuinitas humanitati intrinſecè vnita, vt inſtrumento cõiuncto, & Sacramentis, vt inſtrumentis ſeparatis communicata, in quibus permanentèr perſeuerat, ex quo inſtrumẽta Dei eſſe cæperunt pro libito ſuæ voluntatis, à qua acceperunt quandam ſubordinationem, & virtuoſitatem, quam non acceperunt aliæ res, quæ ad tales effectus cauſandos poterant à Deo, vt inſtrumenta eius aſſũmi, licèt vt actu cauſent tales effectus indiſpenſabilitèr requiratur motus Dei, vt principalis cauſa, prædictorum effectuum producendorum. Hæc reſolutio intelligenda eſt, non ſolum quando Deus vtitur humanitate, & Sacramentis tanquam inſtrumentis ſibi deputatis, ex quo humanitas cæpit eſſe vnita Diuinitati; ſed etiã quando Deus vti velit qualibet alia re creata, & illam vt inſtrumentum aſſumere pro libito ſuæ voluntatis ad aliquem effectum producẽdum, cum hac tamen differentia, quod licèt ſemper in quolibet inſtrumento à Deo aſſumpto virtus cõſtitutiua illius in eſſe inſtrumenti ſit ipſamet Diuinitas Dei, aliquo modo inſtrumento vnita, & communicata; in inſtrumentis verò à Deo iam deputatis, qualia ſunt humanitas, Chriſti, & Sacramenta, ex quo cæperunt eſſe inſtrumenta ipſius, talis Diuinitas eſt vnita, & communicata permanentèr humanitati, & Sacramentis. In alijs autem inſtrumentis, quibus Deus vti poteſt, ſi velit, ad aliquem effectum ſpecialitèr cauſandum, talis Diuinitas non ſit illis communicata permanentèr, ſed tranſeunter, pro illo, ſcilicèt *nunc*, quo cauſatur talis effectus, ad quem ſpeciale inſtrumentum à Deo eligitur.

Pro hac reſolutione ita explicata faciunt omnia loca ſacræ Scripturæ à nobis adducta articulo præcedenti, quibus probatur humanitatem Chriſti, & Sacramenta habuiſſe poteſtatẽ ad quoſcumque effectus ex his producendos, quod cum non poſſit hoc intelligi, niſi antecedentèr ad motum, qui totam aplicationem ad hic, & nunc conferre poteſt, nec de potentia obedientiali, quæ actiua nullatenus datur, ſed ſolum paſſiua; nec de qualitate, quæ permanentèr ſe habeat, cum hæc, vtpotè ſupernaturalis, & incorporea, in ſubiecto materiali, & corporeo permanentèr eſſe nequeat, vt expreſsè Diuus Thomas 3.part.quæſt.62.art.4 in corpore, & ad 2. relinquitur, quod ſit ipſamet Diuinitas non inhærens, ſed modo explicato vnita.

Vlteriùs, pro eadem reſolutione ſic explicata expreſſe facit illud Diui Thomæ 3.part.quæſt.48.artic.6.ad 2. dicẽtis quod. *Paſsio Chriſti, ſecundum quod habet ſpiritualem virtutem à Diuinitate ſibi vnita, ſortitur ſpiritualem virtutem, & efficatiam.* Vbi Diuus Thomas ſpiritualem virtutem, & efficatiam, quam Paſſio Chriſti, vt inſtrumentum Dei habet ad tales effectus cauſandos, ſupponit eſſe à Diuinitate ſibi vnita, quæ communicata fuit etiam Sacramentis, eo ipſo, quod humanitati communicata fuit, & inſtituta fuerunt ex benedictione Chriſti, & ad vſum eorum aplicatione miniſtri, nam, vt inquit Diuus Thomas 3.part. quæſt. 62. articulo 4. ad 1. *Sacramentum conſequitur ſpiritualem virtutem ex benedictione Chriſti, & aplicatione Miniſtri ad vſum Sacramenti.* Vbi Sanctus Thomas, licèt ad vſum Sacramenti aplicationem Miniſtri requirat, quæ aplicatio fit per motũ principalis agentis, antecedentèr tamen virtutem ſpiritualem concedit Sacramento, quæ virtus aplicari debet à Miniſtro per motum.

Deinde hoc idem haud leuitèr colligo ex alio loco Diui Thomæ pluries à nobis adducto, præcipuè articulo præcedenti, vbi dicit: *Eandem eſſe virtutem in omnibus inſtrumentis, quatenus ſunt quodammodo vnum in ratione operatiui.* Atqui ſola Deitas eſt eadem in humanitate, & cæteris inſtrumentis Diuinæ virtutis, non motus, nec qualitas per motum producta. Ergo licèt iſte motus, vel qualitas requiratur ad tales effectus producendos, non tamen poteſt requiri per modum virtutis, niſi ſola Deitas, quæ ſola eadem eſt in omnibus Dei inſtrumentis. Con-

Digitized by Google

Confirmatur, nam, vt docet idem Diuus Thomas hic quæſtione 13. articulo 2. *Humanitas Chriſti, ſecundum, quod habuit Verbum ſibi perſonalitèr vnitum, habuit potentiam, & virtutem ad omnes immutationes miraculoſas faciendas;* ſed per talem vnionem cum Verbo habuit eſſe inſtrumentum, vt ibidem inquit Diuus Thomas, ergo antecedentèr ad quemcumque motum, vel qualitatem per illum productam, erat conſtituta in ratione talis inſtrumenti, quod cum nil appareat, niſi ipſa Diuinitas ſibi perſonalitèr vnita, per hanc conſtituebatur in ratione inſtrumenti, licèt aliàs ad exercitium immutationis requireret talem motum, vel qualitatem per illum productam.

Denique, eandem poſitionem ratione perſuadeo; non implicat Diuinitatē humanitati vnitam, tanquam cum inſtrumento coniuncto, & Sacramentis, tanquam cum inſtrumentis ſeparatis; cōſtituere eandem humanitatem in ratione operatiuæ miraculorum, & gratiæ, & aliàs connaturalius, imò eſſentiale eſt inſtrumentis, vt inſtrumenta ſunt, operari per eandem operationem principalis agentis, vt docet Diuus Thom. hic quæſt. 19. artic. 1. ad 2. & nos cum eo articulo præcedenti diximus, ſicut, & eleuari per eandem virtutem principalis agentis, quæ prout in agenti principali, propria eſt eius, & prout in inſtrumento, communicata, eſt non propria. Ergo per talem Diuinitatem, non per aliud debent conſtitui in ratione inſtrumentorum Dei.

Antecedens probatur, & vt ab hac vltima eius parte incipiam, ſic probatur diſcurrendo per omnia inſtrumenta naturalia, quæ licèt ratione ſuæ propriæ formæ conſtituantur in ratione inſtrumenti materialitèr, à qua elicitur operatio, & motus ſimplex, tanquam à cauſa principali, in ratione tamen inſtrumēti formalitèr conſtituuntur per ſuas quaſi virtuoſitates acceptas à principali agente, eo ipſo, quod inſtrumenta deputata ſint talis agentis potius, quàm alterius; ſic calor, vt formalitèr eſt inſtrumentum ignis, potiùs, quam alterius cauſæ, habet quandam virtuoſitatem propriam ignis, media qua potens eſt producere proprios effectus ignis, licèt de facto illos nō producat ſine motu ignis; manus item, & ſerra, prout ſunt inſtrumenta artificis formalitèr, habent quandam virtuoſitatem artificis, qua potentes ſunt opera artis producere, licèt ad productionem hic, & nunc motum agentis principalis requirant, quo aplicetur illa virtuoſitas vt producant motum artificioſum, & ſic de alijs, ergo humanitas Chriſti Verbo perſonalitèr vnita, hoc ipſo, quod tunc incæpit eſſe inſtrumentum coniunctum, & Sacramenta, hoc ipſo, quod incæperunt eſſe inſtrumenta ſeparata, habebūt quandam virtuoſitatem verbi, ratione cuius poterunt elicere actiones ipſius verbi principalitèr agētis, licèt ad hic, & nunc illas efficiendas motum requirant verbi, vt talis virtuoſitas aplicetur.

Quod autem nulla ſit repugnantia, quæ eſt altera antecedentis pars, ex eo mihi perſuadeo, quia vel repugnantia oriretur, ex eo, quod, vt humanitas, & Sacramenta conſtituātur in ratione inſtrumenti operatiui, requiritur virtus, quæ ſit inhærens, quod non habet Diuinitas reſpectu humanitatis & Sacramētorum; vel oriretur repugnantia, ex eo quod creatura, qualis eſt humanitas, & ſacramenta, nequeunt conſtitui in ratione principij operatiui per aliquid Diuinum, & increatum, qua ratione diximus ad quæſtionem 7. de gratia Chriſti, humanitatem Chriſti non potuiſſe conſtitui ſanctam formaliter ſanctitate ad ordinem naturæ pertinente, per aliquid Diuinum, & increatum; propter repugnantiam naturæ ad operandum per aliquid diuinum. Atqui ex his capitibus non repugnat. Ergo intentum.

Ex primo enim patet, quia plures virtutes operatiuæ conſtituunt ſua ſubiecta in ratione principij operatiui, vt *quod*, ſine eo quod inhæreant, ſed præciſſe, ex eo, quod cum illis vniantur, & faciant vnum per modum principij operatiui; ſic omnes formæ ſubſtantiales, ſunt virtutes radicales agendi compoſito, ſine inhærentia in ſubiecto, ſed præciſſe per vnionem cum illo, quod in anima rationali ſaltem negari non poteſt; ſic etiam iuxta Diuum Thomam 3. parte quæſtione 73. art. 1. ad 2. corpus Chriſti eſt ratio agendi proxima in ſpeciebus Sacramentalibus reſpectu gratiæ

tiæ ſine inhæſione, ſed præciſſe illis vnitum, & a Sacramento tantum connotatum, idem habet in 4. diſtinctione 8. quæſt. 1. art. 1. quæſt. 1. ad 2. & quæſt. 27. artic. 4. ad 1. vbi ait: *Sacramenta nouæ legis cauſant actionem propriam inſtrumentorum, ex virtute formæ principalis agentis ſcilicèt, Dei*: Eſſentia etiam Diuina vnita intellectui beati eſt ratio agendi viſsionis ex parte obiecti, ſine tali inhærentia; vnde ſi aliquando contingit rationem agendi inhærere ſubiecto, cuius eſt ratio agendi, vt in lumine gloriæ cernitur, non ex ratione agendi id habet, ſed ex ratione accidentis, ergo ex eo, quod Diuinitas non inhæreat humanitati Chriſti, nec Sacramentis, dummodo cum illis vniatur in ratione virtutis agentis principalitèr ad miracula, & gratiam cauſandam, conſtituendo cum illis vnum in ratione principij operatiui, tanquam cum inſtrumentis ſibi deputatis, non tolletur, quod ſit eorum ratio agendi ad prædiſtos effectus.

Ex ſecundo etiam capite, ſcilicèt, quod nequeat aliquid creatum, qualis eſt humanitas, & Sacramenta, conſtitui operatiuum per aliquid increatum, & Diuinum, non repugnat; nam licèt aliquid Diuinum nequeat eſſe ratio agendi reſpectu alicuius creati, quatenus creatum elicit actionem vitalem, & ſupernaturalem ipſi propriam per virtutem ipſi proportionatā in ratione creati, qua ratione diximus loco citato ad quæſtionem 7 de gratia Chriſti, humanitatem Chriſti non fuiſſe ſanctificatā ipſa Deitate ſanctitate ad ordinem naturæ ſpectante, non tamen repugnat, aliquid Diuinum eſſe rationem agendi reſpectu alicuius creati ad aliquam actionem, non ſub conceptu vitali, quæ ordinem dicit ad principium intrinſecum, & a ſe, ſic docet Cornejo loc. cit. fere per totum dubium, & expreſſe numer. 4. reſpondens argumento 2. cum confirmatione, & ſic lato calamo probauimus ad quæſt. 1. diſp. de ſatisfactione quæſt. 4 ar. 5. Deitatem prout in verbo humanitati vnito habuiſſe rationem agendi reſpectu infinitatis ſatisfactionis Chriſti, ergo ex hoc capite etiā non repugnat humanitatem, & Sacramenta operari effectus miraculoſos, & gratiæ per eandem virtutem Dei agentis principalitèr, præcipuè cum agens principale, & inſtrumentale componant vnum principium ad ſuos effect°, quod nequit eſſe, niſi per eandem virtutem operatiuam in ipſis repertam.

Confirmatur efficacitèr hoc. Quando eſt eadem indiuiſsibilis operatio, eadem eſt indiuiſsibilis virtus operatiua, ſicut quando eſt diuiſsibilitas operationis, diuiſsibilis eſt virtus operatiua; atqui operatio inſtrumenti, vt inſtrumentum eſt, quale in præſenti eſt humanitas, & Sacramentum, non eſt alia ab actione principalis agentis, qualis in præſenti eſt Deus, vt inquit Diuus Thom. quæſt. 19. art. 1. ad 2. licèt aliàs poſsit habere aliam operationem, prout eſt res quædam. *ſic igitur* (proſequitur Angelicus Doctor) *operatio, quæ eſt humanæ naturæ in Chriſto, in quantum eſt inſtrumentum Diuinitatis, non eſt alia ab operatione Diuinitatis, non enim eſt alia ſaluatio, qua ſaluat humanitas Chriſti, & Diuinitas eius: habet tamen humana natura in Chriſto, in quantum eſt natura, quandam operationem propriam, præter Diuinam.* Ergo ſi virtus, per quam Deus, vt cauſa principalis miracula, & gratiam cauſat, eſt Diuinitas, eadem eſt, per quam humanitas, & Sacramenta, in quantum vt eius inſtrumenta eoſdem effectus producunt.

Pro quo radicitùs intelligendo, & aliquibus difficultatibus ſoluendis, ſic diſcurrere licèt; quod, & ſi hæc virtus, ſeu Diuinitas, quid extrinſecum ſit humanitati, & Sacramentis, conſideratis materialitèr, & in eſſe rei, & ſic nequeant per illam effectus iſtos producere; conſideratis tamen formalitèr, & in ratione inſtrumenti Dei ad prædictos effectus, non tam extrinſeca, ſed intrinſeca eſt illis per modum virtutis conſtituentis ipſa in eſſe principij *quo* operatiua, ſicut corpus Chriſti, quod in eſſe rei extrinſecum eſt Sacramento, nec vt pars eſſentialis materialis, aut formalis in Euchariſtia ſe habet, ſed tantum vt terminus contentus, & connotatus ab ipſa, nihilominus in ratione cauſantis, & colatiui gratiæ cibantis, non tam extrinſicè ſe habet in Sacramento, ſed intrinſicè per modum virtutis agendi ſpecierum iuxta probabiliorem Thomiſtarum ſententiam, ſic Cornejo in termi-

minis, & nos latè docuimus ad tract. de Eucharistia diſp. 1. quæſtion. 1. articul. 7. & 8.

Vlteriùs, licèt non facta fuerit humanitas potentior in ordine ad operationes ſibi proprias ex coniunctione ad verbum, quam antea erat; in ordine tamen ad operationes Dei, cuius eſt inſtrumentum coniunctum, eo ipſo, quod coniuncta fuit, potentior fuit reddita; neque ex hac doctrina arguas; vnitum fuiſſe Diuinum Verbum Sacramentis hypoſtaticè, ſicut humanitati; nam vnio, quam cum Sacramentis habet, ſolũ eſt in ratione principij operatiui per modum vnius cum agente principali; hypoſtatica autem vnio, vt ipſum nomen ſignificat, eſt in ordine ad eſſe vnius hypoſtaſis, per vnam ſubſiſtentiam, & perſonalitatem, quod proprium eſt ſolius humanitatis, & Verbi; dicitur ergo ipſis vnitum, quatenus eo ipſo, quod deputata ſunt inſtrumenta Dei, Deus ipſe eſt ſemper cum illis vnus, quaſi ſub ordinationis vnione, vt cauſare poſſint effectus, ad quos deputata ſunt; neque ex hoc intendo ſecludere motionem, nec qualitatem per motum inſtrumentis impreſſam, ſed ſolum perſuadere, quod antecedentèr ad motum, & qualitatem tranſeuntem humanitati, & Sacramentis impreſſam, detur aliquid per modum actus primi gratiæ cauſatiuum, vt verificetur humanitatẽ Chriſti, eo ipſo, quod vnita fuit Verbo, habuiſſe poteſtatem ad quoslibet effectus ſupernaturales, & miraculoſos producendos, & Sacramenta, eo ipſo quod deputata fuerunt à Deo vt inſtrumenta, habuiſſe etiam poteſtatem ad cauſandam gratiam ex opere operato; quod cum hoc non poſſit eſſe ab aliqua qualitate ſpirituali permanentèr exiſtenti in Sacramentis, aut humanitate, nam vt docet Diuus Thomas 3. parte quæſtion. 62. artic. 4. *Qualitas ſpiritualis non poteſt eſſe in ſubiecto corporeo permanentèr, ſed ſolum tranſeuntèr*, relinquitur, quod ſola ſit Diuinitas; per quã conſtituantur operatiua inſtrumentalitèr in actu primo.

In calce articuli ſubiungo, quod adhuc dato, quod Diuinitas non eſſet ratio agendi reſpectu actionum inſtrumẽtorum Dei formalitèr, eſſet nihilominus ratio conſtituendi talia inſtrumenta quoad *eſſe* talium formalitèr, eo ipſo, quod vnita fuit immediatè humanitati per immediatum, quaſi contactũ, & Sacramentis mediatè, per contactũ, quaſi virtualem, quem cum ipſis habet, & qualitas tranſiens per motum agentis principalis producta eſſet ratio conſtituendi formalitèr humanitatem, & Sacramenta in eſſe inſtrumentali, quoad *operari*, eo modo, quo ad materiam de gratia Chriſti diximus, Deitatem conſtituere humanitatem Chriſti Sanctam Sanctitate ad ordinem *eſſentiæ* pertinente, & gratiam habitualem Sanctitate ad ordinem *naturæ* ſpectante. & tunc, ſicut gratia habitualis eſt ratio agendi operatiua, non Deitas, licèt ſit conſtitutiua, ita illa qualitas tranſiens, vel motus principalis agentis erit ratio agendi operatiua in humanitate, & omnibus inſtrumentis Dei, non Deitas, licèt ſit ratio conſtitutiua quoad *eſſe*.

Aliqua ponuntur, & ſoluuntur argumenta contra prædictam reſolutionem.

ARTIC. IV.

CÆterum in ſui fauorem opponunt primo aduerſarij plura loca S. Thomæ, quibus expreſſe videtur negare Diuinitatem humanitati Chriſti vnitam eſſe virtutem conſtitutiuam illius in ratione inſtrumenti ad patranda miracula, & gratiam producendam per modum inſtrumenti coniuncti Verbi ſibi perſonalitèr vniti (& idem de Sacramentis per modum inſtrumentorum ſeparatorum) cum totam virtutem conſtitutiuam in eſſe inſtrumenti generalitèr reducat S. Doctor ad hoc, quod: *Inſtrumentum non operatur, niſi in quantum eſt motum a per ſe agente, hæc enim eſt ratio inſtrumenti, in quantum eſt inſtrumentũ, vt moueat motum.* Sic habet in hac 3. part. quæſt. 72. artic. 4. in corp. & quæſtion. 27. de veritate artic. etiam 4. in corp & in his, & pluribus alijs locis aſſerit virtutem inſtrumentalem eſſe tranſeuntem, & incompletam, atqui nullũ horum verificari poteſt de Diuinitate, cum nec ſit motus nec virtus tranſiẽs, & in completa, vt de ſe liquet; ergo virtus, qua humanitas Chriſti, (& idem eſt de Sacramentis) conſtituitur in ratione in-

Digitized by Google

inſtrumenti ad patranda miracula, & gratiam cauſandam non eſt Diuinitas ipſi vnita, ſed vel motus, vel virtus aliqua tranſiens, & incompleta.

Reſpondeo, quod quando Sanct. Thom. docet, quod: *Inſtrumentum non operatur, niſi in quantum eſt motum aperſe agente.* Verũ docet, quod nõ operatur niſi motum aperſe agẽte; nõ autem docet, quod non eſt potens operari, niſi motum aperſe agente, quia antecedentèr ad motum, quo operatur, eſt potens in actu primo operari, & non eſt potẽs operari per aliud, quam per virtutem principalis agentis, quæ eſt Deitas, per quam fit vnum in eſſe operatiuo inſtrumentum cum agente principali, & in noſtro caſu, licèt humanitas Chriſti nõ operetur miracula, & gratiam, niſi mota à Deo principalitèr agente, eſt tamen antecedentèr ad motum potens in actu primo operari per ipſam virtutem Dei ipſi vnitam, & communicatam, vt inſtrumento coniuncto: ob quod aduertentèr iudico dixiſſe Sanct. Thomam: *Inſtrumentum non operari, niſi in quantũ eſt motum aperſe agente*, & non dixit, inſtrumentum non poſſe operari, quia nimirum ab alio habet poſſe, & ab alio operari, vt eodem loco videtur ſatis inſinuare Sanct. Thomam, dum proſequitur ſic: *Sacramentum conſequitur ſpiritualem virtutem ex benedictione Chriſti, & applicatione Miniſtri ad vſum Sacramenti.* Vbi S. Doctor ante applicationẽ Miniſtri ad vſum Sacramenti, quæ fit per motum principalis agentis, aliam virtutem requirit in Sacramento, vt conſtituatur in eſſe potentis gratiam cauſare, licèt ad cauſandum hic, & nũc motum, & applicationem requirat. Quando autem Sanct. Thomas docet virtutem inſtrumentalem eſſe tranſeũtem, & incompletam, vel intelligẽdus eſt de virtute, qua hic, & nunc inſtrumẽtum operatur, quæ incompleta eſt, & tranſiens, cum ſit motus, vel qualitas tranſiens, vel ſi de virtute conſtitutiua in actu primo inſtrumenti intelligatur; etiam poteſt hoc competere Diuinitati, quia non conſtituit humanitatem, nec Sacramenta in ratione inſtrumentorum, ſecundum quod in ſe, & in Deo principalitèr agente virtus completa eſt, ſed quatenus à nobis vt incõpleta virtus concipitur, in quantum nõ ea ratione, qua conſtituit vnum inſtrumentum concipitur, vt conſtituens aliud, quod poteſt conſtituere, ſicut virtus artificis, quæ in artifice completa eſt, quaſi incompleta concipitur reſpectu vnius inſtrumenti artis, quia non ea ratione, qua conſtituit vnum inſtrumẽtum, conſtituit aliud eiuſdem artis, quia cum vniuerſalis ſit ad omnia ſua inſtrumẽta quaſi partialitèr ſe extẽdit, & quaſi incõpleta concipitur reſpectu cuiuſcũque inſtrumenti in particulari.

Opponunt ſecundo, ſi humanitas Chriſti conſtitueretur in ratione inſtrumenti per ipſam Deitatem ſibi vnitam, non eſſet repugnantia in hoc, quod intellectus noſter (& idem eſt de voluntate) poſſet eleuari ad viſionem beatificã ſine lumine gloriæ in ipſo receptum, nam ſicut non obſtat, quod humanitas Chriſti quid creatum ſit, imò, & corporeũ, vt poſsit eleuari per quid increatũ, & incorporeũ, qualis eſt Deitas, nõ obſtabit etiã, quod intellectus noſter quid creatũ ſit, vt poſsit eleuari per ipſã Deitatem, & omnipotentiam increatam Dei; præcipuè cum maior proportio ſit, quæ reperitur inter intellectum, & Deitatem, vtpotè vterque in linea ſpirituali, quam inter Deitatem, & humanitatem, cum iſta omninò corporea ſit, illa autem incorporea, atqui eleuatio intellectus per Deitatem, & omnipotẽtiam in ordine ad viſionẽ beatificam, & ſine principio intrinſeco, ſcilicèt, lumine gloriæ omninò repugnat iuxta noſtra, & omnium Thomiſtarum principia, ergo omninò repugnabit humanitatem Chriſti eleuari inſtrumentalitèr ad miracula, & effectus ſupernaturales cauſandos per ipſam Deitatem, & omnipotentiam.

Reſpondeo, diuerſam eſſe omninò rationem de vna eleuatione, ac de alia; tùm, quia humanitas Chriſti in ordine ad miracula patranda, & effectus ſuper naturales producendos non eſt cauſa principalis, ſed inſtrumentalis phyſica; Deus autẽ ſolus eſt cauſa phyſica principalis, tam miraculorum, quam effectuum ſupernaturalium, & cum inſtrumentum vt tale debeat conſtitui per eãdem virtutem ſuæ cauſæ principalis, vt ſæpè ſæpius ex Sanct. Thoma docuimus, fit inde, quod non ſolum poſsit humanitas per Deitatem eleuari, ſed quod de-

Digitized by Google

debeat ſic eleuari; intellectus autem reſpectu viſionis beatificæ eſt cauſa principalis, ac proinde petit eleuari per virtutem proportionatam ſibi propriam, vel apropriatam, qualeeſt lumen gloriæ, intrinſicè in ipſo receptum.

Tum etiam, & fortè congruentius redditur diſparitatis ratio, nam quælibet actio intellectus (& idem eſt de voluntate) eſt vitalis, ac proinde ab intrinſeco ipſius intellectus, in quo ſubiectiuè manere debet, quod ſi vitalitas ſupernaturalis ſit, vt contingit in viſione beatifica, de qua loquimur, debet oriri à principio ſupernaturali intrinſeco ſibi proprio, vel apropriato, quo ſe moueat intellectus ab intrinſeco, ſiquidem viuere eſt ab intrinſeco ſe moueri, hoc autem principium nō poteſt eſſe aliud, quam lumen gloriæ reſpectu viſionis beatificæ: productio autem miraculorum, & gratiæ, & cuiuſuis effectus ſupernaturalis, qua talis productio eſt, nō eſt vitalis; tùm, quia productio miraculorū, & gratiæ, qua talis productio eſt, non manet in ſubiecto, à quo emanat, ſicut neque eius terminus, ſed tranſijt ad aliud ſubiectum exterius, ſcilicèt, ad ſuſcipientem miraculum, aut gratiam. Tùm etiam, quia actio vitalis, qua talis, vt dicunt Phyloſophi, illa dicitur, cuius terminus talitèr eſt ab intrinſeco, vt ab extrinſeco fieri repugnet, ſi enim ab extrinſeco, etiam Deo, terminus ei non repugnat fieri, actio productiua eius non erit vitalis; ob hoc enim verbū mentis, quod eſt terminus actionis intellectus noſtri, à Deo fieri repugnat; miraculum autem, & gratia, qui ſunt termini actionis inſtrumentalis humanitatis Chriſti, non ſunt talitèr ab intrinſeco humanitatis, vt ab extrinſeco fieri repugnent, cum poſsint à Deo ſolo produci, ac proinde talis actio non petit principium intrinſecum in humanitate Chriſti receptum, ſed ſufficit virtus ipſi Dei, ſcillcèt, Deitas, & omnipotentia ipſi humanitati vnita.

Inſtabis; Humanitas Chriſti aliquando operata fuit miracula per actus interiores, vt docet Sanct. Thom. 2. 2. q. 178. art. 1. ad 1. dicens, quod *dupliciter poteſt vti Deus creaturis ad miracula facienda, in quantum ipſa creatura immutat aliam inſtrumentalitèr, vel interiori motu hominis, vel eius locutione, vel etiā aliquo exteriori actu, ſiuè etiam aliquo cōtactu corporali corporis etiā mortui, ſicut, cum dixit, Lazare veni forás.* Ergo quādo per tales actus interiores humanitas Chriſti operabatur miracula, actio eius inſtrumentalis, formalitèr vt talis, vitalis erat, & immanens, ac perconſequens repugnabat oriri à Deitate, tanquam à virtute, & ratione agendi. Dic, quod quando per tales actus interiores humanitas Chriſti operabatur miracula inſtrumentalitèr, licèt tales actus vitales eſſent materialitèr, non tamen exprimebant eſſe vitales, prout Deus eis vtebatur ad miracula patranda, cum Deus vteretur illis ſuppoſita eorum vitalitate orta à ſuis principijs intrinſecis vitalibus, & ſuppoſita tali vitalitate tanquam fundamentum eleuationis eorū ad eſſe inſtrumēti miraculorum, Deus eleuabat eos per ſuam virtutem ad cauſandam ſanationem infirmi naturalē, ſiuè ſupernaturalem, nec impoſsibile eſt aliquam actionem vitalem eſſe à potētia vitali tanquam à cauſa principali, & eandem actionem, quantum ad aliquē modum ſpecialem, ſolum oriri ab ipſa potentia, tanquam à cauſa inſtrumentali, vt optimè obſeruauit M. Nuño 3. p. q. 72. art. 1. propè finem ſimili reſpōdens argumento.

Pro qua etiam doctrina videndus eſt R. P. M. Ioannes à Sancto Thoma in hac quæſtione 13. art. 3. diſp. 15. pag. mihi 368. col. 1. in fine, vbi reſpondens ad quoddam argumentum factum de locutione, & volitione, quæ ſunt actiones immanentes, ac proinde non poſſe tranſire ad externam materiam ſubiecti, in quo miraculum eſt faciendum, ſic ait, quod *licet volitio, & locutio ſecūdum ſe ſit actio tantum immanens ſecundū propriam virtutem, nihilominus virtute Dei poteſt eſſe virtualitèr tranſiens in externam materiam, quia non habet cauſalitatem illam, per vires proprias, ſed per Diuinam virtutem eleuantem illam*; hucuſque M. Ioannes à Sancto Thoma; ſed ſpecialiùs videndus eſt M. Ioannes Vincentius inſignis Thomiſta ex Dominicana familia, qui totam noſtram doctrinam de conſtitutione inſtrumentorum Dei per Deitatem ſine alia virtute creata defendit in ſuo erudito tomo de relectione de gratia Chriſti præcipuè q. 6. pag. 803. §. *præterea*, vbi non ſolum con-

Digitized by Google

confirmat reſponſionem à nobis datam huic argumento, ſed totam noſtram doctrinam præcedentem, cuius verba non refero, quia relata dedi tomo de Sacramentis tract. 1. diſp. 3. quæſt. 2. articul. 5. pagin. 68. colum. 2. & deinceps.

Opponunt tertiò, omnia inſtrumenta tàm naturæ, quàm artis conſtituuntur in ratione inſtrumentorum per motum, quo mouentur à ſuis cauſis principalibus, vel per qualitatem tranſeuntē in illis receptam, ergo humanitas Chriſti non per Deitatem, ſed per motum, quo mouetur à Deo principalitèr agente, vel per qualitatem tranſeuntem per motum productam, & in illa receptam conſtituetur in ratione inſtrumenti Dei in ordine ad patranda miracula, & gratiam producendam; antecedens probatur diſcurrendo per inſtrumenta naturæ, & artis, etenim calor ignis eſt inſtrumentum naturæ ad producendum ignem; penicillus eſt inſtrumentum artis ad depingendum; manus item eſt inſtrumentum coniunctum, & quaſi vniuerſale reſpectu hominis principalitèr agentis, tàm actiones naturales, quàm artificioſas, ſicut humanitas eſt inſtrumentum coniunctum, & quaſi vniuerſale verbi ſibi perſonalitèr vniti, & principalitèr agentis, tàm miraculorū, quàm gratiæ, & ſic de cæteris inſtrumētis; atqui neque in calore eſt alia virtus diſtincta ab ipſo præter motum ſubſtantiæ ignis, quo mouetur ad ignem producendum, neque in penicillo eſt aliud præter motum, quo à Pictore mouetur ad depingendum, neque in manu eſt aliquid, quam motus, quo ab homine mouetur ad diuerſa opera facienda, tàm naturalia, quàm artificialia. ergo in humanitate Chriſti non erit aliud, quo conſtituatur in ratione inſtrumenti Dei præter motum, vel qualitatem tranſeuntē, quo mouetur à Deo principalitèr agente ad patranda miracula, & gratiam producendam.

Reſpondeo, quod inſtrumenta omnia, tàm naturæ quàm artis potiùs firmant noſtram reſolutionem, quam impugnant: nam calor ignis non per virtutem caloris ſecundum ſe eſt potens inſtrumentalitèr producere ignem, aliàs calor animalis ignem producere poſſet, ſed ignem producit, quatenus habet quamdam virtuoſitatem ignis, per quā eſt ignis virtualitèr per eandem virtutem ignis in ipſo exiſtentem, licèt ad hoc, vt ignem producat hic, & nunc motum ipſius ſubſtantiæ ignis requirat. Penicillus etiam antecedentèr ad motum, quo à Pictore mouetur ad depingendum, virtutem habet inſtrumentalem, qua potens eſt depingere, & non aliam, niſi artis pingendi, quæ in penicillo aliquomodo eſt. eo ipſo, quod deputatus eſt ad pingendum potiùs, quam ad ſcamnum faciendum, quæ eſt in ſerra, & per ipſam virtutem artis pingendi in illo aliquo modo exiſtentē potens eſt depingere inſtrumentalitèr, ſicut ſerra ſcamnum facere eſt potens, licèt ad depingendum hic, & nuc motum Pictoris requirat, ſicut ſerra motum ſui artificis; manus denique eſt virtualitèr anima, & in ipſa eſt, ſicut ſunt reliquæ artes tanquam in inſtrumento coniūcto, & vniuerſali, & per ipſam animam, & per diuerſas artes in ea exiſtentes eſt potens in actu primo operari iſtrumentalitèr opera naturalia, & artificialia, licèt diuerſitas motus determinet illam ad eſſe operantis inſtrumentalitèr in actu ſecundo actionem huius, vel illius potentiæ naturalis, vel huius, vel illius artis, & idem dicendum eſt de cæteris inſtrumentis cuiuſcūque generis, quod antecedentèr ad motum principalis agentis conſtituta ſunt in actu primo in ratione inſtrumentorum per ipſam virtutem principalis agentis in eis aliquomodo exiſtentem.

Opponunt quartò; licèt motio, & qualitas tranſiens conſtituant humanitatem Chriſti, ſicut & reliqua inſtrumēta, in eſſe operantis hic, & nūc, poteſt intelligi, quod priùs noſtro modo intelligendi conſtituant talia inſtrumenta in actu primo operatiuo, ergo ſine recurſu ad Deitatem conſtituetur humanitas Chriſti per modum inſtrumenti coniūcti, & Sacramenta per modum inſtrumentorum ſeparatorum in actu primo operatiuo per prædictum motum, vel qualitatem tranſeuntem, ſine recurſu ad prædictam Deitatem. Antedens videtur non inefficacitèr probari ſic; etenim, licèt auxilium ſupernaturale tranſiens detur homini, vt hic, & nunc actū ſupernaturalem eliciat, quia ex natura ſua eſt applicatio virtutis operatiuæ, nihilo-

hilominus in homine exiſtente in peccato mortali, licèt tale auxilium conferat actu operari actum ſupernaturalem Fidei, v.g. prius noſtro modo intelligendi conſtituit illum potentem in actu primo elicere actum Fidei, vt communis fert Theologorum ſententia, ergo licèt talis motio, vel qualitas tranſiens conſtituant inſtrumenta in eſſe operantia hic, & nunc, poterunt noſtro modo intelligendi illa conſtituere in actu primo operatiua, ſine eo quod ad hanc cōſtitutionem recurratur ad Deitatem vnitam humanitati, & Sacramentis.

Reſpondeo in primis falſum eſſe in meis principijs actum Fidei in homine exiſtente in peccato mortali elici ab auxilio, tanquam a virtute cōſtitutiua hominis in eſſe potentis in actu primo elicere actum Fidei, ſed talis actus elicitur tanquam a virtute, & principio agendi proxima ab habitu Fidei exiſtēte in peccatore, & tanquam a virtute radicali à gratia habituali, quæ licèt tunc non ſit in homine exiſtente in peccato, datur tamen a Deo, vt talem actum poſsit elicere tanquam a vita animæ ſupernaturali, licèt ad elicientiam hic, & nunc auxilium etiam requirat ad indiuiduationem actus, vel ipſa gratia habitualis habet vtrumque munus vitalizandi animam, & eliciendi actum Fidei, præcipuè ſidetur per modum tranſeuntis, vt latè probaui ad tract. de gratia Chriſti diſp. 1. quæſt. 3. art. 1. 2. & 3.

Dato tamen, quod talis actus Fidei ab auxilio oriretur, & ab ipſo conſtitueretur homo priùs noſtro modo intelligendi potens in actu primo elicere talē actum, vt docet communis ſententia, non ex hoc idem contingeret in motione, vel qualitate tranſeunte ad conſtituenda inſtrumenta in actu primo operatiua ſine recurſu ad virtutem cauſæ principalis, quæ in præſenti eſt Deitas reſpectu humanitatis Chriſti, & Sacramentorum; quia quando exiſtens in peccato mortali elicit actum Fidei, eſt cauſa principalis talis actus, ac proinde petit virtutem propriam, vel apropriatā, vt rationem agendi talem actum, quæ virtus debet eſſe intrinſeca intellectui hominis, & animæ, vt ratione talis virtutis dicatur homo eleuatus ad eſſe ſupernaturale, vt talem actum ſupernaturalē eliciat, & talis virtus in meis principijs eſt gratia habitualis eleuans animam, vt radicaliter concurrat tanquā prima vita ſupernaturalis ad talem actū ſupernaturalem Fidei, & habitus Fidei eſt virtus proxima eleuās intellectum, vt proxime concurrat ad talem actum ſupernaturalem, tanquam vita ſecunda determinans ad ſpeciem actus ſupernaturalis Fidei magis quam alterius virtutis, & auxilium ſupernaturale eſt applicatio vtriuſque virtutis determinans animam, & intellectum ad indiuiduationem actus ſupernaturalis Fidei hic, & nunc eliciendi magis quam alterius actus indiuidualis Fidei ſupernaturalis.

Humanitas autem Chriſti, ſicut, & Sacramenta (& idem eſt de cæteris inſtrumentis) in ordine ad miracula, & gratiam cauſandam nō ſunt cauſæ principales, ſed inſtrumentales; ac proinde non petunt virtutem propriam, vel apropriatam intrinſecam in ipſis receptam, vt inſtrumentalitèr operentur, ſed eandem virtutem principalis agentis ipſis vnitam, vel in ipſis aliquo modo exiſtentem petunt, quod commune eſt omnibus inſtrumentis tàm naturæ, quā artis, vt in hoc articulo in reſponſione ad tertium argumentum oſtendimus; & cum in præſenti cauſa principalis phyſica miraculorum, & gratiæ ſolum ſit Deus, & virtus, qua Deus operatur radicaliter, & proximæ ſit ipſa Deitas, & omnipotentia, ipſamet communicata humanitati Chriſti, & Sacramētis erit conſtitutiua eorum in eſſe inſtrumentorum formaliter in actu primo, licèt, vt actu operentur, talem motionem, vel qualitatem tranſeuntem requirant, vt communiter omnes concedunt in quālibet cauſa ſecunda, quæ reſpectu Dei quaſi inſtrumētalis dicitur, quæ quidē cauſa ſecunda in actu primo conſtituta eſt per ſuam virtutem intrinſecam, licèt, vt actu operetur, motionem Dei, vel qualitatem tranſeuntem requirat tanquam a prima cauſa, & a primo mouente, a quo omnis cauſa ſecunda dependet in operando tam in actu primo, quam in actu ſecundo, vt docent Philoſophi.

Digitized by Google

DISPVTATIO III.

Circa quæſtionem 14. 15. & 16. Sancti Thomæ.

De defectibus corporis, & animæ a Verbo aſſumptis, de veritateque, & falſitate propoſitionum, quæ circa hoc myſterium fieri ſolent.

POſt conſiderationem eorum, quæ ad potentiam pertinent animæ Chriſti, agit Diuus Thomas quæſt. 14. de defectibus corporis, quos verbum debuit aſſumere de quo etiam agit alijs in locis, præcipuè in 3. diſt. 15. q. 1. q. autẽ 15. agit de defectibus animæ, de quo etiam agit in 3. eodem loc. & pluribus alijs in hoc articulo ad marginem citatis, quæſt. denique 16. agit de modo, quo loquendum ſit circa aliquas propoſitiones, quæ circa hoc myſterium, fieri ſolent, vbi totus eſt in explicãdo, in quo eorum veritas, vel falſitas, fundetur, quas quidem tres quæſtiones ſub hac diſputatione comprehendemus; imo ſub vnica quæſt. omnia ſummatim reſoluemus.

Quænam dicenda circa has quæſtiones D. Thomæ.

QVÆST. VNIC.

IN Hac re relicta prolixa recitatione errorum, qui communitèr circumferuntur apud Authores, & quibus erroribus hæretici iam nimis parce ſentiunt de defectibus corporis a Verbo aſſumptis, iam nimis large de defectibus animæ, ſolum ea quæ Catholica Eccleſia nos docet circa hoc, reſoluemus, & circa modum loquendi in hoc myſterio; prolixiorem relinquentes diſputationem apud Authores. Aluarez. Cabrera, & Araujo hic.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRO quæſtionis intelligentia obſeruo prius, Chriſtum Dominum non ſolum quoad animam fuiſſe pulcherrimum, (quod impudenter negauit Apoſtata quidam, vt refert Patrcolus, verbo *Anti chriſtiani*, aſſerens, animã Chriſti fuiſſe fœdatam peccato deſperationis, cum in Cruce Matthæi 27. dixit. *Deus meus, vt quid dereliquiſti me*) ſed etiam quoad corpus, quod indecenter ſaltem negauit Michael de Medina lib. 2. de recta in Deum fide. Primum quidem diffinitum eſt ab Eccleſia, vt conſtat ex 1. Petri 2. *qui peccatum non fecit*, & ex illo ad Hebreos 4. *Tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato*, conſtat etiam ex diffinitionibus Cõciliorum Efeſino canone 10. & Lateranſe ſub Martino 5. Canone 5. & ex Patribus, qui referuntur apud Vazquez hic diſp. 61. & ratio Beatificationis, & Sanctificationis, qua Chriſtus a primo ſuæ conceptionis inſtanti fuit ornatus, id perſuadet. Secundum autem cõſtanter docent Theologi iuxta illud Pſalm. 44. *Specioſus forma præ filijs hominum*. Et ratio id etiam conuincit, nam cum illud corpus ab Spiritu Sancto formatũ fuiſſet, non potuit non euadere membrorum integritate, & eorum debita proportione, & natiuo colore conueniente præditum, in quibus omnibus pulchritudo conſiſtit, quo ſic obſeruato.

Reſolutio quæſtionis circa defectus corporis, & animæ a verbo aſſumptis.

ARTIC. II.

REſolutio prima ſit. Verbum Diuinũ aſſumpſit omnes defectus corporales, qui neceſſarij erant in finem incarnationis, vt famem, ſitim, & alia huiuſmodi. Eſt de fide reſolut. apud D. Thomam

Digitized by Google

mam in hac quæſtione 14. articulo 1. & apud Authores communiter fundatam in illo Iſaiæ 53. *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.* Adiunt etiam ad hoc plures congruentiæ. Prima, vt perferendo dolores, quos pro noſtris peccatis merebamur, pro nobis ſatisfaceret tali modo, quo ſuum erga nos amorem magis oſtenderet, iuxta illud Ioan. 15. *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam ſuam ponat, &c.* Secunda, vt nobis præberet exemplum patientiæ, humilitatis, manſuetudinis, & quam plures aliæ poſſunt colligi ex Sacra Scriptura, & Patribus; pro quo videri poteſt Doctiſsimus Caurera in expoſitione huius articuli. vnde quando dicitur Actorum 2. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*, ſolum denotauit, non eſſe in morte corrumpendũ, & in vermes reſoluendum, ſicut cætera corpora hoc habent.

Reſolutio ſecunda ſit, alios autem defectus corporales, qui ad finem incarnationis minime conducunt, Verbum Diuinum non aſſumpſit, vt leprã, morbum aliquem caducum, licèt aliàs corpus aſſumpſiſſet his infirmitatibus ſubiectum, & egrotari poſſet, non egritudine prouenienti ex immoderato victu, neque ex defectu virtutis formatiuæ, cum obumbratione Spiritus Sancti formatum fuiſſet, ſed ex aeris contagione, & aeris', cœliue inclementia, & ratio eſt, quia, licèt ſic conueniens fuiſſet vt in ſubiectione ad has infirmitates corpus Chriſti humanum vere appareret, conueniens etiam fuit, vt tales infirmitates, quæ ad finem non pertinent incarnationis non haberet propter quandam, quam ſecum afferunt, indecentiã, vnde quando dicitur Eſaiæ 53. *Vere languores noſtros ipſe tulit*, & inferius, *nos putauimus eum, quaſi leproſum* Sic intelligendum eſt; vt Chriſtus dicatur tuliſſe languores noſtros vel quia illos ſanauit, & a nobis abſtulit vel quia in ſe ſuſcepit languores, quos nos debebamus pro peccatis, & forſis ob hoc non fuit appellatus leproſus, ſed *quaſi leproſus*, & hoc adhuc in æſtimatione præciſſe, non in realitate, vt denotat illud verbum, *putabamus*.

Reſolutio tertia ſit defectus corporales, quos Chriſtus habuit, fuerũt neceſſarij neceſsitate conſequenti ad principia naturalia materiæ, & formæ corporis Chriſti Domini, & fuerunt liberi, & voluntarij reſpectu Diuinæ voluntatis, quæ hoc ita decreuit. Hæc reſolutio, vt iacet, plura componit dicta Sanctorum, & Doctorum, qui iam neceſſarios, iam liberos appellant; explicatur amplius, & probatur; nam Deus omnino libere decreuit, vt Chriſtus haberet naturam paſsibilem, & huiuſmodi defectibus ſubiectam, cum poſſet impaſsibilem decernere, & aliàs, ſuppoſito tali decreto neceſſarium eſt naturam paſsibilem paſſionibus ſubiectam eſſe, imo, & quod in actu ſecundo aliquando patiatur; nec alias voluntas humana Chriſti, facta tali ſuppoſitione, poterat impedire ab agente naturali applicato paſsionem, ergo aliquo modo libere, aliquo modo neceſſario talibus defectibus ſubiectus fuit.

Reſolutio quarta ſit. Chriſtus Dominus nullo modo habuit peccatum, nec originale, nec actuale. Eſt de fide reſolutio ex illo Ioannis 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato.* Et ex prima Petri 2. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius*, & ratio eſt. Nam Chriſtus Saluator noſter, & Dominus, ſolum habere potuit illos defectus animæ, qui ad comprobandam veritatem naturæ humanæ expectabant; peccatum autem potius eſt contra naturam, quam naturæ conforme. Ergo illum Chriſtus dominus non habuit; quæ ratio etiam probat, quod Chriſtus in natura humana aſſumpta, non potuit peccare adhuc de potentia abſoluta, quod probat M. Ioan. a S. Th. hic diſp. 16. artic. 1. §. Concluſio.

Vnde quando dicitur, *omnes in Adam peccauerunt*, quod videtur tribuendum Chriſto, qui etiam fuit originalitèr in Adamo, ſic intelligẽdũ eſt, omnes, qui per ſeminalem generationem fuerũt in Adam peccatum contraxiſſe: non autem, qui fuerunt in Adam ſolum ſecundum corpulentam ſubſtantiam, & actiuè ab Spiritu Sancto ſolũ formati, qualiter fuit Chriſtus Dominus, vt ſi eſſet aliquis homo qui modo a ſolo Deo produceretur. Addo, quod nec peccare potuit ſed quia de hoc iterum ſermo redibit,

Digitized by Google

quæſtione decima nona , miſſa factio fundamenta.

Reſolutio quinta ſit. Generalitèr omnes illos deffectus animæ, qui ad finem incarnationis non ſpectant, Chriſtus Dominus non habuit, nec Verbum aſſumpſit; vnde fomes peccati non fuit in ipſo, cum habuerit plenitudinem gratiæ, vt probat M. Ioan. a Sanct. Thom. loco cit. art. 2. nec ignorantia; quia fuit in ipſo plenitudo ſapientiæ, & ſciẽtiæ; aſſumpſit tamen animam paſsibilem, ſicut, & corpus, eo quod anima eſt forma corporis paſsibilis; fuit in ipſo dolor ſenſibilis, iuxta illud *dolores noſtros ipſe portauit* , fuit triſtitia, iuxta illud Matthæi 26. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*; loquor de triſtitia compatibili cum Beatitudine , quæ tendebat circa diuerſum obiectum formale; fuit timor iuxta illud Marci 15. *Cæpit Ieſus pauere, & tedere*; & ex eo , quod fuit in ipſo aprehenſio mali futuri, ſcilicèt paſſionis, & mortis , a qua aprehenſione cauſatur timor, fuit in ipſo admiratio, quantum ad ſcientiam acquiſitam , in qua quotidie modo ſupra explicato creſcebat, iuxta illud Matthæi 8. *Audiens Ieſus verba Centurionis, miratus eſt*; licèt ſecundùm ſcientiam beatam, & infuſſam, talis admiratio non fuiſſet , eo quod in his non creſcebat , ſed omnia per illas ſemper nouerit , fuit etiam, ira, ſecundùm, quod idem eſt, quod zelus iuxta illud *zelus domus tuæ comedit me*, nõ tamẽ fuit aliter; & denique fuit ſimul viator, & beatus. Secundũ ex eo, quod ab inſtanti ſuæ conceptionis Deũ vidit; primũ ex eo, quod ad ſui corporis gloriam tendebat; de quibus omnibus agit D. Th. in hac q. 15. per decem articulos, vbi ad longum omnes expoſitores.

Reſolutio quæſtionis circa modum loquendi in hoc myſterio.

ARTIC. III.

PRO Cuius luce ſtatuo prius, Diuum Tomam in hac quæſtione 16. per duodecim articulos totum eſſe in explicando modum, quo loquendum eſt circa hoc myſterium, ad quod aliquas regulas generales adducit, & noſcũ ipſo eas adducemus, vt conſtet de veritate , & falſitate propoſitionum, quæ communitèr circum feruntur, quo ſic ſtatuto.

Reſolutio prima ſit, & ſit etiam prima regula generalis, nomen ſignificans naturam communem in concreto poteſt ſupponere pro quolibet contento, ſub illa natura cõmuni; vt videri licèt in hoc nomine, *homo*, quod poteſt ſupponere pro quolibet indiuiduo contento ſub illo, & ratione huius regulæ, quã tradit Diuus Thomas articulo 1. hæc propoſitio. *Deus eſt homo*, & aliæ conſimiles, ſunt veræ, vt & conuerſa ; tùm propter eãdem rationem, tùm quia valet a conuerſa ad conuertentem , vt *homo eſt Deus*.

Reſolutio ſecunda ſit; & ſit ſecunda regula generalis, ad veritatem propoſitionum in materia neceſſaria , ſufficit, quod prædicatum conueniat ſubiecto, ſecundum rationem ſuppoſiti , ſi cum illo vniatur per ſe, & non peraccidens, neq; eſt neceſſariũ quod cõueniat ſubiecto, ſecundùm formã ſignificatã per illud, & ratione huius regulæ propoſitio præadducta eſt in materia neceſſaria, & naturali, eo quod, licèt prædicatum *homo* non cõueniat *Deo*, qui eſt ſubiectum, ratione Deitatis; ſicut nec prædicatum *Deus* conuenit *homini* ratione humanitatis, quæ ſunt formæ ſignificatę per ipſa nomina, conueniunt ad inuicem in ratione ſuppoſiti, in quo ſubſtantialitèr vniuntur ad conſtituendum vnum per ſe, ſed tales propoſitiones non poſſunt eſſe in materia contingenti , eo quod ad has neceſſarium eſt, quod forma importata per prædicatum inſit accidentalitèr, & ſic vniatur ſubiecto , vt patet in hac, *homo eſt albus*, neque poſſunt eſſe in materia remota, cum ad has requiratur, quod forma ſubiecti, & prædicati repugnent ſimul, vt patet in hac, *homo eſt equus*, ergo neceſſario prædictæ propoſitiones ad materiam pertinent naturalem & neceſſariam.

Ex qua doctrina ruunt omnia , quæ communitèr contra illam fieri ſolent; nam quãdo dicitur, quod ad materiam naturalem , & neceſſariam requiritur, quod prædicatũ debet eſſe de intrinſeca ratione ſubiecti , & quod propoſitio de materia naturali debet eſſe æternæ veritatis, & quod nõ poſit trãſire de materia

Digitized by Google

ria in materiā; hoc ſolū verùm eſt reſpectu propoſitionum, quarum prædicatum conuenit ſubiecto, non ſolum ratione ſuppoſiti, ſed ratione formæ importatæ per ſubiectum, vt videre eſt in hac propoſitione, *homo eſt animal rationale*, cuius prædicatum eſt de intrinſeca ratione ſubiecti non ſolum ſuppoſiti, ſed formæ importatæ, per ſubiectū, & etiam eſt æternæ veritatis, & nequit tranſire de materia in materiam; non autem eſt verùm de omnibus propoſitionibus ad materiam naturalem ſpectantibus, ſed ſufficit conuenientia intrinſeca per vnionem per ſe prædicati cum ſubiecto, in ratione ſuppoſiti, quod nequit negari intercedere in propoſitionibus de quibus eſt difficultas.

Reſolutio tertia ſit. Et ſit tertia regula generalis deſumpta ex D. Thoma quæſtione 29. de veritate articulo 1. ad 1. *Ea, quæ nata ſunt perſonæ conuenire ratione ſui ipſius, non poſſunt dici de Chriſto, ſi habeant repugnantiam ad proprietates perſonæ æternæ, quæ ſola in eo eſt.* Per quā regulam, ſi benè perpendatur, poterit Theologus de pluribus propoſitionibus iudicium ferre; & ratione huius regulæ hæc propoſitio abſolutè prolata eſt falſa, *Chriſtus eſt creatura*, & aliæ huiuſmodi. Nam nomen *Creatura* natum eſt conuenire perſonæ ratione ſui, ergo ſi profertur de Chriſto, cuius perſonæ dicit repugnantiam, falſa eſt.

Addo cum D. Thom. in 3. diſtinct. 11. quæſtione 1. articulo 2. prædictam propoſitionem, non ſolum, non eſſe cōcedendam propter ſcandalum, ne videamur incidere in modo loquendi in ſententiam Arij conſtituentis in Chriſto duas perſonas, ſed negandam eſſe etiam propter falſitatem ipſius intrinſecam ſecluſo ſcandalo, quod docet M. Ioan. a Sancto Thoma, hic quæſt. 16. art. 8. Et ratio eſt, a paritate deſumpta, nam quia prædicatum *Album* natum eſt conuenire ſubiecto ratione ſui, non poteſt vere prædicari de Æthiope abſolute dicendo, *Æthiops eſt albus*, ſed ſolum cū addito, *ſecundum dentes*, ſed eſſe creaturam natum eſt conuenire ſuppoſito ratione ſui, vt patet, quando prædicatur de ſuppoſito creato, ergo nequit de Chriſto vere prædicari abſolute, dicendo *Chriſtus eſt creatura*, ſed ſolum cum addito, ſcilicèt *ſecundùm humanitatem*, cum Chriſto ſecundùm rationem ſuppoſiti non conueniat eſſe creaturam, ſicut nec Æthiopi ſecundùm ſuppoſitum eſſe album; idem iuditium, & propter eandem rationem ferendum eſt de hac propoſitione, *Chriſtus incæpit eſſe*, ni ſi addatur illa particula *homo*.

Ex qua doctrina ſoluitur illud commune argumentum, nimirùm Chriſtus abſolute dicitur temporalitèr genitus, ergo poteſt dici abſolute creatura, nam ad veritatem antecedentis ſufficit natura, cuius proprium eſt generari, ad veritatem autem conſequentis non ſufficit natura humana, eo quod eſſe creaturam conuenit ſuppoſito ratione ſui, nam terminus per ſe creationis eſt ſubſiſtens, vt commune eſt apud Sanctum Thomam, vnde Chriſtus non habet eſſe temporalitèr genitus ratione ſuppoſiti, ſicut debebat eſſe creatura ratione ſuppoſiti, vt abſolute, & ſine addito verificaretur, Chriſtū eſſe creaturā, ſicut verificatur *abſolute Chriſtum eſſe temporalitèr genitum*, nam, vt docet Diuus Thomas loco citato ad 4. *Quia corpus traducitur a Matre, non habet repugnantiam temporalitèr naſci, & æternalitèr naſci, quia vnum naturam humanam reſpicit, alterùm Diuinam, quarum habet vnā Chriſtus a Patre æternalitèr, alteram a Matre temporalitèr.*

Reſolutio quarta ſit, & ſit quarta denique regula generalis deſumpta ex eodem D. Thoma loco citato reſolutione præcedenti. *Ea, quæ non ſunt nata conuenire perſonæ, niſi ratione naturæ, vel partis naturæ, poſſunt dici de Chriſto, quāuis habeant repugnantiam ad perſonam æternam, & hoc propter dualitatem naturarum.* Per quam etiam regulam, ſi rectè perpendatur, poteſt ferre iudiciū Theologus de veritate, & falſitate plurium propoſitionum, quæ circa hoc myſteriū communitèr circumferuntur, & ratione huius regulæ verùm eſt dicere abſolute, & ſine addito. *Chriſtus eſt paſſus, mortuus, & ſepultus, &c.* quia hæc, & ſimilia prædicata nata ſunt conuenire Chriſto, ſecundùm naturam humanam, & ita ſupponitur in illa pro Chriſto, quando dicitur, *Chriſtus eſt paſſus, &c.* & probatur etiam a D. Thom. loc. eodem a paritate, nam quia criſpitudo

Digitized by Google

nata eſt conuenire ſubiecto, vel ſuppoſito, ſecundù n capillos tantum, & non ſecundùm ſe, verùm eſt dicere abſolute, & ſine addito *homo eſt criſpus*, ergo qui *mori, pati & ſepelliri*, nata ſunt cõuenire Chriſto, ſecundũ naturam humanam tantum, non ſecundùm ſuppoſitũ Diuinum, verùm erit dicere abſolutè, & ſine addito, *Chriſtus eſt paſſus, mortuus, eſt ſepultus.*

Reſolutio quinta ſit, ex regulis prædictis ſequitur, hanc propoſitionem eſſe falſam *hic homo* (demoſtrato Chriſto) *eſt creatura, vel incepit eſſe*, nam vt docet D. Thom. pluribus in locis præcipuè in hac quæſtione art. 7. ad 4. & artic. 9. in corpore, & ad 3. *Terminus poſitus in ſubiecto, ſupponit materialitèr pro ſuppoſito, poſitus autem in prædicato ſupponit pro natura formalitèr*, Ergo *hic homo* in prædicta propoſitione ſupponit pro ſuppoſito, ſed falſum eſt dicere ſuppoſitum Chriſti eſſe creaturam, vel incæpiſſe eſſe abſolute, & ſimplicitèr, ſed ſolum cum addito, ergo abſolute negã da eſt tanquam falſa; & ratio huius fundamenti poteſt eſſe, quia ſubiectum habet rationem materiæ, prædicatum verò rationem formæ, iuxta regulam cõmunem Dialecticorum, *talia ſunt ſubiecta, qualia permittuntur eſſe ab eorum prædicatis*, ergo ſicut forma determinat materiam, ita prædicatum ſubiectum determinabit, ac proinde ſupponet materialitèr pro ſuppoſito, & prædicatum formalitèr pro natura; & idem inditiũ ferendum, etiam ſi dicatur *Chriſtus, in quantum hic homo, eſt creatura*, propter eandem rationem, licèt vera ſit *Chriſtus in quantum hic homo, habet eſſe temporalitèr genitus*, iuxta dicta reſolutione 3.

Reſolutio ſexta ſit. Licèt vera ſit hæc propoſitio *Deus factus eſt homo*, ſicut eſt vera, *Deus eſt homo*, non tamen eſt vera, *homo factus eſt Deus*, ſicut eſt vera, *homo eſt Deus*; nam licèt in hac valeat a conuerſa, ad conuertentem; non tamen in illa, eo quod non recte fit conuerſio ab hac *Deus factus eſt homo* in hãc *homo factus eſt Deus*, ſicut ab illa *Deus eſt homo*, in hanc *homo eſt Deus*; etenim propoſitio, in quam ſimplicitèr conuertitur illa *Deus factus eſt homo*, nõ eſt hæc, *homo factus eſt Deus*, nam in conuerſione ſimplicitèr totum prædicatum vnius debet fieri ſubiectum alteriùs, vt docent Dialectici, & quoties hoc non reperitur, non valet a conuerſa ad conuertentem, vt videre licèt, in hac propoſitione, *Petrus factus eſt albus*, quæ non valet ad hanc, *album factum eſt Petrus*, niſi ad hanc, *quod factum eſt album, eſt Petrus*, & ita niſi totum prædicatum illius propoſitionis *Deus factus eſt homo*, fiat ſubiectum dicendo, *quod factum eſt homo, eſt Deus*, non valet ex vna ad aliam, ſicut valet ab illa, *Dèus eſt homo*, ad hanc *homo eſt Deus*, quia totum prædicatum fit ſubiectum.

Ex quibus regulis, & doctrina data bene intellecta poterit facile colligi veritas, vel falſitas quarumcumque propoſitionum, circa quas attendendus eſt præcipuè earum ſenſus, ex quo dependet intelligentia veritatis, vel falſitatis, ratione cuius ea, quæ conueniunt Chriſto, vt Deo, non poſſunt de ipſo prædicari, vt homine, ſi in abſtracto ſignificantur, vt *mortalitas eſt immortalitas*, & ſimilia, cum non ſit eadem natura, a qua oritur *mortalitas*, ac a qua oritur *immortalitas*, & aliàs in abſtractis non ſignificetur ſuppoſitum, nec pro illo ſupponat. Vlteriùs ea, quæ conueniunt Chriſto per ſe, ſi ſignificentur denominatiue, & quaſi per accidens, nequeunt de ipſo prædicari, qua ratione hæc propoſitio eſt falſa, *Chriſtus eſt homo Dominicus*, quia eſſe Dominum Chriſto conuenit per ſe, non denominatiue, vt ſignificatur per hoc nomen *Dominicus*, quod ſumit a domino ſuam denominationem, pro quibus omnibus poteſt videri Diuus Thomas, nam hæc ſunt, quæ ſummatim ex ipſo deduxi, quibus, vt credo, ſufficientem notitiam dedi pro quibuſcumque propoſitionibus, quæ fieri poſſunt circa hoc myſterium.

DIS-

DISPVTATIO IV.

Circa quæſtionem 17. & 18. Sancti Thomæ.

De pertinentibus ad vnitatem in Chriſto quantum ad eſſe, & quantum ad velle.

POST Conſiderationem eorum, quæ ad modum pertinent loquendi circa hoc myſterium agit Diuus Thomas quæſt. 17. & 18. de *eſſe* Chriſti, & de *velle*, ſeu voluntate eius, de quo etiã agit pluribus alijs locis ad marginem citatis, vbi etiam communitèr ſcholaſtici, quod nos imitantes, de eodem agemus, ſimulque ea, quæ docet in his duabus quæſtionibus Diuus Thomas ſub hac vnica diſputatione, imò & quæſtione explicare conabimur.

Vtrum in Chriſto ſit vnicum tantum eſſe, *& vnicum tantum* velle.

QVÆST. VNIC.

IN Hac re, licèt ſit de fide in Chriſto reperiri duo eſſe naturarum impermixtum, & vnum eſſe perſonale Verbi, non tamen eſt de fide vnicum eſſe exiſtentiale duabus naturis commune, reperiri, ſed quam plures Theologi acritèr defendunt, duplicem exiſtentiã realitèr diſtinctam, ſicut, & duplicem naturam in Chriſto reperiri; cuius ſententiæ Patronus eſt Scotus in 3. diſt. 3. quæſt. 2. vbi etiam Albertus, Durandus Gabriel, & Almai. Ex Recentioribus, Suarez hic diſp. 36. ſect. 1. Vazquez diſput. 71. Raguſſa diſp. 127. & communitèr Patres Societatis, & Auerſa quæſt. 17. ſect. 1. Alij vero ſolum vnicam exiſtentiam, & hanc Diuinam in Chriſto reperiri docent. Sic Caietanus, Medina, Cabrera, Araujo in hac quæſt. 17. art. 2 quam etiam acritèr defendunt communitèr Thomiſtæ, inter quos R. P. M. Ioannes à Sanct. Tho. hic quæſtion. 17. articul. 2.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRO Quæſtionis intelligentia obſeruo prius, quod ſuppoſita catholica veritate, quod in Chriſto ſit duplex eſſe naturarum, Diuinum, & humanum, & vnicum eſſe ſubſtantiale, ſeu perſonale & hoc Diuinum; ſolum manet diſſenſio de *eſſe* exiſtentiali, an ſit duplex per cõparationẽ ad duplicẽ naturã, vel an ſit vnicũ per cõparationẽ ad vnicũ ſuppoſitũ, vel perſonã. Addo nomine *exiſtentiæ* intelligitur illa actualitas, qua res actu eſt in rerũ natura, extractaq; à poſsibilitate eius, & extra omnes ſuas cauſas iã poſita, quæ exiſtẽtia cõcipitur per modũ formæ, & termini, vel quaſi formæ, & termini, qua entitas illa, vel prædicata, quæ aliàs ſecundum eſſe reale obiectiuum erant in potentia ad exiſtendum, ab hac exiſtentia formalitèr redantur extra cauſas modo per informationem ſit, modo per terminationem, ſicut à cauſa efficiente dicuntur talia prædicata efficiẽtèr extra cauſas, & à finali finalitèr; Quo ſic obſeruato.

Præfertur Thomiſticum aſſertum.

ARTIC. II.

REſolutio noſtra ſit. Nullum aliud eſſe exiſtentiale præter Diuinum Verbi, eſt in Chriſto, ac proinde humanitas eius non exiſtit propria exiſtentia, ſed per exiſtentiam Verbi. Hanc reſolutionem iudico habere non tantã certitudinem, quantam putauit Bañez 1. part. quæſt. 4. art. 2 docens contrariam non eſſe tutam, nec tantam, quantam putauit Cabrera dicens in hac quæſtione art. 2. diſp. 1. § 3. in fine. *Contrariam eſſe ineptam, & implicantem contradictionem, ac fundata in ignorantia methaphyſicè*; iudico tamen probabiliorem eſſe, quam contraria; non tamẽ adeò certa, vt contraria ſit digna qualibet ex his cẽſuris; dependet enim ex principio ſatis controuerſo apud Phyloſophos, dum agunt de diſtinctione eſſentiæ ab exiſtẽtia; quod modo non vacat diſputare, ne Theologi, cum ſimus, Phyloſophi videamur; quare ſuppoſita probabiliori

Digitized by Google

ri ſententia, quæ inter exiſtentiam, & eſſentiam ponit diſtinctionem realem, pro quo videndus eſt Caietanus Opuſc. de ente, & eſſentia. Ratione Theologica in impugnatione contrariæ ſententiæ agamus, vbi obitèr aduertite, quod licèt Diuus Thomas in hoc art. 2. non loqueretur de *eſſe* exiſtentiali, ſed de perſonali, vt volunt Contrarij, dum toties repetit, *in Chriſto non eſſe, niſi vnum eſſe*; non ideo iudicanda eſt ſententia cõtraria iuxta mentem Angelicis Præceptoris, ſed potiùs contra ipſius mentem, iuxta diuerſa principia Diui Thomæ.

Pro hac ergo ſententia plura afferuntur ab Authoribus Sanctorum Patrum teſtimonia, quæ videri poſſunt apud Cabreram loco citato; ſicut etiam pro cõtraria adducuntur alia, quæ videri poſſunt apud Magiſtrum Lorcam hic, diſp. 68. art. 2. num. 4. quæ omnia, me iudice, nec vnum, nec aliud conuincunt; ſed facilem ſolutionem habent iuxta diuerſa principia, quibus nituntur prædictæ ſententiæ, ob idque miſſa facio; rationeque, & ſi communi efficaci reſolutionem probo. Nam non bene capitur, in Chriſto duplicem eſſe exiſtentiam, creatam vnam, & increatam aliam, vt fatetur contraria ſententia, ergo ſola eſt vnica exiſtentia, per quam verbum, & humanitas exiſtunt; Antecedens probatur, nam illæ exiſtentiæ deberent inter ſe vniri, vt facerent vnum exiſtens per ſe totale, ergo tales exiſtentiæ deberent eſſe partiales, vt compleant totalẽ illam: partiales autem non poſſunt eſſe, quia ſunt exiſtentiæ naturarum totalium, quales ſunt natura Diuina, & humana, ergo nullo modo tales exiſtentię dantur, ſed vnica tantum Verbi.

Si autem dicatur, quod neceſſario videtur dicendum, totales eſſe in ſe, ſed comparatione ad Chriſtum, qui conſtat duabus naturis partialitèr ſe habere. Contra eſt; nam adhuc hoc genus partialitatis non videtur congruũ, quia ſi partiales hoc modo ſunt, & conſtituunt vnam exiſtentiam totalem, & vnum eſſe per ſe exiſtentiale Chriſti, debet ſe habere vna per modum actus, & altera per modum potentiæ; hoc enim neceſſariò deſideratur ad conſtituendũ vnum per ſe, vt patet in cæteris compoſitis per ſe, eo autem ipſo, quod vna ex illis ſe habeat per modum potentiæ reſpectu alterius, vel ſecum admittat aliquam potentialitatem, deſinit eſſe exiſtentia, quæ purus actus eſt, & eo ipſo, quod haberet aliquam potentialitatẽ eſſet determinabilis ab illa, quæ ſe haberet per modum actus, nam teſte Ariſtot. *actus eſt, qui determinat*. Ergo ſicut Authores oppoſiti tenentur dicere in hoc modo vnionis harum exiſtentiarum, vnam eſſe formaliorem, & determinatiorem, vt ita dicam, alia; meliùs eſt in nõſtra ſententia dicere, quod humanitas, ſecundum ſua prædicata eſſentialia, & actualia in hac linea, erit determinabilis, & determinata ab hac exiſtẽtia Verbi, quæ determinatior eſt qualibet alia re creata.

Confirmatur; nam exiſtentia in rebus creatis eſt proprietas perſonalis cõſequens ſuppoſitum, & perſonam, nam ſi attendamus ſubſtantias creatas, priùs eſt terminari ſubſiſtentia, quam exiſtentia, nam priùs eſt intrinſicè terminare, quod eſt ſubſiſtentiæ, quàm terminare extrinſicè, quod eſt exiſtentiæ. Vlteriùs; exiſtentia communitèr dicitur vltima actualitas rei, ac per conſequens ſupponit reliquas actualitates, inter quas, vna eſt ſubſiſtentia, ergo humanitas Chriſti prius fuit terminata ſubſiſtẽtia Verbi, quam exiſtentia, nam vt ſupponeretur aſſumptibilis, non erat neceſſarium ſupponi exiſtens, ſed tantum ſecundum ſua quidditatiua prædicata. Nec video, qua ratione ſine ſubſiſtentia propria, quæ humanitati debebatur ex vi actionis ipſius productiuæ, fuit aſſumptibilis ad eſſe ſubſiſtẽtiale Diuinũ; & ſine exiſtentia propria, quæ ipſi etiã erat debita humanitati ex vi eiuſdem actionis productiuæ, non fuerit aſſumptibilis, etiam ad eſſe exiſtentiale Dei.

Secundò, eadem reſolutio probatur alia ratione, quæ ſummi roboris viſa eſt M. F. Ioanni Vincentio relectione de gratia Chriſti q. 7. Quia, ſi humanitas Chriſti exiſteret per exiſtentiam ſibi propriam, & connaturalem, & cum illa ſupponeretur ante aſſumptionem à Verbo, vt volunt Contrarij. Beata Virgo non eſſet Mater Dei, & Chriſti, ſed ſolum Mater humaninatis, nam ante aſſumptionem humanitatis intelligeretur completa actio Beatæ Virginis in humanitate præciſsè, tàm ſecundũ eſſe eſſen-

eſſentiale, quam exiſtentiale, & in illo priori, in quo intelligitur humanitas, vt terminus aſſumptionis à Verbo, nō intelligitur Deus homo, neque Chriſtus, & completa eſt actio Beatæ Virginis, ergo non intelligitur Mater Dei, quia ſi Beata virgo produceret humanitatem, & hæc præceſsiſſet producta aliquo tempore ante aſſumptionem, & poſtea aſſumeretur, non diceretur Mater Dei, ſed ſolius humanitatis, & talis aſſumptio omnino peraccidens ſe haberet, ad hoc vt Beata Virgo Mater Dei diceretur, quia ipſa toto illo tempore antecedente aſſumptionem ſuam actionem compleuit, ergo ſi pro illo priori ante aſſumptionem, intelligitur humanitas producta ſecundum totum ſuum eſſe eſſentiale, & exiſtentiale, vt volunt Contrarij, peraccidēs ſe habebit, quod in alio poſteriori intelligatur aſſumpta, vt verificetur Beatā Virginem eſſe Matrem Dei, ſed tantum modo verificabitur in ſententia Contrariorum eſſe Matrem humanitatis, erga quam præciſsè totam ſuam actionem productiuam cōpleuit.

Hoc argumentum ita debile viſum fuit Suario: vt iudicet, eandem vim habere contra noſtram ſententiam, quod ſic contra nos retorquet. Beata Virgo in noſtra ſententia non tetigit ſua actione exiſtentiam humanitatis Chriſti, ſed ſolum eſſentiam, & nihilominus ſaluatur apud nos, Beatam Virginē verè eſſe Matrem, non ſolum humanitatis, ſed etiam Dei, & Chriſti. Ergo etiam ſi cōpleta ſit iuxta ſententiā Suarij actio Beatæ Virginis in humanitate ante aſſumptionem, cum tamen terminata ſit ad eſſentiam, & exiſtentiam humanitatis, hoc ſufficiet, vt verè Mater, non ſolū humanitatis, ſed etiam Dei, & Chriſti dicatur; vel ſi hoc non ſufficit, nec iuxta noſtram ſententiam ſufficiet.

Verùm hæc redargutio minus habet roboris, quam Suario videtur. nam, vt optimè notauit Cabrera loco citato a num. 67. vſque ad numerum 70. actio Beatæ Virginis productiua humanitatis non fuit completa in ipſa eſſentiæ humanitatis productione, nam ſicut non eſſet completa ſi curſu naturalium cauſarum relinqueretur talis humanitatis productio, donec in ipſa propria ſubſiſtentia, & exiſtētia intelligatur, ſub quibus rationibus quilibet terminus dicitur talis reſpectu ſuæ phyſicæ actionis, ita non fuit completa talis actio, donec humanitas ſubſiſtentiam, & exiſtentiā haberet, quæ vices ſuplerent ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ ſibi debitæ; vnde licèt Beata Virgo nō effecerit aſſumptionē, vt tali nomine exprimitur, vere tamen effecit humanitatem, & illam Verbo copulauit, & ſic miniſterialiter poteſt dici Beatam Virginem attigiſſe eleuationem, quam habuit humanitas ad eſſe ſubſiſtentiale, & exiſtentiale Verbi, Virgine ipſa miniſtrando materiam cōcurrente, & in hoc genere actiue, & hoc ſufficit, vt mater Dei, & Chriſti vere dicatur, eo modo, quo Paulus cum generat Petrum, vere dicitur eius Pater, quamuis non attingat productionem animæ, neque exiſtentiam, ſolum, quia attingit communicationem animæ cū corpore; in ſententia autem Suarij, & contrariorum cum iam eſſet completa actio Virginis ante vnionem humanitatis cum verbo nulla eſſet ratio, quare congruenter poſſet dici vere mater Dei, & Chriſti Beata Virgo Maria.

Et ſi iterum pro Suario retorqueas, Beata Virgo, licèt ſua actione attigerit propriam exiſtentiā humanitatis Chriſti, adhuc tamen non fuit completa illa actio, donec intelligeretur humanitas eleuata ad eſſe perſonale Verbi per ſubſiſtentiam, ſed ob hanc rationem dicitur iuxta noſtram ſententiam, verè Mater Dei, & Chriſti, ergo ob eandem rationem dicetur iuxta ſententiam Suarij. Fateor hanc redargutionem maiorem vim habere, quam præcedens, & vt verum fatear, ſi hoc ſibi vult Suarius, neſcio, quo alio modo poſsit impugnari, niſi benigne, & paulatim illum reducendo ad noſtram ſententiam, quod ſic intendo, non obſtante, quod actioni Virginis humanitatis Chriſti productiuæ, ſi iuxta exigentiam cauſarum naturalium relinqueretur, deberetur productio, imò, & produceret ſubſiſtentiam propriam humanitatis, præuenta tamen fuit à Spiritu Sancto, vt ſolum quaſi miniſterialitèr ſubſiſtentiam Verbi attingeret; rationeque huius concurſus verè fuit ſufficiens, vt diceretur Mater, non ſolū humanitatis, ſed Dei & Chriſti, ergo non obſtante, quod tali actioni de-

Digitized by Google

deberetur, ſi iuxta exigentiam naturalem relinqueretur, productio propriæ exiſtentiæ humanitatis, poſſet præueniri à Spiritu Sancto, vt ſolum quaſi miniſterialitèr exiſtentiam Verbi attingeret, & nihilominus, ratione huius concurſus diceretur etiam verè Mater Dei, & Chriſti, nam terminus actionis phyſicè generatiuæ non ſolum eſt ſubſiſtẽs, ſed exiſtens, & congruentiori ratione videtur dicendum, exiſtentiam proportionari debere cum ſubſiſtentia, quod niſi iuxta noſtrum modum dicendi loquatur, non proportionari planum eſt; cũ in illorum ſententia vna ſit creata, & humana, altera increata, & Diuina: benè video reſponſuros eſſe contrarios, poſſe humanitatem eleuari ad eſſe perſonale, quia diſtinguitur ſubſiſtentia, & perſonalitas à natura, non autem poſſe eleuari ad eſſe exiſtentiale, quia exiſtentia non diſtinguitur à re, quæ exiſtit, & eleuatio ad aliud diſtinctum à ſe eſt eleuatio; verum huius rei impugnatio dependet ab illo principio de diſtinctione eſſentiæ ab exiſtentia, quod, vt iam dixi, non vacat modo examinare, & vnicè iudico contrarietatem harum ſententiarum dependere ex illo, videatur Caietanus loco citato, qui eruditiſsimè de hoc agit principio iuxta mentem Diui Thomæ.

Soluuntur fundamenta contraria.

ARTIC. III.

CÆterùm in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij plura loca Diui Thomæ, quibus fateri videtur contrariam ſententiam; celebris eſt ille ex quæſtione de Verbo incarnato artic. 4. vbi ait. *In Chriſto reperiri duo eſſe, vnum æternum, quod eſt principale ſuppoſiti, & aliud temporale, quod eſt eſſe ſecundarium illius ſuppoſiti.* In hoc etiam articulo nõ concludit Diuus Thomas, niſi quod nõ adueniat Chriſto per humanitatem nouum eſſe, niſi perſonale, nihil concludens de exiſtentiali, & in reſp. ad 1. non negatur à Diuo Thoma, dualitatem eſſe in Chriſto, ſed cum comparatiuo *magis* dicens. *Magis retinet vnitatem ſecundum vnitatem hypoſtaſis, quã habeat dualitatem ſecundum dualitatem naturarum.* Item in reſponſione ad 4. dicit. *Anima Chriſti tribuit eſſe corporale, in quantum efficit actu eſſe animatum.* Hoc autem non poteſt fieri actu ab anima, niſi actu exiſtat, quod pro illo priori non poteſt intelligi ſic per exiſtentiam Verbi. Ergo ex his, & alijs locis Diui Thomæ optimè colligitur humanitatem Chriſti habere propriam exiſtentiam, & non exiſtere per exiſtentiam Verbi.

Reſpondeo in primis, illum locum celebrem apud contrarios ex quæſtione de Verbo incarnato non eſſe ex Diuo Thoma, ſed ipſi appoſitum, vt hic docet Caietanus, & Cabrera; dato tamen quod ſit intelligendum de *eſſe* eſſentiali, non exiſtentiali; & ſimilitèr explicanda ſunt omnia loca, quæ videntur concedere duplex *eſſe* in Chriſto, ſcilicèt ex pertinentibus ad naturas, quæ duplicatæ ſunt; exiſtentia autem, non tam ad naturam, quam ad ſuppoſitum pertinet, cuius eſt proprietas, & quod per modum ſubiecti proximi reſpicit, quare, licèt non concludat expreſſe Diuus Thomas in hoc articulo vnitatem exiſtentiæ in Chriſto; eo tamen ipſo, quod expreſsè concludit vnitatem in *eſſe* perſonali, virtualitèr, & implicitè eandem vnitatem in *eſſe* exiſtentiali cõcludit.

Opponunt ſecundò. Priùs noſtro modo intelligendi, intelligitur humanitas Chriſti creata, & ſingularis, quam Verbo vnita, cum non eſſet vnita, niſi illa humanitas præſupponeretur phyſicè producta, & ſingularis, ergo antequã intelligeretur Verbum ipſi vnitum, intelligebatur ipſa exiſtens, & ſingularis, nam ad terminum creationis requiritur exiſtentia, ſicut, & ſingularitas.

Reſpondeo, quod pro illo priori, licèt intelligeretur ſingularis, prout nõ erat vaga, non tamen intelligetur creata in facto eſſe, ſed increari, & in fieri creationis: quando autem intelligebatur in facto eſſe creata, iam intelligebatur aſſumpta, nam aſſumptio in genere cauſæ formalis priùs fuit quã ipſa creatio, vel quam ipſa actio, prout nomine creationis exprimitur, iuxta dicta in hac 3. part. quæſt. 2. diſp. 2. quæſt. 1. & 2. vnde quod concipimus intelligi ante aſſumptionem eſt ipſa humanitas ſecundum ſuum eſſe, & ſingulare, & eſſentiale, ad quam ſingularitatem non pertinet exiſtentia; & ſi inſtetur, quod debe-

Digitized by Google

bet intelligi à parte rei. Dic verum eſſe, quod debet intelligi à parte rei, ſi ly *à parte rei* denotet eſſe reale ſuæ præciſsè eſſentiæ. & ſi iterum recurratur ad identitatem eſſentiæ cum exiſtentia, recurrendum etiam nobis eſt ad diſtinctionē eſſentiæ ab exiſtentia, in quo præcipuè noſtra ſententia fundatur, ſicut in identitate earum fundatur contraria, vnde cum hoc *eſſe* eſſentiæ, & exiſtentiæ diſtincto ſoluenda ſunt omnia argumēta.

Opponunt tertiò, vel pro illo priori, quo intelligitur humanitas ante aſſumptionem, intelligitur extra cauſas, vel extra nihil, vel non, ſi primum, ergo exiſtens; quia actualitas illa, qua res ponitur extra cauſas, & extra nihil, eſt exiſtentia; ſi ſecundum, ergo in illo priori non eſt actu, ſed ſolum in potentia obiectiua, quod non ſufficit, vt ſit aſſumptionis extremum. Reſpondeo, quod ſicut ens dupliciter dicitur, nempè eſſentiale, & exiſtentiale, ita nihil dupliciter dicitur, nēpè vt opponitur cōtra ens reale eſſētiale, & vt opponitur contra ens reale exiſtentiale; in illo ergo priori ante aſſumptionem intelligitur humanitas extra nihil eſſentiale, & quidditatiuum, quia intelligitur quidditas realis actualis prima actualitate eſſentiali, quod eſt eſſe extra cauſas, quaſi incompletè, eo quod pro illo priori non intelligitur in illa alia actualitas, prout contraponitur nihilo exiſtentiali, non autem intelligitur pro illo priori extra nihil exiſtētiale, donec aduenire intelligamus exiſtentiam Verbi, per quam completè, & perfectè extra omnes cauſas ponitur; nec ex eo quod actualitas exiſtētiæ adueniat enti in actu ſecundum eſſentiam, dicitur actualitas accidentalis, quia non aduenit enti in actu ſimplicitèr, & completè tali, quod habet natura non ſolum per actualitatē eſſentiæ, ſed exiſtentiæ; quomodo autem exiſtentia ſe habeat in rebus creatis cum natura, ingenioſsè, diſcuſsimus ad quæſt. 2. de generat. art. 1. & 2. vbi non eſſe multiplicandas exiſtentias adhuc virtualitèr pro multiplicatione virtualiti prædicatorum eſſentialium, diximus, ſed à primo prædicato entis ortum ducere omnem exiſtentiam, & per illam præciſsiſsimā omnia prædicata eſſentialia exiſtere.

Opponunt quartò argumento magni ponderis apud Lorcam hic num. 13. humanitas Chriſti non potuit exiſtere Verbi exiſtentia, ergo habuit propriam exiſtentiam; antecedens probatur à Lorca ſic, quia exiſtentia, ſi diſtinguitur ab eſſentia, vt nos concedimus, eſt actus quidam in modum formæ dantis *eſſe*, ſed Deus, & quidquid eſt Dei, non poteſt habere rationem formæ dantis *eſſe* alicui prædicato creato per modum actus informantis; hoc enim eſt diſcrimen (inquit Lorca) inter ſubſiſtentiam, & exiſtentiam, quod ſubſiſtentia communicatur per modum termini abſque informatione, ſecus autem exiſtentia, ergo exiſtentia Diuina non poteſt humanitati Chriſti communicari.

Verùm, vt argumento reſpondeam, vellem prius ipſi interrogare, in quo Fidei dogmate repererit, quod exiſtentia non communicetur per modum termini vltimi naturæ, ſicut ſubſiſtentia per modū termini nō vltimi? nā licèt verū ſit iuxta ſententiā nō diſtinguentē eſſentiam ab exiſtentia non ſe habere exiſtētiam per modum termini, admiſſa tamen diſtintione, vt ipſe admittit in ſuo argumento, neſcio, quo iure fundet exiſtentiam non eſſe terminum naturæ, imò magis extrinſecum, quam ſubſiſtētia, vnde hoc admiſſo, ſicut admitti debet iuxta ſententiam, quā defendimus, ruit tota vis argumenti illius; dato tamen, quod exiſtentia in rebus creatis, quando creata eſt, informet ſubiectum (quod adhuc dubium eſt inter Phyloſophos) quod facit formalitèr exiſtere, quis ipſi dixit Deum, vel prædicatum Diuinum cum ſola vnione cum creatura abſque informatione, non poſſe facere id, quod cum informatione facit aliqua entitas creata, ſic enim in communi ſententia, Deus vnitus intellectui Beati abſque informatione reddit illū formaliter potentem intelligere, quod facit ſpecies creata per informationē, natura etiam Diuina in noſtra ſentētia, & Perſonalitas Diuina in communi ſētentia, imò, & in ſua reddunt formalitèr humanitatem Chriſti ſubſiſtentialitèr ſanctam abſque informatione, quæ informatio requiritur, vt ſanctitas creata formalitèr ſanctificet, & innumeræ aliæ poſſunt ad hoc adduci inſtantiæ.

Opponunt quinto argumento ex eodem Lorca deſumpto, quod ipſe vocat à po-

à poſteriori, ſicut immediatè poſitum à priori. Si Diuina exiſtentia communicaretur naturæ humanæ Chriſti, ſequeretur vnionem hypoſtaticam factã fuiſſe in aliquo eſſentiali, & communi tribus perſonis, quod nulla ratione videtur admittendum eſſe. Sequela patet, quia exiſtentia eſſentialis eſt, & communis tribus perſonis. Hoc argumentum, inquit ipſe, non poteſt ſolui, niſi concedantur quatuor exiſtẽtiæ in Diuinis, & dicatur exiſtentiam, per quam humanitas exiſtit, eſſe exiſtentiam relatiuam Verbi propriam. Sed quia talis ſolutio deſtruit fundamentum reſolutionis noſtræ, imò, & aliud principium ſatis notum apud Diuum Thomam ad materiam de Trinitate, non dari, niſi vnicam exiſtentiam in Diuinis, & hanc abſolutam, ideò alitèr.

Reſpondeo ad argumentum, cuius tota vis in exageratione poſita eſt, quare in primis dico alitèr ſolui poſſe argumentum, quam concedendo quatuor exiſtentias in Diuinis, & admiſſo modo, quod tantum detur vnica exiſtentia abſoluta, per quam omnes Perſonæ Diuinæ exiſtunt, dico nullum eſſe incõueniens vnionem factam fuiſſe in aliquo abſoluto, dummodo non negetur, factam etiam fuiſſe in aliquo relatiuo, iuxta modum à nobis explicatũ in hac 3.par.diſp.3 quæſt.2.art 2.& 3 præter quam quod poteſt dici iuxta communem ſententiam, quod illa exiſtentia Diuina, in qua fiebat vnio, & per quam humanitas exiſtebat, licèt eſſet in ſe abſoluta, modificabatur talitèr à Verbo, quod modalitèr relatiua eſſet, nam ipſa prout in Verbo, eſt modalitèr diſtincta à ſe ipſa, prout in Patre, & Spiritu Sancto, & illam, per quam exiſtit humanitas, non eſt illa, prout communis (licèt communis ſit) ſed prout modificata in verbo, ſecundum quam rationem ſit propria ipſius verbi, & non Patris, aut Spiritus Sancti.

In calce articuli ſubiungo, quod ſi humanitas dimitteretur à Verbo tunc naturali ſequela reſultaret in illa propria ſubſiſtentia, & exiſtentia ex vi actionis præteritæ generatiuæ eiuſdẽ humanitatis, quæ actio, nè impediretur à ſubſiſtentia Verbi, propriam produceret exiſtentiam & ſubſiſtẽtiam, eo modo, quo communitèr dicitur, Sacramenta cum fictione ſuſcepta ablato impedimento fictionis ſuum effectum cõferre ex vi Sacramenti, & actionis eius præteritæ, & lapis detentus in columna naturali eius pondere, ſine nouo impulſu, ſed ex vi prioris, in centrum caderet ablato impedimento columnæ, neque eſſet neceſſarium, vt exiſteret humanitas pro illo priori, vt ab illa reſultaret exiſtentia, & ſubſiſtentia propria, nam cum non produceret eas in genere cauſæ efficientis (in hoc enim genere ab agente, quod humanitatem produxit, ſecundariò, & conſequentèr productæ eſſent) ſed formalis, non eſt neceſſarium exiſtentiam habere, ſicut nec, vt cauſa materialis cauſet exhibendo ſe compoſito, exiſtentiam requirit pro illo priori cauſationis, nec neceſſarium eſt, quod productioni paſsiuæ, quæ ſe teneret tunc ex parte ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ humanitatis, correſpondeat noua productio actiua, ſed ſicut ipſa productio paſsiua non eſt omnino noua, ſed complementum productionis paſsiuæ antiquæ, qua producta dicitur paſsiuè humanitas, iuxta illud commune Phyloſophorum axioma, *qui dat formam, dat conſequentia ad formam*, ita ipſa productio actiua non eſt omnino noua, ſed complementum illius productionis antiquæ actiuæ, qua Beata Virgo ex vi actionis generatiuæ produxerat humanitatem, quæ productio complebatur per nouam quaſi productionem, quæ reſultantia vocatur, ſubſiſtẽtiæ, & exiſtentiæ propriæ, vnde ablato tali impedimento, quo impediebatur à ſubſiſtentia Verbi, compleretur talis productio per ſuam reſultantiam, quaſi actiuam, & compleretur terminus productionis per ſuam reſultantiã quaſi paſsiuam.

Nonnullæ reſolutiones circa velle Chriſti.

ARTIC. IV.

Reſolutio prima ſit contra aliquos Hæreticos, quos refert Diuus Thomas in hac q. 18 art. 1. in Chriſto duplex eſt voluntas realitèr diſtincta; eſt reſolutio de fide apud Diuum Thomã eodem loco, cuius ratio eſt. Quia de fide eſt dari in Chriſto duas naturas reali-

tèr

Digitized by Google

ter diſtinctas, & impermixtas, Diuinã, ſcilicèt, & humanam, atqui ad perfectionem cuiuſcumque naturæ intellectualis, quales ſunt prædictæ, pertinet voluntas proportionatè, quæ eſt quaſi eius naturalis potentia; ergo, ſicut in Chriſto dantur natura humana, & Diuina realitèr diſtinctæ, ita dari debet voluntas Diuina, & humana realitèr diſtinctæ.

Reſolutio ſecunda ſit. Fuit etiam in Chriſto duplex libertas, vna ſubordinata alteri, & prædeterminata ad hic, & nunc operandum; nam voluntas humana libera eſt per modum agentis ſecundi, ſicut Diuina voluntas eſt libera per modum agentis primi, ergo illa voluntas eſt iſti voluntati ſubordinata, & ab iſta prædeterminata, cum ratione ſui non poſſit ſe determinare, aliàs eſſet primum ſe determinans, ſed de hoc latè diſputant Theologi ad 1. part. quæſt. 19. nec hoc eſt proprium huius loci, videantur Salmanticenſes, qui de hac re loco citato eruditiſſimè tractant.

Reſolutio tertia ſit, non ſolum fuit in Chriſto duplex voluntas pertinens ad rationem, ſed fuit voluntas ſenſualitatis pertinens ad naturam humanam, quæ dicitur appetitus ſenſitiuus; ratio Diui Thomæ in artic. 2. huius quæſtionis eſt. Nam Filius Dei aſſumpſit naturam humanam cum omnibus, quæ pertinent ad perfectionem ipſius, ſed ad perfectionem eius pertinet natura animalis, ad quam naturam ſequitur appetitus ſenſitiuus, tanquam eius proprietas, ergo in Chriſto verè fuit voluntas ſenſualitatis, quæ appetitus dicitur ſenſitiuus.

Reſolutio quarta ſit. Chriſtus Dominus, licèt ſecundum voluntatem ſenſualitatis, & ſecundum voluntatem rationis, vt natura eſt, non eſſet omninò conformis in volito cum eius voluntate Diuina, ſecundum voluntatem tamen rationis, vt rationis eſt, ſemper fuit omninò conformis in volito cum eius Diuina voluntate; ſic Diuus Thomas hic art. 5. Ratio primi eſt, nam voluntas ſenſualitatis naturalitèr refugit dolores ſenſibiles, & corporis læſsionem, ſicut voluntas rationis, vt natura, naturalitèr etiam refugit ea, quæ ſunt contra naturam, vt paſſionem, & mortem, & alia huiuſmodi, ex quibus voluntatibus proceſsit illa vox Chriſti: *Tranſeat à me Calix iſte.* Atqui hæc omnia erant volita à Deo, vt de ſe patet, ergo ſecundũ has voluntates non fuit omninò cõformis Chriſtus in volito cum voluntate Diuina. Ratio ſecundi eſt, nam voluntas humana Chriſti, vt ratio eſt, voluntariè acceptauit paſsionem, & mortẽ, iuxta illud: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit,* ex qua voluntate ortum habuit id, quod dixit (quod ſecundum alias voluntates recuſauit) *non ſicut ego volo, ſed ſicut tu, fiat voluntas tua*: ergo ſecundum hanc voluntatem conformis fuit Chriſtus in volito cum voluntate Diuina.

Reſolutio quinta ſit, licèt iſtæ voluntates ita ſe geſſerint, nihilominus non fuit in Chriſto contrarietas voluntatum; ſic Diuus Thomas, & cum eo cõmunitèr Theologi hic art. 6. cuius ratio eſt, nam: *Contrarietas non poteſt eſſe, niſi oppoſitio attendatur in eodem, & ſecundum idem, ſi autem ſecundum diuerſa, & in diuerſis exiſtat, diuerſitas non ſufficit ad rationem contrarietatis, nec ad rationem contradictionis, puta quod homo ſit pulcher, aut ſanus ſecundum manum, & non ſecundum pedem,* inquit Diuus Thomas, atqui voluntas ſenſualitatis, & naturalis Chriſti, licèt eſſent circa idem, ſcilicèt, circa paſsionem, & mortem, ac erat voluntas eius rationis, non erãt circa idem, & ſecundum idem, ſed ſecundum diuerſa; nam illa voluntas recuſabat mortẽ, & paſsionem, eo quod erat diſconueniẽs naturæ præciſsè, iſta autem acceptabat illam, & non recuſabat, eo quod talis paſsio, & mors erat ad ſalutem neceſſaria, quod, ſcilicèt, eſt diſſentire in volito materiali, non formali, ergo nulla in his voluntatibus contrarietas reperiebatur, ſicut nec reperitur, ſi Rex velit ſuſpendi latronẽ propter bonum publicum, & propter aliam rationem, ſcilicèt, propter amorem priuatum, nolit eum ſuſpendi.

Secundò, nam ad rationem contrarietatis requiritur, quod ſit circa eandem voluntatem, ſi enim homo vult vnũ ſecundũ appetitũ rationis, & vult aliud ſecundum appetitũ ſenſitiuũ, *non eſt hic aliqua contrarietas,* inquit loc. cit. idem Diuus Thom. *niſi fortè appetitus ſenſitiuus, in tantum præualeat, quod vel immutet, vel retardet appetitũ rationis*, ſed voluntas Diuina, neq; volũtas rationis

Digitized by Google

in Chriſto impediebatur per voluntatem naturalem, aut per appetitum ſenſualitatis, placebat enim Chriſto ſecundum voluntatem Diuinam, & ſecundum voluntatem rationis, vt voluntas naturalis, & ſenſualitatis ipſius ſecundum ordinem ſuæ naturæ moueretur, ergo in Chriſto nulla fuit contrarietas voluntatem.

Tertiò denique, id ipſum confirmo, nam ſolum in volito formali non erat diuerſitas, ſed adhuc in volito materiali paſsionis, & mortis: etenim voluntas illa, qua mortem, & paſsionem recuſabat, non erat efficax, ſed inefficax, & ſimplex affectus non tendens ad executionem, voluntas autem illa, qua paſſionem, & mortem acceptabat, erat efficax tendens ad executionem, ſed tales actus nullam contrarietatem habent, aliæ enim ſimiles in Diuinis & humanis reperiuntur, nam in Deo eſt voluntas quædam, qua vult omnes homines ſaluos fieri, & alia, qua non vult omnium ſalutem, & hoc ſine repugnantia; in homine etiam exiſtente in periculo naufragij eſt volũtas, qua vult merces conſeruare, & volũtas eas in mari proijciendi, & hoc ſine repugnantia, quod non alia ratione, niſi quia vna voluntas efficax eſt, altera verò inefficax, ergo ſi actus, quo Chriſtus paſsionem, & mortem recuſabat, inefficax erat, actus verò, quo illam acceptabat, efficax, ob eandem rationem nõ erunt repugnantes, licèt alias repugnãtiam habere videantur.

DISPVTATIO V.

Circa quæſt. 19. Sanct. Thomæ.

De merito Chriſti tam in ordine ad ſe, quam in ordine ad alios.

POſt conſideratio eorum, quæ pertinent ad vnitatem in Chriſto, quantum ad eſſe, & quantum ad velle, agit Diuus Thomas de pertinentibus ad ipſum, quantum ad eius operari, in hac quæſt. 19. & eius Expoſitores, & etiam in 3. diſt. 18. cum reliquis Scholaſticis, & cum in Chriſto diuerſæ fuerint operationes humanæ, videndum eſt in hac diſputatione, quibus conueniat ratio meriti, quæque ex illis ſub præcepto cadere potuerint, ob quod prædicta diſputatio de merito Chriſti communiter vocatur.

Per quoſnam actus Chriſtus meruerit, vel mereri potuerit.

QVÆST. I.

IN Hac re iuxta diuerſitatem actuũ, qui in Chriſto reperiuntur, varij varia dixere; nam licèt omnes conueniãt per actus adimpletiuos præcepti Chriſtum meruiſſe, non tamen conueniunt circa actus, qui ſub præcepto cecidere, de quo quæſtione ſequenti, quare circa act⁹ partis vegetatiuæ, & ſenſitiuæ Chriſti. Aliqui Authores ſequentes Altiſiodorenſem libro 3. ſuæ ſummæ artic. 1. cap. 7. negant Chriſtum Dominum per illos meruiſſe, contra commune Theologorum contrarium opinantium, circa actum verò charitatis, quo Chriſtus ardentiſsimè Deum amabat clarè propoſitum per viſionem Beatam, Vazq. hic diſp. 74. cap. 3. docet Chriſtum per illum non meruiſſe; alij autem, vt ſaluent libertatem ad meritum requiſitam, quam non cognoſcunt in prædicto actu, conſtituunt alium dilectionis actum, quo Chriſtus Deum diligebat, vt cognitum per ſcientiam infuſam, & dicunt hunc fuiſſe in Chriſto meritorium, non illum, quo Deus diligebat, vt cognitum per ſcientiam Beatam; ſic Ferrara 3. contr. cap. 62. Caietanus ſupra quæſt. 11. ar. 1. Medina hic; Suarius diſput. 39. ſect. 3. & alij, inter quos Auerſa quæſt. 19. ſect. 3. §. *Itaque.* Deniq; tamen Capræolus in 3. diſt. 18. quæſt. vnic. art. 3. in fine, Scotus, & Gabriel ibidem, & Vincentius pag. 419. Aluarez diſput. 45. Lorca diſput. 72. concluſ. 2. & alij quam plures RR. Thomiſtæ, planè fatentur Chriſtum meruiſſe per actum charitatis ſecutum ad ſcientiam Beatam, quod cum ardentiſsimo proſequebatur amore, ſic Magiſter Ioannes à Sancto Thoma hic quæſtion. 19. diſputat. 17. artic. 3.

Quæ-

Digitized by Google

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRO Quæſtionis intelligentia obſeruo prius, quod, vt operatio ſit meritoria, debet habere omnes conditiones ad meritum requiſitas, quas Theologi nominant ad 1.2. quæſt. 114. nimirum eſſe hominis iuſti, bonam moralitèr, & in obſequium Dei factam, liberam aliqua ſaltèm contradictionis libertate, & hominis viatoris, & cum pacto, & acceptatione Dei præmiantis, de quarum neceſsitate diſputatur loco citato, & nunc ſupponitur vt commune apud omnes Theologos, vt propoſita quæſtio decidatur.

Reſoluitur quæſtio, circa actus partis vegetatiuæ, & ſenſitiuæ, & circa actus ſub præcepto cadentes.

ARTIC. II.

RESolutio prima ſit, Chriſtus Dominus meruit per actus partis vegetatiuæ, & ſenſitiuæ. Ratio eſt, quia ſi aliquid deficeret his actibus ad rationem meriti, eſſet libertas, hæc enim eſt contrariorum ratio, ſed libertas non defuit his actibus. Tùm, quia teſte Diuo Thoma ſupra quæſt. 13. artic. 3. *Omnis diſpoſitio proprij corporis ſubdebatur totalitèr poteſtati animæ Chriſti, quatenus erat vnita perſona Verbi.* Tùm etiam, quia idem Diuus Thomas infra quæſt. 47. artic. 2. & Auguſt. 4. de Trinitate cap. 13. docent animam Chriſti ex cõiunctione ad Verbum habuiſſe liberam poteſtatem conſeruandi ſe in corpore toto tempore, quo vellet, ita vt nullo vulnere, ipſo nolente, poſſet compelli à corpore exire, quod ſignificauit Chriſtus, Ioannis 20 cum dixit: *Ego pono animam meam à me ipſo, & nemo tollet à me, & poteſtatem habeo ponendi eam.* Ergo etiam habuit liberam poteſtatem circa actus partis vegetatiuæ, & ſenſitiuæ, patet conſequentia, quia non minus vulnus læthale inferens neceſſariò diſiunctionem animæ à corpore, eſt agens neceſſarium, ac ſunt potentiæ ſenſitiuæ, & vegetatiuæ partis, ſed non obſtante hac neceſsitate naturali diſiunctionis ſequendæ ex vi cauſæ naturalis, & neceſſariæ, habuit anima Chriſti liberam poteſtatem ad meritum ſufficientem ex coniunctione ad Verbum ad diſiunctionem impediendam, ergo non obſtante illa neceſsitate potentiarum, habebit anima Chriſti liberam poteſtatem ſupra actus illarum potentiarum ad meritum ſufficientèr; vndè elegantèr Auguſtin. libr. 26. contra Fauſtum in fine: *Homo plerũque iraſcitur, & ſi nolit, cõtriſtatur, & ſi nolit, dormit, & ſi nolit, eſurit, acſitit, ille autem (ſcilicèt Chriſtus) omnia iſta habuit, quia voluit.*

Confirmatur, nam Chriſtus Dominus nullum potuit habere motum indeliberatum; aliàs enim potuiſſet eſſe in ipſo aliquis motus ſenſualitatis anteuertens vſum rationis, ac perconſequens in tali motu poſſet eſſe peccatum, ſaltèm veniale, ſicut, & in nobis contingit ex imperfecta deliberatione. Vlterius in ipſo non potuit eſſe inconſideratio ex parte intellectus, cum plenus eſſet ſapientia, ſicut, & gratia, ergo nullũ motum potuit habere indeliberatum, nam talis motus ex capitibus adductis neceſſariò ſequitur; ac perconſequens omnes fuerunt deliberati, & liberi, ac proinde ex hac parte non defuit talibus actibus libertas ad meritum ſufficiẽs, cum aliàs omnes aliæ conditiones ad meritum requiſitas iuxta contrariorum etiam ſententiam habuerint.

Obijcies, prædicti actus ita neceſſarij ſunt ad vitam conſeruandam, quod ſine illis non poſſet Chriſtus eam conſeruare, & ob hanc cauſam ab illis non potuit ceſſare, ergo nullatenus habuerunt id, quod neceſſarium eſt ad meritum, vt eſt libertas. Reſpondeo, quod licèt iſti actus neceſſarij ſint ad vitam conſeruandam quaſi connaturalitèr, non tamen ſimplicitèr, & attenta potentia Dei, qua de facto contulit animæ Chriſti facultatem per vnionem cum Verbo, qua ab illis poſſet ceſſare, ſi vellet, ſtante vitæ eius conſeruatione.

Reſoluti o ſecunda ſit, Chriſtus meruit per act⁹ ſub præcepto cadẽtes (quicũque illi ſint de quo poſtea.) Ratio eſt, nam actus iſti, etiam ſi cadant ſub præ-

Digitized by Google

cepto, habent omnes conditiones ad meritum requiſitas, cum ſint hominis iuſti, viatoris, boni moralitèr, & in obſequium Dei, & aliàs, ex eo quod cadãt ſub præcepto, non fuit ab eis ablata libertas. Tum, quia teſte Cypriano ſermone de paſſione Domini in principio *voluntariè* (loquitur de Chriſto) *obediſti Patri, & non te, vt patereris, coegit neceſsitas*, quod fuſius, dum de præcepto mortis Chriſti agamus, explicabitur. Tum etiam, quia nullus hucuſque negauit Chriſtum Dominum ſubiectum fuiſſe legi naturali, vt docet Diuus Thomas 1.2.quæſt.93. articul. 4. ad 3. nec proinde actus adimpletiuos legis naturalis neceſſariò eliciebat, ſed omninò libere, ergo nihil defuit actibus ſub præcepto cadentibus, adhuc vt per illos Chriſtus Dominus meruiſſet. Difficultates, quæ fieri ſolent contra hanc reſolutionem, non ſunt aliæ, ac quæ fiunt contra reſolutionem, quam latè proſequemur, dum præceptum circa paſſionem, & mortem Chriſti explicemus, vbi eas proponemus.

Deciditur quæſtio circa actum dilectionis Beatificæ.

ARTIC. III.

Reſolutio noſtra ſit, Chriſtus Dominus reuera meruit per actum fruitionis, & dilectionis beatificæ, neque ad hoc fingenda eſt alia dilectio conſequens viſionem ſcientiæ infuſſæ: primo, quia eſt expreſſa mens Sancti Thomæ pluribus in locis, vbi proponens ſibi quoddam argumentum in hunc modum Non poteſt eſſe idem meritum, & præmium, ſicut neque cauſa, & cauſatum, ſed act⁹ charitatis, ſeu fruitio Dei in Chriſto pertinet ad præmium beatitudinis, ergo non merebatur per huiuſmodi actum; ſoluit illud primo in 3. diſt. 18. quæſt. 1. artic. 2. ad 2. ſic: *Idem non poteſt eſſe meritum, & præmium, reſpectu eiuſdem, & ſecundum idem, vnde ipſe motus charitatis Chriſti, in quo conſiſtit præmiũ, quantũ ad beatitudinẽ animæ, poteſt eſſe meritum reſpectu beatitudinis corporis.* Eodẽ modo ſoluit, imò clariùs argumentum, quæſt. 29. de veritate ar. 6. ad 6. dicens: *Charitas, quantum eſt de ſe, ſemper nata eſt merendi principium ſed quandoque non eſt merendi principium propter habentem, qui eſt extra merendi ſtatum, ſicut patet de Sanctis in patria, Chriſtus autem merendi extra ſtatum non erat, quia viator erat, & ideò charitate eadem fruebatur, & merebatur, nec tamen erat idem principium merendi, & præmium, quia non merebatur gloriam animæ, ad quam pertinebat charitas, ſed gloriam corporis.* Eodem modo ſoluit argumentum hic quæſtion. 19. artic. 3. ad 1.

Secundo ratione probatur prædicta concluſio. Si propter aliquam rationem neganda eſſet ratio meriti actui dilectionis beatificæ in Chriſto, & fingendus eſſet alius charitatis actus per ſcientiam infuſſam regulatus ad tale meritum, maximè, quia ille actus omninò neceſſarius eſt; (hoc autem eſt aduerſantium vnicum latibulum) ſed hæc ratio non ſolum falſa eſt, ſed æquè militat contra eos fingentes talem dilectionem ſcientiam infuſſam conſequentem; etenim eatenus ipſi contra nos arguunt, dilectionem beatificam neceſſariam eſſe, & perconſequens non meritoriam, quia ſequitur actum viſionis, qui eſt regula ipſius, qui quidem actus viſionis, cum ſit clara, & euidens cognitio, neceſſariam infert dilectionem; ſed non minus (ſi daretur talis dilectio conſequens aliam ſcientiam præter beatam) neceſſaria eſſet, nam eſſet, amor, & dilectio Dei clarè, & euidentèr cogniti per ſcientiam infuſſam, cũ in Chriſto nulla cognitio obſcura potuerit eſſe, quæ quidem dilectio non poteſt non eſſe neceſſaria ob eandem rationem, ac noſtra dilectio, ergo ob illam rationem, ob quam ipſi nolunt cõcedere rationem meriti actui dilectionis beatificæ, ob eandem etiam deberent illam negare ſuæ dilectioni confictæ.

Aduertentèr dico *confictæ*, nam diſtinguere illos duos actus charitatis in Chriſto, confingere eſt, nam vel diſtinguuntur prædicti actus in ſpecie, & hoc non, quia obiectum eorum formale eſt idem, licèt diuerſimodè propoſitum, quod non variat ſpeciem actus, vt patet in charitate viæ, & patriæ, quæ eſt eiuſdem ſpeciei iux-

iuxta Diuum Thomam, quia obiectum formale eſt idem, etiam ſi diuerſo modo proponatur; vel diſtinguntur ſolo numero, & hoc etiam non, quia duo accidentia ſolo numero diſtincta non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto, vt latè probant Phyloſophi ex Ariſtotele, & Diuo Thoma, ergo confictus eſt talis dilectionis actus.

Quod autem falſum ſit dilectionem beatificã non eſſe liberã, quæ erat altera minoris pars, ſic efficacitèr probatur; nam neceſsitas, quam habet talis dilectio beatifica, non impedit, quominus aliquomodo libera etiam ſit, etenim maior eſt neceſsitas, quæ reperitur in actu dilectionis Dei, quo ſe ipſum diligit, & nihilominus iſta neceſsitas nõ impedit, quominus ipſamet dilectio, vt terminatur ad Deum, vt eſt radix diligendi creaturas, libera etiam dicatur, ergo neceſsitas reperta in actu dilectionis beatificæ, quo Chriſtus Deum diligebat, non impediet, quominus ipſamet dilectio, vt terminatur ad ipſum Deum, vt eſt radix diligendi creaturas, libera etiam dicatur, patet conſequentia, quia huiuſmodi dilectio eſt perfectiſsima participatio illius, qua Deus ſe ipſum diligit, & ratio vtriuſque eſt, quia in bonitate Dei hæc duplex ſumma cum excellentia reperitur cõditio, quod ipſa bonitas prout amata ſecundũ ſe, & abſque reſpectu ad extra, neceſſariò amatur, at verò ipſamet bonitas, prout amata cum reſpectu, quem dicit radicis ad creaturas, libere diligitur, quæ doctrina fundatur in alia D. Thomæ 1.2.quæſt.12.ar.1.ad 4. Vbi duplicẽ rationem appetibilitatis diſtinguit in bonitate finis, alteram prout propter ſe appetibilis eſt, & ſic terminat actum volitionis ſpecialitèr dictæ, alteram prout eſt ratio appetendi media, per quæ finis ipſe acquirendus eſt, & ſic terminat actum intentionis, nam intentio formalitèr, vt talis, reſpicit finẽ, vt conſequibilem per media, ex qua etiam doctrina benè perſpecta omnia obiecta cõtra reſolutionem facilè ruent.

Obiicies, licèt actui ſimplicitèr infinito, qualis eſt dilectio, qua Deus ſe ipſum diligit, poſsit competere ob ſuam eminentiam ratio liberi, & neceſſarij, non videtur hoc tribuendum eſſe actui ſimplicitèr finito, qualis eſt dilectio, qua Chriſtus Deum diligebat, ergo ratio à nobis præadducta nullius eſt roboris. Confirmatur, quia alias Chriſtus Dominus, ſicut, & quilibet Beatus, poſſet ab illo actu ceſſare, quod eſt contra Thomiſtas communitèr docentes, amorem Dei in patria non poſſe eſſe liberum adhuc quoad exercitium.

Reſpondeo, non ſolum dilectioni beatificæ, qua Chriſtus Dominus in ſtatu viæ Deum diligebat, poſſe competere rationem libertatis, & neceſsitatis, quia eſt participatio formaliſsima dilectionis infinitæ Dei, imò non ſolum iſti dilectioni, ſed etiam alijs actibus finitis, qui non ita ſunt participationes illius infiniti actus, vt patet in actu creato, & naturali intentionis, & electionis, quando ſimul coincidunt, qua ratione eſt intentio poteſt eſſe neceſſarius, ſaltèm quoad ſpecificationem, & prout electio omninò liber. Ad confirmationem dico, quod plures non ignobiles Thomiſtæ, de quorum numero eſt Sapientiſsimus quidam ex noſtris, ad materiam de Beatitudine docent, amorem Dei in patria poſſe eſſe liberum quoad exercitium, ac proinde beatos poſſe ceſſare ab actu; præcipuè ſi Deus eis præceptum imponeret circa ceſſationem actus, quam pluries tutatus ſum. Dato tamen, quod in patria non poſſet talis amor eſſe liber, non ſequitur in Chriſto non fuiſſe liberum, prout viator erat circa gloriam corporis; vndè poterat ab illo ceſſare, prout referebatur ad voluntatem liberam tẽdentem circa bonitatem Diuinam, vt erat radix diligendi creaturas in exercitio, non tamen poterat ceſſare ab illo, quatenus referebatur ad voluntatem neceſſariam tendentem circa eandem Diuinam bonitatem ſecundum ſe amabilem, & ſine reſpectu ad creaturas.

Digitized by Google

Quid ſibi, & nobis Chriſtus meruerit.

ARTIC. IV.

PRO Cuius luce ſtatuo priùs, quod aliqui Authores ſolent hic diſputare de merito Chriſti circa ſuam vnionē hypoſtaticam, & circa gratiam Angelis, & Adamo in ſtatu innocentiæ collatam, & denique circa eandem gratiā Patribus antecedentibus Chriſtum collatam, ſed quia de vnione hypoſtatica à nobis late diſputatum eſt in hac 3. part. quæſt. 2. diſp. 1. quæſt. 3. art. 2. & de gratia Patribus Chriſtum antecedentibus collata ibidem art. 3. & denique de gratia Angelis collata, & Adamo in ſtatu innocentiæ aliqualitèr etiam diſputauimus ibidem diſp. 1. quæſt. 6. per totam, vbi de motiuo Incarnationis latè diſſeruimus, ex quo deduximus, quid dicendum eſſet circa meritum gratiæ Angelorum, & Adami in ſtatu innocentiæ, ideo hoc in loco ab his difficultatibus ſuperſedendo, ſolum de merito Chriſti circa gratiam habitualem, gloriam eius animæ, & corporis, & de his, quæ poſt lapſum Adami promeritus eſt nobis Chriſtus, ſermonē inſtituemus; quo ſic ſtatuto.

Reſolutio prima ſit. De facto Chriſtus Dominus, nec meruit gratiam habitualem, nec animæ gloriam. hæc reſolutio à nemine negari poteſt, ratio eſt, nam meritum eſt via ad terminum, ſed de facto Chriſtus Dominus fuit in termino gratiæ, & gratiæ conſumatæ, quæ eſt animæ gloria, eo quod ab inſtāti ſuæ conceptionis, non ſolum ſantiſſimus fuit ſanctitate gratiæ habitualis, ſed Deum perfectiſſimè vidit, ergo de facto, nec meruit gratiam habitualem, nec animæ gloriam meruit.

Reſolutio ſecunda ſit de potentia abſoluta in ſenſu aliquo poteſt concedi Chriſtum Dominum, & gratiam habitualem, & gloriam animæ promereri potuiſſe. Hæc reſolutio in ſenſu, in quo profertur, a nemine poteſt etiam negari, ratio eſt, nam optime poterat Deus aſſumere naturam humanam ſanctificatam gratia habituali, & non glorificatam glorificatione animæ, & tunc elicere operationes glorificationis animæ meritorias, ſicut de facto nos illas elicimus, & etiam poterat aſſumere naturā humanam ſanctificatam ſola ſanctitate ſubſtantiali, & tunc per auxilium, vel per gratiam habitualem, vt exercet rationem præciſſe auxilij, & vitæ phyſicè ſupernaturalis, elicere operationes ipſius gratiæ habitualis per modum habitus, quæ nondum habebatur, meritorias, ergo his factis ſuppoſitionibus optimè potuit Chriſtus, & gratiam habitualem, & animæ gloriam ſibi promereri.

Reſolutio tertia ſit. Ex ſuppoſitione, quod Chriſtus non meruit per gratiam habitualem, & per actus gloriam animæ conſequentes, non potuit adhuc de potentia abſoluta eandem gratiam, & animæ gloriam promereri. Hæc reſolutio eſt contra aliquos Authores, quos refert, & ſequitur Auerſa, quæſt. 19. ſect. 5. vt Suarez, in quo ſenſu poteſt eſſe aliquod diſſidiū, eſt expreſſa mens Diui Thomæ in hac quæſt. art. 3. & pluribus alijs in locis quæſt. 114. 1. 2. art. 9. vbi ait: *Impoſsibile eſſe, quod idem ſit principium merendi, & ipſum meritum*, ſed facta hac ſuppoſitione, idem eſſet principium merendi, ſcilicèt gratia habitualis, & fruitio Dei, & eſſe terminum meriti qui in eadem gratia, & fruitione conſiſtit, vt ſupponitur, ergo, &c.

Vlteriùs, ſi Chriſtus poſſet mereri per iſtos actus gratiam habitualem, & gloriam animæ, pro aliquo priori naturæ deberet eſſe ſine gratia, & ſine gloria animæ, nam meritum eſt circa illud; quod nondum habetur, nec poſſidetur, hoc autem eſt contra ſuppoſitionem quæſtionis. Denique, quia Chriſtus non potuit gratiam habitualem, & gloriam animæ promereri, niſi aliquis actus intellectus præſupponeretur, ad quem ſequeretur actus voluntatis ipſius gratiæ, & gloriæ meritorius, cum nihil volitū, quin præcognitū, ſed nullus actus intellect⁹ potuit præſupponi, qui induceret actum voluntatis gratiæ & gloriæ meritorium, non obſcurus, quia repugnat Chriſto, non clarus, quia in hoc conſiſtit ipſa gloria animæ, ergo intentum.

Cæterum in ſui fauorem opponunt primo aduerſarij, Chriſtus Dominus fuit ſanctificatus per propriam diſpoſitionē liberi arbitrij, vtpotè perfectior

mo.

Digitized by Google

modus ſanctificandi ſit hic, quam ſine diſpoſitione, atqui ille actus fuit meritorius pro illo inſtanti, vt docet Diuus Thomas infra quæſt. 34. artic. 3. ſicut noſter dilectionis actus diſpoſitiuus pro illo inſtanti meritorius eſt vitæ æternæ, vt docet idem Diuus Thomas 1. 2. quæſt. 114. art. 2. ad 1. ergo per illum actum meruit Chriſtus Dominus gloriam animæ, ſicut per noſtram diſpoſitionem nos eandem animæ gloriam promeremur.

Reſpondeo, quod, licèt ille actus, quo Chriſtus Dominus ſe diſpoſuit ad ſanctificationem pro illo priori eſſet meritorius, non tamen gratiæ, neque gloriæ animæ, quod iam habebatur, ſed gloriæ corporis, quæ nondum poſsidebatur, ſicut neque eadem noſtra diſpoſitio eſt meritoria gratiæ, quæ iam habetur, ſed *gloriæ, quæ nondum habetur*, vt docet idem Diuus Thomas loco citato ex 1. 2. Ad id autem quod dicitur perfectius eſſe habere aliquid per meritum, quam ſine merito, abſolutè verũ eſt; quando ex tali modo habendi per meritum non ſequitur aliud maius inconueniens, ſequeretur autem, ſi Chriſtus gratiam, & gloriam animæ potuiſſet illo actu promereri, nimirum, quod pro aliquo inſtanti eſſet ſine gratia, & ſine gloria animæ.

Opponunt ſecundo, & poteſt eſſe confirmatio præcedentis argumenti. Diuus Thomas docet quodlibet. 9. artic. 8. quod meritum, & præmium poteſt eſſe in eodem inſtanti; idem docet Caietanus 1. part quæſt. 63. art. 6. & patet in Angelis, in quibus in eodem inſtanti fuit beatitudo, & meritum illius, & in homine iuſto elicientc actus intenſiores habitu, meretur augmentum gratiæ, & charitatis in eodem inſtanti conferendũ, ergo ex eo quod Chriſtus Dominus habuerit in primo inſtanti gratiam, & gloriam animæ nõ tollit, quo minus in eodem inſtanti cum ſola præcedentia naturæ habuerit meritum circa eandem gratiam, & gloriam.

Reſpondeo, quod implicatio, quare Chriſtus non potuerit mereri gratiam, nec gloriam ipſius animæ non eſt, quia meritum, & præmium non poſsint eſſe in eodem inſtanti reali cum ſola præcedentia naturæ, vt optimè probat argumentum de Angelis, & de actu intenſiori ab homine iuſto elicito, ſed propter ſpecialem rationem, quæ eſt in Chriſto, ratione cuius, adhuc prioritate naturæ, non potuit præcedere actus meritorius ipſam gratiam, & animæ gloriam, cum in quocumque inſtanti adhuc naturæ non potuerit non intelligi gratia, & gloria animæ concurrentes per modum principij ad quemcumque actum meritorium, quia ſola hæc ſunt principia merendi in Chriſto, & principium meriti, ea ratione, qua merendi eſt principium, nequeat ſub meritum cadere, vt pluries docent Theologi cũ Diuo Thoma.

Opponunt tertio, non implicat, quod quamuis Chriſtus gratiam, & animæ gloriam titulo vnionis, & prædeſtinationis in Filium naturalẽ Dei, habuerit illam etiam habuerit titulo iuſtitiæ per merita, eo modo, quo adulti prædeſtinati habent gloriam, & titulo prædeſtinationis, & iuſtitiæ titulo per eorum merita; aliàs cedit in gloriam Chriſti illam per meritum habere, ſi non implicet, ergo dicendum eſt illam promeruiſſe. Confirmatur, nam Chriſtus potuit mereri Incarnationem Patris, quod eſt maius bonum, quam gratia, & gloria animæ eius. ſed qui poteſt ad magis, poteſt ad minus: ergo intentum.

Reſpondeo, quod, quando tituli non ſunt repugnantes, benè poteſt aliquid haberi duplici titulo, vt contigit in prædeſtinatorum gloria, ſecus autem, quãdo repugnantes ſunt, vt contingeret, ſi Chriſtus gratiam, & gloriam animæ per modum naturæ haberet, & per modum meriti. Ad confirmationem dic. Tranſeat maior, ſed minor neganda eſt abſolutè, nam non eſt verum abſolutè dicere, quod, qui poteſt ad magis, poteſt ad minus, homo enim poteſt alium hominem producere, & non formicã, præterquam quod, licèt Incarnatio Patris in ſe maius bonum ſit, quam gratia, & gloria animæ Chriſti, reſpectu tamen Chriſti maius bonum eſt gratia, & gloria ipſius, quam Incarnatio Patris reſpectu Chriſti.

Reſolutio quarta, Chriſtus Dominus meruit directè gloriam ſui corporis. Ratio eſt, quia Chriſtus Dominus per actus, quos eliciebat poſt eius animæ glorificationem, meruit ſibi aliquid, cum haberent omnes conditiones

Digitized by Google

nes ad meritum requiſitas, ſed non meruit gratiam, nec gloriam animæ, quæ iam habebantur, ergo gloriam corporis, quæ nondum poſsidebatur; quod autem illam directè meruerit, probatur contra Scotum, ex eo quod meritum propriè loquendo reſpicit directè illud bonum, quod conferendum eſt merenti, ſed gloria corporis fuit bonum collatum Chriſto per meritum ſuæ paſsionis iuxta illud Lucæ 22. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.* & ad Philipenſes 2. *factus obediens, vſque ad mortem, propter quod, & Deus exaltauit illum.* Ergo directè meruit gloriam ſui corporis, nam ablatio impedimenti, ſi quod fuit, vt gloria animæ non redundaret in corpus, quã, dicit Scotus in 3. diſt in d. 18 quæſt. vnica, Chriſtum directè meruiſſe, nõ erat appetibilis, niſi ratione huius boni, ſicut gloria corporis, cuius erat impedimentum, quod autem non eſt appetibile directè, & propter ſe. niſi ratione alterius, non poteſt directè, & propter ſe mereri, niſi ratione illius, propter quod appetitur.

Obiicies, non poteſt quis appetere eſſe riſibilem, quin priùs appetat eſſe rationalem, eo quod vna perfectio naturalitèr ſequitur ex alia, ſed non minus gloria corporis ſequitur naturalitèr ex gloria animæ, ergo nequit appeti gloria corporis, quin priùs appetatur animæ gloria: ergo ſi Chriſtus non meruit animæ gloriam, nec corporis gloriam mereri potuit. Reſpondeo, quod quamuis nequeat quis appetere, nec mereri vnã perfectionem, quæ naturalitèr ſequitur ex alia, ni appetat, & mereatur illã, ex qua ſequitur, quando vtraque caret, ſecus autem, quando caret vna, & aliã poſsidet, vt in eodem exemplo de animi rationali, & riſibilitate cerni poteſt; nam homo exiſtens cum ſola rationalitate, & ſine riſibilitate, quæ naturalitèr ſequitur ex illa, benè poteſt appetere riſibilitatem, ſine eo quod rationalitatem appetat & ita contingit in Chriſto, nam cum iam haberet animæ gloriam, licèt aliàs ad illam ſequenda eſſet corporis gloria, quia tamen eam nõ habebat, appetere poterat, & promereri ipſam; ſecus autem illam: nec maior Chriſti perfectio eſſet gloriam corporis per modum naturæ habere, quã per meritum, eo quod non poſſet mortem ſubire pro nobis, nec nobis relinquere exemplum, vt eius ſequeremur veſtigia, ſi gloria corporis naturalitèr reſultaret ex gloria animæ, & non ex merito ſuæ paſsionis.

Reſolutio quinta ſit. Chriſtus Dominus meruit ſui nominis exaltationem, id eſt, quod ab omnibus coleretur, adoraretur, & vt Deus, Saluator, & Redẽptor cognoſceretur. Probatur ex illo ad Phylipenſes 2. *Propter quod* (id eſt propter eius meritum, & obedientiam) *Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomens, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur.* Et ex illo Apocalipſ. 3. *Dignus eſt agnus, qui occiſſus eſt, accipere Diuinitatem, & gloriam, & honorem.* Addo, etiam meruit ſibi, quod eſſet vniuerſalis Iudex viuorum, & mortuorum, ſicut iudiciariam poteſtatem, vt docet D. Thomas infra quæſt 59. artic. 3. & colligitur ex illo Iob 37. *Cauſa tua, quaſi impij iudicata eſt, iudicium cauſamque recipies.* Id eſt (vt benè explicat Lorca diſput. 75. num. 8.) ideò eris iudex, quia fuiſti iniuſte iudicatus.

Reſolutio ſexta ſit. Chriſtus nobis meruit reparationem poſt lapſum per gratiam iuſtificantem, & quidquid ad eam conducit, tam proximè, quam remotè. Ratio eſt, nam Chriſtus Dominus per ſuam Paſsionem eſt vniuerſalis medicina omnium infirmitatum ſupernaturalium, vt docet Diuus Thom. infra quæſt. 49. art. 1. ſed ad rationem medicinæ expectat, non ſolum conferre ſanitatem, quæ in noſtro caſu fit per gratiam, ſed ad illam diſponere, tam proximè quam remotè, quod fit per auxilia, ergo Chriſtus meruit nobis non ſolum gratiam habitualẽ, quod eſt reparatio, & ſanitas animæ, ſed quaſcumq; diſpoſitiones ad illam; vnde quidquid eſt ordinis ſupernaturalis, nobis meruit, & Sacramenta quantum ad ſufficiẽtiam, & applicationem aliquibus, quibus ex electione Diuina applicantur præuiſsis Chriſti meritis.

Reſolutio ſeptima ſit. Chriſtus nobis meruit bona temporalia, quatenus ordinantur ad ſpiritualia. Probatur ex petitione Eccleſiæ, quam habet de his omnibus bonis: *Per Chriſtum Dominum noſtrum.* Remiſsionem etiam pœnæ temporalis meruit, & remiſsionem pœnæ, quod

Digitized by Google

quod fit in Purgatorio, non ſolum quã do pœna ibi remittitur per indulgentias, vel ſatisfactiones viuorum, vt præciſè docuit Suarez hic diſput. 41. ſect. 3. circa finem, ſed etiam quando illa pœna purgatur ibi per condignam ab animabus ſatisfactionem; nam licèt animæ ibi condignam ſatis paſsionem patiantur, vel quaſi eliciant, adhuc tamen in remiſsione illius, æqualis ſolutio temporalis pœnæ eſt effectus meritorum Chriſti, quia per merita Chriſti commutata fuit pœna, aliàs æterna, in temporalem, quod idem Suarez fatetur, ſed circa hanc reſolutionem plura curioſa videri poſſunt apud Cabreram in hac quæſt. art. 3. à diſputatione 1. vſque ad finem quæſtionis, & apud Lorcam diſp. 75. quæ, quia omnia facilia, & ferè omnia de fide, miſſa facio, & altiora tractanda proſequor.

An Chriſtus Dominus habuerit aliquod præceptum obligans in conſcientia, & præcipuè circa paſsionem, & mortem eius?

QVÆST. II.

IN Hac re aliqui apud Recentiores dixerunt Chriſtum Dominum nullum habuiſſe præceptum illum obligãs in conſcientia ſub onere peccati, licèt concedant habuiſſe plura mandata, eo quod ipſi diſtinctionem reperiri putant inter præceptum, & mandatum, quod illud obligat ſub onere peccati, iſtud autem ſolum ſignificat quãdam directionem, ſeu regulam, quæ aliquid ordinat, & commendat, tanquam meliùs; ſed quia quæſtio propoſita de obligatione in conſcientia operandi actus in Chriſto procedit, quomodocumque nominetur, ſiuè nomine *præcepti*, ſiuè *mandati*, ideò circa hoc, licèt communis ſententia ſit Chriſtum pluribus præceptis fuiſſe ſubiectum, vt legis naturalis præceptis, & communis etiam ſit ſententia non fuiſſe adſtrictum præceptis legis antiquæ, ſicut neque Euangelicæ, quã ipſe tulit, & vſque ad hæc tempora quaſi ſine controuerſia fuerit Chriſtum habuiſſe verum, & rigoroſum præceptum circa paſsionem, & mortem; inſignis Lorcæ facta eſt ſententia, quæ nullum præceptum rigoroſum concedit Chriſto impoſitum fuiſſe à Patre circa mortem, & paſsionem eius, quam acritèr defendit hic diſput. 63. ſolumque aſſerit fuiſſe in Chriſto quandam inſinuationem voluntatis Patris circa paſsionem, & mortem Chriſti, quam Patris voluntatem ipſe rectè nouerat; qui quidem Author ſe iactat in illa diſputatione numer. 28. eo quod cœperunt aliqui viri docti de hac ſua ſententia detrahere, quos grauitèr reprehendit, & num. 29. dicit, quod poſtquam ille ipſam docuit, incœpit in publicis diſputationibus ipſa Compluti propugnari, & vt verum fatear eruditè eam pertractat, & ni iudicarem eſſe contra Diuum Thomam, libentiſsimè ei ſubſcriberem; benè video ipſum in Sancto Thoma ſatis eam fundare, ſed de hoc poſtea, quidquid veriùs iudicauerim, dicam.

Ad quam ſententiam poteſt reduci noſter Auerſa, quatenus hic quæſt. 20. ſection. 4. docet, quod licèt præceptum non ſit incompoſsibile cum libertate, & impeccabilitate Chriſti; de facto tamen non habuiſſe præceptum aliquod diſtinctum circa paſsionem, & mortem per modum alicuius legis poſitiuæ obligantis Chriſtum, ſed hoc ipſo quod Chriſtus nouerat voluntatem Patris de morte eius, ob noſtram redemptionem manſit obligatus ex charitate, vt ſe exponeret paſsioni, & morti, nam vt inquit prædictus noſter Auerſa, §. *Propter hoc*, ſi charitas erga proximum obligat quemlibet priuatum hominem ad ſuccurrendum alteri particulari in ſpirituali, & corporali neceſsitate, vtique obligabat Chriſtum, qui conſtitutus erat caput omnium hominum ad ſuccurrendum toti humano generi in tam extrema neceſsitate peccati, à nullo alio ridimibili, niſi à Deo media paſsione, & morte Chriſti; & in hoc ſenſu, inquit, ſatis verificantur omnia loca Scripturæ, quæ indicant obligationem, & præceptum.

Quæ-

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primò, Chriſtum Dominum ratione naturæ humanæ fuiſſe capacem, vt poſſet obligari aliquo præcepto rigoroſo cum onere acceptandi, vel adimplẽdi, & ſub onere peccati, ſi non acceptaret, & adimpleret, id docet paſſim D. Thomas præcipuè in hac 3. par. quæſt. 20. art. 1. & 1. 2. quæſt. 93. artic. 4 ad 2. & ratio eſt, nam Chriſtus, vt homo nõ erat ſuprema regula ſuarum operationum, & aliàs liber erat, ergo vt homo capax fuit rigoroſi præcepti, patet conſequentia, nam vt quis ſit capax rigoroſi præcepti, ſufficit habere liberum arbitrium, & regulam ſuperiorem, quam habebat Chriſtus vt homo, ſcilicèt, Diuinam voluntatem potentem præcipere, & obligare ad acceptationẽ, & adimpletionem.

Obſeruo ſecundo, cum hac capacitate præcepti rigoroſi ſtare in Chriſto incapacitatem ad peccandum; nam ex vi vnionis manſit omninò impeccabilis, vt excludatur etiam potentia peccandi, id etiam docet paſſim D. Thomas contra Scotum, & Durandum, ſed præcipuè in 3. diſtinct. 12. quæſt. 2. art. 2. in fine, dicens: *In Chriſto poteſt concedi potentia peccandi ſub hoc ſenſu, vt dicatur habere potentiam peccandi, quia habet potentiam, quæ in alijs eſt potentia peccandi*, ſcilicèt, liberum arbitrium, quod in alijs eſt potentia peccandi; & ratio eſt, quia ſi Chriſtus Dominus in natura aſſũpta eſſet capax peccati, & poſſet peccare, Verbum Diuinum, & Deus poſſet peccare, quæ eſt ſuprema regula omnium actionum moralium, nam actiones humanitatis vnitæ, ſiuè Chriſti in quantum homo (quamuis repugnent ipſi in natura Diuina) tribuuntur Deo abſolutè, nam ex eo quod Chriſtus vt homo eſt mortuus, & manducabat, abſolutè dicitur, Deus eſt mortuus, & manducabat, ergo ſi Chriſtus vt homo peccaret, vel poſſet peccare, diceretur Deum abſolutè peccare, vel poſſe peccare.

Nec valet dicere cum Durando, & Recentioribus Scotiſtis, nullum eſſe inconueniens concedere, quod ſi Chriſtus peccaret, Deus peccaret, & ſi poſſet peccare, quod Deus etiã poſſet peccare, quia tunc non tribueretur peccatũ Deo, nec Verbo, niſi denominatiuè propter communicationem idiomatum, ſicut dicitur Deum mori, propter quam reſponſionem reijcit etiam Vazquez ſupra poſitam Diui Thomæ rationem. Non inquam valet, quia cõtra eſt, & vt ab hoc vltimo incipiam, neſcio, quo iure Pater Vazquez negligat Diui Thomæ rationem, & aliam adducat, quæ omnium deriſioni expoſita eſt; nam ratio Vazquez, vt probet Chriſtum eſſe impeccabilem hæc eſt. Quia humanitas eſt ſanctificata formaliter per ipſam Diuinitatem, cum qua ſanctitate impoſsibilis eſt peccabilitas, ad diſtinctionem gratiæ adoptionis, cũ qua manet potentia peccandi. Quis enim vnquam ſomniauit, quod ſanctitas, quamtumuis perfecta, ſicut eſt Diuinitas, licèt ſit incompoſsibilis cum peccato, & ſi committeretur; diſſolueretur vnio, quod ſit incompoſsibilis cum potentia ad peccandũ? Beati enim quamuis habeant formam incompoſsibilem cum peccato, ſcilicèt, viſionem beatificam, & ſi committeretur ab illis, ceſſaret viſio, nihilominus tamen hæc viſio, quamuis perfectiſsima ſit, non adimit ab illis rationem potentiæ peccandi abſolutè; nam poſſet Deus aliquod imponere præceptũ, quod ſi non adimplerent, peccatum committerent.

Sed contra hanc ſolutionem Scotiſtarum ſic argumentor. Eodem modo ſe haberet ſuppoſitum Diuinum; ſi peccaret in natura aſſumpta, ac ſe hãbet ſuppoſitum creatum, quando peccat, ergo ſicut iſti verè, & propriè attribuitur peccatum, ita & illi tribueretur, ſi peccaret. Antecedens probatur, nam ſuppoſitum Diuinum reſpectu humanitatis aſſumptæ gerit vices ſuppoſiti creati ſuplendo omnem concurſum illius, ſed ob hunc modum concurrendi, quem habet ſuppoſitum creatum, tribuitur verè, & realitèr operatio peccaminoſa, quando peccat, ergo ob eundẽ tribuitur verbo, ſi in natura aſſumpta peccaret.

Obſeruo tertio, ſemper debere ſaluari voluntatem humanam Chriſti in ſuis operibus, præcipuè adimpletiuis præ-

Digitized by Google

præcepti (ſi quod fuit) liberam eſſe, vnde grauiſsima, & inexplicabilis difficultas eſt in componendo præceptum, libertatem, & impeccabilitatem Chriſti, quæ ita inter ſe pugnantia videntur, quod præceptum rigoroſum totalitèr in eius adimpletione deſtruat libertatem, & neceſſariò requiratur in voluntate, cui imponitur, poteſtas ad peccandum, nam cum ſit coarctiuum, neceſſariò includit hanc comminationem; ſi non adimpleberis, quod præcipio, reus eris peccati; & libertas etiam videtur incompoſsibilis cum impeccabilitate, ſed de hoc, quid minus durum ſit, infra dicemus, quibus ſic obſeruatis.

Quidnam dicendum de præceptis legis naturalis, Euangelicæ, & Moſaicæ?

ARTICVL. II

RESolutio noſtra ſit, Chriſtus vt homo fuit ſubiectus præceptis legis naturalis cuiuſcumque ordinis ſint, quæ ratione dignitatis perſonæ non erant illi diſconuenientia; ſic D Thom. 1.2. quæſt 93. art. 4. ad 2. & cum eo cõmunitèr Expoſitores cum Auerſa quæſtion. 20. ſect. 4. ratio eſt; lex naturalis neceſſariò cauſatur in mentibus hominum à lege æterna, huic autem Chriſtus adſtrictus fuit, vt loco citato, ait Diuus Thomas: ergo. Deinde lex naturalis nihil eſt aliud, quam recta ratio, & rectum dictamen circa ea, quæ facienda ſunt, & conuenientia ſunt naturæ ſecundum ſe, vel vt eleuatæ per gratiam, quis autem negauit Chriſtum dictamen rectum habuiſſe circa ea, quæ conueniebant ei ratione ſuæ naturæ; vndè ſi Deus non eſt ſubiectus præceptis naturalibus ſeruandi iuſtitiam, eſſendi veracē, &c. etiam ſi oppoſitum ſit intrinſicè malum, non ideo Chriſtus hoc idē habuit, nam Deus eſt prima regula per eſſentiam, non habens aliquem ſuperiorem; Chriſtus autem, vt homo eſt Dei inferior, & ideò obligatur lege Dei naturali, & æterna per rectum dictamen rationis manifeſtata, & impoſita.

Conſulto dixi in reſolutione: *Quæ ratione dignitatis perſonæ non erant illi diſconuenientia*; nam ratione huius dignitatis excuſabatur à præcepto naturali de obedientia, quæ parentibus debetur, quam Chriſtus non debuit Matri ſuæ, nec Patri putatiuo Ioſeph, quia quamuis eſſet Filius, ratione perſonæ, erat adhuc Deus, & Dominus eorum, & ſolum lege naturæ debebat illis honorem, & pietatem; vndè quando dicitur Lucæ 2. *Et erat ſubditus illis*, intelligendum eſt voluntariè, id feciſſe, non ex obligatione præcepti, ſicut nec obligatione præcepti obedientiæ adſtrictus fuit illis, tanquam inferior, ſed ius naturale adimpleuit honorandi eos per obſequia alterius rationis, ac eſt obediētia.

Reſolutio ſecunda ſit. Chriſtus Dominus non fuit ſubiectus alicui legi naturali poſitiuæ humanæ; eſt de fide hæc reſolutio, & contraria damnata apud Ioannem 22. inter errores Marſilij Patauini, & colligitur ex illo Matthæi 17. *Ergo liberi ſunt filij*, quod dixit Chriſtus, cum ab eo peteretur tributum, quod Cæſari ſoluendum erat, & ſoluebatur ab alijs, & declarauit ſe liberum eſſe à tali tributo, quia non erat ſubditus Regi, ſed erat Filius Dei. Vlteriùs, quia Chriſtus non erat ſubditus huic poteſtati temporali, potiùs erat Dominus eius, licèt hoc dominio noluerit vti ante Reſurrectionem, ergo Chriſtus Dominus nullatenus fuit ſubiectus alicui legi naturali poſitiuæ humanæ.

Reſolutio tertia ſit. Chriſtus Dominus non fuit adſtrictus legi Euangelicæ, quam ipſe tulit, & ratio ſatis efficax eſt (quidquid velint aliqui Recentiores) nam Chriſtus Domin⁹ fuit Legiſlator, & Author legis Euangelicæ; Legiſlator autem non tenetur legibus à ſe latis, quatenus latæ ſunt, ſed ad ſummum tenetur iure naturæ dare exemplum ſubditis in earum adimpletione, quæ ſuo ſtatui proportionatæ ſunt, quod notantèr aduertè, quia Legiſlator adhuc ratione, & iure naturæ poteſt eximi, & licitè eximitur ab aliqua lege à ſe impoſita, vt de tributis impoſitis conſtat, à quibus eximitur Princeps, nec obligatur ratione legis, nec ratione exempli, & alios obligat.

Reſolutio quarta ſit, Chriſtus, vt homo non tenebatur lege veteri, quam tradidit Deus populo Iudaico, nec debuit

Digitized by Google

buit ſeruare legalia; quod ſi aliquando ea ſeruauit, vt conſtat de circumciſsione, id voluntariè fecit propter aliquas rationes ſibi notas, & congruentias, quas Patres communitèr adducunt, nō tamen id ex præcepto, & obligatione fecit. Sic communitèr Authores cum Diuo Thoma infra quæſt. 37. artic. 3. & 4. contra Ioannem de Medina, C. de Pœnitentia ſect. 3. quæſtion. 1. & ratio eſt (communi relicta, quod Chriſtus erat Dominus adhuc illius populi) nam talis lex data fuit populo Iudaico, & eius poſteritati deſcendenti modo ordinario per ſeminalem generationem, quod Chriſto non competebat, quod probatur a ſimili; nam quia Chriſtus nō continebatur in Adamo per ſeminalem generationem, præceptum impoſitum Adamo, & eius poſteritati non cōprehendit Chriſtum, ergo quia Chriſtus non continebatur in Patribus ſecūdum ſeminalem propagationem, lex data populo Iudaico de circumciſsione, & alijs præceptis, non obligabat Chriſtum Dominum.

Confirmatur, nam illa lex fuit impoſita illi populo, vt oſtenderetur eius imperfectio, & imbecillitas, vt conſtat ex Apoſtolo ad Galatas 3. vbi ait: *Legē propter tranſgreſsionem eſſe impoſitam*, id eſt propter promptitudinem ad peccandum populi Iudaici, & infra: *Legē fuiſſe pædagogum in Chriſto, vt ex fide iuſtificarentur*: Chriſto autem neque imperfectio, neque imbecillitas, vel pronitas ad peccandum conuenire poteſt, nec neceſsitatem habuit de iuſtificationis perfectione: ergo ille neutiquam prædicta lege potuit obligari.

Hinc quādo dicitur Mat. 5. *Nō veni ſoluere, legē, ſed adimplere* &c. & ad Galat. 4. *Miſsit Deus Filiū ſuū factū ſub lege, vt eos qui ſub lege erāt, redimeret*. Quibus inſinuari videtur, Chriſtū Dominū ſubditum fuiſſe prædictæ legi; ſic cum Sancto Thoma infra quæſt. 40. art. 4. exponendus eſt, quod *Chriſtus non venit ſoluere legem, ſed adimplere*. Non neceſſitate præcepti, ſed vt exemplum præberet obedientiæ, & propter alias congruentias ibi adductas à Diuo Thoma: *Factum ſub lege*, exponunt Hieronymus, Ambroſius, & Anſelmus ſuper eundem locum, *ſua*. ſcilicèt, *ſponte*, *quia voluit vti lege abſque obligatione*, & eodem modo interpretandi ſunt Sancti Patres, ſi quandoque aſſerant Chriſtum tali lege adſtrictum fuiſſe.

Obijcies argumento quodam difficili, nam licèt illa lex data populo Iudaico, in quo non continebatur Chriſtus, non obligaret ipſum, quia non procedebat per ſeminalem propagationem, tamen ſuppoſita circumciſsione, quam voluntariè ſubijt, manſit adſtrictus ad totam legem adimplendam; tùm, quia Apoſtolus ad Galatas 5. ait: *Teſtificor omni homini circumcidenti ſe, quia debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ*. Tùm etiam, quia quamuis infideles non ſubdantur legibus Eccleſiaſticis poſitiuis, ſi tamen voluntariè Baptiſmum ſuſcipiant, ſtatim adſtringuntur talibus legibus: ergo Chriſtus Dominus voluntariè ſe ſubijciendo circumciſioni, quæ noſtro correſpondet Baptiſmo, adſtrictus manſit ad cæteras leges poſitiuas illius populi.

Reſpondetur, quod illa lex non obligabat omnes ſe circumcidentes, vtcumque, ſed circumcidentes ſe propter indigentiam, vel vt ei legi ſubmitterentur; nullo ex his modis, nec propter aliquod ex his motiuis circumciſionem Chriſtus ſubibit, ſed propter alia à Patribus adducta ad materiam de circumciſione, & à nobis inſinuata, §. Antecedenti; & ſic intelligendus eſt Apoſtolus; probatio autem de infidelibus ſuſcipientibus Baptiſmum nihil probat, quia hi hoc faciunt, tùm propter neceſsitatem, tùm propter ſummiſsionem, quam voluntariè præſtant toti legi, quod ſi ex his motiuis id non facerent, legibus Eccleſiaſticis poſitiuis non ſubiacerent.

Quidnam dicendum de præcepto circa paſsionem, & mortem Chriſti?

ARTIC. III.

RESolutio noſtra ſit. Chriſtus Dominus habuit rigoroſum præceptum obligans in conſcientia à Patre impoſitum circa mortem, & paſsionem eius, ac proinde rectè compatitur cum tali præcepto libertas, ſaltèm contradictionis, & impeccabilitatis eius. Primò, quia id expreſſum eſt in ſacris litteris,

Digitized by Google

ris, dicitur enim Ioannis 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio, ſurgite eamus hinc*, id eſt, ad mortem, vt explicant communitèr Patres, & Ioannis etiam 10. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, quia ego mandatum accepi à Patre.* Ad Phylipenſes 2. *Factus eſt obediens vſque ad mortem*, & etiam ad Galatas 5. *Sicut per vnius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi, ita per vnius obedientiam iuſti conſtituuntur multi.* Quæ verba apud Patres rigoroſum ſonant præceptum, præcipuè apud Auguſt. tract. 79. in Ioan. ſuper illa verba ex capit. 14. ait: *Habebat enim, vt moreretur, mandatum Patris*, & in regula communi Diui Auguſt. ſatis fundatur prædicta expoſitio, iuxta quã regulam verba Sacræ Scripturæ cum tota proprietate, & rigore ſermonis, & non impropriè, vt vult Lorca accipienda ſunt, quando aliquod magnum abſurdum non cogit nos ad contrarium; non cogere hic ex diſcutiendis conſtabit. Eandem reſolutionem expreſſit Diuus Thomas infra quæſt. 47. art. 2. dicens: *Chriſtus Dominus ex obedientia mortuus, & paſſus eſt*, & q. 20. vbi ſubiectionem triplicẽ Chriſti ad Patrẽ concedit, quarum tertia nequit intelligi ſine præcepto, vt locũ intuẽti conſtabit.

Verum Lorca intendens ſuam ſententiam probare ex Diuo Thoma ad omnia reſpondet, quod licèt ex obediẽtia mortuus fuiſſet, quod videtur non poſſe negari; ait tamen, quod obedientia non ſpectat ſuperioris præceptum: *Sed tanto videtur perfectior* (ait ipſe ex Diuo Thoma 2.2. quæſt. 104. artic. 2.) *Quanto expreſſum præceptum obedientiæ præuenit, voluntate tamen ſuperioris intellecta*: ſed hæc ſolutio ex ipſo contextu Diui Thomæ reijcienda eſt, nam Diuus Thomas verbis proximè antecedentibus aſsignans obiectum obedientiæ, vt eſt ſpecialis virtus, de quo erat titulus articuli, ait: *Obedientiæ, vt eſt ſpecialis virtus, eius obiectũ ſpeciale eſt præceptum tacitum, vel expreſſum, voluntas enim ſuperioris quomodocumque innoteſcat, ſcilicèt, implicitè, vel implicitè præcipientis eſt quoddam tacitum præceptũ*: ergo quando dicit: *Quod tanto videtur perfectior obedientia, &c.* Si iuxta cõtextum eſt interpretandus, vt debet, non debet excludi præceptum ſaltèm implicitũ, vel tacitũ, inſinuatũ tamen per aliqua ſigna, & vt verum fatear ſic eſt, quia licet hoc non contingerit in Chriſto, qui omnia præcepta patris expreſſe cognouit, attamẽ obedientia, vt ſic, de qua ſolum in prædicto loco agebat D. Th. non requirit expreſſum ſuperioris præceptũ, nam homines quotidie obediũt ſuis Prælatis ante expreſſum mãdatũ, eo ipſo quod eorũ voluntates per aliqua ſigna exteriora ſubditis manifeſtãtur, & tales homines prõptiores ſunt ad obedientiã, quã alij, qui vt vna vice obediãt, pluribus indigent intimationib⁹, vt cõſtat in practica Religionis, licèt talis obedientia non ſit neceſſaria ad ſalutẽ, ſed ſolũ illa, quæ expreſſum præceptũ expectat in his, quibus tenetur obedire, eſt tamen prõpta obediẽtia, ob quod D. Th. eodem loco art. 5. diſtinxit triplex genus obedientiæ vnũ ſufficiẽs ad ſalutem, & hæc eſt, qua obediunt homines in his, ad quæ tenentur ex vi ſuorum ſtatutorum, alia perfecta, qua obediunt in omnibus, quæ præcipiuntur, eo ipſo quod præcipiantur, quia verũ obediens non reſpicit, quæ præcipiũtur, ſed quia do præcipiuntur, & alia indiſcreta, quę obedit etiam illicitis, non quia præcipiuntur, ſed ob aliud motiuum.

Vlterius contra eandem ſolutionẽ ſic argumentor, quia ſi Chriſtus Dominus non habuiſſet ſpecialẽ voluntatẽ Patris præceptiuam, paſsionis, & mortis eius, niſi ſolã voluntatẽ eius ſimplicẽ, vel determinatiuã paſsionis, & mortis, quam Chriſtus cognoſcebat, vt exequeretur eã, non toties in Scriptura reperiretur illa vox *mãdatũ accepi à Patre*, cũ de paſſione, & morte loqueretur, nã non minus cognoſcebat Chriſtus volũtatẽ Patris prædeterminatiuã, vel ſimultaneã cuiuſcumque actus naturalis, v. g. & propter hanc ſolam voluntatem, quam Chriſtus cognoſcebat, non dicitur in Scriptura habuiſſe *mandatum à Patre*, circa iſtos actus: ergo quando de paſsione, & morte hoc aſſeritur, aliquid aliud præter illam voluntatem neceſſariũ eſt interuenire per modum præcepti.

Adhuc hoc idẽ haud leuitèr cõfirmo; nã vera inobedientia, vt eſt ſpeciale peccatũ, & non generale in omnibus peccatis imbibitũ (quia omnia inobedientiæ materialitèr dicũtur, ſicut omnes actus ſub quolibet præcepto cadentes, dũ implen-

Digitized by Google

plētur, obediētiæ materialitèr dicūtur) non poteſt ſtare ſine transgreſsione veri præcepti, ſeu legis, quod nullus ſanæ mentis negare audebit, quia ſi non eſt lex, ſeu præceptum obligans in conſcientia, eius omiſsio non erit præuaricatio, nec inobedientia formalitèr: ergo vera obedientia, vt eſt virtus ſpecialis, & non generalis, verè importat ſpeciale præceptum, nam virtus, & vitiū immediatè oppoſita circa idem formalitèr verſari debent; aliàs enim oppoſitionem non haberent. Videatur Diuus Thomas tota quæſt. 104. & 105. 2. 2. in quib⁹ nullum verbum habet, in quo non contineatur neceſſarium eſſe ad rationem obedientiæ formalitèr præceptum, quod ex alterius voluntate procedit, ſicut ad rationem inobedientiæ formalitèr, præceptum etiam requiritur, quod formalitèr, vt violandum reſpicit, & clarè conſtabit, Patrem Lorcam minus benè, ne amplius dicam, in Sancto Thoma ſuam ſententiam fundaſſe; fateor tamen, ni tam contrarium Diuum Thomam haberet, ſuæ ſententiæ in parte ſaltèm adhærerem, & libenti animo copularet.

Sed non quieſcit animus, donec in medium adducam Diui Thomæ teſtimonium fundatum in quadam doctrina Diui Gregorij, quod ommittere volebam, eo quod nimiam digreſsionem facimus, dum de obedientia Chriſti ad principia de obedientia in communi reducimur; ex quo loco, & ſi pro obediētia in communi afferatur à Diuo Thoma, ex illo tamen efficax deducam argumentū pro ſpeciali obedientia Chriſti Domini circa paſsionem, & mortē eius; eſt ergo locus ex quæſt. 104. citata art. 2. ad 3. in quo etiam fūdat Pater Lorca ſuam ſingularem ſententiam, poſtquam enim Diuus Thomas aſsignauit pro obiecto obedientiæ præceptum, quod ex alterius voluntate procedit, ſic ait: *Vnde obedientia reddit promptam hominis voluntatem adimplendum voluntatem alterius, ſcilicèt, præcipientis, ſi autem id, quod præcipitur, ſit propter ſe ei volitum, etiam abſque ratione præcepti, ſicut accidit in proſperis, iam ex propria voluntate tendit in illud, & non videtur illud implere propter præceptum, ſed propter voluntatem propriam, ſed quādo illud, quod præcipitur, nullo modo eſt ſecundum ſe volitum, ſed eſt ſecundum ſe cōſideratum propriæ voluntati repugnans, ſicut accidit in aſperis, tunc omninò manifeſtum eſt, quod non impletur, niſi propter præceptum, & ideò Gregorius dicit in moralibus cap. 13. ante medium, quod obediētia, quæ habet aliquid de ſuo in proſperis, eſt nulla, vel minor, quia, ſcilicèt, voluntas propria non videtur principalitèr tendere ad implendum præceptum, ſed ad aſſequendum proprium volitum; in aduerſis autem, vel difficilimis eſt maior, quia voluntas propria in nihil aliud tendit, quam in præceptum.* Hactenus Diuus Thom.

Ex quo loco plura contra Patrem Lorca demonſtratiua deduco. Primū rationem obedientiæ formalitèr præceptum requirere ſtrictum, quod ex alterius voluntate procedit. Secundum, quod deduco eſt, Chriſtum Dominum habuiſſe ſpeciale præceptum, ob quod moueretur ad aſſequendam paſsionē, & mortem, quia paſsio, & mors, non ſolum, quid aſperum, & propriæ voluntati repugnans erat, ſed aſperiſsimum, quod non poterat appeti, & aſſequi propter voluntatē eius, niſi, quia præciperentur. Tertium, quod deduco eſt, quod non potuit Deus res alitèr diſponere, niſi præcipiendo paſsionem, & mortem ex ſuppoſitione, quod vellet (ſicut velle debebat) Chriſtum maiorem, & perfectiorem obedientiam habere, cum maior, & perfectior ſit obedientia in aſſequendis aſperis, & difficilimis, quam in proſperis adimplendis, in quibus *ferè nulla, vel minor obedientia reperitur.* Vt inquit Sanct. Thomas.

Quartum denique, quod deduco, & fortaſis, quod magis ipſum præmeret, ſi videret, eſt, quod hic locus non poſſit interpretari de inſinuatione voluntatis, quam Chriſtus rectè nouerat, quæ eſt eius familiaris ſolutio ad quæcūque loca Sacræ Scripturæ, & Patrum, quod ſic demonſtro; nam Chriſtus Dominus non ſolum cognoſcebat voluntatem illam Patris, qua ſibi aſpera, & difficilia, & propriæ voluntati repugnantia decreuerat, ſed etiam cognoſcebat illam Patris voluntatē, qua ſibi ſuauia, & propriæ voluntati conformia decreuerat, cum non ſit maior ratio, cur vnam voluntatem magis, quam aliam cognouiſſet; atqui illa voluntas, qua Chriſtus ſibi à Patre proſpera decreta

Digitized by Google

ta cognouerat, non habuit rationem præcepti circa proſpera, etenim cum huiuſmodi proſpera propter ſe volita ſint, etiam abſque ratione præcepti: *Iam ex propria voluntate tenderet in illā, & non propter voluntatem Dei præcipientis.* Vt inquit Diuus Thomas ex Gregorio, vel ſi talis voluntas habuit præcepti rationem; obedientia in eorum aſſecutione: *Eſt ferè nulla, vel ſaltèm minor,* vt ex eodem Gregorio inquit Diuus Thomas: ergo cum Diuus Thomas, & Gregorius diſcrimen ponāt inter proſpera, & aduerſa in eorum executione, & aſſerant maiorem obedientiam eſſe in executione aſperorum quam proſperorum, in quibus *fere nulla eſt*, dicendum eſt, quod Chriſtus erga ſuam paſsionē, & mortem habuerit ſpecialem voluntatem Patris præceptiuam, ratione cuius moueretur ad exequendam paſsionem, & mortem, quæ in ſe nullam rationem boni appetibilis habebant, niſi ratione præcepti circa ea impoſiti, & non ſufficere illam voluntatem, quaſi communem decretiuam quarumcumque rerum, & cognitam à Chriſto, cum debuerit operari ex maiori, & perfectiori obedientia, vt ipſe Pater Lorca vult.

Hinc, vt concludam diſcurſum Diui Thomæ, conſiderandum eſt, quod licèt poſsit contingere ſecundum iudicium Dei, qui corda rimatur, quod etiā in proſperis obedientia aliquid de ſuo habens, non propter hoc ſit minus laudabilis, quam illa, quæ de ſuo nihil habet, vt in aſperis, ſed totum à voluntate præcipienti acquirat, vt v.g. cum propria voluntas obedientis, non minus æquè tendat, ac deuote circa impletionem præcepti in proſperis, quam in aduerſis; nihilominus quantum ad nos, & noſtrum iudicium, quod corda non rimatur, ſemper præſumendum eſt, minus obedientiæ eſſe circa impletionem præcepti in proſperis, quam in aduerſis propter fragilitatem naturæ, quæ ſibi nociua, & aſpera ſemper fugit, vel ad minus timet, conuenientia autem ſibi ſemper appetit.

Alia via oſtenditur contra Lorcam impoſitum fuiſſe præceptum rigoroſum circa paſsionem, & mortem.

ARTIC. IV.

RESolutio noſtra, quæ hucuſque contra Lorcam authoritatibus, & rationibus perſuaſit impoſitionem rigoroſi præcepti in Chriſto circa paſsionem, & mortem, iam iam contra eundem rationibus alijs idemmet perſuadere intendo, quam ſic primam compono à deſtructione ſui fundamenti; nā ſi propter aliquam rationem Chriſtus non habuiſſet rigoroſum præceptum moriendi, maximè, vt faciliori, & ſuauiori modo defenderetur Chriſti meritum ſimul cum libertate, & eius impeccabilitate in actu moriendi, vt ipſe docet num. 20. & 21. loco citato ſuperius, atqui hæc ratio æqualem vim habet, ne dicam maiorem in ſua ſententia: ergo ob eam non debet à tam communi ſententia, ſicut noſtra eſt, recedere. Minor duplici via iuxta ſua principia oſtenditur; primo enim hoc loco num. 31. ipſe ſaluat ſuaui, & facili modo componi adimpletionem præceptorum ad legem naturalem expectantium, ſine eo quod talia præcepta obſtent merito, libertati, & impeccabilitati Chriſti: ergo vel hoc debet negare, quod neſcio an tute fieri poſsit, vel noſtram reſolutionem profiteri, vel ad minus æqualem vim habere ſuū argumētum in ſua ſententia, ac in noſtra.

Secundo eandem minorem ex alio Ipſius principio non inefficacitèr oſtendo, nam ipſe 1.2. diſp. 21. de gratia concluſione 2. concedit gratiæ efficaciam antecedentem ſaltèm prioritate naturæ ad actum, prout à voluntate creata ortum. Tùm ſic, maior eſt determinatio gratiæ in ordine ad actum liberè faciendum, vtpotè determinatio per modum principij intrinſeci, quam eſt determinatio præcepti in ordine ad actū præceptū, vtpotè determinatio per modum principij extrinſeci, quale eſt præceptum, atqui cū illa determinatione ſimul componit ille meritū, libertatē, impeccabilitatē in Chriſto, qui etiam egebat tali gratia ad actus ſupernatura-

Digitized by Google

les eliciendos: ergo cum iſta determinatione orta ex præcepto optimè componetur meritum, libertas, & impeccabilitas Chriſti.

Secunda ratio, quam contra Lorcam compono ſic ſe habet; idem inconueniens ſequitur expoſitione ſui præcepti improprii conſiſtentis in illa voluntate, qua fuit decreta mors Chriſti, quam Chriſtus cognoſcens fuit executus, moriendo, ac ſequitur expoſitione noſtri præcepti proprii, & rigoroſi conſiſtentis in alia ſpeciali voluntate, qua præcepta fuit Chriſto mors: ergo eadem ratio, quam contra nos format, ſi vim habet, vim habet contra ipſum. Antecedens, niſi fallor, efficacitèr perſuadeo; nam illa voluntas, qua in eius ſententia fuit decreta talis mors, erat efficax antecedentèr ad actum moriendi Chriſti, ſicut, & gratia efficax eſt in eius ſententia antecedentèr ad actum; prout à voluntate ortum: ergo vel Chriſtus ſe illi conformauit in actu moriendi abſque læſsione libertatis, meriti, & impeccabilitatis, ita vt verificaretur, quod ſtante tali voluntate decretiua mortis poſſet non mori, poſſet non mereri cum tali actu retinendo impeccabilitatem, vel non ſe conformauit tali voluntati abſque tali læſsione, & abſque talium propoſitionum verificatione; hoc ſecundum negatur ab ipſo, cũ fateatur ſe talem modum præcepti inueniſſe, vt facili, & ſuaui modo cum ipſo compateretur libertas, meritum, & impeccabilitas: ergo primum neceſſariò debet dici: ergo ex tali modo ponendi præceptum in illa voluntate decretiua (quod ipſe præceptum impropriũ appellat) in eaſdem incidit anguſtias, quas vitare contendit iuxta contrariã ſententiam, iuxta quam Chriſtus adhuc poſito rigoroſo præcepto circa mortem poterat non mori in tali actu, retinendo ſemper impeccabilitatem, vel ſi iuxta ſuam ſententiam poterat non mori, & poterat non ſe conformare voluntati efficaci, ſine eo quod poſſet peccare; quid mirum, ſi iuxta noſtram, poſſit non mori poſito præcepto, ſine eo quod poſſet peccare, vel ſi iuxta noſtram ſententiam, vult ipſe, quod non poſſet non mori, ſine eo quod poſſet peccare, cur iuxta ſuam poſſet non mori, ſine eo quod poſſet peccare? nam ſicut iuxta noſtram, non poſſet actu non peccare, ſi actu non moreretur, quia tenebatur implere præceptum, ex quo ipſe arguit ab actu ad potentiam, quod ſi poſſet non mori, poſſet peccare; ſic iuxta ſuam poſſemus arguere, ſi actu non ſe conformaret tali voluntati efficaci decretiuæ mortis, actu peccaret, quia tenebatur conformare ſe voluntati efficaci Dei: ergo ſi poterat non conformari, poterat peccare, nam æquè conuincit argumentum in hoc caſu ab actu ad potentiam, ac perconſequens nullum inconueniens adducere poteſt in noſtra ſententia, quod non ſequatur ex ſua, ac proinde reijcienda eſſet hac de cauſa, etiam ſi aliæ rationes non ſupperent, & aliæ congruentiæ, quas iã pono, non ſtarent.

Denique extant pro noſtra ſententia, quam plurimæ congruentiæ, quarum prima eſt, quam adducit Diuus Thomas 3. part. quæſtion. 47. artic. 2. ex Apoſt. ad Roman. 5. quas nos tetigimus articulo præcedenti, congruum enim fuit, vt ſpeciale præceptum obedientiæ Chriſtus circa mortem haberet, vt ſicut per inobedientiã primi hominis genus humanum perierat, ita per impletionem obedientiæ ſecundus homo, ſcilicèt, Chriſtus, idem genus humanum ſaluaret; congruum etiam erat, vt tale præceptum Chriſti imponeretur, vt eius meritum creſceret, cum eo pacto meritum creſcat, & augeatur quo creſcit, & augetur motiuum, & actus, quo præcepto deficiente, motiuum, & actus Religionis deficeret; congruũ etiam fuit, vt magis ſe monſtraret Chriſtus Patri ſubiectus, & magis oſtenderet ſuum eximium erga Patrem amorem; tanto enim quis ſuum explicat affectum erga Filium, quanto magis illi ſe ſubmittit, & nihil facit, niſi ex illius præcepto, vel mandato.

Ad-

Digitized by Google

Aduerſa fundamenta ſoluuntur.

ARTIC. V.

CÆterum in ſui fauorem opponunt primo aduerſarij, quam plura Patrum teſtimonia, quæ ſatis difficilia adducit Lorca, quibus docere videntur nullum rigoroſum præceptum fuiſſe Chriſto impoſitum circa Paſsionem, & mortem, Chryſoſt. enim Homil. 59. in illa verba Ioannis: *Hoc mandatū accepi, &c.* ait, *nihil aliud hoc loco præceptum ſignificat, quam cum Patre concordiam,* & Homil. 75. in illud, *ſicut ego Patris mei præcepta ſeruaui,* ait: *Rurſum humano modo loquitur, neque enim Legiſlatorem legi opportuit eſſe ſubditum,* & Homil. 28. in illud Hebræorum, *propoſito ſibi gaudio, &c.* ait, *licebat illi nil pati, ſi voluiſſet.* Ergo ex mente Chryſoſt. Chriſtus non habuit aliud præceptum circa mortem, quam conformari ſe voluntati efficaci Patris.

Reſpondeo, nihil minus ſequi ex Chryſoſt. quam quod Author intendit, nam in eo loco, quem truncatum adducit Pater Lorca, expreſsè præceptum fatetur Chryſoſt. contextus enim Sancti ſic ſe habet. *Hoc præceptum accepi à Patre meo, quodnam? mori pro mundo; priùs ne ergo accepi, & inde parui? priùs quid eſt faciendum, vt dicere opus habuit? & quis non expers rationis hoc dixerit.* Quibꝰ clare fatetur accepiſſe à Patre præceptum moriendi pro mundo, ideò hoc loco dicit Chriſoſt. præceptum ſignificare concordiam voluntatis cum Patre, quia ibi agebat contra quoſdam Hæreticos aſſerentes voluntatem Chriſti, & Patris in negotio Redemptionis fuiſſe omninò diſcordes; ita vt Chriſtus mortuus fuerit contra voluntatem Patris mortem præcipientis, neque aliquod temporis fuiſſe interuallum, in quo voluntas Chriſti non ſignificaret concordiam cum voluntate Patris præcipientis; quæ erat altera erroris pars. & ideò proſequitur: *Prius ne ergo accepi, & inde parui, &c.*

In ſecundo autem teſtimonio loquitur Chryſoſtomus de præceptis legis antiquæ, vel Euangelicæ, quibus Chriſtus non fuit ſubditus; vel loquitur contra Arrianos aſſerentes, Chriſtum adhuc ratione ſuppoſiti eſſe inferiorem Patre; contra quem errorem ait, Chriſtum vt ſic non habuiſſe, nec ſubditum eſſe aliquo præcepto, cum ſit Legiſlator ſimul cum Patre. Tertium autem teſtimonium, quod maiorem habet difficultatem, eo quod id, quod præceptum eſt, non licèt omittere, ſic exponendum eſt; quod hic ſolum volebat Chryſoſt. explicare libertatem Chriſti ſimul cum præcepto componi, quod colligo ex conſequentia, quam infert ex prædictis verbis: *Erat igitur arbitrij eius non venire ad mortem, ſi voluiſſet,* vndè illa particula *licebat*, licèt ex ſe vim haberet inferendi non fuiſſe impoſitum Chriſto præceptum, quia tamen de facto hoc non intulit, intelligenda eſt, ſecundum quod conſequens petebat, vt inferretur, quod eſt idem, ac poterat pati, ſi voluiſſet, & vno ex his modis aſsignatis interpretanda ſunt aliaquam plurima loca, quæ adducit Pater Lorca ex Patribus Cyrilo, ſcilicèt, Theophilato, Euthimio, & Anſelmo.

Opponunt ſecundo teſtimonium Diui Thomæ à nobis allatum ſupra ex 2.2. quæſt. 104. artic. 2. vbi ait: *Voluntas ſuperioris quomodocumque innoteſcat, eſt quoddam tacitum præceptum, & tanto videtur obedientia perfectior, quanto expreſſum præceptum obediendo præuenit, ſuperioris voluntate intellecta.* Ergo cum Chriſto debeat concedi perfectior modus obediendi, negandum eſt expectaſſe præceptum expreſſum circa mortem, & concedendum præciſsè improprium, conſiſtens in illa inſinuatione Patris, tanquam ſuperioris. Confirmant hoc etiam ex Bernardo libro de præcepto & diſpenſatione, vbi hæc habet: *Perfecta obedientia legem neſcit, terminis non arctatur.* Vbi concedit non eſſe adſtrictam legibus, & præceptis perfectam obedientiam.

Reſpondeo in primis Diuum Thomam non dixiſſe illa verba, vt adducuntur à Lorca, & à me hic ex ipſo propoſita ſunt; non enim dicit Diuus Thomas, ibi: *Tanto videtur obedientia perfectior, quanto, &c. ſed tāto videtur obediētia promptior, quanto, &c.* & in hoc ſenſu verum eſt, promptiorem obedientem eſſe illum, qui, dum cognoſcit ſuperioris voluntatem per aliqua ſigna externa, non expectat expreſſe mandari;

Digitized by Google

ri; hoc tamen non tollit, quin requirat obedientia ſemper præceptum, vel expreſſum, vel implicitum, & in eodem loco expreſsit Diuus Thomas, ſiquidē dixit: *Voluntas ſuperioris eſt quoddam tacitum præceptum*; hoc autem præceptū implicitum in Chriſto non poteſt verificari, qui omnia expreſſe à Patre decreta, & mandata cognouit. Deinde, quia dato, quod poſſet reperiri vera obedientia cum ſola executione operis inſinuati à ſuperiore; vt tamen creſcat meritum obedientiæ, vt creſcere decebat in Chriſto, neceſſaria eſt lex, & mandatum præcipiens.

Ad locum autem Bernardi dic, perfectam obedientiam legem neſcire, nec terminis arctari, quia in qualibet re, & materia poteſt reperiri meritum obedientiæ adhuc in rebus leuiſsimis, imò indifferentibus ex ſe, ſi fiat, vt ſuperiori obediatur, magis, vel minus pro qualitate rei mandatæ, ſicut magis, vel minus laudabilis eſt obedientia pro qualitate maiori, vel minori ſuperioris, cui obeditur, vndè magis laudabilis eſt obedientia, qua obedimus mādatis Dei, quam illa, qua mandatis hominum obtemparamus, vt docet Diuus Thomas 2.2. quæſtion. 104. articul. 3. ad 1. cum quo tamen ſtat, quod ſit vna ſpecialiſsima virtus, prout reſpicit præceptum vt ſic, abſtrahens ab hoc, vel illo ſuperiori, vel ab hac, vel illa materia, vt ibidem præclare docet Diuus Thom. ſicut enim omnes actus paſsionis Chriſti Domini, licèt ad diuerſas virtutes pertinerent pro diuerſitate materiæ, tamen ab vna indiuiſsibili virtute Iuſtitiæ ortum habebant, quatenus omnes illi ordinabantur ad reſartiendum damnum illatum per peccatum, ita omnes iſti huiuſmodi actus, licèt ad diuerſas virtutes pertinerēt pro ſpecialitate materiæ, omnes tamen ab eadem indiuiſibili virtute obedientiæ ortū habebant, quatenus omnes ordinabantur ad implendam voluntatem Dei paſsionem, & mortem præcipientis.

Opponunt tertio ex alio loco Diuo Thomæ 2.2. quæſt. 88. art. 4. ad 3. vbi dicit: *Quod Chriſto non competebat vouere, quia eius voluntas erat firmata in bono*. Ex quo loco ſic argumentatur Lorca, tota ratio, ob quam Chriſto non cōpetebat vouere, eſt, quia eius voluntas erat firmata in bono, ſed hoc, quod eſt voluntatem eſſe firmatam in bono, non minus opponitur cum obligatione operandi ex voto, quam operandi ex præcepto, nam cum eſſe voluntatem firmatam in bono, vt explicat ibidem Diuus Thomas ad 1. ſit: *Voluntatem non poſſe deficere à bono, nec poſſe peccare*, & hoc eodē modo dicat oppoſitionē cū natura Chriſti, & ei opponetur, ſiuè votum Chriſtus haberet, ſiuè haberet præceptum, quia eius voluntas ſemper erat firmata in bono: ergo ſicut Chriſto Domino negatur votum, debet etiam, & præceptum ipſi negari, vel ſi præceptum conceditur Chriſto Domino, & votum concedi debet, quia æqua eſt vtriuſque ratio.

Reſpondeo in primis, hoc argumentum etiam militare contra ſuam ſententiam, iuxta quam Chriſtus habuit præcepta ſaltèm legis naturalis cum obligatione operandi ex illis orta, & obid non concedit ipſe Chriſtum habuiſſe votum; vndè pro omnibus dico, diuerſam eſſe rationem de voto, ac de præcepto; nam votum directè reſpicit firmare voluntatem in bono, & firmare illam ſupponit defectibilitatem, alias nō firmaretur, nec tali indigeret firmitate; quare cum Chriſtus nunquam defectibilitatem haberet, quæ firmitate in bono indigeret, ideò non competebat illi voluntatem eius in bono firmare, nec vouere, vel voto adſtringi; at verò præceptum directè non reſpicit firmare in bono voluntatem, ſed ſubiectionem ad ſuperiorem, vt conſtat in Beatis, qui licèt firmati ſint in bono, poſſunt adſtringi præcepto aliquo Dei; vndè cum Chriſtus ſuperiorem haberet Patrem, cum ſecundum quod homo non eſſet prima regula, ideo erat iuxta naturam illius, vel ſaltèm non erat extra naturam impoſitio præcepti, & adſtrictio circa illud bonum, in quo erat eius voluntas firmata, vt perfectiori modo operaretur per augmentationem meriti operando circa illud bonum ex motiuo obedientiæ, & Religionis.

Opponunt quarto, & principalitèr, ſi Chriſtus haberet ſpeciale præceptum circa paſsionem, & mortem, vel poſſet non adimplere tale præceptum, vel non poſſet illud non adimplere, ſi pri-

primum, poſſet peccare, quia poſſe non adimpiere præceptum, ad quod quis obligatur, eſt poſſe peccare, ſicut non adimpletio eſt peccatum; ſi ſecundum: ergo non libere, ſed neceſſariò illud adimpleuit, quia non poſſe non adimplere præceptũ, eſt neceſsitari ad adimpletionem, vtrumque autem in conueniens eſt, ne ergo in illa incidamus tollẽdum eſt de medio præceptum à Chriſto circa paſsionem, & mortem eius: ergo intentum.

Hoc argumentum eſt, quod faceſcit negotium plurimis viris aliàs doctiſſimis, quod, & in numeris alijs adaptatur materijs, ex cuius ſolutione dependent quam plurimæ aliæ difficultates Theologicæ ſoluendæ, ob quod aliquã tulum in eius ſolutione immorabimur. Et in primis ante quam varias adhibeã ad illud ſolutiones, & meliorem eligã, non poſſum non mirari, tantos viros tantam vim poſſuiſſe in illo, quod vt iudico, inſtari poteſt in qualibet materia formetur contra eoſdem Authores, & ne nimiam digreſsionem faciamus, ſic inſto in materia, de qua agimus, ex cuius inſtantia poteſt deduci inſtantia in qualibet alia materia; primò enim in præceptis naturalibus, quibus Chriſtus Dominus ſubiectus fuit, & nihilominus omnes iſti Authores ſaluant in eorum adimpletione libertatẽ, & impeccabilitatem Chriſti: ergo ratio præcepti non obeſt libertati, & impeccabilitati Chriſti Domini, & ſi in noſtro caſu obeſt, reſpondeant ipſi ad argumentum de actibus adimpletiuis præceptorum legis naturalis.

Inſtatur ſecundo in ſententia Lorcæ, quam impugnamus; nam vel Chriſtus poterat ſe non conformari voluntati efficaci Dei, qua decreta fuit eius mors, vel paſsio, quam voluntatem Chriſtus euidentèr cognoſcebat, vel non poterat non ſe conformari illi; ſi primum, poſſet peccare, nam ſicut actu non ſe conformare cum voluntate efficaci Dei euidentèr cognita, eſt actu peccatum, ita poſſe non ſe conformare, erit poſſe peccare; ſi ſecundum: ergo Chriſtus neceſsitabatur ad ſe conformandum cum voluntate efficaci Dei, nam neceſsitari nihil eſt aliud, quam non ſe conformare, vel non poſſe non omittere conformationem, ergo argumentum æquè in vtraque ſententia Lorcæ, ſcilicèt, & noſtra currit.

Variæ ponuntur ſolutiones huic argumento, & impugnantur.

ARTIC. VI.

PRimo igitur Cabrera, vt prædictam difficultatem eneruet hic diſp. 4. duplex diſtinguit præceptum, quo poteſt quis obligari ad aliquid agendum; vnum coarctiuum, id eſt impoſitum à ſuperiore independentèr omninò à voluntate illius, cui imponitur; alterum directiuum, quod, licèt ſit etiam à ſuperiore, eſt tamen dependentèr aliquomodo à voluntate illius, cui imponitur, & hoc genere præcepti ſolent vti ſuperiores cum Religioſis magnæ authoritatis, ſcilicèt, fac hoc, vel illud, ſi non ſit contra tuam voluntatem; inquit ergo Cabrera Chriſto Domino fuiſſe impoſitum præceptum de morte hoc ſecundo modo; non primò, ad quod fundandum plura, nec ignobilia adducit Scripturæ, & Patrum teſtimonia; dicitur enim, & Iſaiæ 53. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*; dicitur etiam apud Rupertum lib. 6. in Ioan. *Quare ergo ponis pro omnibus animam tuam, cum poteſtatem habeas eam non ponendi?* & apud Auguſtin. libr. 4. de Trinitate cap. 13. ex eodem loco Ioannis colligit: *Qui potuit non mori, ſi nollet, procul dubio, quia voluit, mortuus eſt.* Quibus, & alijs locis concludit numer. 121. neceſſarium fuiſſe, vt hoc modo imponeretur præceptum, vt ſaluaretur libertas Chriſti Domini cum eius impeccabilitate.

Verùm hæc doctrina, ex qua ſufficientèr videtur ſolui propoſita difficultas, ex eo mihi ſemper diſplicuit, quia dum intendit excludere à Chriſto Domino illud primum genus præcepti, ſcilicèt coarctiui, vt ſaluet libertatem cũ impeccabilitate, contra ſe ipſum agit, ac in eaſdem incidit anguſtias, ac ipſe putat nos incidere, qui præceptũ coarctiuum adſtruimus. Primum ex eo mihi perſuadeo, quia etiam ſi prædeterminatio phyſica detur à Deo independentèr à cauſa ſecunda libera, niſi tanquam à ſubiecto, in quo exercetur, non ex hoc in eius ſententia libertatem tolit, quia

quin potiùs pluribus demonſtrat eam perficere: ergo ex eo quod in Chriſto admittatur præceptum coarctiuum, ſcilicèt, impoſitum à Deo independenter à voluntate Chriſti, niſi tanquam à ſubiecto in *quo*, non benè arguitur iuxta ſua principia libertatem tollere, patet conſequentia, quia hoc præceptum ipſe comparat prædeterminationi loco citato num. 83. & 84. ac per conſequens ex hoc capite ſui immemor, recurrit ad præceptum directiuum, vt libertatem Chriſti cum eius impeccabilitate componat hic Author.

Secũdũ in eaſdẽ, ſcilicèt, anguſtias ipsũ cũ ſuo præcepto incidere, ac ipſe putat nos incidere cũ noſtro, ex eo etiã mihi clarè perſuadeo, quia dato, quod tale præceptũ ita ſit impoſitũ vt ipſe, putat, & loca Sacræ Scripturæ, & Patrũ, quod ipſe vult, probent (quod falſum eſt, quia ſolum volunt liberum adhuc mãſiſſe Chriſtum in eius oblatione ad mortem) hoc, ſolum conuincit, quod in acceptatione præcepti fuerit Chriſtus liber, non tamen in elicientia actus poſt talem acceptationem; etenim poſt acceptationem præcepti eius impletio obligat in conſcientia peractus. Tùm ſic, vel poteſt adhuc non adimplere, & nõ obedire, vel nõ poteſt nõ adimplere & non obedire; iam enim illud præceptum, quod in acceptatione, & vſque ad acceptationem directiuum tantũ fuit, ſuppoſita tamen acceptatione incoarctiuum tranſit, à quo non poteſt Chriſtus liberari; ſi primum: ergo poteſt peccare, ſi ſecundum; ergo non manet in Chriſto libertas: ergo in eaſdem incidit anguſtias, & eodem modo ipſe tenetur cum ſuo modo præcepti ad argumentum reſpondere, ac nos iuxta noſtrum tenemur, & totus hic diſcurſus ex eo maius robur accipit contra Cabreram, quia in præceptis naturalibus Chriſti Domini, quæ non fuerunt poſita dependentèr ab eius voluntate, quia intrinſicè malum eſt oppoſitum eorũ, ſaluare debet ipſe libertatem cum impeccabilitate Chriſti.

Quare ſecundo alij difficultatem propoſitam ſoluere conantur dicendo Chriſtum Dominum habuiſſe præceptum de ſua morte quoad ſubſtantiam, non tamen quoad circunſtantias, aut motiuum determinatum, aut voluntatis intenſionem, aut ſingularitatem actus; potuit enim ſtante præcepto circa ſubſtantiam mortis, circa quam non fuit libertas, quia præcepta erat, vt hic Authores docẽt, mori ex alio motiuo, cum alia intenſione, & alio numero actu, quia hæ circunſtantiæ non cadebant ſub præceptum; ſic in terminis Vazquez diſp. 74. cap. 5. & Fonſeca 6. Methaf. cap. 2. quæſt. 5. quibus ſubſcribunt plurimi Recentiores apud Monteſinos 1.2. quæſt. 104.

Verùm hunc modum ſoluendi difficultatem optimè reijcit Lorca loco citato num. 24. in hunc modum. Nam iuxta illum difficilimè, & extortè explicantur plura loca, imò, & omnia Sacræ Scripturæ, & Patrum, quæ abſolutè, & ſimplicitèr tribuunt noſtram Redemptionem morti Chriſti, & eius Paſſioni; nullus enim eſt Sacræ Scripturæ, & Patrum locus, qui inſinuet propter mortis circunſtantias nos redemiſſe Chriſtum, quod ſequeretur formalitèr ex illorum modo dicendi; nam meritum, & Redemptio Chriſti non fuerũt libera formalitèr, niſi ratione circunſtantiarum meriti, & Redemptionis iuxta hunc modum dicẽdi: ergo in ſenſu formali erit verum dicere, Chriſtũ meruiſſe noſtram Redemptionem non ratione mortis abſolutè, quia non fuit libera, ſed ratione circunſtantiarum eius, quæ ſolum liberæ fuerunt, ſi enim (inquit, & optimè Lorca) ſolum propter nimiam intenſionem affectus peccaret aliquis, & non propter ſubſtantiam affectus præciſè ſumptam, non rectè diceremus de illo, abſolutè, & ſimplicitèr, iſte peccauit, quia amauit, ſed quia ſic amauit, & idem eſt, ſi id contingeret in aliquo actu meritorio.

Et tota ratio huius eſt, quia ratio libertatis eſt per ſe, & eſſentialitèr requiſita ad rationem de meriti, ſicut ad rationem meriti: ergo non poteſt alicui conuenire ratio meriti, niſi eo modo, quo conuenit illi ratio libertatis. Tùm ſic iuxta hunc modum, ratio libertatis non conuenit morti Chriſti abſolutè, & ſimplicitèr, niſi cum addito, ſcilicèt, vt circunſtantionatæ: ergo abſolutè, & ſimplicitèr non poteſt dici, Chriſtum nobis meruiſſe redemptionẽ per mortem ſuam, ſed cum addito prædicto: mitto contra hunc modum, quem li-

Digitized by Google

liber actum ſingularem, & cum ſua circunſtantia circa mortem ſub præceptum cecidiſſe, iuxta illud Ioannis 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio*, id eſt, ſicut operor in particulari, ſic accepi à Patre mandatum, quia ad ſpecialiſsimam Dei prouidentiam pertinebat omnes circunſtantias in particulari, vt de facto euenerunt, præcipere, quas omnes, vt de facto contigere, cōprehenſiuè, & euidentèr cognoſcebat, vel ſaltèm negari non poteſt, potuiſſe omnes à Patre præcipi, in quo caſu recurrendum eſſet ad alium modum conciliandi libertatem cum impeccabilitate Chriſti: ergo, &c.

Tertiò denique communitèr iam Patres Societatis, vt componant libertatem cum impeccabilitate Chriſti ſuppoſito præcepto, quod concedūt Chriſto circa paſsionem, & mortem eius, alium excogitauerunt ſolutionem dicentes, quod in tantum Chriſtus fuit liber in moriendo ſuppoſito præcepto circa mortem eius, in quantum poterat à Deo impetrare diſpenſationem talis præcepti, & ſic poſito præcepto poterat mori, & non mori libere, quia poterat, & non poterat petere diſpenſationem talis præcepti; ſic Cardinalis Lugo tom. de Incarnat. diſp. 26. ſect. 8. à num. 102. Arriaga ibidem diſp. 42. de libertate Chriſti ſub ſect. 7. à num. 32. & Alderete ibidem diſp. 76. ſect. 9. itaque omnes iſti Authores, & ferè omnes eiuſdē familiæ docent, quod in inſtanti antecedenti ad mortem poterat Chriſtus diſpenſationem præcepti à Deo petere, & eam obtinere, & ita poſito præcepto libere obediſſe, quia præceptum non obligabat ad acceptandam mortem in hoc inſtanti, quare in hoc inſtanti non habebat Chriſtus neceſsitatem aliquam phyſicam patiendi tunc, nec etiam poſtea; non quidem patiendi tunc, quia præceptum non erat patiendi, vel acceptandi tunc; ſed neque habebat neceſsitatem phyſicam patiendi poſtea, quia licèt iā eſſet poſitum præceptum, & in ſenſu compoſito præcepti non poſſet non mori, poterat tamen poſt poſitionem præcepti tollere illum ſenſum compoſitum impetrando à Deo diſpenſationē talis præcepti, & mortem ſimplicitèr impedire iuxta illud Matth. 26. *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meū, & exhibebit modo mihi pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Quibus verbis, (inquit Lugo loco citato) Chriſtus correxit ignorantiam Petri, qui videbatur ſentire, Chriſtum non potuiſſe vitare paſsionem, & Crucem; docuit autem eum Chriſtus, ſe vtique poſſe tunc illa omnia impedire, & impetrare à Patre, quidquid ad hoc eſſet opus, ac perconſequens poterat impetrare ablationem præcepti, nam ſtante præcepto non poſſet impetrare eius violationem; hucuſque ferè verbalitèr Cardinalis Lugo, & eius doctrina fidelitèr relata.

Verùm hanc doctrinam optimè impugnat Reuerendiſsimus Pater Ioannes Antonius Velazquez ex eius ſocietate in Commentarijs Epiſtolæ ad Philip. cap. 2. verſ. 9. num. 8. qui videri poteſt; & eam etiam ſic impugno. Primò, quia Chriſtus Dominus vere fuit liber, & merens in obſeruatione, & impletione præceptorum naturalium, & nihilominus non poterat eorum diſpenſationem à Deo petere: ergo ſine tali recurſu Chriſti ad petitionem diſpenſationis præcepti moriēdi poterat liber manere, & mereri in actu moriendi. Si autem dicatur, quod dicit Lugo loco citato num. 112. quod Chriſtus non fuit liber in adimpletione præceptorum naturalium quoad ſubſtantiam operis, ſed quoad circunſtantias intenſioris actus moriēdi, &c. Tùm ſic: ergo poterit etiam dici in eius ſententia, quod Chriſtus non meruit, nec fuit liber in actu moriendi quoad ſubſtantiam, ſed quoad circunſtantias mortis, huius, ſcilicèt, actus intenſioris, & huius mortis, loci, & inſtantis ſine recurſu ad petitionem diſpenſationis, quod eſt contra eius doctrinam, tùm in fine prædicti numeri aſſerentis, quod Chriſtus in obedientia mortis, non ſolum meruit, & laudatur, quia mortuus eſt hoc tempore, & loco, &c. Sed, quia voluit mori ſimplicitèr; tùm etiam, quia ipſe à num. 83. impugnat ſolutionem Authorum, qui aſſerunt ratione circunſtantiarum mortis Chriſti fuiſſe liberum in moriendo, non ratione mortis ſecundum ſe.

Secundò impugnatur prædicta doctrina, ex eo quod, vel libertas, & meritum

Digitized by Google

tum Chriſti ſtetit in ipſa acceptatione præcepti, cum poſſet illud non acceptare, vel quia poſt acceptationem potuit à Deo petere diſpenſationem talis præcepti; ſi primum dicatur, videtur incidere hanc doctrinam cum doctrina Cabreræ, quod poſitum fuerit præceptum Chriſto dependentèr à ſua voluntate acceptante, vel non acceptante, quod eſt ponere Deum præceptum directiuum Chriſto, non coarctiuum, quod ſupra impugnatum eſt contra Cabreram: ſi ſecundum, ſcilicèt, quod poſt acceptationem talis præcepti potuit Chriſtus petere à Deo diſpenſationem, & ablationem eius; tùm ſic, tale præceptum poſt acceptationem illius iam obligabat Chriſtum in conſcientia: ergo in conſcientia non potuit non mori, ſiquidem in conſcientia tenebatur obedire Patri præcipienti: ergo non manebat liber ad actũ moriendi quoad ſubſtantiam; quod eſt argumentum apud ipſos difficile, quod faciunt communitèr contra Thomiſtas; ſi autem potuit non mori, quia potuit diſpenſationem petere præcepti: ergo libertas ſolum fuit circa petitionem diſpenſationis, quam potuit Chriſtus petere, non circa actum moriendi quoad ſubſtantiam ſuppoſito iam præcepto acceptato: ergo in rigore loquendo non meruit, nec laudatur Chriſtus, quia voluit mori ſimplicitèr, ſed quia non petiuit diſpẽſationem præcepti, cum poſſet; ac per conſequens non erit verum dicere, abſolutè, & ſimplicitèr, quod Chriſtus nos redemit per paſsionem, & mortem eius, ſed quia non petiuit diſpenſationem præcepti impoſiti circa eandem paſsionem, & mortem: ergo hic modus explicandi libertatem Chriſti cum eius impeccabilitate videtur, quod in eaſdem anguſtias incidit, ac ipſi putant incidere communitèr Thomiſtas in modo eorum explicandi libertatem cum impeccabilitate, vel quod talis modus coincidit cum modo explicandi libertatem Chriſti propter ſolas circunſtantias mortis, quem modum ipſe Lugo tantopere impugnat.

Vlteriùs, nam Chriſtus Dominus rectè nouerat voluntatem Patris præcipientis paſsionem, & mortem, vt in confeſſo eſt apud omnes; tùm ſic, vel illam nouerat præcipientem mortem ſecundum ſe, & independentèr à voluntate Chriſti, vel cum tali dependentia, vt mortem præciperet ſub tali conditione, quod Chriſtus peteret, ſi vellet, diſpenſationem talis præcepti, quod Pater imponebat Chriſto; primum dici non poteſt in horum Authorum ſententia, ſiquidem, vt ſaluent libertatem in Chriſto in ſenſu compoſito præcepti, recurrunt ad hoc, quod poterat in inſtãti antecedenti ad mortem petere à Deo diſpenſationem præcepti impoſiti, & tollere illum ſenſum compoſitum impetrando talem diſpenſationem; quia, niſi hoc modo, non poſſunt intelligere libertatem in voluntate Chriſti in ſenſu compoſito cum præcepto: ergo totum præceptum paſsionis, & mortis Chriſti reducitur non ad Patrem præcipientem, ſed ad voluntatem Chriſti acceptantem tale præceptum, cum poſſet non acceptare, & potentem poſt acceptationem diſpenſationem impetrare: ergo non fuit mortuus ex obedientia Patris præcipientis, ſed ex ſua voluntate, quia ipſe voluit, non quia Pater præcepit. Quare mallem concedere in Chriſto non fuiſſe aliquod præceptum ſpeciale à Patre impoſitum circa paſſionem, & mortem eius, ſed ſolum inſinuationem voluntatis Patris, quam Chriſtus rectè nouerat, vt docet Mag. Lorca; quam admittere ſpeciale præceptum, vt iſti Authores admittunt, & recurrere ad impetrationem diſpenſationis illius, vt ſaluetur libertas, & impeccabilitas Chriſti, præcipuè cum detur modus eas conciliandi ſuppoſito rigoroſo præcepto impoſito Chriſto à Patre, quod art. ſequenti explicabimus fortè ſingularitèr iuxta communem Thomiſtarum ſententiam.

Denique ex eo mihi non placet prædicta horum Authorum doctrina, quia dum per hunc modum conciliandi libertatem cum impeccabilitate Chriſti ſe putant eximi ab inconuenienti, quod contra Thomiſtas inferunt, in illud plane incidunt, quod ſic ſuadeo; nam poſito præcepto, & non petita diſpenſatione eius, ſicut eam non petiuit Chriſtus, ſi non obediret, peccaret, quia contra præceptum impoſitum faceret, non petita diſpenſatione: ergo ſi potuit non obedire, in quantum potuit petere diſpenſationem, & non petiuit, potuit peccare-

care, nam ab actu ad potentiam benè valet conſequentia, ſicut ipſi arguunt communitèr contra Thomiſtas, ac perconſequens in Scyllam ipſi incidũt, cupientes vitare Carybdim, & reſpondere tenentur ad argumentum, quod tanti faciunt contra Thomiſtas. Pro omnium ergo reſponſione ſit ſequens articulus.

Quid libertas, quid potentia peccandi pro difficultate ſoluenda?

ARTIC. VII.

RESolutio prima ſit, libertas ſecundum ſe realitèr eſſentialitèr diſtinguitur à potentia peccandi; ratio eſt, quia nullum maius ſignum diſtinctionis, quam ſeparatio realis; atqui ratio libertatis realitèr ſeparatur à ratione potentiæ peccandi, vt patet in Deo, qui ſumme, & perfectiſsimè liber eſt ſine aliqua potentia peccandi, vt fides docet, & in Chriſto, in quo apud omnes datur vera libertas, & non datur potentia peccandi, vt docet Diuus Thomas in 3. quæſt. 2. diſtinct. 12. art. 2. niſi materialitèr in hoc ſenſu, inquit: *Vt dicatur habere potentia peccandi, quia habet potentiam, quæ in alijs eſt potentia peccandi*: ergo realitèr diſtinguntur.

Vlteriùs à priori ſic poteſt reſolutio probari; nam potentiæ eſſentialitèr diuerſificantur per diuerſitatem obiecti formalis, atqui obiectum formale libertatis, ſeu potentiæ liberæ eſt ens abſtrahens à phyſico, vel morali ſub ratione indifferentiæ propoſitum, quod poteſt proſequi, vel fugere voluntas abſtrahẽdo à merito, vel demerito, obiectum autẽ formale potẽtiæ peccandi ſemper eſt ens morale formalitèr, vt tale, & vt ſub lege cadit, erga quod talis potentia poteſt ſe exercere: ergo eſſentialitèr diuerſificantur.

Reſolutio ſecunda ſit, prædicta diſtinctio ſimilis eſt diſtinctioni, quæ reperitur inter ſubiectum, & accidens; ratio eſt: nam diſtinctio, quæ reperitur inter potentiam liberam, & præceptum eſt per modum ſubiecti (vt ſe habet potentia libera reſpectu præcepti) & per modum accidentis, vt ſe habet præceptum reſpectu potentiæ liberæ, quod poteſt adeſſe, & abeſſe abſque potentiæ liberæ corruptione: ergo eandẽ diſtinctionem habebit libertas, & potentia peccandi, patet conſequentia, quia etiam potentia peccãdi poteſt adeſſe, & abeſſe abſq; potentiæ liberæ corruptione, vnde Diuus Thomas loco citato ad 6. ait: *Illud extremum, quod cum potentia ad merendum conſtituit potentiam adæquatè liberam, ſe habet, vt ſubiectum, quod eſt à Deo, reſpectu ipſius potentiæ peccandi prout peccandi, quod non eſt à Deo.* Ex quo loco poteſt vtraque prædicta reſolutio confirmari; nam quælibet libertas, ſeu potentia libera formalitèr, vt talis à Deo eſt, & ſubiectum eſt cuiuſcumque legis, vel omiſſionis, cum ſit cauſæ ſecundæ formalitèr, vt talis, ſubordinatæ primæ, atqui nulla potentia peccandi formalitèr, vt talis à Deo eſt, cum talis potentia ſit cauſæ primæ in eſſe defectibili non ſubordinatæ alteri: ergo, & realitèr eſſentialitèr diſtinguntur, & vt ſubiectum ſe habet vna reſpectu alterius.

Vndè, quando in actu, v.g. à me elicito, ſimul coniunguntur ratio adimpletiua præcepti, & completiua libertatis, & exercitium eius, & ratio exercitij libertatis, & omiſsionis præcepti, adminus virtualitèr debent diſtingui, prout diuerſis virtutibus in actu primo formalitèr correſpondent; licèt ſemper verificetur per eandem realitèr potentiam me eſſe potentem liberè elicere actum, & eſſe potentem adimplere, vel omittere præceptum actus, eo quod ſibi identificat mea voluntas potentiã peccandi cum potentia libertatis; cæterum in Chriſto non ſic res ſe habet. quia licèt in actu adimpletiuo præcepti reperiatur exercitium libertatis, & exercitium, vt ita dicam præcepti, eo quod hic modus exercitij adimplendi præceptum perfectionem Chriſto conuenientem ad maius eius meritum dicat, non tamẽ reperitur exercitium potentiæ omiſsiuæ præcepti formalitèr, vt talis nec defectibilis, ſicut nec reperitur potentia formalitèr omiſsiua præcepti formalitèr, vt talis, nec defectibilis, niſi materialitèr, & quaſi phyſicè, eo quod habeat potentiam, quæ in alijs eſt potentia omiſsiua præcepti formalitèr, vt talis, & defectibilis, quia talis potentia formalitèr, vt talis, ſicut, & eius exercitium, imperfectionem maximã

in

Digitized by Google

n voluit, eo quod cum libertas indepẽdens ſit à defectibilitate, & à potentia defectiua, vt patet in exemplo Dei, & Chriſti, & in Chriſto Domino non idẽtificet ſecum potentia libertatis potentiam ad peccandum. Tùm, quia cũ ſit ſuppoſitum diuinum ipſi imputaretur defectibilitas; tùm etiam, quia ex vi modi intrinſeci operandi ſuæ voluntatis, & ex regimine, quaſi connaturali, & ab intrinſeco, quod habet, quo nullo modo poteſt carere, in quo à confirmatis in gratia diſtinguitur, quia iſti ab extrinſeco habent hoc regimen, & poſſunt illo carere, & perconſequens peccare, ideò non identificat ſecum talem potentiam cum libera potentia ad oppoſitum.

Pro quo, & totius rei plena declaratione, ſic conciliari libet præceptum Chriſti circa mortem cum libertate, & impeccabilitate ipſius; quod ſicut prædeterminatio, iuxta veriorem Diui Thomæ ſententiam, non tollit libertatem, eo quod per illam non amittit voluntas indifferentiam poſitiuam, quam habet in actu primo, ſed ſolum priuatiuam ex determinatione infalibili ad vnam partem; ita ſimilitèr præceptum impoſitum Chriſto de ſubeunda morte non abſtulit ab eo libertatẽ, eo quod non abſtulit indifferentiam voluntatis poſitiuam, ſed priuatiuam præciſſe; vndè ſicut poſita prædeterminatione non poteſt voluntas non operari infalibilitèr, eo quod tenetur conformare ſe voluntati Diuinæ efficaci, à qua talis prædeterminatio oritur, ita ſimilitèr poſito præcepto de morte, non poteſt Chriſtus infalibiliter non obedire, eo quod tenetur ſe conformare voluntati diuinæ imperanti. & ſicut poſita prædeterminatione, licèt infalibilitèr non poſſit voluntas non operari, abſolutè tamen poteſt non operari, eo quod huiuſmodi prædeterminatio impenditur à Deo iuxta naturam voluntatis liberè operantis; ita licèt poſito præcepto nõ poſsit Chriſtus Dominus infalibilitèr non obedire, poteſt tamen abſolutè nõ obedire. eo quod huiuſmodi præceptũ impenditur à Deo, iuxta naturam voluntatis libere operantis in qualibet præcepti adimpletione.

Vlteriùs; ſicut ex hoc, quod poſita prædeterminatione, licèt abſolutè poſſit non operari voluntas, non ſequitur, poſſe voluntatem abſolutè fruſtrare diuinam prædefinitionem, & voluntatem efficacem, imò potiùs, ſi non poſſet abſolutè non operari, fruſtraretur, eo quod ſub obiecto prædeterminationis, cum libera ſit ſaltèm vt *quo*, & per modum determinationis, clauditur non ſolum infalibilis operis executio, ſed abſoluta poteſtas ad ſui non executionem, ita ſimilitèr, ex eo quod poſito præcepto Chriſto Domino poſsit abſolutè non obedire, non ſequitur, poſſe abſolutè fruſtrare Diuinum imperiũ; imò potiùs, ſi non poſſet abſolutè non obedire, fruſtraretur Diuinum imperium, eo quod ſub præcepto cadit tanquam obiectum, non ſolum infalibilis executio obedientiæ, ſed abſoluta poteſtas ad non obediendum, cum tale præceptum liberum ſit etiam vt *quo*, & per modum determinationis, & ſicut illud poſſe non operari, quod eſt in voluntate poſita prædeterminatione ad operandum, non ponetur in eſſe poſita tali prædeterminatione, eo quod non quæuis potentia ponitur in eſſe, niſi ſit omnibus modis, & ſimplicitèr potentia, & ſeorſim conſideretur ſine alterius conſortio incompoſibilitatis, vt videre licèt in omnibus actibus liberis voluntatis, vt *poſsibile eſt, Petrum modo non currere*, ſi ſeorſim cõſideretur, poni poteſt in eſſe, & in actu, & ex eius poſitione nullum ſequetur inconueniens; ſi autẽ poneretur in eſſe, & actu; ſtante ſimul ipſius Petri actuali curſu, ex illius actuali poſitione magnum ſequeretur inconueniens; nimirum, quod *modo curreret, & modo non curreret*, ita ſimilitèr illud *poſſe* abſolutè, quod eſt in voluntate Chriſti ad non obediendum, non poteſt poſito præcepto de morte poni in eſſe, & actu, eo quod non eſt potentia omnibus modis, & ſimplicitèr, & ſeorſim conſiderata ſine alterius conſortio incompoſsibilitatis, nã ſi ſtante actuali obedientia, illud *poſſe* non obedire, poneretur in eſſe: *Chriſtus obediret, & non obediret*, neque ex hoc ſequitur, quod, ſicut poſita prædeterminatione in noſtra voluntate, poteſt voluntas noſtra peccare, poſſit voluntas Chriſti peccare poſito præcepto, eo quod in nobis identificata eſt potentia defectiua cum potentia libertatis, quod non eſt

in

Digitized by Google

in Chriſto propter rationes iam dictas.

Ex qua doctrina reſpondeo iam ad argumẽtum in forma, quod poſito præcepto Chriſto Domino circa mortem, poſſet non adimplere præceptum abſolutè, & quaſi phyſicè, & potentia libertatis, quod ab alijs dicitur poſſe non adimplere præceptum *negatiue*, & ab alijs potuiſſe non adimplere præceptum *in eſſe actus* concedo antecedens; poſſet non adimplere præceptum infalibiliter, & quaſi moralitèr, & potentia defectiua, vel omiſsiua morali, quod ab alijs dicitur poſſe non adimplere præceptum *priuatiue*, & ab alijs in eſſe præcepti nego; vnde quando arguitur, ſi non adimpleret peccaret: ergo ſi poteſt non adimplere, poteſt peccare; nulla eſt conſequentia; eo quod in antecedenti conditionali ſupponitur potentia infalibilis moralis, & defectiua, ex qua oritur peccatum, ſi omitteret præceptum, vel ſi non adimpleret, de qua potentia nulla ſit mentio in conſequenti, ſed præciſſe de potentia phyſica libertatis, & abſoluta, quæ eſt perfectiua libertatis, & diſtincta a defectiua; & ſi fiat ſermo in cõſequenti de potentia, quæ ſupponitur in antecedenti, poteſt concedi conſequentia, dicendo, quod ſi poteſt non adimplere eadem potentia, quæ in antecedenti ſupponitur, poteſt peccare, ſed ſupponit impoſsibile, ſcilicèt, quod ſit in Chriſto talis potentia, quæ in antecedẽti ſupponitur, & ſi hoc vltimo modo reſpondeatur, vires arguentis multum atenuarentur; eo quod reduci deberet ad probandum ſuppoſitum; ſcilicèt, eſſe in Chriſto potentiam peccandi formalitèr, quod non eſt ita facile probare, & iſto modo reſpondendi vſus eſt aliquando Diuus Thomas docens, Deũ peccare, & poſſe peccare, ſi vellet, ſed quia non poteſt velle illud velle, nõ poteſt peccare; ita ſimilitèr Chriſtus poſito præcepto peccaret, & poſſet peccare, ſi vellet, nõ adimplere, ſed quia nõ poteſt velle illud velle, nõ poteſt peccare.

Et ſi vlteriùs dicatur: ergo phyſicè poteſt Chriſtus peccare, cum phyſicè potuerit non adimplere præceptum, negãdum eſt ſuppoſitum, quia poſſe peccare, nihil dicit phyſicum formalitèr, ſed ſolum morale, neque à potentia, à qua habet phyſicè non obedire, habet poſſe peccare; quia illa eſt potentia libertatis, & phyſica, iſta defectibilis, & moralis, imo in nobis adhuc formalitèr loquendo poſſe peccare, non eſt ab eadem potẽtia formalitèr, à qua poſſumus non elicere actũ alias præceptũ; ſed diſtingũtur virtualitèr ſaltẽ, & ſe habent ſicut ſubiectum, & accidens, vt in hoc articulo ex Diuo Thoma probauimus.

Quod ſi iterum inſtes: mortem Chriſti debuiſſe eſſe liberam libertate pertinente ad lineam obediẽtiæ, ſub qua præcepta fuit mors eius à Patre: ergo talitèr fuit libera libertate obediẽtiæ, quod poſſet Chriſtus ad oppoſitum in linea obedientiæ; atqui oppoſitum mortis pertinens ad lineam obedientiæ nõ eſt poſſe non mori in linea præciſſe phyſica, ſed in linea morali includenti moralitatem in obedientiæ, quæ ſola opponitur libertati obediẽtiæ: ergo poſito præcepto poſſe Chriſtum non mori, non ſolum includit poſſe non mori phyſicè, ſed moralitèr, vt opponitur obediẽtiæ, ſub qua mortuus fuit. Hoc argumentũ poteſt inſtari in omnium ſententia, ſed præcipuè modo inſtatur in illa, quæ recurrit ad petitionem diſpẽſationis. Etenim mors Chriſti debuit eſſe libera libertate obedientiæ: ergo potuit oppoſitum in linea obedientiæ, atqui poſſe Chriſtum oppoſitum in linea obedientiæ eſt poſſe oppoſitum, in quantum potuit petere diſpenſationem obedientiæ impoſitæ à Patre circa mortem: ergo eſt poſſe oppoſitũ præciſſe in linea phyſica, quia, ſicut, ſi non eſſet mors præcepta; poſſe non mori, ſolum eſſet poſſe nõ mori phyſicè, ita poſito præcepto, & petita diſpenſatione eius eſſet mori tãtũ phyſicè, quia ſine præcepto, vtpotè diſpenſato, ita poſſe petere diſpenſationẽ eſſet poſſe ad non mortẽ tantũ phyſicè, ſiquidem auffertur præceptum per petitionẽ diſpenſationis, ac proinde ad argumentum ipſi etiã tenentur reſpondere.

Reſpondeo ergo pro omnibus, quod poſito præcepto circa mortẽ fuit liber Chriſtus libertate pertinente ad lineam obedientiæ, ac proinde potuit nõ mori libertate pertinẽte ad lineã obedientiæ, ſed talis libertas ſaluatur præciſſe in *poſſe* nõ mori in eſſe phyſico formalitèr, licèt materialitèr obedientiæ; ac percõſequens poſſe non mori libertate obedientiæ, eſt poſſe nõ mori tantũ phyſicè formalitèr, licèt materialitèr ſit poſſe

non mori libertate obedientiæ, quia libertas ex ſuo conceptu formali ſolum inſpicit extrema in eſſe phyſico conſiderata, non in eſſe morali defectiuo, quod repugnat Chriſto, ſicut Deo; imo quamuis in nobis non detur inobedientia ſine tranſgreſsione præcepti obedientiæ; nec poſſe non obedire, ſine poſſe tranſgredi præceptum obedientiæ; quia in nobis realitèr identificata eſt potentia ad non obediendum phyſica cum potentia ad non obediendum moralitèr defectiua, prout opponitur præcepto; nihilominus ab alio formalitèr habemus poſſe phyſicè non obedire, ac poſſe moralitèr, & defectiuè; quia poſſe hoc vltimo modo non eſt poſſe libertatis, cum antecedentèr ad hoc *poſſe* defectiuè intelligantur extrema libertatis, quæ ſe habent vt ſubiectum reſpectu potentiæ defectiuæ, & peccandi; quæ in nobis identificata eſt cum potentia libertatis; cæterum in Chriſto, ſicut, & in Deo, ſaluatur perfecta libertas ſine hac potentia defectiua, quæ *prout ſic non eſt à Deo*, vt ex Sanct. Thoma docuimus in hoc articul. ac proinde poſſe non mori in Chriſto, adhuc poſito præcepto, ſolum eſſet poſſe nō mori phyſicè, & nō prout opponitur præcepto quia ſic eſſet poſſe non mori defectibiliter per potentiã peccandi, quæ in Chriſto non eſt, ſed tantum *voluntas, quæ in alijs eſt potentia peccandi*, vt ex S. Th. diximus in hoc ar.

Vlteriùs ſic inſtare vidi contra noſtrum modum diſcurrendi quendam Patrem Societatis, doctum ſatis, & ingenioſum; etenim ſi in *poſſe* Chriſtum non mori phyſicè ſolum, vel ſecūdum ſe, & præciſiuè à præcepto ſaluaretur libertas in moriendo, ſequeretur, quod non teneretur Chriſtus in conſcientia ad mortem ſubeundam poſito præcepto, & ſic probabat ſequellam; nullus tenetur ad aliquid in conſcientia, cuius oppoſitum poteſt facere in conſcientia, vt ex ipſis terminis liquet, atqui non mori præciſſe phyſicè, vel ſecundum ſe, & præciſiuè ad præceptum poteſt fieri à Chriſto in conſcientia in noſtra ſententia: ergo ad mortem non tenebatur Chriſtus in conſcientia poſito præcepto, patet conſequentia, quia in noſtra, & Thomiſtarum ſententia extremum oppoſitum voluntati moriendi in Chriſto eſt voluntas ad non mortem phyſicè, vel ſecundum ſe, & præciſiuè ad præceptum. Verùm hoc etiam argumentũ retorqueri poteſt contra ipſos Patres Societatis recurrentes ad petitionem diſpenſationis, vt ſaluent Chriſti libertatem in moriendo; quod ſic ſuadeo ex ipſorum terminis in argumento poſitis; nullus tenetur ad aliquid in conſciẽtia, cuius oppoſitum poteſt facere in conſcientia (quæ eſt eorum propoſitio contra noſtrum modum diſcurrendi) ſed Chriſtus Dominus potuit non mori in conſcientia petita diſpenſatione præcepti, vt ipſi etiam concedunt: ergo ad mortem poſito præcepto non tenebatur Chriſtus in conſcientia; patet cōſequentia, quia mors executa cum præcepto non habet aliud extremum libertatis in Chriſto, niſi carentiam mortis, vel non mortem petita diſpenſatione in eorum ſententia: ergo prædictum argumentum æquè currit in vtraque ſententia, & in modo explicandi libertatẽ in Chriſto in ſubeunda morte.

Quare ad argumentum pro omnibus reſpondeo admittendo modo maiorẽ propoſitionem argumenti, quia fortè in illa latet anguis ſub verba, & diſtinguendo minorem ſic, Chriſtus potuit non mori in conſcientia poteſtate phyſica libertatis, concedo minorem, poteſtate morali defectiua, nego minorẽ; & eodẽ modo diſtinguendum eſt conſequens: nam ſicut ipſi concedunt, quod poſito præcepto potuit Chriſtus non mori in conſcientia petita diſpenſatione præcepti, quod eſt poſſe non mori poteſtate libertatis, & poteſtate præciſſe phyſica, & non morali ſuppoſita petitione diſpenſationis præcepti; ita, & nos dicimus, ſine recurſu ad petitionem diſpenſationis præcepti, quod Chriſtus, adhuc perſeuerante præcepto, & non diſpenſato, potuit non mori poteſtate phyſica libertatis, non poteſtate morali defectiua, cuius poteſtatis non erat Chriſtus capax; nam illam poteſtatem ad nō moriendũ in conſcientia, quam ipſi cōcedũt Chriſto poſita diſpenſatione præcepti, quæ non poteſt alia eſſe, quã phyſica libertatis, ſuppoſito quod iam præceptũ diſpenſatum eſt, cōcedimus nos adhuc perſeuerãte præcepto, præſcindẽdo tamẽ ab ipſo præcepto, quæ poteſtas formalitèr non eſt alia, quam mere phy-

Digitized by Google

phyſica libertatis, nihil includens moralitatis defectibilis, & ſicut ipſi ſaluant libertatem obedientiæ in illo *poſſe* non mori petita diſpenſatione, quod *poſſe* ſolum eſt phyſicum nihil includens moralitatis defectibilis; ita, & nos ſaluamus libertatem obedientiæ in illo *poſſe* Chriſtum non mori poteſtate libertatis phyſica præſcindente à præcepto, quamuis præceptum perſeueret; & ratio omniũ non poteſt eſſe alia, niſi quia extrema libertatis independentia ſunt ab impoſitione, vel non impoſitione præcepti, quia ante impoſitionem ſupponitur voluntas libera potens ad vtrumque extremum, nec impoſitio præcepti ſupra voluntatem adimit ab ea aliquid libertatis, ſed cum eadem perſeuerat, quam ante præceptum habebat.

DISPVTATIO VI.

Circa quæſtion. 20. 21. & 22. Sanct. Thomæ.

De ſeruitute, oratione, & Sacerdotio Chriſti.

POſtquam egimus de conuenientibus Chriſto, ſecundum quod operationes eliciebat meritorias, iam agit Sanct. Thomas de Chriſto per comparationem ad Patrem; nam quædam dicuntur de ipſo ſecundum habitudinem ipſius ad Patrem, ſcilicèt, eſſe ei ſubiectum, ipſum orare, & ei in Sacerdotio miniſtrare; quædam vero dicuntur per habitudinem Patris ad ipſum, vt eſſe Filium Dei, & ab eodem eſſe prædeſtinatum, & de his vltimis agemus ſequenti diſputatione; in hac vero tantum de illis primis cum eodem Diuo Thom. hic quæſtion. 20. 21. & 22. de quibus etiam agit pluribus aliis locis ad margines harum quæſtionum citatis, & cum eo omnes Scholaſtici cum noſtro Auerſa hic quæſtion. 20. ſection. 3. qui conciliat has ſententias iuxta diuerſas acceptiones huius nominis, *ſeruus.*

An, & qua ratione dicatur Chriſtus ſeruus Dei?

QVÆST. VNIC.

IN Hac re pro ſingulari habetur ſententia Vazquez hic diſp. 80. quem poſtea ſecutus fuit Lugo hic diſp. 28. aſſerens Chriſtum Dominum talem, ac tantam dignitatem contraxiſſe ex vnione Hypoſtatica, vt nulla ratione ſit, aut dici poſſit vere, & proprie *ſeruus Dei* & in tota diſputatione conatur oſtendere eſſe definitum ab Eccleſia in Concilio Francfordienſi contra Elipandum Archiepiſcopũ Toletanum; communitèr tamen docent omnes Theologi hic Chriſtum Dominum dici, & eſſe vere, & proprie ſeruum Dei ſecundum quod homo; ſic Cabrera, Lorca, & cæteri Expoſitores, inter quos Magiſt. Ioannes à Sancto Thoma hic quæſt. 20. diſp. 19. art. 5.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo prius, quod hoc nomen *ſeruus* poteſt tripliciter ſumi; primo ita, vt ſignificet aliquam rationem diſtinctam in perſona, ita vt in Chriſto alia ſit perſona, quæ ſit Dominus, alia quæ ſit ſeruus, quod pertinet ad hæreſim Neſtorii, vt in hac quæſt. 20. ar. 2. docet Diuus Thomas, ſecundo ita vt nomen *ſeruus* ſignificet ſeruitutem legalem, ſeu pœnalẽ, quæ eſt quædam vilis conditio, qualis eſt illa, in qua ſunt capti in bello, qui reſpectu capientium mancipia dicuntur, & qualis etiam eſt illa, quam incurrit quis peccando efficiendo ſe ſeruum peccati iuxta illud Ioann. 8 *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* Tertio poteſt ſignificare hoc nomen *ſeruus* ſeruitutem naturalem, qua iure creationis quælibet creatura eſt ſub dominio Dei ſubiacendo ſe Diuinæ diſpoſitioni, & hæc, vt inquit D. Thomas in hac quæſt art. 1. *Eſt ſubiectio ſeruitutis ſecundum quod omnis creatura Deo ſeruit eius ordinationi ſubiecta, ſecundum illud Sapientiæ 16. Creatura tibi factori deſeruiens.* Quo ſic obſeruato.

Digitized by Google

Reſoluitur quæſtio iuxta mentem Diui Thomæ, & oſtenditur ſententiam Vazquez non fuiſſe ſingularem.

ARTIC. II.

RESolutio prima ſit, Chriſtus Dominus ſecundum quod homo non poteſt dici ſeruus Dei, nec Patris, nec ſui ipſius ſecundum quod eſt Deus, primò, nec ſecundo genere ſeruitutis. Hanc reſolutionem pluribus demonſtrat Vazquez hic per totam diſput. 80. nec amplius probant omnia loca Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Patrum ab ipſo adducta, vt optimè explicant hic Expoſitores, Lorca diſput. 78. Alvarez diſp. 74. cum noſtro Auerſa loco proximè citato, & ratio etiam id conuincit, nam humanitas Chriſti ex coniunctione ad Verbum tantam ingenuitatem contraxit, vt nec ratione illiꝰ poſſet dici, quod in Chriſto fuerit duplex perſona, per vnam *Dominus*, & per aliam *ſeruus*; hæc enim eſt hæreſis Neſtoriana, nec ratione illius poſſet Chriſtus dici *ſeruus Dei* ſeruitute mancipij, nec ſeruitute peccati, nec Iure belli, nec titulo emptionis, aut venditionis fuit ſeruus Dei, nec titulo peccati, cũ *non fuerit inuentus dolus in ore eius*: Ergo in hoc duplici ſenſu nõ poteſt dici Chriſtus adhuc vt homo *ſeruus* Dei, nec Patris, nec ſui ipſius, ſecundum quod Deus, nec de hac ſeruitute aliquando fuit quæſtio apud Catholicos, cum hoc genus ſeruitutis neceſſariò requirat negationem cõmunicationis in bonis cũ Domino, quod non poterat competere Chriſto vt homini, cui omnia bona communia erant cum Patre ſuo, & ſe ipſo vt Deo.

Reſolutio ſecunda ſit, Chriſtus Dominus ſecundum quod homo verè, & propriè dicitur ſeruus Dei, & Patris, & ſui ipſius, ſecundum quod eſt Deus, tertio genere ſeruitutis, ſcilicèt, naturalis. Hanc docent communitèr Theologi deſumptam ex D. Thom. in hac quæſt. articul. 1. Vbi totus eſt in explicando, quod Chriſtus debeat dici ſubiectus Patri, & ſibi ipſi ſecundum quod Deus, & ex triplici ſubiectione, quam in corpore articuli ponit reperiri in Chriſto, ſecũdam ſubiectionem, quæ eſt iure creationis, appellat D. Thom. ſubiectionẽ *ſeruitutis*, vt conſtat ex loco citato, §. *Vnico* art. 1. huius quæſt. vlteriùs eodem loco ad 2. ait: *Quamuis non propriè dicatur, quod natura ſit Domina, vel ſerua, poteſt tamen propriè dici, quod quælibet hypoſtaſis, vel perſona ſit Domina, vel ſerua ſecundum hanc, vel illam naturam, & ſecundum hoc nil prohibet Chriſtum dici Patri ſubiectum, vel ſeruum ſecundum humanam naturam*, & art. 2. poſtquam dixit: *Quod eſſe Dominum, & ſeruũ attribuitur perſonæ ſecundum aliquam naturam*, ait: *& ſic dicere poſſumus ſecundum vnam earum, in qua cum Patre conuenit, ſimul eũ, ſcilicèt, Chriſtum cum Patre præeſſe, & dominari, ſecundum verò alteram naturam, in qua nobiſcum conuenit, ipſum, ſcilicèt, Chriſtum ſubeſſe, & ſeruire*, & ad 2. ait, *Chriſtum poſſe dici ſeruum, & Dominum ſecundum aliud, & aliud*. Quæ verba adeò clara ſunt, vt neſciam, qua ratione dixerit Vazquez D. Thom. non curaſſe in hac quæſt. de nomine *ſeruitutis*; quam plurima alia Sacræ Scripturæ teſtimonia adducunt Expoſitores citati, vt Cabrera hic diſputatione vnica.

Ratione probatur eadem reſolutio; nam Chriſtus ſecundum quod homo verè, & propriè dicitur creatura, vt ſupra oſtendimus, ſed quælibet creatura ipſo iure creationis talitèr ſubijcitur Deo, vt teneatur ipſi ſeruire, & ſi rationalis ſit, tenetur præceptis eius obedire, & eis ſubijci, & ipſum colere, reuereri, & tanquam ſupremum Dominum omnium colere, & confiteri, iuxta illud: *Dominus vniuerſorum tu es*: ergo Chriſtus Dominus, ſecundum quod homo verè, & propriè hoc genere ſeruitutis dicitur ſeruus Dei, patet conſequentia, nam licèt ad rationem ſeruitutis legalis requiratur negatio communicationis in bonis cum Domino, non tamen ad rationem ſeruitutis naturalis, vt videre licèt in Beatis, qui ſerui ſunt Dei, iuxta illud, *Beati ſunt ſerui illi*, & communicant in bonis cum ipſo Deo, qui Dominus eſt, iuxta illud Rom. 8. *quod, ſi Filius, & hæres per Deum*, vndè hæc cõmunicatio non opponitur ſeruituti naturali, & in Beata Virgine, quæ ancilla dicitur Domini, Lucæ 22. & Matrem Dei, & Reginam Cœli decantat Eccleſia.

Reſolutio tertia ſit, ſententia Vazq.

Digitized by Google

in hac re non fuit ſingularis, ſed ſolum in modo loquendi, & vſurpandi vocabulum *ſeruus*; nam ipſe accipit nomen *ſeruus* in alia longe ſignificatione, in qua nec ſententia noſtra, nec communis dicit Chriſtum ſeruum eſſe, ſecundum quod homo; vnde male Lorca hic diſp. 78. num. 6. dixit hanc quæſt. non fuiſſe difficilem vſque ad annos Vazquez, qui ſingularem ſententiam in hac re contra communem, & antiquam in ſcholis introducere voluit; hæcque reſolutio nullo alio modo ſuadetur, quam oſtendendo ex verbis ipſius Vazquez illum non ſe oppoſuiſſe communi, & noſtræ ſententiæ; quod ex eo mihi perſuadeo; quia Vazquez in hac diſput. cap. 1. §. *Ex dictis*, vt aſsignet, in quo ſit ſtatus quæſtionis, ait: *Non enim quærimus, an Chriſtus ſit minor, inferior, aut ſubditus* (hoc enim num. 3. antecedenti tanquam certum relinquerat) *ſed an in humana natura conditionem ſerui ita retineat, vt poſsit dici ſeruus, ſeu mancipium, nec tantũ iure ſubditi, aut inferioris, ſed etiam ſeruilis conditionis, & mancipij ſub Dei poteſtate ſit conſtitutus.*

Ex quibus verbis ſic probatur reſolutio. Vazquez tanquam certum ſupponit Chriſtum Dominum eſſe ſecundũ humanitatem minorem, ſubditum, & inferiorem Patri, & Deo, ſed hunc minoritatis modum, inferioritatis, & ſubiectionis appellat communis ſententia ſeruitutem, & nos cum illa, iuxta mentem Diui Thomæ, qui locis à nobis citatis reſolut. 2. *ſubiectionem ſeruitutis* illam nominat: ergo in re non diſſentit Vazquez à communi, & noſtra ſententia, ſed præciſſe in modo vſurpandi vocabulum *ſeruus*. Confirmatur nam idẽ Vazquez verbis poſitis ait: *Præſentis quæſtionis difficultatem conſiſtere, an Chriſtus in humana natura conditionem ſerui ita retineat, vt poſsit dici ſeruus, aut mãcipium*. Ergo ſupponit Chriſtum in humana natura conditionem ſerui retinere, & dubitat, an ita conditionem ſerui retineat, vt poſsit dici Chriſtus *ſeruus, ſeu mancipium*, atqui quod Chriſtus ratione humanæ naturæ *ſeruus* dicatur, prout hoc vocabulum idem ſignificat, quod *mancipium*, non eſt contra communem ſententiam, & noſtram, potiùs eſt iuxta illam, vt conſtat ex prima reſolutione: ergo in re non eſt nobis contrarius Vazq. ſed in modo vſurpandi vocabulũ *ſeruus*, in quo modo ipſe vſurpat, nec communis ſententia, nec nos negamus Chriſtum eſſe ſeruum.

Vlteriùs in fine, §. citati ait: *Eſt itaque cum Elipando controuerſia, an conditionem mancipij, & ſerui humanitas Chriſti poſt vnionem retinuerit.* Atqui in tota diſputatione totus eſt in probando contra Elipandum, Chriſtum non poſſe dici, adhuc ſecundum humanitatem, ſeruum Dei, intendens Elipandum dãnatum fuiſſe in Concilio Francfordienſi, & ab Adriano: ergo, ſi damnatur Elipandus, vt ipſe intendit, aliam ſeruitutem præter illam, quam nos concedimus, conceſsit Elipandus, nam ſi non concederet aliam præter illam, quam nos cum communi ſententia concedimus, æquè damnaretur noſtra, & communis ſententia à Concilio, & ab Adriano, quod non audebit aliquis dicere, aliàs enim ipſe incideret in ſententiam, quam Concilium, & Adrianus damnant; quod verò Elipandus aliam ſeruitutem præterquam nos concedimus, conceſſerit, ex ipſo Vazquez deduco, nam ipſe ait: *Eſt itaque cum Elipando controuerſia, an conditionem ſerui, & mancipij humanitas Chriſti poſt vnionem retinuerit.* Ergo ex ipſius Vazquez ſententia ſeruitus, quam concedebat Elipandus Chriſto poſt vnionem, erat per modum mancipij; hæc autem non conceditur à communi ſententia: ergo re ipſa, dum contra Elipandum tam acritèr inſurgit Vazquez, non contradicit communi ſententiæ, quare omnia loca Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, quæ prolixe adducit Vazq. vt perſuadeant Chriſtum non dici ſeruũ Dei, intelligenda ſunt per modum mãcipij, vel per modum ſeruitutis ex peccato contractæ, & hoc probant, & non amplius, quod non eſt contra cõmunẽ, nec noſtram ſententiam S. Th. Rationes etiam, quibus vtitur Vazq. ſolum perſuadent non poſſe dici Chriſtum ſeruum Dei ſeruitute legali, quæ requirit negationem communicationis in bonis cum Domino, quæ neque eſt etiam contra communem, & noſtram ſententiam, vndè ſi aliquando Vazq. impugnare videtur noſtrũ modũ cõmunẽ defendẽdi aliquã ſeruitutẽ in Chriſto reſpectu Dei, vt videtur facere c. 4. ſẽper re-

recurrit ad conditiones ad ſeruitutem neceſſarias, inter quas præcipuam ponit in negatione communicationis in bonis, quæ ſolum eſt propria conditio ſeruitutis legalis, quod nos etiam concedimus Chriſto denegandam.

Quænam dicenda circa orationem Chriſti?

ARTIC. III.

PRo cuius luce ſtatuo priùs in hac quæſt. 21. agere Diuum Thomam ſub quatuor articulos de oratione Chriſti, & de illa etiã agit in 3. diſtinct. 27. quæſt. 1. art. 3. & in 4 diſti. 15. quæſt. 4. artic. 6. vbi communitèr eius Expoſitores. & quia de hac re parum, vel nihil difficultatis eſt, ideò paucíſsimis me expediam per ſequẽtes reſolutiones. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio prima ſit; Chriſtus Dominus ſecundum voluntatem humanam vere, & propriè orauit, quando in hac mortali vita degebat; hanc reſolutionẽ de fide ſtatuit Lorca hic, & pluribus Scripturæ locis probat, quæ videri poſſunt apud ipſum, & apud Auerſa quæſt. 21. ſect. 1. & ratio eſt, nam Chriſtus Dominus verè manifeſtauit ſuam voluntatem Patri, & illam ad eum ordinauit, quod eſt de conceptu formali orationis, & licèt nõ indiguerit oratione ſimplicitèr, vt adimplerẽtur ea, quæ volebat, & petebat, quia cognoſcebat ea euẽtura eſſe, vel non, iuxta ſcientificam cognitionem, quam de omnibus decretis habebat, indiguit tamen oratione, quia cognoſcebat decreta eſſe à Patre aliqua ſimplicitèr implenda media ſua oratione, ſicut certè ſciebat futuram eſſe redemptionem hominum, tamen pro illis mortuus fuit, quia ſimul ſciebat, non alitèr futuram eſſe, quam media ſua paſsione, & morte.

Reſolutio ſecunda, licèt probabile ſit cum Vazquez hic diſputat. 82. cap. 5. Chriſtum Dominum ſolum oraſſe volũtate efficaci, & ſic eius oratio ſemper fuit exaudita, & impleta circa id, quod petebat, iuxta illud Diui Thomæ hic art. 4. *Omnis voluntas Chriſti abſoluta impleta, ac per conſequens omnis eius oratio fuit exaudita.* Tamen probabile, & credibile eſt, non ſolum oraſſe voluntate efficaci, quæ ſemper impletur, ſed etiam inefficaci, in qua non ſemper impletur id, quod petitur, vt fert communis ſententia cum noſtro Auerſa hic quæſt. 21. ſect. 2. cuius ratio eſt, nam hoc fuit conueniens, vt Chriſtus nos doceret, qua ratione petenda ſunt bona à Deo ſubijciendo omnia voluntati Diuinæ, & non alitèr deſiderare ea, quam prout Deo magis placuerit, & etiam vt patientiæ nobis, & reſignationis exemplum præberet non adipiſcendo, quod petebat, vt hoc exemplo inſtructi patientèr feramus, cum non adipiſcimus ea, quæ petimus, & Diuinæ voluntati reſignemur.

Reſolutio tertia ſit; Chriſtus Dominus etiam nunc exiſtens in Cœlo pro nobis orat; eſt communis Patrum ſententia apud Lorcam hic; & ratio eſt, nã cum Chriſtus adhuc in Cœlo habeat curam, & prouidentiam noſtri, & eorum, quæ ad noſtram ſalutem expectãt, congruum videtur, vt pro nobis intercedat petendo apud Patrem, quæ nobis ad talem ſalutem neceſſaria ſunt; vndè licèt Chriſtus nunc non oret ad oſtendendam naturam humanam, nec ad noſtram inſtructionem, ſicut in terris orabat, orat tamen, vt nobis curã, & prouidentiam habens circa ea, quæ pertinẽt ad noſtram ſalutem, iuxta illud: *Aduocatum habemus apud Patrem, qui interpellat pro nobis.*

Nec valet, quod obijcitur, otioſam eſſe nunc Chriſti orationem, eo quod iam habet omnem poteſtatem, & certitudinem omnium euentuum, etiam in quantũ homo; nam etiã in terris hoc habebat, & tamen orabat; nec ex eo quod nunc oret, meretur, ſicut merebatur in terris; nam nunc non eſt in ſtatu merendi, ſicut tunc erat, quia viator, ſicut Beati, licèt nunc orent pro nobis, non merentur, eo quod non ſunt in ſtatu merẽdi, ſed in termino meriti; quod ſi dicatur, Beatos mereri de congruo, idem poteſt dici nunc de Chriſto, licèt fugiendum ſit hoc nomen *meriti* adhuc de congruo, cum quodlibet meritum neceſſariò requirat ſtatum viæ; nec ex eo quod Chriſtus nunc in Cœlo oret, licèt dicere nobis, *Chriſte ora pro nobis*, ſicut dicitur de omnibus ſanctis; nã nõ eſt inuocandus Chriſtus, vt pro nobis oret

oret præciſſe, ſicut cæteros Sanctos inuocamus, ſed vt nobis abſolutè ſuccurrat; quod eſt maxima Chriſti excellentia præ cæteris Sanctis; ſicut licèt Chriſto poſsit cõferri adoratio præciſſe Duliæ propter ſolam humanitatem, nunquam tamen ſic adorandus eſt, ſed latriæ; quia cuicumque perſonæ tribuendus eſt honor ſupremꝰ, cuius eſt capax, alias fieret illi iniuria, vt dicam quæſt. 25.

Quænam dicenda circa Sacerdotium Chriſti?

ARTIC. IV.

PRo cuius luce ſtatuo priùs Diuum Thomam in hac quæſtion. 22. ſub quatuor articulos agere de Sacerdotio Chriſti, & pluribus etiam in locis ad marginem citatis, vbi etiam Expoſitores, in qua re, quia nihil difficultatis apud Doctores inuenitur, ideò reſolutoriè omnia, quæ docet Diuus Thomas in hac quæſt. ſub hoc articulo reſoluemus. Quo ſtatuto.

Reſolutio prima ſit: eſſe Sacerdotem optimo modo conuenit Chriſto; ratio eſt, nam officium proprium Sacerdotis eſt, eſſe mediatorem inter Deum, & populum, in quantum, ſcilicèt, Diuina populo tradit, vndè dicitur Sacerdos, *quaſi ſacra dans*, vt inquit D. Tho. hic ar. 2. ſicut, & offerre dona, & ſacrificia pro peccatis, vt docet idem Diuus Thomas, hoc autem perfectiſsime conuenit Chriſto, qui humanum genus per ſua ſacrificia Deo reconciliauit, quaſi medians differentiam, quæ reperiebatur inter Deum offenſum, & homines offenſores: ergo optimo modo conuenit Chriſto eſſe Sacerdotem.

Reſolutio ſecunda ſit, Chriſtus Dominus ſimul eſt Sacerdos, & hoſtia, iuxta illud ad Eph. 5. *Dilexit nos, & tradidit ſemetipſum oblationem, & hoſtiam in odorem ſuauitatis*, & illud Pſalmi 129. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, & vtrumque expreſſit Tridentinum ſeſſ. 22 cap. 1. per hæc verba: *Sacerdotem ſecundum ordinẽ Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini obtulit.* Ergo intentum. Nec neceſſarium eſt, quod Sacerdos occidat hoſtiam, nec Chriſtum ſe ipſum occidere, vt habeat veram rationem Sacerdotis, ſed ſufficit voluntariè offerri morti, ſicut fecit Chriſtus, iuxta illud Iſaiæ: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Nec contra hoc obeſt illud de martyribus, qui voluntariè ſe offerunt martyrio, & non ſunt Sacerdotes, & hoſtia; nam Chriſtus Dominus ſe obtulit voluntariè morti, quod aliquomodo operatus eſt ad illam ſe occidendo ſaltèm indirectè, vt docet D. Thom. infra q. 47. art. 1. *In quantum poterat ſuam mortem impedire, primò aduerſarios reprimẽdo, vt eum non vellent occidere, aut non poſſent interficere*, quod non habuit locum in martyribus, in quibus non eſt poteſtas ad faciendum, quod læthalia vulnera illis inflicta eos non interficerent, pro qua ſolutione videndus eſt Caietanus ientaculo 3.

Reſolutio tertia ſit, Sacerdotium Chriſti habuit vim ad perfectam peccatorum emundationem; nam ad hoc duo requiruntur, vt docet Diuus Thomas hoc art. 3. ſecundum quod duo reperiuntur in peccato, macula, ſcilicèt, & reatus pœnæ, ſed macula deletur per gratiam nobis datam ex virtute ipſius Chriſti, reatus autem tollitur, per hoc quod homo Deo ſatisfacit virtute ſatiſfactionis Chriſti, qui *Languores noſtros tulit, & dolores noſtros ipſe portauit*. Ergo Sacerdotium Chriſti habuit vim ad expianda peccata, cum habuerit vim ad tribuendam gratiam, & ſatisfactionem.

Reſolutio quarta ſit, non competit Chriſto in ſe ſuſcipere effectum Sacerdotij, ſed potiùs ipſum alijs communicare; ratio eſt, nam (vt arguit hic Diuus Thomas art. 4.) primum agens in vnoquoque genere, ita eſt influens, vt non ſit recipiens; Sol enim illuminat, ſed non illuminatur; ignis calefacit, ſed nõ calefit; ſed Chriſtus Dominus eſt primus legis Euangelicæ Sacerdos, fons, & origo totiùs Sacerdotij legis Euangelicæ: ergo non competit ipſi effectũ Sacerdotij in ſe ſuſcipere, ſed alijs communicare.

Reſolutio quinta ſit, Sacerdotium Chriſti eſt æternum, ſicut, & ſacrificium. Ratio eſt, quia ipſe Sacerdos eſt æternus, & in perpetuum duraturus in cis

Digitized by Google

eiſdem naturis, iuxta illud Pſalmi 109. *Tu es Sacerdos in æternum.* Ergo, & Sacerdotium; nam vt inquit Paulus ad Hebr. 7. *hic autem*, ſcilicèt, Chriſtus, *eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium.* Vlterius, quia effectus Sacerdotij, qui eſt ſalus noſtra, durat in æternum, vt idem Paulus eodem loco expreſsit: *Vnde, & ſaluare in perpetuum poteſt*: ergo, & ipſum Sacerdotium eſt æternum; nam non eſt effectus ætern°, cuius cauſa non eſt æterna. Denique, quia adhuc vſus Sacerdotij Chriſti poteſt dici, æternè, & perpetuò duraturus, non pro tota æternitate, ſed pro tota duratione Eccleſiæ Militantis; nam licèt Sacerdotium, & ſacrificium cruẽtum ſemel tantum oblatum fuerit, repetitur tamen pluries quotidie, & virtualitèr manet in Sacerdotio, & ſacrificio incruento Euchariſtiæ, quod pluries Chriſtus offert miniſterio Sacerdotum, & offeret vſque ad conſummationem ſæculi: ergo ex omni parte eſt æternum.

Reſolutio ſexta ſit, Sacerdotium Chriſti dictum fuit, ſecundum ordinẽ Melchiſedech, per ſimilitudinem, quã habuit cum Sacerdotio eius, quam ſimilitudinem optimè explicat Lorca hic diſput. 82. in fine, ex eo quod Melchiſedech fuit Sacerdos dignior inter Sacerdotes Leuiticì, vt probat Paulus ex benedictione, quam Melchiſedech tribuit Abrahæ, quod ſignum eſt digniorem fuiſſe Abrahamo; fuit etiam ſimilis Melchiſedech, quia Sacerdotium illius fuit figura Sacerdotij Chriſti, eo quod vna tantum oblatione offerebatur, ſicut contingit in ſacrificio Chriſti, in quo non eſt diuerſitas à ſacrificio incruento, nam licèt pluribus oblationibus fiat à pluribus Sacerdotibus, vna tantum oblatio eſt, quia omnes iſtæ oblationes ſolum ſunt eiuſdem primæ oblationis repetitiones; fuit etiam ſimilis Chriſtus Melchiſedech, ex eo quod Melchiſedech fuit Rex *ſalem*, quod interpretatur *Rex pacis*, & appellatus eſt *Melchiſedech*. Denique præclara ſimilitudo eſt, quam adducit Nazianzenus oratione panegyrica de natiuitate Domini non longè à principio dicens: *Melchiſedech eligitur, qui ſine matre erat ſine Patre efficitur, priùs quidem ſine matre, poſtea autem ſine Patre*, quas conditiones conuenire Chriſto nemo eſt, qui non videat; hic etiam agit Lorca diſp. 83. de regno, & dominio temporali Chriſti, videatur, ſi placet, quia res eſt parui momenti, in qua non vacat immorari.

DISPVTATIO VII.

Circa quæſtionem 23. & 24. Sanct. Thomæ.

De adoptione, & prædeſtinatione Chriſti.

POſt Sacerdotium Chriſti agit Diuus Thomas quæſt. 23. ſub quatuor articulos de adoptione Chriſti, de qua etiam agit in 3. diſtinct. 10. à quæſt. 1. & 4. contra gentes cap. 4. & alibi pluries, præcipuè infra in hac 3. part. quæſt. 33. art. 3. & 43. art. 1. Et quæſt. 24. ſub quatuor articulos agit de prædeſtinatione Chriſti, de quo etiam in 1. diſt. 40. & in 3. diſt. 7. quæſt. 3. & diſt. 10. quæſt. 1. & alibi pluries; de quibus nos ſub hac diſputatione breuitèr agemus, & pertractabimur omnia, de quibus communitèr his locis pertractant Expoſitores.

An Chriſtus, ſecundum quod homo, ſit Filius Dei naturalis, vel adoptiuus?

QVÆST. I.

IN Hac re ſuppoſita Catholica veritate, quod Chriſtus ſolum fuerit vnica perſona in duplici natura; reſtat aliquale diſidium, an ſecundum dualitatem naturarum dicendum ſit eſſe in ipſo duplicem filiationem, naturalem vnam, & adoptiuam aliam; nam Durãdus in 3. diſt. 4 quæſt. 1. affirmat Chriſtum ſine addito non poſſe appellari Filium Dei adoptiuum, cum addito tamen, ſcilicèt, ſecundum quod homo, non ſolum appellari poſſe, ſed vere eſſe Filium Dei adoptiuum; quam ſententiam probabilem reputat Scotus in 3. diſt. 10. quæſt. 1. & Ricardus eadem diſtinctione art. 2. quæſt. 1. Contra tamẽ eſt commune Theologorum aſſertum apud Lorcam hic memb. 3. num. 27. aſſerens Chriſtum etiam vt hominem, non

non eſſe Filium Dei adoptiuum, ſed naturalem, & apud Auerſam quæſt. 24. ſect. 2. & apud Magiſtrum Ioannem à Sancto Thoma 3. part. quæſt. 24. diſp. 20. per totam, præcipuè art. 2.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligẽtia obſeruo primo, quod filiatio naturalis eſt duplex; alia eſt naturalis per naturam, & eſt illa, quam communitèr docent Phyloſophi, quando aliquis procedit ex vi ſuæ proceſsionis ſimilis in natura; quod ſi natura, quæ ex vi proceſsionis communicatur, fuerit naturalis, erit filiatio naturális per naturam naturalem, ſi autem natura, quæ communicatur ex vi proceſsionis, fuerit ſupernaturalis, ſicut eſt Diuina, erit filiatio naturalis per naturam ſupernaturalem, & Diuinam; nam ſicut naturalis dicitur aliquis homo Filius alterius propter naturam ſimilem communicatam, ita naturalis dicitur Filius Patris Æterni Diuinum Verbum per naturam ſimilẽ ex vi proceſsionis communicatam ipſi à Patre; alia dicitur filiatio naturalis per gratiam, quæ non requirit communicationem naturæ ex vi proceſsionis, ſed ſolum, quod habeat is, qui Filius dicitur, aliquam formam, quæ ſit filiatio naturalis, & illam habeat gratioſè communicatam, in quo apparet differentia inter filiationem naturalem, & adoptiuam, nam adoptiua ſemper fit per gratiam adoptantis, quod cernere licèt tã in naturalibus, quando quis alium in Filium adoptat, quam in ſupernaturalibus, quando Deus per ſuam habitualem gratiam in filios ſuos homines adoptat, & hæc ſemper excludit communicationem naturæ ex vi proceſsionis; filiatio autem naturalis, licèt aliquando fiat per gratiam, & ſit gratioſa, non tamen ſemper, ſed vt in plurimum requirit communicationem naturæ ex vi ſuæ proceſsionis, vt patet quando vnus homo generat alium, & Pater Æternus generat Filium.

Obſeruo ſecundo, quod quando inquiritur communitèr, an Chriſtus vt homo ſit Filius Dei naturalis, vel adoptiuus, non ſumitur ly *vt homo* reduplicatiuè, ita vt ratió formalis eſſendi Filium, ſit humanitas, vel eſſe hominis, quia ſic nec eſt Filius Dei naturalis, nec adoptiuus, alias enim omnes homines eſſent Filij Dei naturales, vel adoptiui; ſed ita, vt ſolum reduplicetur quædam conditio neceſſariò connotata, vt poſſit verificari, an Chriſtus prout homo tanquam in aliqua conditione neceſſariò connotata, dicatur Filius naturalis Dei, vel adoptiuus ratione gratiæ vnionis ſubſtantialis, quæ facta fuit humanitati, vel ratione gratiæ habitualis ad vnionis gratiam cõſecutæ, quæ ſunt formæ ex ſe potentes facere Filium naturalem, & adoptiuum Dei; an verificari poſsit, quod vim, quam habent faciẽdi filios, naturalem, & adoptiuum, exerceant in Chriſto homine, & ſi exercent vim faciendi Filium naturalem, quam filiationem, an naturalem per gratiam, an naturalem per naturam. Quibus ſic obſeruatis.

Reſolutio quæſtionis iuxta mentem Diui Thomæ.

ARTICVL. II

REſolutio prima ſit, Chriſtus in quã tum homo, id eſt ſubſiſtens in natura humana, non eſt Filius Dei adoptiuus, ſic expreſſe Diuus Thomas hic art. 4. cuius ratio eſt, nam vt 1. part. quæſt. 33. artic. 2. & 3. Diuus Thom. probauerat, filiatio eſt proprietas perſonalis, ſed perſona Chriſti nullo modo poteſt dici Filius Dei adoptiuus: ergo. Dices, quod, licèt filiatio ſit proprietas perſonalis, tamen eadem perſona Chriſti, vt ſubſiſtit in natura Diuina dici poteſt Filius Dei naturalis, ſiquidem eſt per æternam generationem producta; & vt ſubſiſtit in natura humana poteſt dici Filius Dei adoptiuus, cum ſecundum hanc rationem non ſit æternalitèr genita à Patre. Sed contra eſt, nam hæc filiatio adoptiua prouenit in Chriſto, vt in ſubſiſtenti in natura humana à gratia ſubſtantiali vnionis, vel à gratia habituali naturalitèr conſecuta ad gratiam vnionis, atqui à nulla poteſt prouenire, non à gratia vnionis, quæ eſt diuinitas, cum non ſit diuinitas filiatio adoptiua; etenim filiatio adoptiua, & vt *quo*, eſt forma participata per quandam ſimilitudinem analogicam cum

Digitized by Google

cum filiatione naturali vt *quo* per eſſentiam, quod non poteſt habere locum in Diuinitate, cum potiùs ipſa ſit, à qua quælibet alia filiatio participatur, quā ipſa ſit participata: ergo ab iſta gratia vnionis, vel diuinitate non poteſt prouenire, quod Chriſtus, vt homo ſit Filius Dei adoptiuus.

Quod vero filiatio adoptiua nequeat in Chriſto prouenire à gratia habituali, ſic efficacitèr ſuadeo; nam licèt gratia habitualis vim habeat ex ſe faciendi Filium adoptiuum, hoc tamen non præſtat, niſi relatè ad ſubiectum, cui inhæret, & cui tribuitur per modum beneficij indebiti, & gratioſi, hoc enim petit eſſentialitèr adoptio, vt nullum debitū interueniat, ſed omnino gratis fiat; atqui, licèt gratia habitualis vim, quam habet faciendi filium adoptiuum, exercæat in quolibet alio ſubiecto, cui inhæret, non tamen illam poteſt exercere in Chriſto, etenim ideò in quolibet alio ſubiecto illam vim exercet, quia cuilibet tribuitur per modum beneficij indebiti, & gratioſi; Chriſto autem vt homini, nulla fit gratia in collatione habitualis gratiæ, cum debita eſſet vnioni hypoſtaticæ per modum proprietatis, & paſsionis ad minus naturalitèr conſecutæ, ſicut cuilibet principio eſſendi, qualis in præſenti eſt gratia vnionis reſpectu humanitatis, quando conſtituit illam ſanctam formalitèr ſubſtantialitèr in eſſe eſſentiæ ſanctitatis, debetur principium operandi, qualis in præſenti eſt gratia habitualis reſpectu humanitatis, per quam conſtituitur formalitèr accidentalitèr ſancta ſanctitate ad ordinem naturæ expectante, quæ eſt principium operandi: ergo nullo modo Chriſtus poteſt dici Filius adoptiuus, nec per vnam gratiam, nec per aliam.

Reſolutio ſecunda ſit, Chriſtus vt homo eſt Filius Dei naturalis per gratiam; & hanc vnionis; ſic expreſſe D. Th. in hac q.ar 4. & ratione probatur, nam illud ſubiectum dicitur Filius naturalis per gratiam, quod habet in ſe formam conſtitutiuam Filij naturalis, ſed illam gratioſè habet communicatam, & non per naturalem generationem, & vi generationis, quod petit filiatio naturalis per naturam; ſed Chriſtus vt homo, habet in ſe formam conſtitutiuam Filij naturalis, cum habeat Diuinitatē, & perſonalitatem Verbi, quæ conſtituunt in Diuinis Filium naturalem per naturam, cum hoc gratioſè communicatum ſit humanitati Chriſti, non conſtituit Filium Dei naturalem per naturam, ſed per gratiam ergo, & c. Confirmatur, nam quia ſola diuinitas eſt ſanctitas vt *quo* in Diuinis, ipſa ſola eſt, quæ communicata humanitati Chriſti facit Chriſtum vt hominem, formalitèr ſubſtantialitèr ſanctum: ergo quiā ſola diuinitas cum perſonalitate Verbi eſt in diuinis filiatio naturalis, ipſa ſola cum perſonalitate Verbi erit, quæ communicata humanitati Chriſti faciet Chriſtum, vt hominem formalitèr Filium naturalem, ſed non filium naturalem, vt eſt Verbum per naturalem generationem ex vi proceſsionis habens naturam à Patre communicatam: ergo filium naturalem per gratiam. Vlteriùs non per aliam gratiam, quam per ipſam filiationem naturalem, vt *quo*: ergo per illam eſt Filius Dei naturalis per gratiam.

Soluuntur fundamenta contraria.

ARTIC. III.

Cæterum in ſui fauorem opponunt primo aduerſarij. Ideò Chriſtus vt homo eſt Filius Dei naturalis, quia in ſe habet communicatam formā conſtitutiuam Filij Dei naturalis, atqui nō minus habet in ſe communicatam formam conſtitutiuam Filij Dei adoptiui, ſcilicèt, gratia habitualis: ergo vel vtroque modo dicendus eſt Filius Dei, vel nullo ex his modis Filius nominari debet. Reſpondeo negando maiorem, nā non ideò præciſſe dicitur Chriſtus, vt homo Filius Dei naturalis, quia habet In ſe formam conſtitutiuam Filij Dei naturalis, ſed quia illam habet, & gratioſè communicatam habet, & ideo dicitur naturalis filius per gratiam, gratiam autem habitualem, quæ eſt forma conſtitutiua Filij Dei adoptiui, licèt habeat Chriſtus in ſe, non tamen gratioſè cōmunicatam, ſed debito modo tributam ex ſuppoſitione gratiæ vnionis, cui debita eſt gratia habitualis; vndè duo neceſſariò requiruntur ad filiationem naturalem per gratiam, & ad filiationem adoptiuam, primum, quod illud ſubiectum

Digitized by Google

ctum habeat formam conſtitutiuam Filij Dei naturalis, vel adoptiui, & quod hoc gratis omninò habeat, in primo ergo currit paritas de gratia vnionis, & de gratia habituali in Chriſto, non autem in ſecundo; propter quod clara eſt diſparitas.

Et iuxta hanc ſolutionem poteſt ſolui a iud argumentum, quod difficile putat Lorca hic membr. 3. num. 38. nimirum videtur ſequi iuxta noſtram doctrinam Spiritum Sanctum verè eſſe Filiũ Dei naturalem, quia intimius habet formam conſtitutiuam Filij Dei naturalis, quam habet illam Chriſtus vt homo; nam licet illam habeat intimius, non tamen poteſt dici Filius Dei naturalis, ſicut dicitur Chriſtus, quia in primis non poteſt dici per naturam naturalis, cum non habeat illam naturam ex vi proceſſionis communicatam; non naturalis per gratiam, cum nulla ſit gratia Spiritui Sancto communicato naturæ Diuinæ: ergo.

Opponunt ſecundo, optimè compatitur eſſe in Chriſto Domino duplicem filiationem, naturalem vnam, ſecundum quam eſt à Patre æternalitèr genitus, aliam ſecũdum quam eſt à matre temporalitèr productus: ergo optimè compatitur in Chriſto duplex filiatio, naturalis vna, & adoptiua alia. cum non videatur maiorem repugnantiam habere inter ſe iſtas duas filiationes, quam illas. Reſpondeo negando conſequentiam. ratio diſparitatis eſt, nam cum duæ primæ filiationes naturales ſint, non repugnant, cum vna non opponatur alteri, niſi ad ſummum ſecundũ quod reduplicatur ratio æternæ, vel tẽporalis. duæ autem filiationes poſteriores, ſcilicèt, naturalis, & adoptiua ſecum repugnant, non ſolum ſecundum quod reduplicatur ratio naturalis, & adoptiuæ, ſed materialitèr, & ſpecifica tiue, quia de conceptu filiationis adoptiuæ eſt extraneitas ſubiecti, quod adoptatur, ſi enim in ſubiecto ſupponatur ius aliquod proprium, & ab intrinſeco ad bona paterna, quod eſt de cõceptu filii, non eſt locus adoptionis, cum non ſit locus gratiæ alicuius, quæ alias non ſupponatur in ſubiecto, cum ergo gratia habitualis ſupponat in ipſo ius propriũ ab intrinſeco ratione gratiæ vnionis ad bona paterna, non eſt locus, vt faciat illum filium adoptiuum, cum non ſit locus alicuius gratiæ Chriſto faciendæ, quæ non præſupponeretur in illo, vel cui non debeatur gratia habitualis per modum proprietatis primæ gratiæ vnionis.

Opponunt tertio, non repugnat quod forma, quæ eſt conſtitutiua Filij Dei naturalis per naturam, qualis eſt diuinitas, cum perſonalitate Verbi, communicata conſtituat etiam Filium Dei naturalem per gratiam: ergo non repugnabit, quod forma conſtitutiua Filij Dei adoptiui, qualis eſt gratia habitualis, communicata conſtituat etiam Filium Dei adoptiuum per naturam, patet conſequentia, quia tanta repugnantia reperitur in hoc, quod filiatio adoptiua, quæ eſt gratioſa, ſit filiatio naturalis, & per naturam, quanta reperitur in hoc, quod filiatio naturalis ſit gratioſa: ergo vel repugnat Chriſtum vt hominem eſſe Filium Dei naturalẽ hoc modo naturalitatis per gratiam, vel non repugnauit eſſe etiam Filium Dei adoptiuum hoc modo adoptionis, vt ſit adoptio per naturam. Fortaſis hoc argumentum ob nouitatem eius ingeret difficultatem audienti, quæ tota conſiſtit in æquiuocatione, quæ reperitur in vſu, & accomodatione terminorum, qua attenta facilem ſolutionem habebit.

Reſpõdeo in primis repugnare, quod forma, quæ eſt conſtitutiua filij adoptiui, ſit communicata per naturam, ac proinde quod faciat Filium Dei adoptiuum per naturam, cum nulla ſit poſsibilis ſubſtantia ſupernaturalis, cui debita ſit gratia habitualis, in quo ſolum caſu poſſet dici gratiam conſtituere filiũ adoptiuum per naturam, de quo latè ad 1. part. quæſt. 12. dato tamen, & admiſſo in ſentẽtia probabili ſocietatis quod poſsibilis ſit iſta ſubſtantia, cui connaturalis ſit gratia, & gloria, dico tamen nõ poſſe hoc de facto Chriſto concedi, nã licèt in terminis non repugnet aliquem eſſe filium adoptiuum per naturam, id eſt ex vi ſuæ productionis; in Chriſto tamen non poteſt, eo quod erat Filius Dei naturalis, nam conceptus filiationis adoptiuæ, quomodocumque explicetur, ſemper excludit in ſubiecto ius ad bona Patris, cum autem iam ſupponeretur in Chriſto tale ius, licèt adueniat gratia habitualis, quæ alias ex ſe poterat

rat efficere Filium Dei adoptiuum ſiuè per gratiam, ſiuè per naturam in alio ſubiecto; in Chriſto tamen hoc non effi cit, nec potuit efficere.

Hinc facilis paratur via ad alia argu menta, quæ quia ex doctrina data ſoluta ſunt, ideò non ad longum refero, quale eſt illud Durandi, quod Chriſtus in quantum homo eſt Filius Dei, ſed non naturalis: ergo adoptiuus: cum mediũ reperiatur inter naturalem, vt ipſe ſumit naturalem, ſcilicèt, per naturam, & adoptiuum, ſcilicèt, naturalem per gratiam; neque ex hoc, quod Chriſtus, vt homo, habeat hanc filiationem non per ſe, hoc eſt, ſicut habet Verbum; ſequitur filiationem participatam habere; nam licèt quoad modum habendi illã participatam habeat, non tamen filiationem participatam habet, ſed eandẽ filiationem per eſſentiam Verbi per ſe communicatam, & intrinſicè vnitam tanquam ſibi propriam Chriſtus habet aliæ autem filiationes Angelorum, & hominum ſunt participatæ, non ſolum quoad modum eas habendi in ſpecie, ſed etiam quoad ipſas formas, quæ participatæ, & creatæ ſunt.

An Chriſtus prædeſtinatus ſit ad filiationem Dei naturalem?

QVÆST. II.

IN Hac re non eſt vnus ſenſus apud Patres, & apud Authores ad ſaluandam prædeſtinationem Chriſti, & componendam cum ſuo termino, & ſubiecto, nam innumeri Patres, quos ſequuntur aliqui Authores, vt ſaluent locum Pauli ad Rom. 1. Vbi de Chriſto aſſerit *prædeſtinatum fuiſſe Filium Dei in virtute*, &c. dicunt verbum *prædeſtinatum* idem eſſe, ac declaratũ, vt Filium Dei; & in hoc ſenſu veram, & propriam aſſerunt eſſe propoſitionem Pauli; alii autem dicunt, *prædeſtinatum* idem ſignificare, ac *deſtinatum*; alii autem idem, quod *præſcitus*, & *præcognitus*, & in his ſenſibus veram, & propriam eſſe dictã propoſitionem Pauli. Commune autem Theologorum ſumit vocem *prædeſtinatus* in propria ſua ſignificatione, quamuis differant in explicando id, ad quod Chriſtus prædeſtinatus dicitur, qui omnes Patres horum modorum dicendi videri poſſunt apud Authores hic præcipuè Lorca membr. 1. ad expoſitionem loci Pauli, & apud Auerſam quæſtion. 24. ſect. 2. & apud Ioannem a Sanct. Thom. hic quæſt. 24. diſput. 20. per totam.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligẽtia obſeruo primo, quod quidquid ſit de modo vſurpandi illam vocem *prædeſtinatus*, nam apud Patres citatos à Lorca ſuum habet fundamentum, in præſenti à nobis controuertendum eſt, facta priſuppoſitione, quod hæc vox in propria ſignificatione vſurpetur. Tùm, quia vulgaris noſtra lectio ſemper legit; *qui prædeſtinatus eſt, &c.* & nunquam, *qui declaratus, deſtinatus, nec præſcitus, aut præcognitus.* Tùm etiam, quia in propria ſignificatione vſurpata apud Authores controuertitur, in qua ſolum habet difficultatem, nam ſi vocabulis aliã ſignificationem tribuamus præter eã, quæ communitèr illis tribuitur, & ad quod ſignificandum apud nos impoſita ſunt, nil firmum haberemus in locis Scripturæ, Conciliorum, & Patrum.

Obſeruo ſecundo. Id ſolum à Deo ab æterno prædeſtinari dicitur, quod in tempore factum, vel faciendum eſt, cũ autem Chriſtus, vt ſubſiſtens in natura Diuina, non ſit factus in tempore, nec fieri potuiſſet, ſed æternalitèr, ſcilicèt, cum Patre, & Spiritu Sancto, vt ſic nequit ipſi competere eſſe prædeſtinatũ, ſed ſolum, vt ſubſiſtit in natura humana, quia vt ſic in tempore fieri poterat, ſicut factum fuit; vnde cum prædeſtinatio Dei quædam actio ſit intellectus Diuini, & voluntatis eius, neceſſariò aſſignandus eſt ipſi, & obiectum, quod prædeſtinatur, & terminus, qui per prædeſtinationem fit, & ſi loquamur de obiecto *quod*, & de termino *qui* non eſt aliud, & aliud, ſed idemmet Chriſtus, ſcilicèt, habet rationem obiecti *quod*, & termini *qui*; ſi autem loquamur de obiecto *quo* formali prædeſtinationis, id eſt de illo, ratione cuius obiectum, *quod* eſt obiectum prædeſtinationis, nulli dubium eſſe humanitatem in Chriſto exiſten-

Digitized by Google

ſtentem, cum ratione illius præciſſe gratia prædeſtinationis facta ſit Chriſto, ſi autem loquamur de termino *quo* formali prædeſtinationis, id, eſt de illo, ratione cuius terminus *qui* eſt terminus prædeſtinationis, ſic nulli dubium eſſe verbi perſonalitatem, cum ipſa ſola gratioſè communicata fuerit humanitati, & ratione illius eleuata fuerit ad eſſe perſonale diuinum, & ad filiationē, vt poſtea dicam, naturalem Dei.

Obſeruo tertio, quod ex varijs explicationibus, quas Patres, & Authores tribuunt verbis Pauli ad Rom. 1. *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute*, quas vſque ad ſex refert R.P. M. Ioannes à S. Th hic diſput. 20. art. 2. & eas erudite impugnat; vera explicatio eſt, quam ipſe ſequitur, quod verba Apoſtoli ſunt cum omni proprietate accipienda, ita quod quando dicitur: *Quod Chriſtus prædeſtinatus eſt Filius Dei* obiectum, vel ſubiectum (quod pro eodem reputatur in præſenti) prædeſtinationis ſit *Chriſtus homo*, & terminus ſit *filiatio Dei naturalis*, & actio prædeſtinandi hoc obiectum ad talem terminum ſit propria prædeſtinatio; pro qua explicatione plures refert Patres, & Scholaſticos, quamuis etiam hæc explicatio plures patiatur intelligentias, non tàm circa verba Pauli, quàm circa modum ea explicandi, ſub qua, ſcilicèt, formalitate, aut ratione *Chriſtus* ſit ſubiectum, vel obiectum, *& Filius Dei naturalis* terminus prædeſtinationis, cum *Chriſtus* non poſſit præſcindere à perſonalitate Verbi, quæ vtrumque eſſentialitèr includit.

Obſeruo quarto, quod inter ſubiectum, & terminum prædeſtinationis debet eſſe aliqua antecedentia ſaltèm naturæ, aut rationis; nam cum ſubiectum ſit, quod prædeſtinatur ad terminum, debet noſtro modo intelligendi ſaltèm præcedere ſubiectum, vt poſſit ad terminum prædeſtinari; nam quod nō eſt, aut præintelligitur eſſe, prædeſtinari repugnat, quam præcedentiam in prædeſtinatione Chriſti ſatis expreſſit Sanct. Tho. in 3. diſt. 10. quæſt. 3. quæſtiunc. 1. ad 1. dicens: *Prædeſtinatio Chriſti primum effectum habet ipſam vnionem, quia filiatio non eſt primus effectus prædeſtinationis, ſed ſequitur ad vnionem.* Vbi in prædeſtinatione Chriſti clare diſtinguit duplicem effectum, vnum ad alium ſub ſecutum, quod præcedentiam deſignat vnius reſpectu alterius, & ita priùs natura, vel ratione factum eſt, quod verbū eſſet ſuppoſitum humanum terminando humanitatem, & in illo priori intelligitur, quod ſit homo, recipiēdo ab humanitate eſſe humanum, & ex hoc ſequitur, quod Verbum humanatum ſit Filius Dei naturalis in humanitate, quod in tempore habuit, & non ab æterno, nam quod ab æterno habuit, ſolum fuit eſſe Filium Dei naturalem in diuinitate. Quibus ſic obſeruatis.

Propria mens exponitur, & explicatur modus, quo Chriſtus dicatur prædeſtinatus ad filiationem Dei naturalem.

ARTICVL. II

RESolutio noſtra ſit, Chriſtus vt homo verè, & propriè eſt prædeſtinatus ad filiationem Dei naturalem, ac proinde propoſitio Pauli non ſolum admittenda eſt tanquam vera, ſed tanquā propria, hæc reſolutio, vt iacet, eſt contra Patrem Lorca hic membr. 3. aſſerentem impropriam eſſe prædictam Pauli propoſitionem, & contra noſtrum Auerſa loco citato, §. *Et in primis*, licèt §. *Sexto demum*, videatur noſtram reſolutionem fateri. Probatur ergo primo reſolutio ex Sanct. Thoma in hac quæſtion. 24. art. 1. ad 2. vbi explicans verba Pauli ſic ait: *Cum prædixiſſet Apoſtolus, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, ſubiunxit, qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute, vt daret intelligere, quod ſecundum hoc, quod eſt factus ex ſemine Dauid ſecundum carnem, eſt prædeſtinatus Filius Dei in virtute; nō tamen eſſe ei naturale ſecundum humanam naturam.* Ex quibus Sanct. Thomæ verbis clarè infertur, quod Chriſtus, ſecundum quod factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem, eſt ſubiectum, quod prædeſtinatur in Filium naturalem Dei in humana natura. Et ibidem ad 3. inquit: *Meliùs dicendum, quod illa anteceſſio, quam importat hoc participium prædeſtinatus, non refertur ad perſonam ſecundum ſeipſam, ſed ratione humanæ naturæ, quia, ſcilicèt perſona illa, & ſi ab æterno eſſet Filius Dei, non tamen fuit ſēper, quod*

ſubſiſtens in humana natura fuerit Filius Dei, quod magis hoc explicat Angelicus Doctor ibidem poſt pauca, & art. 2. ad 3. & præterea in 3. diſt. 7. quæſt. 3. artic. 1. ad 1. inquit: *Dicendum, quod diuerſa conſideratio nihil variat eorum, quæ ſunt in re; variat autem ea, quæ pertinent ad actum animæ. Prædeſtinatus autem eſt participium, quod imponitur ab actu animæ, ſcilicèt præuidere, vel præordinare, & ideò quamuis ſuppoſito æterno non conueniat ſecundum ſe prædeſtinari eſſe Filiũ Dei, conuenit tamen ſibi, ſecundum quod eſt humanæ naturæ ſuppoſitum.*

Ex quibus Sanct. Thomæ locis adiunctis verbis Pauli ſic efficax argumentum conficitur pro reſolutione noſtra. Etenim antequam Paulus proferret, *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei*, præmiſſerat, *qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem*, *vt daret intelligere* (vt explicat Sanct. Thom. loco citato, §. Antecedenti) *quod ſecundum hoc, quod eſt factus ex ſemine Dauid ſecundum carnem, eſt prædeſtinatus Filius Dei in virtute.* Ergo ſecundum mentem Pauli, & Sanct. Thomæ, is, qui ſecundum carnem factus fuit ex ſemine Dauid, prædeſtinatus eſt, & fuit in Filium Dei, atqui is, qui ſecundum carnem factus fuit ex ſemine Dauid, fuit Chriſtus verè, & propriè factus: ergo Chriſtus vere, & propriè fuit in Filium Dei prædeſtinatus: vnde elegantèr ad rem noſtram Auguſt. lib. de prædeſtinat. Sanctorum cap. 15. ait: *Prædeſtinatus eſt Deus, vt qui futurus erat ſecundum carnem Filius Dauid, eſſet Filius Dei in virtute.* Quod pluries repetit in hoc loco, & tract. 105. in Ioan.

Secundo ratione, & exemplis probatur poſitio noſtra, nam, vt ſaluetur verè, & proprie Chriſtum prædeſtinari in Filium Dei, ſufficit præcedentia ſecundum rationem inter ſubiectum, & terminum prædeſtinationis, vt admittunt oppoſiti Authores apud Mag. Ioann. à S. Th. hic diſp. 20. artic. 3. Atqui inter hoc, quod eſt Deum factum eſſe hominem, & eſſe Filium Dei, reperitur talis præcedentia, ſiquidem priùs eſt noſtro modo intelligendi Deum fieri hominẽ per terminationem humanitatis, quam quod hic homo intelligatur Filius Dei, nam ſecundum primam conſiderationem intelligitur Chriſtus ſubiectũ prædeſtinationis, quod prioritate intelligentiæ præſupponitur ad terminum ipſius prædeſtinationis, qui terminus eſt filiatio Dei naturalis, nõ in ſe, ſed in natura humana, ſiquidem hæc cauſalis eſt vera: *Quia Deus factus eſt homo, iſte homo eſt fact⁹ Fili⁹ Dei in natura humana*: Ergo vere, & proprie ſaluabitur Chriſtũ prædeſtinari in Filiũ Dei in natura humana.

Exemplis autem probat prædictam reſolutionem R. P. M. Ioannes à S. Th. loco proxime citato pag. mihi 562. col. 1. & 2. in albedine, quæ priùs noſtro modo intelligendi communicatur corpori, quam intelligatur corpus album, quamuis cauſa formalis, quæ eſt albedo, non diſtinguatur ab eius effectu formali dealbandi: in forma item ſubſtantiali, & corpore, anima enim rationalis, v. g. priùs intelligitur, quod vniatur corpori, & incarnetur, quam per illam viuat corpus. in ſubſiſtentia, & exiſtentia animæ rationalis, quæ priùs intelligitur communicari materiæ, quam quod materia ſubſiſtat, & exiſtat per illam: denique in eſſentia Diuina vnita intellectui Beati per modum ſpeciei intelligibilis, quæ priùs intelligitur vniri intellectui, quã intelligatur intellectus deificatus: ergo ſicut in his caſibus nulla eſt ratio, cur negetur præcedentia vnionis formæ, vel quaſi formæ ad effectũ, vel quaſi effectum, nulla etiam erit, cur negetur in præſenti inter ſubſiſtentiam Verbi conſtituentem Deum hominem, & inter ipſam, vt conſtituentem talem hominem Filium Dei naturalem.

Confirmatur ex Sanct. Thoma art. 1. ad 3. & art. 2. ad 3. vbi concedit tanquam propriam hanc propoſitionem, *hic homo eſt prædeſtinatus Filius Dei*. Atqui eadem eſt hæc propoſitio cum iſta, *Chriſtus vt homo eſt prædeſtinatus Filius Dei*, nam Chriſtus vt homo cum tali reduplicatione nil aliud ſignificare intendunt, nec volunt communitèr oppoſiti Authores, quam quod *hic homo* aſſignato *Chriſto*: ergo vel vtraque eſt vera, vel nulla in eodem ſenſu; & ratio eſt, nam id vere, & proprie ab æterno prædeſtinatum eſt, quod in tempore vere, & proprie factum eſt, ſed verè, & propriè factum fuit in tempore, quod Chriſtus vt homo factus fuit Filius Dei naturalis: ergo in ſenſu vero, & proprio concedẽdum eſt Chriſtum vt hominem eſſe Filium naturalem Dei.

Pro-

Digitized by Google

Proponitur, & ſoluitur argumentum Lorcæ ex Durando deſumptum.

ARTIC. III.

CÆterum in ſui fauorem opponunt aduerſarij argumentum Durandi, quod adducit P. Lorca hic memb. 2.num. 15. quod ita difficile iudicat, vt dicat, quod hactenus ab his, qui noſtram ſententiam tenent, ſolutum non ſit. Arguit ergo P. Lorca ex Durando in 3.diſt.7.quæſt. 3.ſic, nam, ſi hæc propoſitio: *Chriſtus eſt prædeſtinatus Filius Dei*, eſſet propria, deberet ſupponi priùs *ſubiectum eius* ſaltèm in aprehenſione Diuina, cui fieret gratia prædeſtinationis, ad filiationem Dei, quam eius prædicatum, ſcilicèt, *Filius Dei*, quæ eſt gratia facta per prædeſtinationem; atqui nullo modo poteſt intelligi, quod ſubiectum talis propoſitionis præſupponatur ad prædicatum, nec intelligi poteſt, quod fiat gratia ſubiecto huius propoſitionis, etenim cum ſubiectum eius ſit *Chriſtus* non præſupponitur, nec præſupponi poteſt ad filiationem naturalē, qui neceſſariò eam includit, nec intelligi poteſt Chriſto factam fuiſſe gratiam prædeſtinationis ad filiationem naturalem Dei, cum Chriſtus includat ſuppoſitum Diuinum, cui nulla gratia conferri poteſt: ergo vere, & propriè non poteſt de eo enuntiari talis prædeſtinatio ad filiationem naturalem Dei.

Verùm hoc argumentum, quod ex Durando adducit P. Lorca priùs pluries propoſitum, & ſolutū fuit à Sanct. Thoma, vt aduertit, & benè R. P. M. Ioannes à Sanct. Thoma in hac quæſt. 24.diſp.20.art.2. nam in prædicto argumento duæ conditiones tanguntur prædeſtinationis, vna eſt præcedentia ſubiecti ad terminum prædeſtinationis, altera quod terminus cōueniat ſubiecto ex gratia, ſeu gratioſè, atqui quoad vtramque partem fuit propoſitum, & ſolutum à Sanct. Doctore: ergo non ita eſt Durandi, quod non ſit prius Sanct. Thomæ, & quod à nullo ex his, qui noſtram tenent ſententiam, inſolutum ſit, cum toties ſolutum ſit à Sanct. Thoma, quoties propoſitum fuit ab ipſo; minor autem quoad primam partē de præcedentia ſubiecti ad terminum prædeſtinationis nullo alio modo probatur, niſi proponendo idem argumentum, ſicut ſibi oppoſuit S. Thomas in hac q.art.1.argumen.3.ſic: *Sicut illud, quod eſt factum, non ſemper fuit, ita illud, quod eſt prædeſtinatum, eo quod prædeſtinatio anteceſſionem quandam importat, ſed Chriſtus ſemper fuit Deus, & Filius Dei: ergo non debet dici, quod Chriſtus ſit prædeſtinatus Filius Dei.* Secundo idem argumentum ſibi oppoſuit S. Doctor in 3. diſt 7.quæſt 3.art.1.argumento 1. ſic: *Quod ſemper fuit, non prædeſtinatur, quia prædeſtinatio importat anteceſſionem, ſed homo Chriſtus ſupponit ſuppoſitum æternum, quod ſemper fuit Filius Dei: ergo nō poteſt dici, quod ſit prædeſtinatus Filius Dei.* Tertiò ibidem art.5.idem argumētum ſibi oppoſuit ſic: *Prædeſtinatio etiā ſecundum nomen importat directionem in finem, ſed non poteſt aliquid dirigi in finē niſi ſit (ſaltèm noſtro modo intelligendi) ante finem illum, cum igitur etiam ſecundum intellectum Chriſtus non priùs intelligatur homo, quam Filius Dei, videtur, quod ille homo non poſsit dici prædeſtinatus eſſe Filius Dei*: Ergo prædictum argumentum à Lorca ex Durando adductum quantum ad partem anteceſsionis ſubiecti ad terminum prædeſtinationis priùs ſemel, & iterum oppoſitum fuit à S. Thoma.

Quoad ſecundam etiam partem de gratia, quæ debet fieri ſubiecto prædeſtinationis, non minus oppoſitum fuit ante Durandum ab Angelico Magiſtro in hac q.24.art.1.In 2.argumento ſic, *Non poteſt dici, quod Chriſtus eſt prædeſtinatus ratione perſonæ, quia illa perſona non habet ex gratia, quod ſit Filius Dei, ſed ex natura, prædeſtinatio autem eſt eorum, quæ ſunt ex gratia: ergo Chriſtus non eſt prædeſtinatus Filius Dei.* Vlteriùs eadem minor probatur quoad iſtam partem ex argumento, quod ſibi oppoſuit S. Thomas in 3.diſt.7.q.3.art.1. quod argumentum eſt ſecundū in ordine ſic: *Hæc eſt falſa, Diuina perſona, quæ eſt ſuppoſitum æternum, eſt prædeſtinata eſſe Filius Dei, quia naturaliter, & abæterno hoc habet: ergo hæc eſt falſa, hic homo eſt prædeſtinatus Filius Dei*: Ergo quoad iſtam etiam partem propoſitum, & oppoſitum fuit prædictum argumētum; quod ex Durando adducit Lorca, ab Angelico Præceptore, & toties ab ipſo ſolutū,

Digitized by Google

licèt ſolutionem non acceperit Durandus.

Prædictum ergo argumentum, quod difficile ſolum eſt in hac re, variè conantur ſoluere Authores noſtræ ſententiæ. Primò enim aliqui aſſerunt, non neceſſario præſupponi debere ſubiectum prædeſtinationis ad terminum eius, niſi quando prædeſtinatio eſt ad aliquem terminum accidentalem, qualis eſt gratia habitualis, vel gloria, quando verò prædeſtinatio eſt ad aliquem terminum ſubſtantialem, qualis eſt filiatio naturalis in Chriſto, non neceſſariò præſupponi debere, ſed ipſum ſubiectum *quod* prædeſtinationis eſſe terminum *qui* eiuſdem prædeſtinationis, quod confirmant quoddam exemplo non inepto; nam Petrus futurus ex vi decreti habet rationem termini *qui* ipſius decreti, & rationem obiecti, & ſubiecti *quod* (quia in præſenti pro eodem reputatur ratio obiecti, & ſubiecti) talis decreti, & dicunt, non neceſſariò talem prædeſtinationem eſſe gratiam reſpectu ſubiecti, vel obiecti *quod*, ſed ſufficere gratiam eſſe reſpectu ſubiecti, & obiecti *quo*, ſcilicèt humanitas, ratione cuius gratia filiationis facta fuit Chriſto, non ita, vt gratia appellet ſupra Chriſtum, ſed ſupra humanitatem, vtpotè ipſa eſt ratio formalis obiectiua, propter quam Chriſtus ad filiationem naturalem per gratiam prædeſtinatus eſt.

Hæc tamen doctrina, licèt ſufficientèr ſoluat prædictam difficultatem, eo mihi non omninò placet. Tùm, quia nimis fugit difficultatem argumenti dicendo, non neceſſariò præſupponi debere ſubiectum prædeſtinationis ad terminum eius, quod licèt verum eſſet in prædeſtinatione ad terminum ſubſtantialem, vt vult prædicta ſolutio, non ideò, ſi eſt poſsibilis alius modus ſoluendi difficultatem, adſtringi debemus ad hunc de non præſuppoſitione vnius ad alterum; quia licèt re ipſa non ſit neceſſarium, ratione noſtra obiectiua in qualibet propoſitione ſemper priùs intelligimus id, quod ſe tenet ex parte ſubiecti, quam id, quod ſe tenet ex parte prædicati, cum ſubiectum ſit quaſi materia determinabilis à prædicato, quod ſe habet tanquam forma: ergo in noſtra propoſitione *Chriſtus eſt prædeſtinatus Filius Dei*, verificari hoc debet, ſine eo quod recurramus ad ſimultatem ſubiecti, & prædicati, vel obiecti, & termini prædeſtinationis.

Ideò ſecundo alij confugiunt ad Chriſtum poſsibilem, & dicunt, quod Chriſtus poſsibilitèr ſubſiſtens in natura humana eſt ſubiectum, & obiectum prædeſtinationis eius, & præſuppoſitus ad ſe ipſũ, vt actu terminantẽ naturã humanã, & vt actu terminantẽ eſſe terminũ prædeſtinationis, & ſicut Petro, v.g. poſsibilitèr exiſtenti fit aliqua gratia in poſitione ipſius extra cauſas, ita Chriſto vt poſsibilitèr exiſtenti, & ſubſiſtenti in natura humana, fit aliqua gratia in eius poſitione extra cauſas, licèt non ratione ſuppoſiti, quod non erat capax gratiæ, ſed ratione humanitatis, ſicut dicebat prima ſolutio.

Sed hæc ſolutio de Chriſto poſsibili, poſsibilis tãtũ eſt, non tamen actu ad illã cõfugiendũ. Tũ, quia eſt fugere difficultatem, quæ reperitur in componendo, quod Chriſtus, vt ſubiectum prædeſtinationis actu præſupponatur ad ſe ipſum, vt habet rationem termini. Tũ etiã, nã licèt metaphyſicè loquẽdo vti poſsit tali ſolutione, vt ingenioſa, non tamen in praxi illa vtendum eſt, cum videantur contra illam aliqua Scripturæ loca pugnare. dicitur enim Ioan. 1. *Et Verbum caro factum eſt, & habitabit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre.* Vbi priùs denotatur Chriſtum fuiſſe carnem, & hominem, non ſolum poſsibiliter, ſed actu, vt denotat particula *factum*, & poſtea vnigenitus Patris; dicitur etiam Lucæ 20. *Ideòque, & quod naſcetur ex te, ſanctum vocabitur Filius Dei.* Vbi ordo ſaltèm naturæ, & prioritas deſignatur, ac ſi diceret, ex eo quod Verbum Diuinum ex Virgine, non ſolum poſſet naſci, ſed naſceretur actu, conſecutum eſt, vt homo ille natus ex Virgine vocaretur, & eſſet Filius Dei.

Tertio: ergo hanc difficultatem apud Salmanticenſes audiui nouitèr reſoluere ingenioſè ſatis à viro quoddam Religioſo Benedictino; ſic ergo phyloſophabatur, quod Chriſtus Dominus, cũ haberet ſubſiſtentiam Diuinam, quæ aliàs vices gerebat ſubſiſtentiæ humanæ, quæ debebatur humanitati, ſecundum hanc rationem præſuppoſitus fuit per modum ſubiecti ad ſe ipſum,

Digitized by Google

ſum, prout ſubſiſtebat in natura Diuina, & ſubſiſtentia Diuina prout explicabat munus diuinæ; quia licèt in re ea ſubſiſtentia, quæ ſupplebat, & gerebat vices ſubſiſtentiæ creatæ, Diuina eſſet, nõ tamen explicabat eſſe diuinum pro illo priori, quando ſe habebat Chriſtus vt ſubiectum prædeſtinationis, donec ſe haberet Chriſtus, & intelligeretur, vt terminus prædeſtinationis, quia iam explicabat eſſe diuinum gratioſè communicatum illi ſuppoſito prius concepto ratione humanitatis, tanquam ratione formali, ob quam capax erat gratiæ.

Verum hæc doctrina licèt ingenioſiſſima mihi videatur; eo mihi tunc diſplicuit, & modo diſplicet, & contra eam inſurgo, quia dum intendit ſaluare proprietatẽ ſermonis in propoſitione Pauli, ab eo recedit; nam ſubiectum propoſitionis, quod præſupponi debet ad prædicatum filiationis Dei, eſt Chriſtus, atqui Chriſtus nequit intelligi, nec exprimi, quin intelligatur ſubſiſtentia Diuina, vt Diuina, nam Chriſtus expreſſe, vt talis, nõ eſt, quin exprimatur aliquid Diuinum, vt Diuinum, vt ex terminis ipſis videtur conſtare: ergo nequit verificari in proprietate ſermonis Chriſtũ eſſe prædeſtinatum Filium Dei, ſi ſubiectum huius propoſitionis non exprimat aliquid Diuinum, vt Diuinum. Reſponſum fuit priùs intellectum fuiſſe, humanitatem terminatam ſubſiſtentia prout non exprimebat munus Diuinæ, ſed ſubſiſtentiæ non abſtractè, & quaſi genericè, ſed contractè, & determinatè determinatione pertinente ad lineam ſubſiſtentiæ, non tamen pertinẽte ad lineam Diuinæ. & vt ſic eſſe ſubiectum, & terminum prædeſtinationis. Sed contra; ſic intellecta ſubſiſtentia non exprimit eſſe Chriſti, licèt materialitèr ſit Chriſti: ergo in ſenſu verò, & proprio non eſt verùm dicere; *Chriſtus eſt prædeſtinatus Filius Dei*, ſed ſolum erit verum dicere, *ille*, qui aliàs eſt Chriſtus, & non exprimitur: *Eſt prædeſtinatus Filius Dei.*

Secundo ſic efficacitèr meo iudicio argumentum contra talem doctrinam feci; nam impoſſibile eſt, naturam humanam priùs intellectam fuiſſe terminari ſubſiſtentia Verbi, prout non exprimebat aliquid Diuinum, quam terminari ipſa ſubſiſtẽtia, prout aliquid Diuinum exprimebat; quin potiùs, ſi aliqua prioritas rationis fuit in terminatione ſubſiſtentiæ ad humanitatẽ, fuit priùs terminata ſubſiſtentia Verbi, vt Diuina, & vt Verbi erat, quam vt non exprimebat eſſe Diuinum, quod ſic perſuaſi. Nam ſi priùs intelligeretur humanitas terminata ſubſiſtentia Verbi, non vt exprimebat eſſe Verbi, & vt exprimebat eſſe Diuinum, ſed vt exprimebat eſſe ſubſiſtentiæ præciſſe, non eſſet ratio firma, qua vnio Incarnationis facta fuiſſet primariò in relatiuo, & ſecundariò in abſoluto, ſed potiùs iuxta iſtam doctrinam oppoſitum eſſet dicendum; nã quia vnio fuit facta in aliquo proprio Verbi, ideò prius noſtro modo intelligendi fuit facta in perſonalitate, quam in natura Diuina, quæ non eſſet ita propria Verbi, vt nõ ſit etiã propria Patris, & Spiritus Sancti, ſed in ſubſiſtẽtia Verbi ſunt aliqua prædicata Verbi ſolius, & alia, quæ non ſunt ita propria Verbi, quod non ſint aliquo modo communia Patri, & Spiritui Sancto, videlicèt, ſubſiſtentia, vt exprimit eſſe Diuinum Verbi, eſt ita propria Verbi, quod non eſt communis Patri, nec Spiritui Sancto; ſubſiſtentia autem Verbi, vt exprimit eſſe ſubſiſtentiæ præciſſe, non eſt ita propria Verbi, quod non ſit etiam Patri, & Spiritui Sancto communis: ergo ſi ideò non facta fuit vnio primariò in abſoluto, ſed in relatiuo, quia relatiuum, & nõ abſolutum eſt, quod eſt proprium Verbi ſolius; ideò etiam de facto vnio ſubſiſtentiæ Verbi non potuit terminare humanitatem Chriſti primariò, ſecundum quod exprimebat munus præciſſe ſubſiſtentiæ, ſed potiùs, ſecundũ quod exprimebat munus Diuinæ, & Verbi, quia ſecundum iſtam rationem erat propria ſolius Verbi, & ſecundum alteram non erat ita propria, quod non fuerit etiam Patri, & Spiritui Sancto communis.

His ergo, & alijs ſolutionibus omiſſis (non quia iudicem illis non ſufficientèr ſolui argumentum) Reſpondeo ego alia iudicio meo ſubtiliori, & quæ non extorqueat ſenſum propoſitionis Pauli, & quæ ſit iuxta mentẽ S. Th. in locis præcitatis, vbi propoſuit, & ſolutiones dedit prædicto argumento, quod ex Durando propoſuit Loca, verùm eſſe,

quod intendit argumentum, ſubiectum prædeſtinationis debere ſaltèm in aprehenſione Diuina præſupponi ad terminum eius, quando verò dicitur, Chriſtum non poſſe præſupponi ad filiationem naturalem, cum eam includat, diſtinguendum eſt, nam Chriſtus poteſt ſumi dupliciter, primo vt eſt factus ex ſemine Dauid ſecundum carnem, & ſecundum quod eſt factus ex vi prædeſtinationis Filius Dei, Chriſtus ergo primo modo conſideratus eſt ſubiectum prædeſtinationis, præſuppoſitum ad ſe ipſum in aprehenſione Diuina, vt eſt Filius Dei, qui vt ſic eſt terminus ipſius prædeſtinationis; nam priùs in aprehenſione Diuina fuit, quod Verbum caro, & homo fieret ex ſemine Dauid per generationem naturalem Virginis, quam quod eſſet Vnigenitus Patris, & eſſet vocatus Filius Dei, vt euidentèr denotant verba Pauli, vbi priùs aſſerit: *Factum fuiſſe ex ſemine Dauid ſecundum carnem*, & poſtea *prædeſtinatum eſſe Filium Dei*, & idem expreſſe etiam indicāt verba Ioan. 1. & Lucæ 20. à nobis adducta in hoc art. 1. §. *Sed hec ſolutio*. Quando autem in argumento dicitur ſuppoſito Diuino nulla poteſt fieri gratia prædeſtinationis, verum eſt reſpectu ſuppoſiti Diuini, vt habet eſſe per æternam generationem, & non ex ſemine Dauid, ſecus autem ſuppoſito Diuino, vt habet eſſe per generationem temporalem ex ſemine Dauid ſecundum carnem. Hunc modum explicandi ſubiectum, & terminum prædeſtinationis, & præcedentiam in Chriſto ſecundum, quod eſt factus ex ſemine Dauid ſecundum carnem, poſtquam ego ſic explicui, inueni nouitèr in Magiſt. Ioann. à Sanct. Thoma loco ſuperius citato, §. *Explicatur ſecunda conditio de præcedentia*. Vbi latè hunc modum expendit ex Auguſtino, Sancto Thoma, & Scripturæ locis, & exemplis, à nobis etiam poſitis in hac quæſt. art. 2. in fine.

Inſtabis contra prædictam ſolutionem. Etenim ſemel intellecta vnione ſuppoſiti Diuini ad humanitatem, vt habet eſſe per generationem temporalem ex ſemine Dauid ſecundum carnem, nulla poteſt intelligi gratia, quæ fiat in hoc, quod iſte homo Deus ſit Filius naturalis, nam quod datur ex gratia, poteſt non dari, aliàs non eſſet gratia, ſed debitum, atqui ſuppoſita, vel intellecta priori vnione ſuppoſiti Diuini cum humanitate, taliter eſt debita huic ſuppoſito humanitatem terminante filiatio naturalis Dei, quod nec Deus de ſua potentia abſoluta poſſit facere, quod illud ſuppoſitum terminans humanam naturam non ſit Filius naturalis Dei: ergo quamuis fiat gratia in hoc, quod Verbum humanitati vniatur, & fiat homo, ibi ceſſat tota gratia, ac per conſequens id, quod ſequitur, ſcilicèt, quod talis homo ſit Fili⁹ naturalis Dei, non erit gratia ſed debitum debito connaturalitatis primæ vnioni Verbi cum humanitate.

Hæc inſtātia cōmunitèr ſoluitur dicēdo ſufficere, quod ratione vnius partis fiat gratia, vt toti ſubiecto fiat, ac proinde cum ſubiectum huius prædeſtinationis ſit Verbum Diuinum terminans humanitatem, & habens eſſe ex ſemine Dauid ſecundum carnem per temporalem generationem Virginis Mariæ, & humanitas ſit vna pars huius ſubiecti prædeſtinationis, & humanitati fiat gratia, quod tranſeat ad filiationem Dei naturalem, toti ſubiecto fit talis gratia ratione humanitatis in ſubiecto incluſæ.

Verùm hæc ſolutio, & ſi communis quā affert R. P. M. Ioannes à Sanct. Thoma in hac quæſt. 24. articul. 1. pag. mihi 564. non videtur ſatisfacere, tū, quia verba Pauli clare docent: *Quod prædeſtinatus eſt Filius Dei* ille homo, qui *habet eſſe ex ſemine Dauid ſecundum carnem*. Hoc autem non eſt ſola humanitas, ſed Verbum humanatum, quod eſt terminus generationis temporalis Beatæ Virginis: ergo non ſufficit, quod fiat gratia vni ex partibus huius concreti, vt toti concreto gratia fiat. Tùm etiā, quia terminus prædeſtinationis debet eſſe gratioſus reſpectu ſubiecti ipſius prædeſtinationis, ſed ſubiectum prædeſtinationis Chriſti non eſt humanitas, quia ipſa non poteſt eſſe Filius Dei naturalis, cum filiatio non naturæ, ſed ſuppoſito conueniat, ſed eſt ſuppoſitum, vt factum ex ſemine Dauid ſecundum carnem: ergo dum non fiat gratia huic ſuppoſito ſe habente vt ſubiectum prædeſtinationis, parum refert, quod gratia fiat vni ex partibus talis ſubiecti, ſcilicèt, humanitati.

Qua-

Digitized by Google

Quare ad inſtantiam dicendum eſt cum R. P. M. Ioanne à Sanct. Thom. loco citato. §. *Secunda ergo ſolutio.* Quod licèt filiatio Dei naturalis ſit debita, & quaſi neceſſaria ex ſuppoſitione primæ vnionis, qua intelligitur Verbum eſſe humanatum per terminationem humanitatis, hæc neceſsitas, & hoc debitum non tollit, quominus facta ſit gratia ſimplicitèr tali ſubiecto; nam benè poteſt eſſe aliquid ex gratia ſimplicitèr, & eſſe ſecundum quid neceſſarium, nã hæc neceſsitas ſecundum quid, & ex ſuppoſitione non excludit gratiam ſimplicitèr, ſed compatitur cũ libertate, quod poſsit non eſſe, & non dari abſolutè, & ſimplicitèr, vt pluribus in locis docet Sanct. Thom. præcipuè 1. part. quæſt. 19. art. 3. ad 1. & art. 7. ad 4. & quæſt. 82. art. 1. per totum: *In præſenti igitur* (vt verbis M. Ioannis à Sanct. Thoma ſolutionem concludam) *ex ſuppoſitione vnionis ſequitur connaturalitèr, quod homo ſit Filius, ſed id, quod ſupponitur, eſt ex gratia, & ex vi huius gratiæ gratioſum eſt, quod ſequitur, quamuis inter ſe ipſi effectus connexionem habeant, quia voluntas Dei gratioſè tendit in vtrumque effectum, & primum ponit ex gratia, & conſequentèr etiam ſecundum; & ſic ſimplicitèr eſt gratioſus etiam effectus ſecundus, quamuis ſecundum quid ſit neceſſarius*, hucuſque M. Ioannes à Sanct. Thoma, quos etiã effectus perſpicue explicuit Sanct. Thomas in 3. diſtinct. 10. quæſt. 3. quæſtiuncula 1. ad 1. per hæc verba: *Prædeſtinationis Chriſti primum effectũ eſſe ipſam vnionem, quia filiatio non eſt primus effectus prædeſtinationis, ſed ſequitur ad vnionẽ.* Vbi apertè Sanct. Thomas vtrumq; effectum docet eſſe gratioſũ prædeſtinationis, licèt vnus ſequatur naturalitèr, & neceſſariò ad alium.

Hinc, vt alia leuiora contra noſtram doctrinam argumenta ſoluantur, ſubiũgo terminum præcipuũ prædeſtinationis Chriſti eſſe filiationem naturalem Dei; nam, ſi quæ concurrunt ad conſecutionem huius filiationis, vel tanquã media, vel tanquam conditiones neceſſariæ, non ſunt dicendi termini, & ſi dicuntur, vel dici poſſunt, ſolum erit minus præcipuè. De alijs autẽ donis, quæ ſe habuerunt tanquam quid conſecutũ ad filiationem naturalem Chriſti, vt de gratia habituali, & gloria tam animæ, quam corporis, idem ſentiendum eſt, nimirum non eſſe terminos ſaltèm præcipuos prædeſtinationis Chriſti, ſed debitos termino præcipuo, ſcilicèt, filiationi naturali, eo modo quo paſsiones debentur eſſentiæ, cuius ſunt paſsiones, vnde licèt priùs ſit filiatio naturalis Chriſti, quam gloria animæ, & beatitudo eius, vtpotè illa ſubſtantialis, & ordinata ad eſſe, iſta accidentalis, & ad operari ordinata, (nam Chriſto data fuit tanta gloria propter filiationem) non ex hoc ſequitur fuiſſe priùs intentam gloriam animæ Chriſti, quam filiatio naturalis, nec filiatio naturalis ordinatur ad gloriam animæ, licèt hæc ab illa oriatur, ſicut licèt paſsiones oriantur ab eſſentia, non tamen eſſentia ordinatur ad paſsiones, vt medium ad finem, ſed vt cauſa ad effectum; ita ſimilitèr, licèt ordinetur filiatio Dei ad gratiam, & gloriam animæ, non priùs intenta fuit in prædeſtinatione Chriſti gratia, & gloria animæ, quam filiatio naturalis; nam licèt id, quod ordinatur ad aliud, tanquam medium ad finem, intendatur propter intentionem illius, ad quod ordinatur vt medium ad finem, non tamen quando id, quod ordinatur ad aliud, tanquam cauſa ad effectum, intendi debet propter intentionem effectus. & hoc modo ſe habet filiatio naturalis Chriſti ad gratiam, & gloriam, tam animæ eius, quam corporis: quando autem communitèr dicitur, quod eſt priùs in intentione, eſt in executione poſteriùs, verificatur ſolum in cauſis finalibus.

Expenditur quonam modo prædeſtinatio Chriſti ſit cauſa prædeſtinationis noſtræ?

ARTIC. IV.

Reſolutio prima ſit, prædeſtinatio Chriſti non quoad actum æternũ Dei, ſed quoad terminum eius fuit cauſa noſtræ prædeſtinationis in triplici genere cauſæ: nimirum finalis, iuxta illud 1. ad Corinth. 3. *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.* In genere cauſæ meritoriæ, vtpotè ipſe eſt, qui vt prædeſtinatus, nobis meruit prædeſtinationem; in genere cauſæ exempla-

plaris, vtpotè omnium prædeſtinatorum exemplar, & prototypum.

Reſolutio ſecunda ſit, prædeſtinatio Chriſti quoad terminum primarium fuit æterogenea, & diuerſæ rationis cũ noſtra, quoad terminum autem ſecundarium fuit homogenea, & eiuſdem rationis cum noſtra; ratio eſt, quia in termino primariò diuerſo modo eſt Chriſtus prædeſtinatus ac nos, vtpotè ille ad filiationem naturalem Dei, nos autem ad filiationem adoptiuam, & gloriam, in ſecundariò autem non, cum gratia, & gloria eiuſdem ſit rationis in Chriſto, Angelis, & nobis.

Hinc non valet, quod communitèr obijcitur gratiam Adamo collatam in ſtatu innocentiæ fuiſſe datam ante Chriſti prædeſtinationem: ergo Adam fuit primus prædeſtinatus; nam illa gratia ſi fuit collata Adamo ante prædeſtinationem Chriſti, nõ fuit collata ex intentione prædeſtinandi, ſed ex alia prouidentia, præterquam quod probabile eſt apud Sanct. Thom. vt in hac 3. part. ad quæſt 2. nullam gratiam fuiſſe adhuc illam Adami, & Angelorum, quæ non præſupponeret prædeſtinationẽ Chriſti, à qua ortum haberet tanquam à cauſa finali, in quo genere priùs fuit decretum prædeſtinationis Chriſti quocumque alio decreto, ſiuè ad ordinem ſupernaturalem pertinente, ſiuè ad ordinem naturalem expectante.

DISPVTATIO VIII. & VLT.

Circa quæſtionem vigeſimamquintam Sanct. Thomæ.

De Adoratione Chriſti.

DEnique Sanct. Thomas, poſtquam de his, quæ pertinent ad Chriſtũ comparatione ad Patrem, egit; agit iã de his, quæ pertinent ad ipſum comparatione ad nos, & ita diſputat in hac q. 25. per ſex articulos de adoratione Chriſti, id eſt, qua nos Chriſtum adoramus, & occaſione huius longam protendunt diſputationem Theologi hic de adoratione in communi, vt faciunt Vazquez, Cabrera, Lorca, & alij: ſed certè, vt hic aduertit noſter Auerſa in proœmio diſputationis 25. Hæc tã generalis tractatio expectat ad ſecundam ſecundæ ſub virtute Religionis, & obſeruantiæ, vbi Sanct. Thomas ita præſtitit quæſt. 84. de Adoratione, & Latria erga Deum, & quæſt. 103. de Dulia erga alios; & ita nos hic pertractabimus ſub hac diſputatione ea, quæ ad Chriſtum pertinent, quatenus adorabilis eſt, & aliqua circa ea, quæ ad adorationem B. Virginis, & Sanctorum pertinent, eo modo, quo aliqualitèr de his omnibus tetigit Sanct. Thomas in hac quæſtion. 25.

Quænam adoratio exhibenda ſit Chriſto, B. Virgini, Sanctis, & reliquijs eorum?

QVÆST. VNIC.

IN Hac re, relicta adoratione ciuili, quæ tantum debetur rebus non ſacris, ferè ſine controuerſia eſt inter Catholicos admittentes diuerſas adorationes ſacras rebus ſacris conuenientes nobiliori adoratione, debere adorari Chriſtum Dominum, quam cæteros Sanctos, & eorum reliquias ſecundum ſe, & ſecundùm maiorem excellentiam, quam habet præcæteris; & idem eſt de Beata Virgine comparatione cæterorum Sanctorum: nam ſicut Chriſtus ſuperexcedit in excellentia B. Virginem, & cæteros Sanctos; ita Virgo Beata ſuperexcedit in excellentia reliquos Sanctos: ob quod à recitatione opinionum ſuperſedemus, & reſolutoriè definiemus ea, quæ de omnibus iis magis certa videantur apud Authores: qui autem ad longum videre deſideret, legat Vazquez, Cabrera, & Lorca ſuper hanc quæſt. 25. Sanct. Thomæ & noſtrum Auerſam hic diſput. 25.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo, adorationem in communi rectè definitam fuiſſe à Damaſc. orat. 1. & 8. de Imaginibus ſic: *Adoratio eſt id, quo alteri, vt nobis ſuperiori quoad excellentiam, nos ipſos ſubmittimus, & ſubijcimus.* Quam definitionem approbant communitèr Theologi; ex qua deducitur

Digitized by Google

tur primo, non poſſe eſſe adorationem, niſi inferioris ad ſuperiorem; ſecundo non quemlibet actum virtutis eſſe materiam aptam adorationis, etiam ſi ſit actus virtutis Theologicæ. Primum patet ex eo, quod adoratio eſt ſubmiſſio, & recognitio practica ſuperioritatis quoad excellentiam illius, qui adoratur, reſpectu adorantis, quod non poteſt aptè conuenire actui fortitudinis, v.g. temperantiæ, & ſoluendi debitum: Secundum patet etiam, quia actus virtutis Theologicæ non eſt propriè ſubmiſſio, nec Deum reſpicit formalitèr, vt nobis ſuperiorem, ſed ad ſummum materialitèr, vt actus fidei formalitèr Deum reſpicit, vt veracem; actus ſpei, vt auxiliantem, & charitatis, vt in ſe bonum: vnde licèt credamus, ſperemus, & Deũ diligamus ex affectu recognoſcendi illum ſuperiorem quoad excellentiam, ſolum eſt, quia prædicti actus placent Deo, aliàs ſuperiori noſtro, non autem, quia verè ſint propriè ſubmiſſio formalitèr, quod requiritur ad rationem adorationis.

Obſeruo ſecundo, quod adoratio iſta ex parte actus diuiditur in internam, & externam, id eſt, in adorationem interius conſummatã, vt eſt actus, quo quis complacet eſſe ſub alio, recognoſcendo practicè ipſum, vt ſuperiorem in dignitate excellẽtiæ, nõ quia hoc exprimat aliquo actu externo, vt eſt illa quæ competit Angelis reſpectu Dei, quem interius recognoſcunt vt ſuperiorem: Et in adorationem exterius conſummatam, vt eſt actus, quo quis aliquo ſigno externo exprimit ſuperioritatem quoad excellentiam erga alium, vt per genuflexionem, v.g. & actus huiuſmodi, ex quibus adorationibus prima poteſt eſſe ſine ſecunda, vt patet in exemplo poſito de Angelis; ſecunda autem non poteſt eſſe ſine prima, vt patet etiam in genuflexione, & actibus huiuſmodi, qui licèt ſint actus indifferentes ad adorandum, vel ad irridendum, cùm vero procedũt ex affectu recognoſcendi illum, cui fit genuflexio, vt ſuperiorem quoad excellentiam, & dignitatem, erit genuflexio actus proprius adorationis; ſicut erit irriſionis, ſi ex tali affectu non procedãt; ſicut erat Iudæorum, quando Chriſto genuflectebant.

Obſeruo tertio, quod huiuſmodi adoratio ex parte obiecti diuiditur in Latriam, quæ conuenit excellentiæ increatæ, & in Duliam, quæ conuenit excellẽtiæ creatæ; illa adorandus eſt Deus, non diuerſificando illam ad diuerſificationẽ beneficiorum, quæ nobis confert, nec attributorum, quæ in ſe continet, ſed eadem indiuiſibili adorandus eſt ob beneficia nobis collata, & ob attributa in ſe exiſtentia: Primum patet ex eo, quod collatio beneficiorum formalitèr non eſt excellentia in ipſo, ſed eam ſupponit, ſaltèm noſtro modo intelligendi; ſiquidem ex eo quod talem excellentiã habet, & ſuperioritatem, nobis confert beneficia; adoratio autem tantum tribuitur ob excellentiam, vt propter rationem adorãdi: vnde ſi eſſent duo Dij, quorum vnus nos creaſſet, alter nos redemiſſet, ſi eandem haberent excellentiam, eadem deberent adoratione adorari. Secundum etiam patet ex eo, quia licèt in Deo ſint plura attributa noſtro modo concipiendi diſtincta, omnia tamen illa conſtant vnam excellentiam, qua Deus eſt ſupremus Dominus omnium, & primum principium eorum: Illa autem adoratione Duliæ adorandi ſunt Sancti, & Angeli, eo quod in eis eſt quædam excellentia, & dignitas ſacra, qua ſunt Filij Dei cohæredes Regni Cœleſtis, ratione cuius merentur adorari, & non adoratione Latriæ, eo quod hæc excellentia eſt quid increatũ, nec adoratione purè ciuili, eo quod hæc eſt inferior excellentia ſacra; ac per conſequens adorari merentur adoratione Duliæ.

Obſeruo quarto, quod ex iis adorationibus prior Deo debita pertinet ad Religionem, ſecunda autem debita, & facta creaturis, non ad Religionem, ſed ad obſeruantiam pertinet, eo quod excellentia, à qua ſpecificatur adoratio, diuerſæ rationis eſt in Deo, ac in creaturis, vtporè increata illa, creata iſta; ac proinde debent ad diuerſas virtutes pertinere, quæ non poſſunt eſſe aliæ, præter aſſignatas. Et licèt adoratio Sanctorum aliquando vocetur à Patribus Religioſa, non eſt ex eo quod ad Religionem pertineat, ſed quia eſt ſacra, propinquior religioni, quam ciuili. Nec diuerſum quid eſt argumentum, quod fieri ſolet de charitate, qua diligitur Deus, & qua diligitur proximus propter Deũ;

ab

Digitized by Google

ab adoratione, qua adoratur Deus, & qua adoratur Sanctus propter excellentiam Dei; quia ſicut primus actus pertinet ad charitatem, eo quod motiuum vtriuſque dilectionis Dei, ſcilicèt, & proximi eſt ipſemet Deus, vt in ſe bonus: ita ſimilitèr actus adorationis, quo adoratur Deus propter ſui excellētiam, & Sanctus propter excellentiam Dei, pertinet ad Religionem; eo quod motiuum vtriuſque Dei, ſcilicèt, & Sancti, eſt excellentia ipſius Dei; cum hoc tamen ſtat, quod ſicut actus, quo diligitur Deus propter ſe eſt diſtinctus ab eo, quo diligitur proximus, nō propter Deum, ſed propter ſuam bonitatē; & ad diuerſam virtutem pertinet, eo quod habet diuerſum obiectum formale. quorum vnum ſpecificat charitatem, alterum beneficientiam, v. g. Ita ſimilitèr actus, quo adoratur Deus propter ſuam excellentiam increatam, eſt diſtinctus ab eo, quo adoratur Sanctus, non propter excellentiam Dei, ſed propter propriam excellentiam; & ad diuerſam virtutem pertinet, eo quod habet diuerſum obiectum formale, quorum vnum ſpecificat Religionem, alterum obſeruantiam, v. g. Ex quo ſequitur, quod quando aliquis iniurioſè, & irreuerentèr tractat Sanctos, vel perſonas Religioſas, non committit ſacrilegiū, prout opponitur Religioni, ſed prout opponitur obſeruantiæ, niſi iniuriet illas propter excellentiam increatam, ratione cuius poſſunt adorari, & adorantur adoratione ad Religionem pertinente, vtpotè eadem cum adoratione Dei, iuxta ſupradicta. Quibus ſic obſeruatis.

Qua adoratione debeat adorari humanitas Chriſti Domini?

ARTIC. II.

PRo cuius luce ſtatuo priùs, quod de humanitate Chriſti Domini poſſumus loqui duplicitèr; primò in quantum adoratur ſimul cum Verbo Diuino, cum quo conſtituit vnum per ſe, ſcilicèt Chriſtum; ſecundo in quantum conſideratur, non conſiderato Verbo, cum quo vnitur, ſed ſolum ſecundum propriam excellentiam gratiæ, & donorum ſupernaturalium. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio prima ſit, humanitas Chriſti Domini primo modo conſiderata, eadem adoratione latriæ adoratur, & debet adorari, cum Verbo ſibi perſonalitèr vnito, ita vt, licèt ipſa non ſit ratio adorandi adoratione latriæ, eſt tamen terminus *qui* ſimul cum Verbo talis adorationis, & ita potiùs dicitur coadorari latria, quam adorari, quatenus adoratur ſimul cum Verbo, & ratione excellentiæ increatæ ipſius Verbi. Ratio eſt clara, quia vt adoretur aliquod ſuppoſitum (quod propriè dicitur adorari, vt inquit Sanct. Thomas in hac quæſt. art. 1. ad 2.) non eſt neceſſarium, vt totum ſuppoſitum ſit ratio adorandi; ſicut vt aliquis ſit ſapiens, & adoretur ratione ſapientiæ, non eſt neceſſarium quod totum ſecundum omnes ſuas partes habeat ſapientiam; ſicut vt aliquod album videatur, non eſt neceſſarium, quod totum, quod eſt in albo, ſit ratio videndi, ſed quod habeat rationem formalem videndi, quæ eſt color, vel lux. Ergo vt adoretur ſuppoſitum Chriſti, non eſt neceſſarium, quod omnes eius partes ſint ratio adorandi, ſed ſufficit, quod habeat vnam rationem formalem adorandi, per quam adorentur omnia, quæ ſunt in Chriſto; ſicut vnica exiſtentia, & ſubſiſtentia exiſtunt, & ſubſiſtunt omnia, quæ ſunt in Chriſto: atqui Chriſtus ſecundum perſonalitatem Diuinā, & increatam excellentiam, quam includit, non ſolum eſt quod adoratur adoratione latriæ, ſed etiam eſt ratio adorandi humanitatem ipſi vnitam; cum iuxta modum communē loquendi Theologorum, in ſimplicibus, qualis eſt perſonalitas Verbi, idem eſt *quod* eſt, & *quo* eſt. Ergo humanitas Chriſti Domini eadem adoratione latriæ adoratur cum Verbo ſibi perſonalitèr vnita.

Nec ex hoc licèt inferre, quod humanitas Chriſti adoretur peraccidens, eo quod adoretur ratione alterius, ſcilicèt, ratione excellentiæ Verbi. Nam ad hoc vt aliquid adoretur peraccidens ad adorationem alterius, requiritur, vt non conſtituat vnum per ſe cum illo, ratione cuius adoratur; quod non contingit in præſenti; ſicut ex eo quod videatur album ratione coloris, aut lucis, nō videtur album peraccidens, ſed ſolum ſub-

ſubſtitutum albedinis, ſcilicèt, ſubiectum, cui peraccidens conuenit albedo: poſito tamen illo peraccidens, ſcilicèt *album*, per ſe videtur, licèt videatur ratione coloris, aut lucis.

Nec etiā requiritur ad rationē adorationis latriæ, vt obiectum *quod* ipſius ſit quid increatum, niſi ipſum obiectū *quod* ſit etiam ratio *quo* formalis adorandi. Nam huiuſmodi ratio formalis ſemper debet eſſe increata, licèt terminus *qui*, & obiectum *quod* ſubeſt huic rationi, poſsit eſſe aliquid creatum; vndè licèt Chriſtus, vt homo, non adoretur adoratione latriæ, ſi iy *vt homo* reduplicet rationem formalem adorandi, talitèr vt ratione humanitatis adorandus ſit adoratione latriæ, adorandus tamen eſt hac adoratione, adhuc in quantum homo, ſi ly *in quantum homo* non reduplicet rationem formalem adorādi, ſed obiectum *quod* adorationis latriæ, licèt ratione excellentiæ increatæ Verbi, tanquam per rationem formalem adorandi. Quare ſi aliqui Patres aſſerunt humanitatem Chriſti non eſſe adorandam adoratione latriæ, intelligendi ſunt de humanitate Chriſti ſecundum ſe ſumpta, & ſine reſpectu ad ſuppoſitū Diuinum, cum quo eſt vnita; in quo ſenſu intelligit Lorca quendam locum Gloſſæ poſitum à Sanct. Thoma, & ſolutum in hac quæſt. art. 2. ad 1. pro quo videndus eſt prædictus Author hic diſp. 59.

Reſolutio ſecunda ſit, licèt humanitati Chriſti non repugnet adoratio inferior latria, ratione propriæ excellentiæ gratiæ habitualis, & donorum; de facto tamen, & in executione non poteſt reuerentèr adorari hac inferiori adoratione, ſed latria, quæ debetur ipſi, ratione excellentiæ Verbi, cum quo perſonalitèr eſt vnita. Primum probatur ex eo, quod excellentia gratiæ habitualis, & donorum, quæ eſt in humanitate Chriſti, ſufficiens motiuum eſt, quantum eſt ex ſe, alicuius adorationis. Ergo ex ſe non repugnat ſecundum hanc excellentiam adorari aliqua adoratione, quæ ſit inferior latria. Secundum autem ex eo conſtat, quia irreuerentèr tractatur, & adoratur quis, quando in illo ſunt diuerſæ excellentiæ, niſi tractetur, & adoretur ratione maioris, imo, & iniuria fit ipſi aliter adorari, & tractari. At qui humanitas Chriſti ex vnione ad Verbum habet maiorem excellentiam, ratione cuius poteſt, & debetur ei maior adoratio, quam debetur ratione propriæ excellentiæ gratiæ, & donorum. Ergo in executione, & de facto debet adorari adoratione ſuperiori, quæ eſt latria.

Hinc intelligendus eſt Sanct. Thomas, cum in hac quæſt. art. 1. dicit: *Ex parte eius, qui adoratur, ſcilicèt Chriſti, vnam tantum eſſe adorationem. licèt ex parte cauſæ, qua honoratur, poſſunt dici pluries.* Id eſt, metaphyſicè loquendo, non repugnat Chriſtum duplici adoratione adorari, ratione ſapientiæ increatæ, & ratione ſapientiæ creatæ; tamen phyſicè, & in executione vna tantum adoratione debet adorari, ratione vnius ſuppoſiti, quod adoratur, & cui propriè conuenit adoratio, vt ex Sanct. Thoma diximus: quippè in exercitio, & in executione ſolum propriè adoratur ſuppoſitum, & obiectum, prout eſt à parte rei: cum ergo humanitas, ſecundum propriam excellentiam conſiderata, nec ſuppoſitum ſit, nec obiectum à parte rei abſque Verbi perſonalitate, & exiſtentia, per quam exiſtit, non potuit, nec poteſt in exercitio, & in executione adorari alia adoratione, quam adoratione Verbi, quæ eſt latria.

Nec nobilius eſt adorari minori adoratione, ſecundum propriam excellentiam, quam maiori ſecundum excellentiam alterius; ſicut dicemus de B. Virgine art. ſequenti. Nam licèt nobilius ſit in B. Virgine adorari perfectiſsima Dulia, quæ vocatur Hyperdulia, ratione propriæ excellentiæ, quam latria ratione excellentiæ Verbi; non tamen nobilius eſt adorari humanitatē Chriſti Dulia, vel Hyperdulia, ratione propriæ excellentiæ, quam latria, ratione excellentiæ Verbi: nam ideò nobilius eſt in B. Virgine adoratio minor ratione propriæ excellentiæ, quam maior ratione excellentiæ Verbi, quia in executione, & in exercitio habet B. Virgo omnia requiſita ad terminandam propriam adorationem ratione ſui, vt potè ſuppoſitum independentèr à Diuino Verbo, & ab excellentia eius: Humanitas autem Chriſti ratione ſui non habet omnia requiſita ad terminandam adorationem ſibi propriam, quam terminaret,

Digitized by Google

ret, ſi relinqueretur à Verbo; vtpotè in Verbo non ſubſiſtit ratione ſui, ſed ratione ipſius Verbi, à quo ſuppoſitatur; & ita non modo: obilius erit terminare adorationem ſibi debitam, ratione propriæ excellentiæ, imò ignobilius erit hanc de facto terminare, & non adorationem Verbi.

Nec ex eo, quod in exercitio poſsit Diuinitas adorari abſque conſideratione relationum, poterit etiam humanitas adorari in exercitio abſque adoratione Verbi, vel diuinitatis. Nam diuinitas ſecundum ſe, & vt apprehenditur ſine relationibus, eſt natura per ſe ſubſiſtens, & ita poteſt in exercitio terminare adorationem ſibi propriam: Humanitas autem Chriſti ſecundum ſe, & abſque Verbo non eſt per ſe ſubſiſtens, & ita non poteſt in exercitio terminare propriam adorationem: & hoc modo intelligenda ſunt aliqua loca cõmuniter ab Auctoribus adducta, quæ aſſerere videntur, humanitatem Chriſti adorandam eſſe, non ſolum ratione excellentiæ Verbi, ſed ratione propriæ excellentiæ. Nam metaphyſicè loquendo, benè poteſt adorari humanitas Chriſti ratione propriæ excellentiæ, quia in ſe habet excellentiam gratiæ, & donorũ, ratione cuius poſsit adorari; ſed phyſicè loquendo, & in exercitio, vt hic, & nunc exiſtit, & ſubſiſtit per Verbum, nõ poteſt in exercitio alia adoratione adorari, niſi qua adoratur Verbum. Quod ſi à Verbo relinqueretur, poſſet in exercitio adorari propria adoratione diſtincta ab adoratione Verbi; quia tunc haberet omnia requiſita ad terminandam propriam adorationem, quia tunc reſultaret in ipſa propria perſonalitas, & vlteriùs haberet excellentiam gratiæ, & donorum, ratione cuius poſſet in exercitio propriam adorationem terminare. Nec argumenta, quæ contra hanc reſolutionem adducit Auerſa hic ſect. 2. aliud probant quam poſſe adorari humanitatem Chriſti, ratione ſui, alia adoratione minori, quam latria, ſi relinqueretur à Verbo, quia tunc ſuppoſitaretur alia ſubſiſtentia, vtpotè ſolum ſuppoſito conuenit adoratio, non naturæ, niſi ſuppoſitatæ.

Verùm, licèt hæc ſint diſcuſſa pro cõmuni modo tribuẽdi adorationem humanitati Chriſti; in gratiam tamen Reuerendiſsimi Patris noſtri Raphaelis Auerſa, hoc mihi ſingularitèr occurrit dicendum in fauorem ſuæ ſententiæ, ſcilicet, quod non ſolum metaphyſè loquẽdo, ſed phyſicè, & in exercitio adorari poſsit humanitas Chriſti ſine vlla irreuerentia adoratione ſibi propria, ex prædicatis ſibi intrinſecis excellentiæ, quæ habet ratione gratiæ habitualis, & gloriæ ſingularis; qui omnes ſunt tituli, quibus poteſt adorari adoratione inferiori latria, ſcilicèt, perfectiſsima Dulia, ſi ſic concipiamus humanitatem Chriſti, vt ſuppoſitatam ſubſiſtentia Verbi, non vt munus exprimit ſubſiſtentiæ increatæ, quia ſic latria debet adorari, ſed vt ſupplet vices ſubſiſtentiæ creatæ, quæ debebatur humanitati iuxta ſuam exigentiam naturalem, & quæ de facto reſultaret, ſi à Verbo dimitteretur: Ita quod licèt ſecundum quod conſideratur terminata, & ſuppoſitata ſubſiſtentia Verbi, prout munus exprimit ſubſiſtentiæ increatæ, non poſſit in exercitio adorari, niſi adoratione latriæ ipſius Verbi, vtpotè ratio formalis adorandi latria ſit quid increatum, vt munus exprimit excellentiæ increatæ; at verò ſecundum quod humanitas Chriſti conſideratur terminata, & ſuppoſitata eadem ſubſiſtẽtia Verbi, prout ſupplet vices ſubſiſtentiæ creatæ, poteſt in exercitio adorari propria adoratione Duliæ perfectiſsimæ, qualis eſt Hyperdulia: quia ſic conſiderata habet omnia requiſita, vt propriam terminet adorationem, ſcilicèt, tam maximam gratiã habitualem, & gloriam, & dona ſupernaturalia, aliàs quod deficiebat, quæ erat ratio ſuppoſiti, cui propriè conuenit adorari, iam habet, ratione perſonalitatis Verbi, vt ſupplet vices perſonalitatis creatæ, quæ ſibi debebatur; ac proinde habet omnia requiſita, vt in exercitio poſsit terminare propriam adorationem, quæ non ſit latria, cum vt ſic conſiderata humanitate, nulla reſplendeat in ea ratio formalis excellẽtiæ increatæ, vt munus exprimit increati. Qui modus ſingularis diſcurrendi, non ineptè poteſt explicari & ſuaderi exemplo ſatisfactionis Chriſti, iuxta doctrinam communem, & à nobis ſuperius datam diſp. de ſatisfactione, ſcilicèt, quod ipſa humanitas, non ſecundum ſe præciſſe, ſed vt ſuppoſitata ſubſiſtentia Ver-

Verbi, per actiones à ſe elicitas, (quæ ſuppoſitorum ſunt) ſatisfaciebat ipſimet Verbo ſibi perſonalitèr vnito, & ipſa humanitas, vt ſuppoſitata ſubſiſtentia Verbi, vt ſupplebat vices ſubſiſtentiæ creatæ, erat ſatisfaciens ipſi Verbo, & naturæ Diuinæ ſuppoſitatæ eadem ſubſiſtentia, prout munus exprimebat ſubſiſtentiæ increatæ: quare ſicut hæc diuerſitas virtualis, aut eminentialis in ſubſiſtentia Verbi vtramque naturam terminante, erat ſufficiens, vt quaſi virtualitèr diſtinguerentur ſuppoſita, & vnum eſſet ſatisfaciens, alterum ſatisfactum; ita eadem diuerſitas virtualis, aut eminentialis erit ſufficiens, vt quaſi virtualitèr diſtinguantur ſuppoſita, & ſecundum vnam rationem adoretur adoratione latria, & ſecundum aliam, Dulia perfectiſsima humanitati propria.

Qua adoratione debeat adorari B. Virgo?

ARTIC. III.

Reſolutio noſtra ſit, licèt B. Virgo habeat titulum, ratione cuius poſſit adorari adoratione latriæ, de facto tamen & in exercitio ſolum debet adorari adoratione Duliæ perfectiſsimæ, quæ vocatur à Sanct. Thoma, & Theologis Hyperdulia. Prima pars reſolutionis ex eo planè conſtat, quia B. Virgo habuit contactum magis intimum cũ Chriſto, quem portauit in vtero, quam habuit Crux, & alia, quæ contactum habuerunt cum Chriſto. Ergo ſicut in Cruce, & alijs huiuſmodi eſt ſufficiens titulus, ob quem adorentur eadem adoratione, qua Chriſtus, quæ eſt latria; ita meliori titulo eſt iſte in B. Virgine.

Secunda autem pars reſolutionis, ſcilicèt, quod practicè, & in exercitio non ſit adorãda B. Virgo adoratione latriæ, ſed Hyperduliæ, probat Sanct. Thomas in hac quæſt. art. 5. quia creatura rationalis, quæ ſecundum ſe eſt capax propriæ adorationis, debet practicè, & in exercitio adorari ratione propriæ excellentiæ: atqui excellentia B. Virginis non eſt increata, cui ſolum debetur adoratio latriæ, ſed creata, & inter creatas maxima, vtpotè Mater Dei. Ergo debet adorari adoratione Duliæ, quæ inter creatas adorationes ſit perfectiſsima, quæ vocatur Hyperdulia: *Cum igitur* (concludit S. Thomas corpus articuli) *B. Virgo ſit pura creatura rationalis, non debetur ei adoratio latriæ, ſed ſolum veneratio Duliæ, eminentius tamen, quam cæteris creaturis, in quantum ipſa eſt Mater Dei, & ideò dicitur, quod debetur ei, nõ qualiſcumque Duliæ, ſed Hyperdulia.*

Hinc dato, quod eadem adoratione adoretur Rex, & Mater Regis increatis (quod falſum eſſe docet S. Thomas in hac quæſt art. 5. ad 1. explicans quaſdam authoritates, quas ſibi obijcit in 1. argum.) adhuc tamen hoc conceſſo, nõ ideò cadẽ adoratione adoranda eſt Mater Chriſti, ac adoratur Chriſtus; quia illæ adorationes ſunt eiuſdem ordinis, ſcilicèt, creati: in Chriſto autem, & Matre eius ſunt ordinis diuerſi, illa increati, iſta creati. Vlteriùs & ſi B. Virgo, prout refertur ad Chriſtum, poſſit ipſa adorari eadem adoratione propter excellentiam Chriſti, tamen ſi ſola eius excellentia attendatur ſine alio reſpectu, non poteſt eadem adoratione adorari cũ Chriſto, ſcilicèt latria, ſed Dulia perfectiſsima. Nec ratione contactus cum Chriſto eſt adoranda adoratione latriæ, imò irreuerentèr adoraretur latria ob talem contactum, eo quod, cũ B. Virgo habeat propriam excellentiã, ratione cuius debetur adoratio Duliæ perfectiſsimæ, irreuerentèr tractaretur, ſi ratione contactus ad Chriſtum, adoraretur latria; eo quod nobilius eſt aliquem adorari ob proprias excellentias minori adoratione, quam maiori ob alienas; quia tunc ſolum adoraretur, vt materia, ſicut adoratur lignum, quod tetigit Chriſtum: *Quod non eſt capax adorationis, prout in ſe conſideratur.* Vt inquit S. Thomas loco proximè citat. ad 3. *Sed B. Virgo* (proſequitur S. Thomas) *ſecundum ſe ipſam eſt venerationis capax, & ideò non eſt ſimilis ratio.* Ac ſi diceret, omne illud, quod ſecũdum ſe eſt capax alicuius adorationis, & ſimul eſt capax adorationis ratione alterius, irreuerentèr adoratur ad adorationem alterius, quæ extrinſeca eſt ipſi, cum ex ſe habeat rationem intrinſecam, ratione cuius poſſit adorari, licèt minori adoratione, intrinſeca tamen; & ideò concludit Sanct. Thomas, quod licèt B. Virgo poſſit habere alium titulum, ratione cuius poſſit adorari latria, quia tamen

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

hic titulus extrinſecus eſt ipſi, adoranda eſt adoratione intrinſeca ſibi propria; & ne detur occaſio putandi, quod debetur ei latria propter ſe, vt aduertit, & bene Caietanus hic in explicatione articuli 3. & Lorca in explicatione articuli 5.

Qua adoratione adorandæ ſint imagines, & reliquiæ Sanctorum?

ARTIC. IV.

PRo cuius luce ſtatuo prius, quod in hoc art. ſupponimus vnum, & inquirimus aliud, ſupponimus enim tanquam de fide certum, adorationem deberi Imaginibus, & Reliquijs Sanctorum. De Imaginibus latè probant hic Theologi, vt Vazquez, Cabrera, & ſpecialitèr Lorca art. 2. diſp. 92. de Reliquijs autem probat diſp. 98. & pro Reliquijs intelliguntur corpora Sanctorum, vel eorum partes, vt oſſa, carnes, &c. vel alia extrinſeca, ad quæ dicunt corpora habitudinem, vt veſtes, & inſtrumenta paſsionum eorum, &c. de quibus omnibus definit Eccleſia adoranda eſſe, præcipuè Trident. ſeſſ. 25. in decret. 2. fidei; & hoc modò ſupponimus tanquam veri Catholici, & inquirimus, qua adoratione debeant iſta omnia adorari? Pro cuius intelligentia ſupponendum eſt ex Sanct. Thoma in hac quæſt. art. 3 quod Imago poteſt dupliciter conſiderari; primo vt eſt quædam res in ſe, quæ non ſolũ eſt materia Imaginis, vt falſo putarunt aliqui, ſed etiam forma ipſa Imaginis, nimirum lignum v. g. ſe habet vt materia Imaginis, & ſculptura, vel pictura, vel aliud quodlibet artificioſum, ſe habet vt forma, ex quibus reſultat Imago; ſicut ex materia, & forma reſultat homo. Secũdo poteſt conſiderari Imago hæc, quatenus exercet rationem, & actum Imaginis, & prout in ipſa eſt, & relucet exemplar, & prothotypũ, ratione cuius exercet rationem, & actum Imaginis illius, quod repræſentat; ſicut ratione coloris, vel lucis exercetur viſio circa albedinem, v. g. exiſtentem in ſubiecto. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio prima ſit; ſi Imago conſideretur primo modo, vt eſt res quædam, diuerſum motum terminat ab ipſo exemplari, imò vt ſic conſiderata, nullus ei debetur motus adorationis. Hanc reſolutionem, quoad vtramque partem, expreſsit Sanct. Thomas in hac quæſt. art. 3. in corp. dicens: *Duplex motus eſt animæ in Imaginem, vnus quidem ſecundum quod res quædam eſt, alius in quantum eſt Imago alterius; primus motus eſt alius ab ipſo motu circa rem repræſentatam, ſecundus autem eſt idem cum illo, qui eſt in rem repræſentatam: ſic ergo dicendum eſt, quod Imagini Chriſti, ſecundum quod eſt res quædam, puta lignum ſculptum, vel pictum,* (quod dixit Sanct. Thomas, vt doceat, quod Imago non ſolum ratione materiæ ſed ratione formæ Imaginis eſt res quædam) *nulla reuerentia exhibetur*, & aſsignat rationem: *Quia reuerentia non niſi rationali naturæ debetur.* Ergo iuxta Sanct. Thomam non ſolum diuerſo motu fertur voluntas in Imaginem, vt eſt res quædam, ac fertur in exemplar eius, ſed etiam quod ſecundum ſe conſiderata Imago, nullus motus adorationis ei debetur.

Præterquam quod experientia liquet, aliquem complacere in forma ipſius Imaginis ſecundum ſe ob rectam diſpoſitionem, vel picturam, abſque eo quod complaceat in illo, quod repræſentat, & cuius eſt Imago; imò, vt acutè arguit Caietanus hic ſupr. artic. 3. §. *Sed hunc ſenſum* in fine, aliquando diſplicet in illo, quod repræſentat, licèt habeat complacentiam in ipſa pulchritudine Imaginis, vt videre licèt, quando quis diſplicet, quod Imago ita pulchra ſit Imago alicuius diformis, cuius eſt, ob diſparitatem Imaginis cum exemplari.

Reſolutio ſecunda ſit; ſi Imago conſideretur ſecũdo modo, id eſt prout exercet rationem, & actum Imaginis, eundem motum terminat adorationis cum eius exemplari; & ita ſi hoc adoretur latria, etiam eius Imago latria adoratur, & ſi Dulia, vel Hyperdulia, eodẽ modo adoratur Imago. Hæc etiam reſolutio eſt expreſſa S. Thomæ loco cit. pro prima reſolutione, & cum eo omnes Expoſitores apud Cabrer. hic diſp. 3 §. 4. & Lorcam diſp. 104. memb. 3. vi-

Digitized by Google

deatur. Caietanus hic ſup. artic. 3. qui rem clarè demonſtrat. Itaque vt Imago adoretur eodem motu adorationis, ac eius exemplar, requiritur vt conditio neceſſaria, quod Imago repræſentet ipſum exemplar, poſtea autem ipſum exemplar eſt ratio formalis adorandi ipſius Imaginem, & ſimul eſt terminus primarius adorationis; ſicut licèt color, vel lux ſit ratio formalis videndi album, v.g. nihilominus color etiam, vel lux terminant primariò viſionem.

Sic ergo reſolutio explicata probatur; nam tota ratio adorandi Imaginem eſt ipſum exemplar, vtpotè imago in ſe, & vt eſt res quædam, nihil habet, ratione cuius poſsit adorationem terminare. Ergo eo modo, quo fuerit ratio formalis adorandi in exemplari, erit adoratio Imaginis; & ita ſi fuerit Imago Chriſti, quia dignitas, & ratio adorandi ipſum Chriſtum eſt latria, etiam Imago adorabitur latria, & ſic de cæteris Imaginibus comparatione ad ſua exemplaria. Confirmatur ex quibuſdam ſimilibus, nam vna, & eadem numero viſio terminatur ad colorem, vel lucẽ, & ad album, quia color, aut lux eſt ratio videndi album: idem actus intellectus terminatur ad Verbum mentis, & ad obiectum, quod per illud repræſentatur: Vnus, & idem actus voluntatis fertur in medium, & in finem, quia finis eſt ratio videndi media. Ergo cum exemplar ſit ratio adorandi exemplatum, quod eſt illius Imago, eodem actu adorationis adorabitur vtrumque, & vtrũque erit terminus *qui* adorationis, licèt vnum tantum ſit ratio formalis *quo* adorandi.

Hinc nihil valet, quod communitèr obiicitur, ſcilicèt, quod Imago eſt inferioris conditionis, & excellentiæ cum exemplari, vt non poſsit adorari eadem adoratione cum illo. Nam licèt ſit inferioris conditionis, & excellentiæ, ſecundum quod Imago eſt res quædam, imò, & ſecundum rationem Imaginis, cum vt ſic non ſit in eſſe phyſico ipſum exẽplar; habet tamen in ipſa repræſentatione ipſum exemplar, ratione cuius terminat eandem adorationem cum illo, qui adoratur, vt inquit Caietanus loco citato 5. *Eſt igitur.* Ac proinde non poteſt non adorari, vel coadorari eadem adoratione, qua ipſum exemplar adoratur, propter id, quod repræſentat; ſicut Crux Chriſti, quæ de ſe non habet, ratione cuius adoretur, vt tamen repræſentat Chriſtum, vel Crucẽ, in qua paſſus eſt Chriſtus, eandem terminat adorationem cum Chriſto, & cum illo coadorari dicitur.

Reſolutio tertia ſit: Reliquiæ Sanctorum eadem adoratione ſunt adorandæ, ac ipſi Sancti, quorum ſunt Reliquiæ, eo modo, quo diximus de Imaginibus: Primo, quia Sanct. Thomas 2. 2. quæſt. 99. artic. 3. in eodem ordine, & gradu adorabilitatis conſtituit Imagines, veſtes, & cæteras Reliquias Sanctorum. Ergo ſicut Imagines eadem adoratione adorantur cum exemplaribus, quorum ſunt Imagines; Reliquiæ etiam eadem adoratione adorabũtur cum illa, qua adorantur Sancti, quorum ſunt Reliquiæ. Secundo probatur ratione, qua vtitur Lorca hic diſput. 98. numer. 6. nam conſuetudo perpetua eſt inter homines, vt ea, quæ pertinent ad perſonas, quas amore proſequimur, habeantur in æſtimatione, tanto magis, quanto perſonæ ſunt chariores, & digniores; & talis conſuetudo rationabilis eſt, ſiquidem ea, quæ ſunt alicuius, quodammodo participãt dignitatem eius. Ergo multo magis ſunt in æſtimatione habenda ea, quæ pertinent ad Chriſtũ, & ad eius Matrem, & Sanctos, ac perconſequens ſicut Reliquiæ participant aliquomodo dignitatem eius, cuius ſunt Reliquiæ, eadem adoratione adorari debebunt, ac adorantur ea, quorum ſunt Reliquiæ.

Confirmatur, quia tales Reliquiæ, vel ſunt totum corpus, vel partes integrales eius, vt oſſa, &c. ſi primum, adoratio debetur, ac ſi corpus, quod repræſentat, eſſet viuum; ſi ſecundum, cũ tales partes ſint ſubſtantiales integralitèr, non poſſunt non adorari in imaginatione, & apprehenſione, ita vt talis adoratio terminetur per ſe primo ad totum, cuius ſunt partes, & per ſe ſecundo ad ipſas partes, & talis adoratio ſit eiuſdem rationis, ac eſſet, ſi adoraretur totum integrum, & viuens, ad cuius adorationem coadorantur partes, ſiquidem communis vſus habet, quod adoremus corpora Sanctorum perinde, ac ſi ibi eſſet totus Sanctus. Ergo quocũque modo conſiderentur Reliquiæ Sanctorum,

Digitized by Google

um, eadem adoratione adorari debet, ac adorantur ea, quorum ſunt Reliquiæ.

In calce articuli ſubiungo, quod circa venerationem Reliquiarum tria obſeruanda ſunt, quæ diſponunt iura Primum, quod non adorentur nouæ Reliquiæ ſine authoritate Summi Pontificis, vt cauetur in Concil. Lateran. ſub Innocentio III. & habetur in cap. *Cum ex eo* de Reliquijs, & vener. Sanctor. licèt hoc iam modificatum ſit per Trident. ſeſſ. 25. in decr. 2. fidei, vbi præcipitur, ne nouæ Reliquiæ adorentur ſine licentia Epiſcopi, adhibito Theologorum conſilio; hæc autem decreta ſunt propter pericula fraudum, & ſunt intelligenda de publica adoratione, non de priuata, quia ſi alicui certò moralitèr conſtet, aliquem eſſe Sanctum, benè poteſt eius Reliquias adorare: ex quo ſequitur poſſe etiam publicè adorari Reliquias alicuius Sancti ante canonizationem, dummodo interueniat prædicta authoritas ſuperiorum, quam petit Tridentinũ; & etiam ſequitur grauiſsimũ peccatum eſſe, ſuppoſititias, & falſas Reliquias tradde re, quod totum aduertit Lorca loco citato.

Secundum, quod obſeruandum eſt, quod corpora Sanctorum non ſunt trãſferenda de loco ad locum, ſine licentia Summi Pontificis; ita cautum eſt in Concil. Mougunt, & refertur in capit. *Corpora* de conſecrat. diſt. 1 quod ideò ita cautum eſt, ne Reliquiæ irreuerentèr transferantur, & ne furtiuè ſuſcipiantur; ex quo ſequitur peccatum eſſe ſacrilegij Reliquias furari. Tertium, quod obſeruandum eſt, ne Reliquiæ venales habeantur, quod determinatur in cap. *Cum ex eo*, & eſt ſymonia grauis, vt conſtat ex cap. *Qui ſtudet*, 1. quæſt. 1. ad quod peccatum etiam redducitur oſtendere Reliquias lucri gratia, vt notauit Panormitanus apud Lorcam loco citato num. 13. ex quo hæc tria deduxi. Quibus finem imponimus huic labori, vtinam ad laudem. & gloriam indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sãcti, & intemeratæ Virginis Mariæ ſine labe originalis conceptæ.

Et hæc de doctrina S. Auguſtini, & S. Thomæ Aquinatis dicta ſint ſatis.

Omnia correctioni Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubijcio.

IN-

Digitized by Google

INDEX TRACTATVVM, DISputationum, & Reſolutionum, quæ in hoc tomo continentur, P. paginam, C. columnam deſignat.

*Index huius ſtellæ * aliquod ſingulare indicat.*

TRACTATVS PRIMVS.

In 3. part. Sanct. Thomæ à quæſt. 1. vſque ad 6. incluſiue, in quibus de ſubſtantia Incarnationis Diuini Verbi agitur, & oſtenditur contra Hæreticos aduentus Meſsiæ, verumque eſſe Deum, & hominem, P. 1. 2. & 3.

DISPVTATIO I.

De poſsibilitate, conuenientia, & neceſsitate Incarnationis, P. 3. à c. 2.

Licet poſsibilitas, & exiſtentia Incarnationis non valeat ratione naturali demonſtrari; ſuppoſita tamen fide, & reuelatione poteſt rationibus Theologicis probabiliter vtrumque ſuaderi, P. 4. c. 2.

Verbum Diuinum, licèt alitèr ſe habuerit in Incarnatione nunc, quam pri*, non fuit per aliquid in ipſo receptũ, nec fuit mutatum, ibidem.

Non poteſt ratione naturali conuinci hoc myſterium eſſe impoſsibile; nec vlla creatura poteſt lumine naturali cognoſcere euidenter adhuc abſtractiue poſsibilitatem talis myſterij, P. 5. à c. 1.

Nec etiam poteſt lumine naturali cognoſcere exiſtentiam illius, adhuc ſuppoſito, quod ſit à parte rei, P. 7. c. 2. & reſpondetur ſpecialitèr difficili, & ſi communi argumentó, P. 8. c. 1. & 2. *.

Incarnatio non fuit conueniens Humanitati, licèt inæſtimabilem ei contulerit dignitatem; fuit tamen conueniens Deo, P. 9. c. 2. & P. 10. à c. 1.

Non fuit neceſſaria ſimplicitèr Incarnatio, adhuc ex ſuppoſitione reparationis generis humani, ſed ſecundum quid, & ad meliùs; ex ſuppoſitione tamen quod reparandum eſſet per condignam ſatisfactionem fuit ſimplicitèr neceſſaria, P. 13. c. 1. & 2.

Expenditur, quam probabilis, imò, & vera ſit Caietani ſententia circa conſtitutionem actus liberi Dei, & ſpecialitèr explicatur, quod omnes ſententiæ circa talem conſtitutionem in re ſunt Caietani ſententiæ, & ſolo nomine ab illa differre à P. 14. vſque 21. *

Peccatum mortale actiuè ſumptum prout oritur à voluntate deficienti eſt infinitum ſimplicitèr in linea moralitatis, malefacientis, maculantis, & offendentis, ſeu iniuriantis, P. 23. à c. 1. licèt malitia, macula, & offenſa, ſeu iniuria quaſi paſsiuè ſumptis nullam habeant infinitatem ſimplicitèr, P. 24. à fine c. 2. *

Offenſa peccati mortalis talitèr habet infinitatem ſimplicitèr à voluntate, vt à prima cauſa in eſſe deficientis, quod, ſi ab hoc principio eam non participaret, neutiquam à Deo infinitaretur ſe habente vt ſubiecto morali illius, P. 25. à c. 2. vſque ad P. 28. incluſiuè. *

Optimè probatur hæc infinitas offenſæ ex pœna debita ipſi, & ſimul expēditur ratio firma, impugnatis alijs, qua talis infinitas oſtenditur, P. 28. à c. 2. vſque ad P. 30. incluſiuè. *

Offenſa venialis peccati non eſt ſimplicitèr infinita; & reprobantur plures rationes quibus hoc probatur, & adducitur firma ad id ſuadendũ, P. 34. à c. 2. vſque ad P. 39. c. 1. *

Duplici via arguitur pro infinitate ſimpli-

Digitized by Google

plicitèr venialis offenſæ, ob quod eã pluries tutatus ſum, P. 39. à c. 2. vſque ad P. 47. vbi plura curioſa, & ſingularia videbis. *

Purus homo non ſolum ſatisfactionem de rigore iuſtitiæ nón poteſt exhibere pro ſuo, vel alterius peccato mortali adhuc de potentia abſoluta, verum neque æqualem, & condignam, P. 48. à c. 2. vſque ad P. 51.

Satisfactionem imperfectam poteſt elicere purus homo iuſtus per actum contritionis non ſolum prout antecedit gratiam habitualem, ſed etiam vt ſubſequitur ad illam, P. 51. c. 2. vſque ad P. 55.

Pro offenſa venialis peccati nullus act⁹ ſupernaturalis quamtumuis perfectus poteſt eſſe adæquata ſatisfactio, etiam elicit⁹ ab homine quantumcũque iuſto, P. 56. vſque ad P. 60. *

Satisfactio Chriſti Domini in eſſe ſatisfactionis fuit ſimplicitèr infinita, licèt in eſſe entis, imò in eſſe moris deſumptum ab obiecto, & circunſtantijs infinita non fuerit, ſed finita ſimplicitèr, P. 61. à c. 2. vſque ad P. 67.

Talis infinitas ſimplicitèr oritur tanquam à principio *quod* effectiuo ab ipſa perſona Chriſti operante in humanitate per ſua principia proportionata creata, tanquam per principia *quo* effectiua, ſiuè naturalia, ſiuè ſupernaturalia reſpectu operationum naturalium, ſiuè ſupernaturalium, Pag. 68. à c. 1.

Infinitas ſimplicitèr moralis operum Chriſti Domini prouenit formalitèr moralitèr tanquam à principio *quo* formali morali ab ipſa deitate formalitèr moralitèr dignificante opera Chriſti, ſiuè naturalia phyſicè ſint, ſiuè phyſicè ſupernaturalia, non autẽ à perſonalitate, neque ab alio Diuino attributo, imò neque à gratia habituali etiam conſiderata infinita in eſſe gratiæ, P 69 à c. 2.

Probabile eſt Verbum Diuinum habere aliquem peculiarem influxum effectuum ad extra non communem toti Trinitati in operationes Chriſti Domini, cum quo ſaluatur, quod opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa, P. 71. 72. & 73. *

Repugnat, quod ratio agendi in hoc peculiari influxu Verbi ſit perſonalitas Diuina, ſed ipſamet eſſentia omnipotens vt determinata tanquam per conditionem à perſonalitate Verbi ad valorandas infinito modo operationes Chriſti, Pag. 73. à c. 2. vſque ad Pag. 77. incluſiue. *

Satiſfactio Chriſti Domini fuit ex natura ſua non ſolum æqualis, & ſufficiens pro quibuſcumque peccatis commiſsis, & committendis, ſed etiam ſuperabundans, P. 79. à c. 2.

Non ſolum fuit æqualis, & ſuperabundans, ſed de rigore iuſtitiæ, ſeruando omnes conditiones requiſitas ad rationem rigoroſæ iuſtitiæ, Pag. 82. à col. 2.

Omnes actus virtutem Chriſti Domini, quatenus ordinabantur ad finem ſatisfaciendi ad æqualitatem pro offenſa, ortum habuerunt à peculiari iuſtitia commutatiua infuſſa, non à Religione, neque ab alia virtute, Pag. 85. à c. 1.

Homo iuſtus conſideratus vt membrũ Chriſti ab ipſo, & ab alijs membris diſtinctus nequit perfecte, & de iuſtitia ſatisfacere pro peccato; ſecus autem conſideratus, vt membrũ Chriſti conſtituens vna cum Chriſto capite, & cæteris membris vnam perſonam myſticam corporis Eccleſiæ, Pag. 91. col. 1. & 2. vſque ad Pag. 93. *

Adamo non peccante Chriſtus non veniret ex vi præſentis decreti, Pag. 94. à col. 2.

Ita tamen ordinata fuerunt diuina decreta ad propoſitionem Sanct. Thomæ ſaluandam, quod *Adamo non peccante Chriſtus non veniret*, vt in genere cauſæ finalis priùs fuerit decretũ Incarnationis Chriſti Redemptoris, quam decretum permiſsiuum peccatis in genere tamen cauſæ materialis prius fuerit hoc, quam decretum Incarnationis, ac proinde mutua interceſsit prioritas, & poſterioritas in diuerſo genere cauſæ inter prædicta decreta, Pag. 98. à col. 1. vſque ad pag 105.

Licèt ex vi præſentis decreti veniſſet Chriſtus non ſolum ad delendum originale peccatum, ſed omnia actualia inde ſubſecuta, principalius tamẽ venit ad tollendum originale, quam actualia, pag. 106. col 1.

Ex

Digitized by Google

Ex vi alterius prouidētiæ, quod Deus, ſcilicèt, præuidiſſet futurum tantum originale peccatum, & non actualia, vel èconttra (ſi hoc poſſet fieri) imò ſi ſolum præuideret venialia peccata in vno, vel in pluribus hominibus; ſi ad illa condignam ſatisfactionem exigeret, neceſsitate huius ſuppoſitionis compulſus Incarnationem decerneret, & veniret pro quolibet ex his peccatis adhuc veniali, pag. 106. à col. 2. vſque ad pag. 108. *

DISPVT. II.

De actione, termino, & merito Incarnationis, pag. 108. à col. 2.

Actio, qua tota Trinitas vniuit humanitatem cum Verbo (& idem eſt de qualibet actione, qua Deus res operatur ad extra) non eſt aliquid creatum formalitèr tranſiens, ſed aliquid increatum immanens formalitèr, & virtualitèr tranſiens, pag. 110 à col. 2.

Prædicta actio non eſt productiua, nec produxit aliquem modum ſubſtantialem inter humanitatem, & Verbum, cui ratio termini formalis adſcribatur; ſed ſe ipſis vnita fuerunt tāquam actus, & potentia ſine aliquo modo interiecto, ſed ſolum per aplicationem agentis tanquam per conditionem, vt talia extrema ex ſe vnibilia, vnirentur formalitèr, pag. 115. à col. 2. authoritatibus, & rationibus fulcitur, vſque ad pag. 122.

Terminus formalis ad *quem* prædictæ actionis, prout nomine *creationis* exprimitur, eſt humanitas ſecundum ſe, prout ex nihilo facta; vt autem nomine *aſſumptionis*, eſt perſonalitas Verbi, vt connotat humanitatem, quam aſſumit; prout nomine *Incarnationis*, ſeu *humanationis*, eſt ipſa humanitas, vel caro, vt vnita Verbo; & denique vt nomine vnitionis explicatur, non eſt modus vnionis, (adhuc ſi daretur) ſed eſt ipſa perſona Verbi, vt per illam tanquam perquid formalius, & actualius ex pluribus, ſcilicèt, humanitate, & Verbo, fit vnum in perſona; & termini formales *à quo* ſunt non eſſe termini formales ad *quem* ſecundum quod diuerſis nominibus exprimitur prædicta actio, pag. 123. & 124.

Humanitas Chriſti ſi exiſteret aliquo modo, vt potuit, antequam vniretur Verbo, poſſet mereri ſuam vnionem cum Verbo; de congruo, ſi exiſteret per propriam exiſtentiam, vel de condigno, ſi exiſteret per exiſtentiam Patris, aut Spiritus Sancti, pag. 126. col. 2.

Vt autem de facto exiſtit, nec meruit, nec potuit mereri talem vnionem, nec de condigno, nec de congruo per opera ordine naturæ antecedentia, nec per ſubſequentia vnionem, ibidem, à col. 2.

In aliquo vero ſenſu poteſt concedi, quod, vt de facto exiſtit vnita verbo, poſsit mereri, & mereatur ipſam vnionem, non ea ratione, qua talis vnio eſt principium meriti, ſed ſecundum alium exercitium ipſius vnionis, ſecundum quod non eſt merendi principium, pag. 128. à col. 1. *

Patres antiqui non meruerunt ſubſtantiam Incarnationis, neque eius circunſtantias quoad executionem merito de condigno, ſic autem merito de congruo: nullo autem merito meruerunt, nec illam potuerunt mereri quoad intentionem, pag. 130. à col. 1.

Incarnatio fuit cauſa finalis, qua mota Diuina voluntas contulit gratiam Patribus antiquis, qua efficientèr moralitèr mererentur Incarnationem, & eius circunſtantias quoad executionem, & in hoc tantum ſenſu dicitur communitèr antiquos Patres meruiſſe Incarnationem quoad executionem, pag 132. à col. 2. *

Beata virgo nec meruit, nec mereri potuit de condigno Incarnationem Verbi, neque maternitatem; de congruo tamen meruit maternitatem, non Incarnationem, pag. 134 à col. 2.

***

Digitized by Google

DISPVT. III.

De *Perſona aſſumente*, *pag.* 136.

ASſumere naturam alienam talitèr eſt proprium Dei, & perſonæ Diuinæ, quod adhuc inſtrumentalitèr nulli creaturæ de facto creatæ, nec creabili conuenire poſsit etiam de potentia abſoluta, pag. 137. à col. 2.

De facto nihil abſolutum, & commune tribus perſonis, quocumque modo explicetur, fuit in quod facta eſt vnio tanquam interminans *quo*, ſed hoc exercuit ſola perſonalitas Verbi, pag. 140. à col. 1.

Probabilis eſt ſententia Durandi aſſerentis factam fuiſſe vnionem in aliquo abſoluto, tanquam interminans *quo*, qua vnione verificabatur *Deum eſſe hominem*, & non negantis factam etiam fuiſſe in aliquo proprio filij tanquam interminans etiam *quo*, qua vnione verificabatur *Filium eſſe hominem*, & hæc eſt ſententia Durandi, in qua omnes præcipuè Thomiſtas iudico debere conuenire, pag. 141. à col. 1. vſque ad pag. 143. incluſiuè. *

Præciſsis per intellectum proprietatibus perſonalibus poſſet vniri humana natura ſubſiſtenti Diuino, aliàs relato, ratione ſubſiſtentiæ, vel exiſtentiæ tantum abſolutæ, etiam ſi nō vniretur ſecundum proprietatem relatiuam, quam alias haberet, pag. 144. à col. 1.

In iſto caſu diceretur *Deus homo, non Pater, nec Filius, nec Spiritus Sanctus*, pag. 145. col. 2.

Excluſis per intellectum perſonalitatibus, tam relatiuis, quam abſolutis nō eſt poſsibilis aſſumptio, ſic autem intellecta ſubſiſtentia tantum, & perſonalitate abſoluta, pagin. 146. colun. 1.

Plures perſonæ Diuinæ potuerūt vnam numero humanitatem terminare, & vna perſona plures numero humanitates, in primo caſu diceretur vnus homo iuxta Sanct. Thomam, & poſſent dici plures homines, etiam iuxta doctrinam eiuſdem S. Doctoris, pag. 147. col. 1. & 2.

Loquendo cum Theologis poteſt concedi in aliquo ſenſu hæc propoſitio, *in Diuinis ſunt tres Dij*, ſicut conceditur *in Diuinis ſunt tres immenſi, omnipotentes, & æterni*, & explicatur, quod hoc ſolum intenderit Athanaſius in Symbolo, pagin. 148. col. 1. *

Caſu, quo vna perſona Diuina aſſumeret plures numero humanitates, videtur dicendum iuxta Sanct. Thomam, quod diceretur vnus homo, tamen probabile eſt adhuc iuxta Sanct. Thomam, quod dicerentur plures homines, ibidem à col. 2. *

DISPVT. IV.

De natura aſſumpta, *pag.* 150.

NAtura Angelica, licèt non habeat neceſsitatem congruentiæ, ſicut habuit humana, habet tamen congruitatem dignitatis, vt poſſet aſſumi à perſona Diuina ibidem, colun. 2.

Quælibet natura irrationalis, dummodo ſit completa, habet omne neceſſarium, vt poſsit aſſumi à Diuina perſona, ibidem.

Nulla natura incompleta præter animam rationalem eſt aſſumptibilis à perſona Diuina, dum manet in ſtatu incompletionis, ſiuè ſit incompleta eſſentialis, ſiuè integralis; & idem de forma accidentali ſecundum ſe, pagin. 151. & 152.

Suppoſitum ſupra naturam ſingularem, licèt communitèr dicatur addere aliquem modum ſubſtantialem, probabilius iudico non eſſe aliquem modum, ſed rem ſupra naturam, & explicatur ſpecialitèr, pagin. 152. à col. 2. *

Subſiſtentia cauſatur à propria natura in duplici genere cauſæ, ſcilicèt, quaſi materiali, & formali tanquam effectus eius ſecundarius, pag. 153. à col. 1.

Digitized by Google

DISPVTATIO V.

De partibus naturæ aſſumptis, pag. 154.

VErbum Diuinum veram carnem, & veram animam rationalem eiuſdem rationis cum noſtra aſſumpſit, imo, & ſanguinem, & humores, quæ ad veritatem naturæ humanæ, neceſſaria ſunt, pag. 155. & excludūtur ſaliua, ſudor, & alia ſuperflua, quæ ad integritatem naturæ non pertinent ibidem, col. 1. & 2.

Si aliquis ſanguis Chriſti modo apud nos remanet, intelligendus eſt de ſanguine nutrimentali, qui non eſt perfecte decoctus, vel de ſanguine, qui ab aliqua imagine Chriſti percuſſa deflu xerit, vel ſi de ſanguine perfecte decocto intelligatur, cum ſint tam paruæ guttæ, non pertinent ad integritatem naturæ, ſicut creditur de pelicula præputij; & ita verificatur, *quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſsit*: cum hoc tamen ſtat, quod licèt iſte ſanguis, & pelicula præputij non ſint re vnita Verbo Diuino, quod manet modo Chriſtus in Cœlo integer, & perfectus, ibidem.

DISPVT. VI.

De ordine aſſumptionis inter ipſas partes ſeruato, pagin. 156.

SEcundum ordinem dignitatis, & cauſalitatis formalis priùs noſtro modo intelligendi fuit aſſumpta à Verbo anima rationalis, quam caro, & corpus, & in eodem inſtanti reali omnia ſimul aſſumpta fuere, pag. 156. col. 2.

TRACTAT. II.

A quæſt. 7. & 8. Sanct. Thomæ de gratia Chriſti, & virtutibus, tam ſecundum quod eſt ſingularis homo, quàm ſecundum quod eſt caput Eccleſiæ.

DISPVTAT. I.

Circa quæſt 7. de gratia Chriſti, vt eſt ſingularis homo, pagin. 158.

IN Anima Chriſti vltra gratiam habitualem fuerunt virtutes infuſſæ, & morales, quæ ſtatui beatitudinis non repugnabant, & fuerunt auxilia ſupernaturalia, & naturalia ad hic, & nunc operandum, pag. 160. col. 1. & 2.

Diuiditur ſanctitas in eſſe eſſentiæ, & in eſſe naturæ. Modus vnionis, etiam ſi daretur medius inter humanitatē Chriſti, & perſonalitatem Verbi, nō eſſet ſanctitas ſubſtantialis, neque in eſſe eſſentiæ, neque in eſſe naturæ humanitatis Chriſti, pag. 161. à col. 1.

Idem dicēdum de perſonalitate vt præciſſa à natura Diuina, pag. 162. à col. 2. & idem de Verbo Diuino adæquatè ſumpto, pag. 164. col. 1 & 2.

Sola Deitas eſt gratia vnionis, à qua ſubſtantialitèr redditur humanitas Chriſti formalitèr ſancta ibidem à col. 2.

Talis Deitas non ſanctificat formalitèr ſubſtantialitèr humanitatem Chriſti ſanctitate in eſſe naturæ, ſed ſolum ſanctitate in eſſe eſſentiæ, pag. 170. à col. 1. & deinceps.

Sanctificatio Deitatis reſpectu humanitatis non eſt merè moralis, & extrinſeca, ſed intrinſeca, & phyſica, pag. 173. à col. 1.

Gratia habitualis non præſtat humanitati Chriſti effectum formalem ſanctitatis ad eſſe eſſentiæ pertinentem, nec ad hoc munus fuit neceſſaria in Chriſto, pagin. 179 à col. 1.

Explicantur ſingularitèr quædam loca Sancti Thomæ, quæ videntur contra hanc doctrinam, pag. 181. col. 2. & pag. 182. col. 1.

Habitualis gratia ſolum tribuit humanitati Chriſti ſanctitatem in eſſe naturæ,

Digitized by Google

ræ,& ad hoc munus præſtandum neceſſario ponenda fuit in Chriſto Domino,pag.183.à col.1.
Ponuntur fundamenta Illuſtr'ſsimi Magiſtri Godoy impugnantis noſtram diſtinctionem ſanctitatis in eſſe eſſentiæ, & naturæ, & impugnantur, & ſoluuntur, & ex eius doctrina fundatur talem diſtinctionem non poſſe ab ipſo negari,pag.188.à col. 2. vſque pag.190.per totam. *
Gratia habitualis eſt principium vniuerſale, & quaſi fontale omnium actuũ ſupernaturalium talitèr, quod etiam actus fidei,& ſpei, v g. in homine exiſtente in peccato mortali ab ipſa gratia habituali oriantur, & non præciſſe ab alio principio ſupernaturali pag.191.à col.2.& deinceps per totum art. *
Sanctitas in eſſe naturæ à gratia habituali proueniens fuit neceſſaria in Chriſto Domino, non ſolum iuxta ſuauẽ Dei diſpoſitionem,& connaturalem modum operandi,ſed ſimplicitèr,vt anima eius eliceret operationes phyſicè ſupernaturales tanquam principium radicale earum,pag.196.à col. 1.per totum art. *
Gratia habitualis,habitus ipſam conſequẽtes, & auxilia ſupernaturalia ſunt totæ rationes agendi actuum ſupernaturalium vnumquodq; in ſua linea, radicali,ſcilicèt,proxima,& applicatiua virtutis agendi, pag. 202. à col. 2.per totam quæſt.
Præter argumenta, quibus communitèr oppugnatur prædicta reſolutio ponuntur alia ſpecialia, & ſoluuntur ſingularitèr,p.209.210 211. 211.*
Proponitur argumentũ,quod eſt Achilis contrariorum, & inſtatur in eorũ ſententia ſpecialitèr, & ſoluitur pro omnibus,pag.214 à col.1. *
Gratia actualis auxilij, licèt ex natura ſua ſit efficax, & non à conſenſu ſub conditione futuro, non ſemper eſt efficax poſita in omnibꝰ ſubiectis, imò neque in eodem inæqualitèr tentato,ſed aliquando eſt efficax, aliquando non, ſine eo quod detur ſcientia media,qua cognoſcat Deus, quando futura ſit efficax, quando vero non, pag.116.à col. 2. per totam quæſt. vbi curioſa inuenies. *
Gratia habitualis Chriſti non eſt infinita,& ſumma in eſſe entis,neque in eſſe phyſico, ac proinde ſecundum has rationes augmentũ ſuſcipere potuit, pag.225.à col.1.
Secundum eſſe morale proprium ipſi gratiæ correſpondens etiam potuit augmentum ſuſcipere,&non fuit infinita,cum quo componitur,quod ſecundum eſſe morale à ſuppoſito in ipſa deriuatum fuerit ſumma,nec augmentum recipere potuit,pag. 225.à col.1.& deinceps per totum art.
Gratia habitualis Chriſti ſe habet ad gratiam vnionis vt quid conſequens per modum proprietatis naturalis,& nullo modo antecedens ad ipſam adhuc ordine naturæ,pag.228.à col.1. per totum art.

DISPVT. II.

Circa quæſt.8.Sancti.Thomæ de gratia capitis,& virtutibus Chriſto conuenientibus,pag.230. col.2.

Gratia capitis poteſt cõpetere Chriſto ſecundum rationem ordinis, dignitatis, perfectionis, & virtutis, ſeu influxus,pag.231.col.1.
Chriſtus vt homo eſt perfectiſsime caput totius Eccleſiæ prout includit omnes homines in diuerſis temporibus extituros,&non ſolum quantum ad eorum animas, ſed quantum ad corpora,licèt diuerſimode tale dicatur iuxta diuerſitatem perfectionis naturalis,& ſupernaturalis membrorum,& explicatur,qua ratione talem rationem capitis exerceat erga prædicta membra iuxta conditiones requiſitas ad rationem capitis, pag. 232. c.1.& 2.
In aliquo vero ſenſu poteſt dici, Chriſtus caput infidelium,imò,& damnatorum,& explicatur, P 233.c.1.& 2
Chriſtus Dominus eſt vere caput Angelorum ſecundum rationem ordinis, perfectionis, dignitatis, & influxus imperij, & externæ gubernationis; imò & ſecundum rationem influxus ſpiritualis,licèt ſecundũ hanc rationem non ita proprie ſit caput Angelorum, ac hominum, & explicatur ſpecialitèr,pag.234 col. 1.& 2. & pag.235.col.etiam 1.& 2. *

Chri-

Digitized by Google

Chriſtus Dominus habet rationem capitis ſecundum ordinem, dignitatẽ, & excellentiam, tam à gratia vnionis, quam à gratia habituali; imo ſecundum rationem etiam influxus ab vtraque gratia habet rationem capitis, licèt non eodem modo habeat hanc rationem ab vna gratia, ac habet ab alia, pag. 236. à col. 2. & deinceps per totum art.

Chriſtus Dominus ex virtutibus Theologicis ſolum habuit charitatem, tã quoad habitum, quam quoad actum; fidem autem, nec ſpem Theologiam, nec quoad actum, nec quoad habitum habuit, pag. 238. col. 2.

Chriſtus Dominus ab inſtanti ſuæ conceptionis habuit virtutes morales per ſe infuſſas, quæ ſtatui beatitudinis non repugnabant, vt excludatur ab ipſo virtus pœnitentiæ infuſſæ, pag. 239. col. 2.

Licèt non repugnet virtutes morales per ſe acquiſitas peraccidens infundi, non tamen fuerunt Chriſto in fuſſæ in ſuo primo conceptionis inſtanti, ſed in eodem eas proprijs actibus acquiſiuit, pag. 240. col. 1. & 2.

TRACT. III.

A quæſt. 9. vſque ad 25. incluſiue Sanct. Thomæ in quibus de omnibus Chriſto conuenientibus agitur, & primo de ſcientia animæ eius.

DISPVT. I.

De Scientia Animæ Chriſti, tam in communi, quam in particulari, circa quæſt. 9. 10. 11. & 12. Sanct. Thomæ à pag. 243.

ITa perfecta fuit cognitio animæ Chriſti, vt nullus error, nec ignorãtia formalitèr fuiſſet, nec potuerit eſſe in eo, pag. 244. col. 2.

De fide eſt fuiſſe in Chriſto præter ſciẽtiam Diuinam, & increatam aliam ſcientiam creatam, & humanam iuxta duplicem naturam, quæ in eo fuit, pag. 245. col. 1.

Chriſtus Dominus ſecundum humanitatem, nec intellexit, nec intelligere potuit de potentia abſoluta per ſcientiam increatam, pag. 246. vſque ad pag. 248.

Chriſtus Dominus, ſecundum quod homo, habuit ſcientiam beatorum, dum erat in hac vita mortali; & hoc eſt de fide præſcindendo à tempore, quo illam habuit, pag. 248. col. 1. & 2.

Habuit etiam ſciẽtiam per ſe infuſſam, & per ſe acquiſitam; & omnes iſtæ ſcientiæ ſpecie diſtinguntur, p. 249. c. 1. & 2. & pag. 250. c. etiam 1. & 2.

Scientiam natura ſua acquiſitã non habuit Chriſtus peraccidens infuſſam, ſed proprio labore comparatam, per inuentionem, ſcilicèt, luminis naturalis, & per abſtractionem ſpecierum intelligibilium, pag. 250. à col. 2. & deinceps.

Non eſt creditu difficile in primo inſtãti conceptionis Chriſti abſtraxiſſe ſpecies omnium obiectorum naturalium, & ſecundum hunc modum verificari propriſsime hanc ſcientiam habuiſſe proprio labore comparatã, & ſecundum hanc ſcientiam nihil didiciſſe ab hominibus, neque ab Angelis, & ſecundum eandem ſcientiam profeciſſe quotidie experiendo ſe in actibus huius ſcientiæ, circa diuerſa obiecta, à quibus iam abſtraxerat ſpecies intelligibiles; quibus abſtractis, cum volebat, in actum prorumpebat, pag. 252. à col. 2. vſque ad pag. 254. col. 1.

Quamuis per ſcientiam beatam cognouerit anima Chriſti eſſentiã Diuinam, & Trinitatem, & plura obiecta ex creatis, quam quilibet alius Beatus, omnia tamen poſsibilia minime cognouit, neque in verbo, neque in ſe ipſis, quia ex vtroque modo cognoſcendi omniã poſsibilia ſequeretur comprehenſio omnipotentiæ, pag. 256. à col. 2. vſque ad pag. 259. col. 1.

Poteſt aliqua cognitio eſſe comprehenſiua alicuius obiecti, & talis non dici ex vi cuiuſcumque medij cognoſcatur obiectum, pag. 259. à col. 2.

Per locum intrinſecum non ſequitur comprehenſio Dei, vt eſt Trinus in perſonis, ex vi cognitionis omnium poſsibilium in omnipotentia, licèt aliàs talis cognitio materialitèr totius Dei comprehenſiua dicatur, pag. 260.

Digitized by Google

260.à col. 1. vſque ad art. ſequentem. *

Ex ſuppoſitione, quod omnipotentia adæquatè comprehendatur ex cognitione omnium poſsibilium, non ſequitur per locum intrinſecum comprehenſio diuinæ eſſentiæ adæquatè ſumptæ, ſed præciſſe, vt eſſet radix, ſeu ratio à priori omnipotentiæ, non vt eſt radix, aut ratio à priori cæterorum attributorum, pag. 263. à col. 2. vſque ad pag. 267. incluſiue. *

Anima Chriſti per ſcientiam beatam cognouit in Verbo omnia præſentia, præterita, & futura, ſiuè eorum, quæ pertinent ad ordinem naturæ, ſiuè eorum, quæ pertinent ad ordinē gratiæ; quod eſt idē, ac dicere, quod per hanc ſcientiam cognouit omnia, quæ Deus in ſe ipſo cognoſcit per ſcientiam viſionis, pag. 268. à col. 1.

Per ſcientiam infuſſam non cognouit anima Chriſti omnia poſsibilia, cognouit tamen quæcumque ab homine cognoſci poſſunt per virtutem luminis intellectus agentis, ſicut ſunt, quæ pertinent ad humanas ſcientias, pag. 271. col. 1. & 2.

Cognouit etiam per hanc ſcientiam omnes ſupernaturales creaturas, & cuncta myſteria gratiæ, & generalitèr omnia illa creata, quæ per reuelationem diuinam hominibus innoteſcunt, ſiuè pertineant ad donum ſapientiæ, ſiuè prophetiæ, ſiuè ad quodcumque donum Spiritus Sancti: cognouit etiam omnes actus liberos, cogitationes cordium, & futura contingentia, pag. 272. à col. 1.

Per hanc tamen ſcientiam infuſſam nō cognouit anima Chriſti Diuinam eſſentiam, nec Trinitatem perſonarū adhuc cognitione euidenti *quoad nos eſt*, pag. 273. à col. 1.

Per ſcientiam naturalem acquiſitam cognouit anima Chriſti omnia, quæ poſſunt ſciri per actionem intellect. agentis, vt ſunt omnia naturalia cuiuſcumque generis, pag. 277. col. 1.

DISPVT. II.

De potentia Animæ Chriſti circa quæſt. 13. Sanct. Thomæ, pag. 277. col. 2.

EXplicatur cauſa principalis, phyſica, & Moralis, & inſtrumentalis, phyſica etiam, & moralis, & præuia operatio, quæ in cauſa inſtrumentali requiritur ad effectum principalis agentis iuxta commune Thomiſtarū aſſertum, pag. 278. & 279.

Non poteſt negari humanitatem Chriſti, vel Chriſtum vt hominem habuiſſe aliquam cauſalitatem moralem erga miracula, & gratiam, & talem cauſalitatem multoties exercuiſſe, pag. 279. col. 2.

Hæc tamen cauſalitas moralis non poteſt eſſe inſtrumentalis, ſed principalis, ac proinde Chriſtus vt homo fuit cauſa principalis moralis miraculorum, & gratiæ nobis cauſandæ, pag. 280. col. 1. & 2.

Cauſalitas, quam exercet humanitas Chriſti, vt inſtrumentum coniunctū Verbi erga miracula, & gratiam, eſt inſtrumentalis phyſica tantum, & generalitèr quælibet creatura, cum aſſumitur à Deo ad patranda miracula, vt contingit in ſanctis, vel ad conferendam gratiam, vt contingit in Miniſtris Sacramentorum, & in Sacramentis nouæ legis, concurrit non moralitèr inſtrumentalitèr, ſed phyſicè inſtrumentalitèr tantū, P. 281. à col. 1. & ſingularitèr deinceps. *

Humanitas Chriſti, & Sacramenta non conſtituuntur in ratione inſtrumentorum Verbi per potentiam obedientialem actiuam, quam poſuit Suarez, pag. 293 col. 2.

Humanitas, & Sacramenta, & generalitèr omnia inſtrumenta non conſtituūtur in ratione inſtrumentorū per motum, quo mouentur à principali agente, nec per qualitatem tranſeuntem per motum productam communitèr poſitam, licèt indiſpenſabilitèr talē motum, & qualitatem requirant, vt actu operentur, pag. 294. à col. 1. *

Virtus, qua humanitas Chriſti, & Sacramenta conſtituūtur in ratione inſtrumentorum Dei ad patranda miracula,

Digitized by Google

la, & gratiam producendam eſt ipſamet diuinitas humanitati intrinſecè vnita, tanquam inſtrumento coniuncto, & Sacramentis, vt inſtrumentis ſeparatis communicata, in quibus permanentèr perſeuerat, ex quo inſtrumenta Dei eſſe cæperunt prolibito ſuæ voluntatis, à quo acceperunt quandam ſpecialem ſubordinationē, & virtuoſitatem, quam non acceperūt aliæ res, quæ ad tales effectus cauſandos poterant à Deo aſſumi, vt eius inſtrumenta, pag. 296. à c. 1. vbi per totam quæſt. explicatur hoc ſingularitèr. *

DISPVT. III.

Circa quæſt. 14. 15. & 16. Sanct. Thomæ de defectibus à Verbo aſſumptis, tam quoad corpus, quam quoad animam: & veritate, & falſitate propoſitionum, quæ circa hoc myſterium fieri ſolent,
pag. 304.

DE fide eſt Verbum Diuinū aſſumpſiſſe omnes defectus corporis, qui neceſſarij erant ad finem Incarnationis, vt famem, ſitim, & alia huiuſmodi, non autem aſſumpſit alios defectus, qui ad talē finem non conducebant, vt leprā, morbū caducū, & alia huiuſmodi, P. 304. c. 2. & 305. c. 1.

Defectus iſti corporales, quos Chriſtus aſſumpſit, fuerunt neceſſarij neceſſitate conſequenti principia naturalia materiæ, & formæ, & aliquo modo fuerunt liberi reſpectu Diuinæ volūtatis quæ hoc ita decreuit, ibidē c. 2.

Verbum Diuinum non aſſumpſit defectus animæ, qui ad finem Incarnationis non expectabant, & ita nō habuit peccatum originale, nec actuale, nec fomitem peccati, nec ignorantiam; fuit tamen in illo dolor ſenſibilis, triſtitia, timor, admiratio quantum ad ſcientiam acquiſitam tantū, & ita in quātū eſt idē, quod *Zelus*, p. 306. c. 1.

Circa modum loquendi in hoc myſterio aliquas regulas generales adducit Sanct. Thomas, quæſt. 16. art. 1. quarum prima eſt: nomen ſignificans naturam communem in cōcreto poteſt ſupponere pro quolibet contento ſub illa natura communi, vt hoc nomen *homo* poteſt ſupponere pro quolibet indiuiduo contento ſub illo, & ratione huius regulæ hæc propoſitio, *Deus eſt homo, & homo eſt Deus*; & aliæ conſimiles ſunt veræ, pag. 306. col. 1.

Secunda regula generalis: ad veritatem propoſitionum in materia neceſſaria ſufficit quod prædicatum conueniat ſubiecto ſecundum rationem ſuppoſiti, ſi cum illo vniatur per ſe; & non per accidens; neque eſt neceſſarium, quod conueniat ſubiecto ſecundum formam ſignificatam per illud prædicatum; & ratione huius regulæ propoſitio præadducta, *Deus eſt homo*, eſt in materia neceſſaria, ibidem.

Tertia regula generalis deſumpta ex S. Thoma ex q. 29. de verit. ar. 1. ad 1. ea, quæ nata ſunt perſonæ conuenire ratione ſui ipſius, non poſſunt dici de Chriſto, ſi habeant repugnantiam ad proprietates perſonæ æternæ, quæ ſola in eo eſt, & ratione huius regulæ hæc propoſitio abſolutè, & ſine addito prolata: *Chriſtus eſt creatura* eſt falſa, & aliæ conſimiles, pag. 307. c. 1.

Quarta regula generalis deſumpta ex eodem S. Th. ibid. ea, quæ non ſunt nata conuenire perſonæ, niſi ratione naturæ, vel partis naturæ, poſſunt dici de Chriſto, quamuis habeant repugnantiam ad perſonam æternā; & hoc propter dualitatem naturarum; & ratione huius regulæ verum eſt dicere abſolutè, & ſine addito, *Chriſtus eſt paſſus, mortuus, & ſepultus*, ibid. c. 2.

Ex prædictis regulis ſequitur, hanc propoſitionem abſolutè, & ſine addito prolatā, *hic homo* (demonſtrato Chriſto) *eſt creatura, vel incepit eſſe* falſam eſſe, pag. 308. col. 1.

Ex prædictis regulis bene perpenſis de quam pluribus aliis propoſitionibus poteſt Theologus ferre iudicium attendendo ſemper præcipuè earū ſenſum; ratione cuius ea, quæ conueniunt Chriſto, vt Deo, non poſſunt de ipſo prædicari vt homine, ſi in abſtracto ſignificentur, *vt mortalitas eſt immortalitas*, & ſimilia, p. 308. c. 2.

Ea, quæ conueniunt Chriſto per ſe, ſi ſignificentur denominatiuè, & quaſi per accidens, nequeunt de ipſo prædicari; qua ratione hæc propoſitio eſt falſa: *Chriſtus eſt homo Dominicus*, ibidem.

DIS-

Digitized by Google

DISPVT. IV.

Circa quaſt. 17 & 18. Sanct. Thomæ de pertinentibus ad vnitatem in Chriſto quantum ad, & eſſe quantum ad velle, p. 309. c. 1.

LIcèt in Chriſto ſit duplex eſſe naturarum, non tamen eſt duplex eſſe exiſtentiæ, ſed vnicum Verbi, per quod Verbum, & humanitas exiſtũt, ſicut ſubſiſtunt, ibidem, col. 2.

De fide eſt dari in Chriſto duplicem voluntatem, Diuinam, & humanam, & conſequentèr datur duplex libertas correſpondens duplici voluntati, P. 314. & 315.

Non ſolum fuit in Chriſto duplex voluntas pertinens ad rationem, ſed voluntas ſenſualitatis, quæ dicitur appetitus ſenſitiuus, ratione humanæ naturæ, ibidem col. 1.

Licèt Chriſtus Dominus ſecundum voluntatem ſenſualitatis, & ſecundum voluntatẽ rationis, vt natura eſt, non eſſet omninò conformis in volito cũ eius voluntate diuina, ſecundum voluntatem tamen rationis, vt rationis eſt; ſemper fuit omninò conformis cum eius diuina voluntate, ibidem.

Licèt iſtæ voluntates, ita ſe geſſerint, ſemper tamen verificaretur in Chriſto non fuiſſe contrarietatem voluntatum, ibidem col. 2.

DISPVTATIO V.

Circa quæſt. 19. S. Thom. de merito Chriſti, tam in ordine ad ſe, quam in ordine ad alios, pagin. 316. à col. 1.

CHriſtus meruit per actus partis vegetatiuæ, & ſenſitiuæ potentiæ, pag. 317. col. 1. meruit item per actus ſub præcepto cadentes, quicumque illi ſint, ibidem col. 2.

Meruit etiam per actum dilectionis, & fruitionis ſecutum ad ſcientiam beatam, qui, licèt neceſſarius eſſet, fuit tamen aliquomodo liber, & explicatur, pag. 318. à col. 1. per totum art.

De facto Chriſtus nec meruit gratiam habitualem, nec animæ gloriam; de potentia tamen abſoluta in aliquo vero ſenſu poteſt concedi, Chriſtum mereri potuiſſe gratiam, & gloriam animæ eius, pag. 320. col. 1.

Ex ſuppoſitione, quod Chriſtus meruit per gratiam habitualem, & per actus gloriam animæ conſequentes, non potuit adhuc de potentia abſoluta per eoſdem actus eandem gratiam, & animæ gloriam promereri, ibidem à col. 2.

Chriſtus meruit directè gloriã ſui corporis, pag. 321. col. 2. meruit itẽ ſui nominis exaltationem, ibidem.

Nobis autẽ meruit reparationem poſt lapſum per gratiam iuſtificantem; & quidquid ad iſtã cõducit diſpoſitiuè, tam proxime, quam remote; meruit etiam nobis bona temporalia, quatenus ordinantur ad ſpiritualia, pagin. 322. col. 2.

Meruit Chriſtus per adimpletionẽ præceptorum naturalium, pag. 324. col. 2. & fuit ſubiectus illis cuiuſcumque ordinis ſint, ſi ratione dignitatis perſonæ non erant illi diſconuenientia, pag. 325. col. 1.

Chriſtus nõ fuit ſubiectus alicui legi poſitiuæ humanæ, nec legi Euangelicæ, quam ipſe tulit, nec veteri, quam tradidit Deus populo Iudaico, licèt aliquando hanc legem ſeruauerit, ibid. col. 2.

Chriſtus Dominus habuit rigoroſum præceptum obligans in conſcientia à Patre impoſitum circa paſsionem, & mortem eius, cum quo præcepto compatitur libertas ſaltèm contradictionis, & impeccabilitas eius, pag. 326. à col. 2. vſque ad P. 332. vbi alia, quæ ſingularitèr diſcuſſa videbis. *

Ponuntur variæ ſolutiones ad difficile, licèt commune, argumentum, & inſtatur in contrariorum ſententias, p. 338. à col. 2. vſque ad pag. 340. & ſoluitur argumẽtũ ferè ſpecialitèr iuxta Thomiſtarum ſententiam. *

DISPVTAT. VI.

Circa quæſt. 20. 21. & 22. Sanct. Thomæ de ſeruitute, oratione, & Sacerdotio Chriſti, pag. 341. à colum. 1.

EXplicantur diuerſi modi vſurpandi hoc nomen *ſeruus*, ibidem c. 2. & oſten-

Digitized by Google

oſtenditur Chriſtum non dici *ſeruum* duplici genere ſeruitutis ibi explicatæ; ſed dicitur *ſeruus*, ſecundum quod eſt homo, Patris, & ſui ipſius, ſecundum quod eſt Deus, ſeruitute naturali iure creationis, pag. 342. à col. 1.

Oſtenditur ſententiam, P. Vazquez in hac re non fuiſſe ſingularem (vt vult Lorca) ex ipſius Vazquez verbis; niſi in modo vſurpandi vocabulum *ſeruus*, p. 343. à col. 1. per totum ar. *

Chriſtus Dominus ſecundum voluntatem humanam verè, & propriè orauit, quando in hac mortali vita degebat; imò, & nunc in Cœlo pro nobis orat. Probabile eſt eius orationem ſemper impletã fuiſſe, licèt probabilius, quod nõ ſẽper, p. 344. c. 1. & 2.

Eſſe Sacerdotem optimo modo conuenit Chriſto, & ſimul hoſtiam; eius Sacerdotium habuit vim ad perfectam peccatorum emundationem. Non competit ipſi ſuſcipere in ſe effectum Sacerdotij, ſed alijs communicare; eſt æternum, ſicut, & ſacrificium; fuit Sacerdos ſecundũ ordinem Melchiſedech, & quare, p. 345. & 346.

DISPVT. VII.

Circa quæſt. 23. & 24. Sanct. Thomæ de adoptione, & prædeſtinatione Chriſti, pag. 346. à col. 2.

DVplex eſt filiatio, naturalis vna, & adoptiua alia, & filiatio naturalis adhuc diuiditur in naturalem per naturam, & naturalem per gratiam, P. 347. col. 1.

Chriſtus in quantum homo ſpecificatiue, id eſt, ſubſiſtens in natura humana, non eſt Filius Dei adoptibus, ibidem c. 2. ſed eſt Filius naturalis Dei per gratiam vnionis, p. 348. à col. 1.

Facta ſuppoſitione rigoroſa huiꝰ nominis *prædeſtinatus*, id ſolum à Deo ab æterno prædeſtinatur, quod in tempore factum eſt; quare Chriſtus, vt ſubſiſtens in natura Diuina, nec *prædeſtinatus* dicitur, nec poteſt dici, ſed vt ſubſiſtens in natura humana, quod in tempore factum eſt, cuius obiectũ *quod*, & terminus *qui* eſt ipſemet Chriſtus, vt ſubſiſtit in natura humana, pag. 350. col. 2.

Inter ſubiectum prædeſtinationis, & terminum eius debet eſſe aliqua antecedentia ſaltèm naturæ, aut rationis, pag. 351. col. 1.

Chriſtus vt homo vere, & propriè eſt prædeſtinatus ad filiationem Dei naturalem, ac proinde propoſitio Pauli, ſcilicèt, *qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem, prædeſtinatus eſt in Filium Dei naturalem* non ſolum tanquam vera, ſed tanquam propria admittenda eſt, ibidem à col. 2.

Argumentum difficile, quod ex Durando proponit Lorca contra prædictã reſolutionem dicens, quod à nemine ſolutum eſt hucuſque, pluries à S. Thoma fuit propoſitum, & ſolutum pag. 353. c. 1. & 2.

Variæ ſolutiones ponuntur ad prædictum argumentum, & refutantur, pag. 354. & 355.

Vera ſolutio prædicti argumenti exponitur, ſcilicèt, quod Chriſtus, ſecundum quod eſt factus ex ſemine Dauid ſecundum carnem, eſt ſubiectum prædeſtinationis, cui fuit gratia terminus eius, quod eſt eſſe Filium Dei naturalem, pag. 356. & 357.

Prædeſtinatio Chriſti, non quoad actũ æternum, ſed quoad terminum eiꝰ, fuit cauſa noſtræ prædeſtinationis in triplici genere cauſæ, ſcilicèt, finalis, meritoriæ, & exemplaris, p. 357. c. 2.

Prædeſtinatio Chriſti, quoad terminũ primarium eius, fuit æthereogenea, & diuerſæ rationis cũ noſtra, quoad terminum autem ſecundarium, gratiæ, ſcilicèt, & gloriæ fuit homogenea, & eiuſdem rationis cum noſtra, pag. 358. col. 1.

DISPVTATIO VIII. VIt.

Circa quæſt. 25. Sanct. Thomæ de adoratione Chriſti.

ADoratio definitur à Damaſceno ſic: *Eſt id, quo alteri, vt nobis ſuperiori quoad excellentiam, nos ipſos ſubmittimus, & ſubijcimus*, p. 358. c. 1.

Ex iſta definitione deducitur, non quẽlibet actum virtutis adhuc Theologicè eſſe materiam adorationis, pag. 359. col. 1.

Diuiditur adoratio ex parte actus in internam, quæ interius conſumatur, & externam, quæ aliquo actu externo manifeſtatur, ibidem.

Ex

Digitized by Google

Ex parte obiecti diuiditur in latriam, quæ ſolum conuenit excellentiæ increatæ, qua ſolus Deus adorādus eſt, & in Duliam, quæ ſolum excellentię creatæ conuenit, ibidem col. 2.
Ĩſma adoratio pertinet ad virtutē Religionis; ſecūda, debita, & facta creaturis ad obſeruantiam, ibidem.
Humanitas Chriſti conſiderata, vt vnita Verbo conſtituens cum illo vnum per ſe adorari debet adoratione latriæ propria Verbi, ita vt proprius dicatur coadorari cum Verbo, quam adorari, pag. 360. col. 2.
Non repugnat Humanitati Chriſti adorari ſecundum proprium excellentiam gratiæ, & donorum adoratione quaſi methaphyſica Duliæ perfectiſſimæ: de facto tamen non debet tali adoratione adorari, ſed latria ratione Verbi ſibi perſonalitèr vniti, pagin. 361. col. 1. & 2.
Satis probabile mihi videtur, quod de facto, & in exercitio poſsit adorari humanitas Chriſti ſine irreuerentia propria adoratione, ratione excellentiæ propriæ, ſcilicèt, perfectiſsima Dulia, & explicatur ſingularitèr, pag. 362. à col. 2.
Beata Virgo, licèt habeat titulum, rationecuius poſsit adorari adoratione latriæ; de facto tamen, & in exercitio ſolum eſt adorāda adoratione Duliæ perfectiſsimæ, quæ vocatur à S. Th. & Theologis *Hyperdulia*, P. 363. c. 1.
De fide eſt imagines, & reliquias Sanctorum debere adorari aliqua adoratione, pag. 364. col. 1.
Imago poteſt duplicitèr conſiderari primo vt eſt quædam res in ſe, quæ, non ſolū eſt materia imaginis, vt lignum, v. g. ſed forma Imaginis, ſcilicèt, ſcultura, vel pictura, vel aliud quodlibet artificiolum. Secundo cōſiderari poteſt Imago hæc, quatenus exercet rationem, & actum Imaginis, & prout in ipſa relucet exemplar, quod repræſentat, ibidem.
Primo modo conſiderata diuerſum motum terminat ab ipſo exemplari, cuius eſt Imago; imò vt ſic conſiderata, nullus ei debetur motus adorationis, ibidem col. 2.
Conſiderata tamen ſecundo modo eūdem motum terminat adorationis cum eius exemplari; & ita ſi hoc adoretur latria, debet eadem adoratione Imago eius adorari, & ſic de cæteris, ibidem, & pag 365. col. 1.
Reliquiæ Sanctorum eadem adoratione debent adorari, ac ipſi Sancti, quorum ſunt Reliquiæ adorantur, ibidē col. 2.
Licèt antiqua iura diſponant, quod nō adorentur Reliquiæ Sanctorum ſine Authoritate Pontificis, iam hoc moderatum eſt per Tridentinū ſeſſ. 25. in decreto 2. Fidei, vbi præcipitur, ne nouæ Reliquiæ adorentur ſine licentia Epiſcopi adhibito Conſilio Theologorum, & hoc intelligitur de publica adoratione, non de priuata, pag. 366. col. 1.
Corpora Sanctorum non ſunt transferenda de loco ad locum ſine licentia Summi Pontificis, neque eorum Reliquiæ debent eſſe venales, ibidem.

Satiabor, cum apparuerit gloria tua.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google